ENCHIRIDION LITURGICUM

COMPLECTENS THEOLOGIAE SACRAMENTALIS
ET DOGMATA ET LEGES
IUXTA NOVUM CODICEM RUBRICARUM

ST. FRANCIS SEMINARY
SALZMANN LIBRARY
MILWAUKEE 7, WIS.

POLYCARPUS RADÓ

WITHDRAWN

I

HERDER

ENCHIRIDION LITURGICUM

BX
1970
.R29
1961
v.1

ENCHIRIDION LITURGICUM

COMPLECTENS THEOLOGIAE SACRAMENTALIS
ET DOGMATA ET LEGES

IUXTA NOVUM CODICEM RUBRICARUM

CONCINNAVIT
POLYCARPUS RADÓ O. S. B.
PROFESSOR FACULTATIS THEOLOGICAE BUDAPESTINENSIS

TOMUS PRIMUS



HERDER
ROMAE - FRIBURGI BRISG. - BARCINONE
1961

Nr. 163/1960 IMPRIMATUR

Datum in S. Monte Pannoniae, die 19. Sept. 1960

† Nobertus Legányi O.S.B.
archiabbas et ordinarius

Nr. 2225/1960 IMPRIMATUR

Strigonii, die 28. Octobris 1960

Dr. Arthurius Schwarz-Eggenhofer
Administrator apostolicus

© 1961, Casa Editrice Herder - ROMA

Arti Grafiche SAV - Via S. Pietro, 7 - Napoli Portici - Tel. 339.000 P.B.X.

Jos. Andreae Jungmann
opus hoc
D. D. A.

« Ad sacrae Liturgiae fontes
mente animoque redire
sapiens profecto ac laudabilissima res est...
Pretiosissimus thesaurus in s. Liturgia continetur:
Eucharisticum nempe Sacrificium,
Sacramenta quae divinae gratiae
divinaeque vitae rivuli sunt,
ac laudis hymnus,
quem terra caelumque
cotidie ad Deum extollunt. »

Mediator Dei

PRAESENTATIO

Decursu annorum elapsorum toto orbe terrarum speciali modo clerici laicique studio incumbebant s. liturgiae quae maximi momenti instaurationem nacta est. Usque hodie tamen deerat opus omnes quaestiones liturgicas sub respectu totali complectens recentioremque molem indagationum digerens sacerdotibus alumnisve s. theologiae limpide proferens.

D. Polycarpus Radó O.S.B., professor Facultatis Theologicae Budapestinensis, consultor commissionis s. liturgiae Conc. Oecum. Vatican, II. praeparantis, cuius labores scientifici peritis noti sunt (praecipue opus eius « Libri liturgici manuscripti bibliothecarum Hungariae ») opus exegit totam materiam liturgicam sub novo respectu in unum redactam lectoribus subiiciens.

Opus praesens auctoris praelo subiectum, uti titulo videri potest synthesis est theologiae sacramentalis enchiridionque liturgiae pastoralis. Opus duos tomos complectens omnes tractat quaestiones de actibus cultualibus quae hucusque in variis disciplinis disparatis inventae sunt, in theologia nempe dogmatica, morali, pastorali, iure canonico, in historia ecclesiastica et liturgico-historica, demum in scientia stricte dicta liturgica.

Aeram quidem Summarum multi iamdudum praeteritam esse censent. Etenim complexio scientiae theologicae hodie in eius respectivis scientiis partialibus adeo evoluta est, quod peritissimorum quoque conspectum vix ac ne vix quidem aufugit. Nihilominus post scissiones artefactas theologiae aevo decadentiae vivide nunc adest exigentia syntheseos, totalitatis et per hoc amplioris intellectionis. Auctor totam materiam immensam respectu dogmatico, moraliiuridico, historico et stricte liturgico in synthesim quandam coegit, opusque eius tentaminis instar haberi potest tractationis materiae totalis seu « holisticae », eo modo, quod tractatus singuli non solum mechanistice, sed organice interneque cohaerent, sicque omnia quae dicenda sunt circa s. liturgiam e theologia dogmatica, morali, iure canonico, legibusve cultualibus et historia, simul conspectui lectorum exhibentur.

Opus praesens sub notione liturgiae non solum ritus sacros comprehendit, sed omnes actiones sacrales quae ad Deum colendum fidelesque sanctitate imbuendos contendunt. Opere tractantur omnes instaurationes quae usque ad annum 1960 feliciter in lucem prodiere, ac ubique commentario historico et rubricistico instructae sunt. Auctor presse sequitur voces sponsae Christi, Matris Magistraequae nobis a Domino constitutae, praecipue vero Encyclicam magistralem « Mediator Dei », cuius doctrina tota quanta permeat imbuitque trac-

tationem. Opus stilo eius latino facile patet intellectui, saepeque terminis technicis e linguis modernis adhibitis viam sternit captui meliori.

Speramus Deo opitulante de talis operis studio utilitatem haud exiguam capere posse quum alumnos s. theologiae, tum pastores animarum vitam promoventes liturgicam, necnon forsitan peritos ac studiosos quoque huius disciplinae amantissimae.

In Sacro Monte Pannoniae die 18. sept. 1960.

† Norbertus Legányi O.S.B.
archiabbas et ordinarius

PRAEFATIO AUCTORIS

Superiore benevola praesentatione revelata sunt omnia ad intelligendum scopum huius syntheseos liturgicae. Liceat adhuc paucis referre genesim singularem huiusmodi operis. *Alexander M. Horváth* (1884-1956), professor quondam Romae, Friburgi Helvetiae, demum Universitatis Budapestinensis, munere fungens decani facultatis theologicae, anno 1948 condidit cathedram peculiarem « Theologiae sacramentalis cum institutionibus liturgicis. » Vir iste exquisitae doctrinae (cf. LfThk 2. ed. 1960. V, 489) auctori cathedram hanc assecuto consiliis adfuit in elaboranda synthesi, inde ab anno 1948-49 pedetentim evoluta. Auctor vero ab auditoribus frequens rogatus praelectiones in manuale quoddam coegit, cuius titulus nativus erat: Enchiridion Liturgiae Pastoralis seu synthesis theologiae sacramentalis, cuius tria folia (pp. 48) anno 1959 speciminis instar Budapestini publici iuris facta sunt, de quo cf. Ephem. Liturg. 1960, 85.

Titulus operis nativus in meliorem immutatus est, cum *Jos. Andr. Jungmann*, professor et emeritus rector Universitatis Oenipontanae, ibidem quondam condiscipulus auctoris, aestate anni 1959 manuscriptum inspexit operique permulta contulit, talemque titulum suggessit quo nunc Enchiridion in lucem editur. Quorum beneficiorum non immemor doctissimo viro grates rependo. Gratias insuper agendi obligatione obstrictus sum eximiis viris *Ben. E. Brunschweiler* (Capetown), *Ger. Békés* (Roma), *Gul. Polgár* (Wien), *Aem. Jordan* (Sao Paulo), *Bela Saád* et *Nic. Esty* (Budapest), permultisque aliis qui mihi in arduo labore parandae editionis subvenientes opitulati sunt.

Opus impressionis Enchiridii decursu anni 1960 ob rationes technicas dilationem passum est, quod facultatem praebuit integrum librum reformationi Novi Codicis Rubricarum adaptandi, cui operae editor librarius Herder (Romae-Friburgi-Barcinone) voluntate officiosa obsecundavit.

Budapestini die 2. febr. 1961.

Polycarpus Radó O.S.B.

INDEX SYSTEMATICUS TOMI PRIMI

Pag.

De notione Liturgiae pastoralis seu theologiae sacramentalis 1-6

PARS GENERALIS

I. Tractatus. Euchologia seu de Lege Orandii 7-29

A) *De notione liturgiae et de generibus cultus publici* 7-13
1. Notio liturgiae 7. — 2. De generibus cultus publici 12.

B) *De liturgia ut est locus theologicus* 14-20

C) *De iure ordinante cultum publicum* 20-29
1. De fundamento huius iuris 20. — 2. De fontibus legis cultum ordinantis 21.

II. Tractatus. Stilistica sacralis seu de ritibus et caeremoniis in genere . . 30-85
Fundamentum 30.

A) *De signis sacris* 30-51
I. De signis per manus peractis 37. — II. De habitudine corporis signa sacra peragentis 44. — III. De aspetu oculorum 47.

B) *De lingua sacrali* 51-61

C) *De formulis sacris* 61-71
1. Textus biblici 61. — 2. Acclamationes liturgicae 63. — 3. Doxologiae 65. — 4. Preces litanicae 66. — 5. Symbola sacra (professiones fidei) 69. — 6. Orationes 70. — 7. Praefationes 70.

D) *De rebus sacris* 71-79
1. Aqua 72. — 2. Ignis 73. — 3. Oleum 76. — 4. Thymiama 78.

E) *De stilis liturgicis* 80-85
1. Stilus liturgicus Orientalis et Occidentalis 80. — 2. Stilus liturgicus Romanus et Gallicanus 82.

III. Tractatus. Typologia sacralis seu de familiis cultus 86-136

Fundamentum 86-93

A) *De liturgia Gallicana* 93-97
1. Territorium 93. — 2. Fontes 94. — 3. Descriptio liturgiae Gallicanae 94. — 4. Corruptio et suppressio liturgiae Gallicanae 96.

B) *De liturgia Mozarabica* 97-101
1. Territorium 97. — 2. Fontes 98. — 3. Descriptio Missae Mozarabicae 99. — 4. Sortes ulteriores 101.

C) *De liturgia Ambrosiana* 102-105
1. Territorium 102. — 2. Fontes 102. — 3. Descriptio Missae 103. — 4. Sortes ulteriores 104.

tationem. Opus stilo eius latino facile patet intellectui, saepeque terminis technicis e linguis modernis adhibitis viam sternit captui meliori.

Speramus Deo opitulante de talis operis studio utilitatem haud exiguam capere posse quum alumnos s. theologiae, tum pastores animarum vitam promoventes liturgicam, necnon forsitan peritos ac studiosos quoque huius disciplinae amantissimae.

In Sacro Monte Pannoniae die 18. sept. 1960.

† Norbertus Legányi O.S.B.
archiabbas et ordinarius

PRAEFATIO AUCTORIS

Superiore benevola praesentatione revelata sunt omnia ad intelligendum scopum huius syntheseos liturgicae. Liceat adhuc paucis referre genesim singularem huiusmodi operis. *Alexander M. Horváth* (1884-1956), professor quondam Romae, Friburgi Helvetiae, demum Universitatis Budapestinensis, munere fungens decani facultatis theologicae, anno 1948 condidit cathedram peculiarem « Theologiae sacramentalis cum institutionibus liturgicis. » Vir iste exquisitae doctrinae (cf. LfThk 2. ed. 1960. V, 489) auctori cathedram hanc assecuto consiliis adfuit in elaboranda synthesi, inde ab anno 1948-49 pedetentim evoluta. Auctor vero ab auditoribus frequens rogatus praelectiones in manuale quoddam coegit, cuius titulus nativus erat: Enchiridion Liturgiae Pastoralis seu synthesis theologiae sacramentalis, cuius tria folia (pp. 48) anno 1959 speciminis instar Budapestini publici iuris facta sunt, de quo cf. Ephem. Liturg. 1960, 85.

Titulus operis nativus in meliorem immutatus est, cum *Jos. Andr. Jungmann,* professor et emeritus rector Universitatis Oenipontanae, ibidem quondam condiscipulus auctoris, aestate anni 1959 manuscriptum inspexit operique permulta contulit, talemque titulum suggessit quo nunc Enchiridion in lucem editur. Quorum beneficiorum non immemor doctissimo viro grates rependo. Gratias insuper agendi obligatione obstrictus sum eximiis viris *Ben. E. Brunschweiler* (Capetown), *Ger. Békés* (Roma), *Gul. Polgár* (Wien), *Aem. Jordan* (Sao Paulo), *Bela Saád* et *Nic. Esty* (Budapest), permultisque aliis qui mihi in arduo labore parandae editionis subvenientes opitulati sunt.

Opus impressionis Enchiridii decursu anni 1960 ob rationes technicas dilationem passum est, quod facultatem praebuit integrum librum reformationi Novi Codicis Rubricarum adaptandi, cui operae editor librarius Herder (Romae-Friburgi-Barcinone) voluntate officiosa obsecundavit.

Budapestini die 2. febr. 1961.

Polycarpus Radó O.S.B.

INDEX SYSTEMATICUS TOMI PRIMI

Pag.

De notione Liturgiae pastoralis seu theologiae sacramentalis 1-6

PARS GENERALIS

I. Tractatus. Euchologia seu de Lege Orandii 7-29

A) *De notione liturgiae et de generibus cultus publici* 7-13
1. Notio liturgiae 7. — 2. De generibus cultus publici 12.

B) *De liturgia ut est locus theologicus* 14-20

C) *De iure ordinante cultum publicum* 20-29
1. De fundamento huius iuris 20. — 2. De fontibus legis cultum ordinantis 21.

II. Tractatus. Stilistica sacralis seu de ritibus et caeremoniis in genere . . 30-85
Fundamentum 30.

A) *De signis sacris* 30-51
I. De signis per manus peractis 37. — II. De habitudine corporis signa sacra peragentis 44. — III. De aspetu oculorum 47.

B) *De lingua sacrali* 51-61

C) *De formulis sacris* 61-71
1. Textus biblici 61. — 2. Acclamationes liturgicae 63. — 3. Doxologiae 65. — 4. Preces litanicae 66. — 5. Symbola sacra (professiones fidei) 69. — 6. Orationes 70. — 7. Praefationes 70.

D) *De rebus sacris* 71-79
1. Aqua 72. — 2. Ignis 73. — 3. Oleum 76. — 4. Thymiama 78.

E) *De stilis liturgicis* 80-85
1. Stilus liturgicus Orientalis et Occidentalis 80. — 2. Stilus liturgicus Romanus et Gallicanus 82.

III. Tractatus. Typologia sacralis seu de familiis cultus 86-136

Fundamentum 86-93

A) *De liturgia Gallicana* 93-97
1. Territorium 93. — 2. Fontes 94. — 3. Descriptio liturgiae Gallicanae 94. — 4. Corruptio et suppressio liturgiae Gallicanae 96.

B) *De liturgia Mozarabica* 97-101
1. Territorium 97. — 2. Fontes 98. — 3. Descriptio Missae Mozarabicae 99. — 4. Sortes ulteriores 101.

C) *De liturgia Ambrosiana* 102-105
1. Territorium 102. — 2. Fontes 102. — 3. Descriptio Missae 103. — 4. Sortes ulteriores 104.

Pag.

D) *De liturgia Celtica* 105-107
1. Territorium 105. — 2. Fontes 106. — 3. Descriptio Missae Celticae 106. — Scholion. De origine typi liturgici Gallicani 107-110.

E) *De ritu Romano antiquo* 110-119
1. Origines et evolutio ritus Romani antiqui 110. — 2. Proprietates ritus Romani antiqui 115.

F) *De liturgia Romana universali* 119-123
1. Liturgia Romana sub influxu Orientali 120. — 2. Liturgia Romana sub influxu Gallicano 122.

G) *De liturgiis Orientalibus* 124-129
1. De origine variorum typorum Orientalium 124. — 2. Ritus Hierosolymitanus 124. — 3. Ritus Alexandrinus 125. — 4. Ritus Antiochenus 126. — 5. Ritus Cappadociae 127. — 6. Ritus Byzantinus 127.

H) *De liturgia Byzantina universali* 129-136
1. Expansio liturgiae Byzantinae 129. — Descriptio Missae Byzantinae 131.

IV. Tractatus. Semasiologia sacralis seu de Sacramentis in communi . . 137-219

A) *De notione signi sacramentalis* 138-154
1. De origine et evolutione termini « sacramentum » 138. — 2. De Sacramentis legis naturae 142. — 3. De Sacramentis Veteris Legis 144. — 4. De Sacramentis minoribus i. e. de Sacramentalibus 146. — 5. Definitio Sacramentorum 152.

B) *De existentia Sacramentorum* 154-161
1. De existentia septem Sacramentorum 154. — 2. Sacramentorum divisio respectu pastorali 159.

C) *De essentia Sacramentorum* 162-172
1. De natura signi sacramentalis 162. — 2. De compositione seu structura quasi-metaphysica Sacramentorum 161. — Scholion. De reviviscentia Sacramentorum 166. — 3. De compositione seu structura quasi-physica Sacramentorum 166. — 4. Normae pastorales quoad materiam et formam 169.

D) *De efficientia Sacramentorum* 172-194
1. De virtute obiectiva Sacramentorum 172. — 2. De modo efficientiae seu causalitatis Sacramentorum 174. — 3. De effectibus communibus Sacramentorum 182-193. 1) De gratia sanctificante per Sacramenta producta 182. — II) De gratia cuique Sacramento speciali 186. — III) De charactere Sacramentorum 187. — IV) De natura et effectu characteris 191.

E) *De causa Sacramentorum* 194-219
1. De potestate auctoritatis in Sacramentis 195. — 2. De potestate excellentiae in Sacramentis 198. — 3. De ministerio secundario generali Sacramentorum 199. — 4. De ministerio secundario speciali circa Sacramenta 202-216. I. Valida administratio Sacramentorum 203. — II. Legitima seu licita Sacramentorum administratio 208. — III. Normae pastorales de obligatione administrandi Sacramenta 213. — 5. De subiecto Sacramentorum ut causa suscipiente 216.

PARS SPECIALIS

I. Tractatus. De Ecclesia sacrificante 220-401

A) *De notione sacrificii Missae* 221-227
1. De definitione sacrificii in genere 221. — 2. Applicatio definitionis ad sacrificium Missae 222. — 3. Variae denominationes sacrificii Missae 225.

Pag.

B) *De existentia sacrificii Missae* 227-242
1. Vox Ecclesiae 227. — 2. Adversarii sacrificii Missae 229. — 3. Veritas Missae e Scriptura Sacra 230. — 4. Traditio testis Missae 235. — 5. Ratione fulcitur veritas Missae 238. — Corollaria deducta e veritate Missae 239.

C) *De essentia sacrificii Missae* 242-269
1. De Missa ut sacrificio relativo 242. — 2. De consecratione spectata ut est essentia Missae 247. — 3. De ratione formali sacrificii Missae QUID NON SIT. 252-261. I. Theoriae sacrificales destructionem supponentes 252. — II. Diacrisis theoriarum destructionem supponentium 255. — III. Theoriae per defectum peccantes 257. — IV. De ratione formali Missae QUID SIT 261.

D) *De efficientia sacrificii Missae* 269-292
1. De fine Missae ut est sacrificium latreuticum 270. — 2. De fine Missae ut est sacrificium eucharisticum 273. — 3. De fine Missae ut est sacrificium propitiatorium 274. — 4. De fine Missae ut est sacrificium impetratorium 278. — 5. De fructibus Missae ratione participantium 281. — 6. De valore Missae 284. — 7. De modo efficientiae Missae 288.

E) *Evolutio et historia ritus Missae* 292-311
1. Incunabula Missae 292. — 2. Aetas aurea Missae 296. — 3. Missae evolutio aetate media (saec. VII-XV.) 301. — 4. Historia Missae recentiore aetate 306.

F) *De legibus cultualibus Missae* 311-352
1. De obligatione Missam celebrandi 311. — 2. De Missae applicatione 323. — 3. De circumstantiis sacrificii Missae 326. — 4. De requisitis ad celebrationem 337. — 5. De defectibus in celebratione occurrentibus 342. — 6. De obligatione Missae adstandi 344.

G) *De ritibus sacrificii Missae* 352-401
1. De legibus euchologicis Missae 352. — 2. De ritu servando in celebratione Missae lectae 377. — 3. De ritu servando in celebratione Missae Sollemnis 390.

II. Tractatus. De Ecclesia orante seu de Liturgia epaenetica 402-510

A) *De notione officii divini* 403-412
1. Definitio officii divini 403. — 2. De structura officii divini 405.

B) *Historia et evolutio officii divini et breviarii* 413-428
1. Prima aetas officii divini 413. — 2. De evolutione officii divini 414. — 3. Evolutio et historia breviarii (saec. XI-XX) 419.

C) *De legibus cultualibus officii divini* 428-442
1. De obligatione officii divini 428 — 2. De forma officii divini 430. — 3. De modo persolvendi officium divinum 433. — 4. De causis a recitatione excusantibus 438. — 5. De participatione actuosa fidelium in officio divino 440.

D) *De ritibus psalmodiae* 442-445
1. Regulae psalmodiae generales 442. — 2. De singulis psalmodiae partibus 444.

E) *De notione piorum exercitiorum* 445-449

F) *De piis exercitiis quovis tempore peragendis* 449-469
1. De Oratione XL Horarum 449. — 2. De exercitio Viae Crucis 453. — 3. De devotionibus pomeridianis 456. — 4. De cultu s. reliquiarum 457. — 5. De installatione parorochorum 461. — 6. De visitatione parochiarum 462. — 7. De pulsatione campanarum 465.

G) *De piis exercitiis statis temporibus peractis* 469-492
1. De piis exercitiis quorundam dierum publice peractis 469. — 2. De precibus triduanis vel novendialibus 482 — 3. De piis exercitiis mensilibus publice peractis 485.

Pag.

H) *De sacris processionibus* 492-498
1. De notione processionum 492. — 2. Historia processionum 493. — 3. Leges cultuales processionum 494.

J) *De cura Ecclesiae pro mortuis gerenda* 498-510
1. De commendatione animae 498. — 2. De sepultura defunctorum 501. — 3. De suffragiis pro mortuis oblatis 508.

III. Tractatus. De Augustissima Eucharistia ut est Sacramentum . . . 511-639

A) *De existentia Eucharistiae* 512-516
1. De nominibus Eucharistiae 512. — 2. De Eucharistia ut est Sacramentum 514.

B) *De essentia Eucharistiae* 517-533
1. De materia remota Eucharistiae 517. — 2. Normae pastorales quoad materiam Eucharistiae 518-522. I. Quoad materiam remotam 518. — II. Quoad materiam proximam 520d. — 3. De forma Eucharistiae 522-530. I. De forma Eucharistiae QUID SIT 522. — II. De forma Eucharistiae QUID NON SIT 525. — 4. Normae pastorales quoad formam Eucharistiae 530.

C) *De efficientia Eucharistiae* 533-537

D) *De necessitate Eucharistiae* 537-548
1. De necessitate sumptionis Eucharistiae 538. — 2. De necessitate sumptionis sub utraque specie 542. — 3. Normae pastorales de sumptione SS. Eucharistiae 545.

E) *De personis sacramentalibus Eucharistiae* 548-567
1. De ministro confectionis 549. — 2. De ministro dispensationis 550. — 3. De subiecto Eucharistiam suscipiente 552. — 4. De dispositione corporis ad communionem 557.

F) *De facto praesentiae Christi in Eucharistia* 567-594
1. Doctrina catholica de facto praesentiae 567. — 2. Adversarii veritatis Eucharistiae 568. — 3. Testimonium e verbo Dei de veritate Eucharistiae 573. — Testimonium s. Traditionis pro Eucharistia 579. — 5. Testimonium rationis pro veritate Eucharistiae 584. — 6. De adoratione Christi in Eucharistia 586.

G) *De actu praesentiandi Christum in Eucharistia* 594-604
1. Status quaestionis de transsubstantiatione 594. — 2. Dogmatis transsubstantiationis circumscriptio 597. — 3. Non-coexistentia panis cum corpore et sanguine Christi 599. — 4. De conversione totali panis in corpus Christi 600.

H) *De modo praesentiae Christi in Eucharistia* 604-617
1. De praesentia Christi totali in Eucharistia 604. — De praesentia Christi temporali sed permanente 607. — 3. De praesentia considerata ratione eius formali 610.

J) *Leges cultuales SS. Eucharistiae* 617-638
1. De distributione s. communionis 617. — 2. De communione paschali 620. — 3. De communione frequenti et cotidiana 621. — 4. De communione spirituali 623. — 5. De prima communione 623. — 6. De communione infirmorum 626. — 7. De sacro viatico 630. — 8. De cultu SS. Eucharistiae 632. — 9. De custodia SS. Eucharistiae 635. — Epilogus 639.

IV. Tractatus de Baptismo 640-701

A) *De existentia baptismi* 640-647
1. Vox Ecclesiae 640. — 2. Adversarii 640. — 3. Testimonium S. Scripturae de baptismo 641. — 4. Testimonium s. Traditionis pro baptismo 643. — 5. Ratio theologica 646.

Pag.

B) *De essentia Baptismi* 647-656
1. De materia remota et proxima baptismi 647. — 2. De forma baptismi 650. — 3. Normae pastorales quoad materiam et formam baptismi 652.

C) *De efficientia baptismi* 656-664

D) *De necessitate baptismi* 664-673

E) *De personis sacramentalibus baptismi* 673-685
1. De ministro baptismi 673. — 2. De subiecto baptismi 677. — 3. De patrinis baptismi et confirmationis 682.

F) *De ritibus et legibus cultualibus baptismi* 686-701
1. De ritibus baptismi 686. — 2. De legibus cultualibus baptismi 697.

V. Tractatus. De confirmatione 701-727

A) *De existentia confirmationis* 702-705
1. Vox Ecclesiae 702. — 2. Adversarii confirmationis 702. — 3. Testimonium S. Scripturae 703. — 4. Traditionis testimonium pro confirmatione 704. — 5. Ratio theologica 704.

B) *De essentia confirmationis* 705-710

C) *De efficientia et necessitate confirmationis* 710-715

D) *De personis sacramentalibus confirmationis* 715-722
1. De ministris confirmationis 715. — 2. De subiecto confirmationis 720.

E) *De ritibus confirmationis* 722-727
1. De evolutione ritus Romani confirmationis 722. — 2. Descriptio ritus Romani confirmationis 724.

ABBREVIATIONES

AAS	= Acta Apostolicae Sedis.
AfLw	= Archiv für Liturgiewissenschaft.
An. Hymn.	= Analecta hymnica medii aevi.
ASS	= Acta Sanctae Sedis.
CRit d	= S. Congregatio Rituum, decretum.
CSEL	= Corpus Scriptorum ecclesiasticorum Latinorum.
DAL	= Cabrol-Leclercq, Dictionnaire d'archéologie et liturgie chrétienne, Paris.
DB hymn	= Dreves-Blume, Ein Jahrtausend lateinischer Hymnendichtung, Leipzig 1909.
Denz.	= Denzinger-Rahner, Enchiridion symbolorum, ed. 30. Herder 1955.
Docum. Pont.	= A. Bugnini, Documenta pontificia ad instaurationem liturgicam spectantia I. 1953. II. 1959.
Duchesne	= Liber pontificalis I. II. Paris 1886. 1892.
Ench. Ind.	= Enchiridion indulgentiarum, Roma 1952.
Eph. Lit.	= Ephemerides Liturgicae, Roma.
Feltoe	= Sacramentarium Leonianum, Cambridge 1896.
Franz	= Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter, Freiburg i. Br. I. 1909. II. 1912.
GCS	= Die griechischen christl. Schriftsteller, Berlin.
HA	= « Haurietis aquas » encycl. 1956.
Holweck	= Calendar. liturg. festorum Dei et Dei matris Mariae, Philadelphia 1925.
Instr. Mus. 1958.	= Instructio de musica s. et s. liturgia 1958.
JfLw	= Jahrbuch für Liturgiewissenschaft I-XV.
Jungmann	= Missarum sollemnia ed. 3. Wien 1952. I. II.
LfThK	= Lexikon für Theologie und Kirche, Herder.
Lietzmann	= Das Sacramentarium Gregorianum nach dem Aachener Urexemplar, Münster i. W. 1921.
Lit. Erbe 1960	= J. A. Jungmann, Liturgisches Erbe u. pastorale Gegenwart, Innsbruck 1960.
Lit. Jb.	= Liturgisches Jahrbuch, Trier.
MDei	= « Mediator Dei », encycl. 1947.
MEL	= Monumenta Ecclesiae liturgica, Paris I. II. V. VI.
MGH	= Monumenta Germaniae Historica.
NCR	= Novus Codex Rubricarum 26. iul. 1960.

Nilles,	= Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae, Oeniponte I. II. 1895-6.
OD 1957	= Ordinationes et Declarationes circa ordinem Hebd. Sanctae 1957. 1. febr.
OHS	= Ordo Hebdom. Sanctae 1956.
Par. et lit.	= Paroisse et liturgie.
Pasch. soll. 1959.	= B. Fischer - J. Wagner, Paschatis sollemnia. Studien z. Osterfeier u. Osterfrömmigkeit, Herder 1959.
PG	= Migne, Patrologia Graeca.
PL	= Migne, Patrologia Latina.
POr	= Patrologia Orientalis.
PSyr	= Patrologia Syriaca, Paris
Quasten	= Monumenta euchar. et liturg. vetustissima, Bonn. 1935-37.
Radó, Libr. lit.	= Libri liturgici manuscripti bibliothecarum Hungariae I. Budapest 1947.
RCel	= Ritus servandus in celebratione Missae.
RJ	= Rouet de Journel, Enchiridion Patristicum, Herder ed. 17. 1952.
RP	= Ritus pontificalis Hebd. Sanctae ed. typ. 1957.
RS	= Ritus simplex Hebd. Sanctae ed. typ. 1957.
Salmon	= Le lectionnaire de Luxeuil I. 1944. II. 1953.
Schmidt, Intr. 1960.	= Introductio in liturg. occidentalem, Roma 1960.
ThQuSch	= Theol. Quartalschrift, Tübingen.
ThuGl	= Theologie und Glaube, Paderborn.
Wilson	= The Gelasian Sacramentary, Oxford 1894.
ZfkTh	= Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck.

De notione Liturgiae pastoralis seu Theologiae sacramentalis

Liturgia pastoralis seu Theologia sacramentalis est *scientia inquirens cultum Ecclesiae publicum sub respectu theologico totali sive holistico,* id est dogmatico, morali-iuridico et stricte liturgico.

Inde a saeculo nostro ineunte res s. liturgiae renovandae mira incrementa nacta est, simul etiam lites acerbae disputationis exarserunt non solum circa definitionem liturgiae, sed etiam circa eius vim ac momentum, eius extensionem seu ambitum, circa principia ipsa theologica liturgiae. Litibus his finis impositus est per Encyclicam magistralem Pii XII. « *Mediator Dei* » (20. nov. 1947.), unde principia recta sumi possunt, quibus adhibitis non debet formidari, « hanc sanctissimam causam in discrimen adduci » (MDei n. 8.). Ad tramitem huius Encyclicae nostrum Enchiridion, quod « recte sit factum dilaudare ac commendare, quod vero e iusto itinere deflectat, continere vel reprobare » fideliter satagit (MDei n. 9.). Sicque summarium hoc scientiae huius mox definitae fructus erit renovationis praedictae.

I. Obiectum materiale Theologiae sacramentalis constituunt: *omnes actus religionis, externi cum internis intime coniuncti ad cultum Ecclesiae publicum pertinentes.* Singula explanantur:

1. *Virtus religionis* latius sumpta importat ordinem ad Deum, ipse enim est cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet, sicut in ultimum finem, ut Doctor Angelicus docet (II-II q. 81. a. 1.), vel ut e recentioribus Lessius animadvertit, « religionem et cultum interdum accipi generatim pro omni virtutis officio, quo ordinamur ad Deum, quodque instar sacrificii Deo est acceptum » (De iustitia II,36, 12.). — Stricte sumpta « religio dicitur secundum quod Deo exhibet debitum famulatum in his, quae pertinent specialiter ad cultum divinum, sicut in sacrificiis, oblationibus et aliis huiusmodi » (II-II q.81.a.8.). Hodie definiri solet « virtus moralis inclinans ad cultum debitum Deo tamquam primo principio exhibendum ».

2. *Externi actus cum internis intime coniuncti,* non ergo actus mere externi, sed cultus divinus holistice, i.e. totaliter sumptus. Sec. doctrinam sc. Ecclesiae « a vera et germana S. Liturgiae notione aberrant, qui eam utpote divini cultus *partem* iudicent *externam solummodo,* vel quasi decorum quoddam caeremoniarum apparatum, nec minus ii aberrant, qui eam meram legum praeceptorumque summam reputent, quibus ecclesiastica Hierarchia iubeat sacros instrui ordinarique ritus » (MDei n. 25.). Permulti auctores hucusque nimis stricte de cultu externo locuti sunt, at — monet Ecclesia — in cultu divino « praecipuum elementum internum esse debet... S. Liturgia postulat, ut *intime duo eiusmodi elementa inter se coniungantur,* ... quodsi secus aliterque agitur,

tum religio procul dubio inanis ritus ac vacua formae ratio evadit » (MDei n. 24.).

3. *Actus ad cultum Ecclesiae publicum pertinentes*, qui cultus publicus ab Encyclica nomine « liturgiae » insignitur, quodque vocabulum a S. Sede sancitum est iam can. 1257: « Unius Apostolicae Sedis est tum s. ordinare liturgiam, tum liturgicos approbare libros », item a Pio XI. edicente: « Ministerium illud augustum et publicum, cuius peculiare nomen est Liturgia (Const. Apost. « Divini Cultus » 20. dec. 1928.). Ut patet sacrosanctum Missae sacrificium *liturgiae, i.e. cultus Ecclesiae publici* partem nobilissimam constituit, sed etiam *ministratio et susceptio Sacramentorum* huius cultus publici actus sunt. Ergo actus virtutis religionis ad cultum hunc publicum pertinentes simulque cum iis omnes actus liturgici, immo et res sacratae, quibus Ecclesia utitur et cyclus anni liturgici sub hoc respectu recte comprehenduntur.

4. Excluditur autem e scientia Theologiae sacramentalis omne *quod cultum Dei mere privatum sapit*, i.e. adorationes, orationes privatae, oblationes, iuramenta, vota privata et alia similia, quia extra cultum publicum absolvuntur. Recte monere debemus cum nostra Encyclica, quod e tali determinatione materiae scientificae *minime sequitur*, quod « *omnis pietas* in Mystici Corporis Christi mysterio consistat oportere, *nulla habita personali* seu subiectiva ut aiunt, ratione » (n. 29.). Nos tantum in inquisitione *scientifica* excludimus hos actus, minime autem *a vita* christiana, sed cum Ecclesia candide fatemur, hos actus, ut sunt pia meditatio, diligens sui ipsius recognitio, spirituales exercitationes statis temporibus, preces quae forma sua a sacris ritibus differunt, i.e. auctior ac studiosior erga Eucharistiam cotidianus cultus, itemque cultus erga SS. Cor Jesu, erga Redemptoris cruciatus, erga Deiparam Virginem, — esse pietatis opera, — quae etsi « cum S. Liturgia arcte non coniunguntur... tamen non modo summis laudibus digna, sed *prorsus necessaria* » esse (MDei n. 32.). Nam haec pietatis opera privata exercitia sunt virtutis religionis, quae « humanos actus ad coelestem Patrem erigunt... homines ad paenitentiam excitant... ad sanctitatis verticem per arduum iter feliciter reducunt... quia devotio supernarum rerum meditatione ac spiritualibus exercitationibus indiget, ut alatur, excitetur, vigeat » (MDei n. 32.). *Nullam ergo repugnantiam* inter « divinam actionem ac sociam laboriosamque hominis operam — inter Sacramentorum efficacitatem atque eorum benemerentem actum, qui eadem impertiunt vel suscipiunt — inter publicas supplicationes et privatas preces — denuo inter vitam asceticam ac Liturgiae pietatem » (MDei n. 36.), neque ullam discrepationem statuimus, quia revera nulla inveniri potest discrepantia vel repugnantia, etsi aliqui moderni auctores, praesertim ante Encyclicam, non verebantur tales « fallaces, insidiosas et perniciosissimas conclusiones circa duplicis pietatis genera », non sine magno damno liturgiae et animarum, deducere (MDei n. 30.). Cum autem de his actibus omnino necessariis Theologia moralis et Ascetica-mystica ex professo tractet, ad obiectum materiale Theologiae Sacramentalis non pertinent.

5. *Omnes actus* relatae materiae pertinent ad obiectum materiale Theologiae Sacramentalis, i.e. tota materia sicdictae Theologiae pastoralis, quae saeculo XVIII. orta scientiam liturgicam cum tractatione Sacramentorum et sacrificii Missae coniunxit. Sub vocabulo « omnes actus » haec materia intelligitur,

cum discrimine tamen, quod obiectum formale *quod* triplex novum est et alienum a Theologia « pastorali ». Tota etenim materia liturgicae et doctrina de Sacramentis non solum quoad obligationes morales et iuridicas, ut Theologia pastoralis fecit, traditur pertractaturque, sed etiam sub respectu Theologiae dogmaticae, ut statim declarabitur. Quia vero non tractantur disciplinae « kerygmaticae » (homiletica, catechetica, hodegetica), ut in Theologia pastorali, ideo iure vocatur tractanda scientia Theologia sacramentalis seu Liturgia pastoralis sensu quidem latiore.

II. Obiectum formale QUO Theologiae sacramentalis, vi cuius sicut quodam lumine obiectivo manifestatur intellectui scienti obiectum formale *quod*, aliis verbis, obiectum formale *quo* « mediante attingitur obiectum formale *quod* » (J. Gredt), nihil aliud est in Theologia Sacramentali, quam *obiectum formale totius Theologiae*, quod formalissime specificat totam Theologiam eamque unam scientiam efficit sec. doctrinam Aquinatis (I.q.1.a.3.). « Hoc obiectum formale *quo* non est aliquid separatum ab obiecto, sed quaedam eius proprietas, quae facit obiectum formale *quod* perceptibile facultati humanae » (A. Stolz, Introductio in S. Theologiam, 1941, 118-119.). Obiectum formale totius Theologiae autem est *revelatio virtualis*, i.e. ea *proprietas* obiecti materialis totius Theologiae, quod aliquo modo continetur in revelatione divina.

Atqui haec proprietas essentialis in obiecto materiali Theologicae Sacramentalis *summopere continetur*. Quod sacrosanctum sacrificium *Missae et Sacramenta* attinet, luce clarius est haec omnia tantum revelationis lumine cerni posse, nam tum existentia, tum essentia et effectus Sacramentorum, tum ministri et subiecta horum revelatione tantum scibilia sunt. Sed *et alia materialia* Theologiae Sacramentalis, quae praecipue ad scientiam liturgicam pertinent, aliquo modo, saltem obliquo, revelata sunt, etsi fateri debeamus, hoc neque in scientia liturgica, neque in sicdicta « Theologia pastorali » satis ostentum fuisse.

Sufficit, si probationem per summos tantum apices e doctrina Tridentina aggredimur, nam etiam ex ea usque ad unguem demonstrari potest totam materiam Theologiae Sacramentalis *aliquo modo definitam, consequenterque virtualiter revelatam esse*. Sic elucet in genere *ritum* Ecclesiae Romanae condemnendum non esse (Sess. XXII. can. 9.). Quod ritus et caeremonias in specie attinet, definitum, ideoque etiam revelatum est, quod « Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet submissa voce, alia vero altiore in missa pronuntiarentur, instituit, caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata (i.e. res sacras), vestes, aliasque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo (nunc rituum, caeremoniarum, rerum sacrarum etc. finis edicitur) — 1. *et* maiestas tanti sacrificii commendaretur, *et* mentes fidelium — 2. per haec visibilia religionis et pietatis signa — 3. ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur » (Sess. XXII. cap. 5.). Quo definitum ergo et virtualiter revelatum est, *Ecclesiae ius competere* instituendi ritus et caerimonias, res sacras et vestes sacratas, dein quod huius institutionis triplex finis est.

Quoad *canonem Missae Romanae* definitur, eum ab omni errore purum esse, et nihil in eo contineri, quod non maxime sanctitatem et pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat (Sess. XXII. cap. 4. can. 6. et 9.). Quod *ritum* attinet *Sacramentorum*, de « receptis et approbatis Ecclesiae catholicae ritibus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi

consuetis » definitur a Tridentino (Sess. VII. can. 13.), eos ritus contemni, sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari non posse. — Item definitum est quoad ritus Sacramentis coniunctos unctionem et alias Ordinis caeremonias damnandas et perniciosas non esse (Sess. XIII. can. 7.). — De *Sacramentalibus Ecclesiae* definitum est, quod existunt et proin iure: « Sunt in Ecclesia catholica alii ordines et maiores et minores » (Sess. XXIII. can. 2.) et quod benedictiones et aliae caeremoniae quibus Ecclesia in sollemnitatibus nuptiarum utitur, damnandae non sunt (ib. can. 11.). — De *devotionibus publicis Ecclesiae* edicitur, processiones et adorationes laudabiles esse ritus et consuetudines (Sess. XIII. can 6.). — *Rebus sacris* in genere applicari possunt quae enuntiantur de caeremoniis, vestibus et externis signis, quibus Ecclesia in Missarum sollemnitate utitur: haec nempe omnia officia esse pietatis (Sess. XXII. can. 7.). — Quod *cyclum liturgicum* attinet, monendum est praeprimis, *obiecta* cyclorum horum esse revelata primi ordinis: Incarnationem nempe et singula Redemptionis momenta, quae anno liturgico celebrantur. Festorum autem institutionem ad Ecclesiam spectare, licitam, imo obligatoriam esse eorum celebrationem, nemo est qui ambigat, si inspiciatur tota Traditio Ecclesiae usu consecrata, imo Dominicae cultum in S. Scriptura quoque contineri pronum est.

Sic ergo clare elucet, Theologiam Sacramentalem esse scientiam theologicam et constituere partem integralem totius Theologiae.

III. Obiectum formale QUOD Theologiae sacramentalis est *Deus sub ratione deitatis*, i.e. in tota theologia ut est in se et prout vitam suam in operibus suis communicat. In praesenti tractatu consideratur *opus Verbi Incarnati, prout Ecclesia continuat, singulis applicat et manifestat Redemptionem.*

« Ecclesia enim commune habet cum Verbo incarnato propositum, officium et munus » (MDei n. 203.). Hoc obiectum formale *quod* triplici modo verificatur, ideoque *sub triplici respectu* consideratur: Ecclesiae nempe est veritatem docere omnes, homines recte regere ac moderari, dein sacerdotale Jesu Christi munus peragere (MDei, ibidem). Sub respectu huius triplicis obiecti formalis *quod* debet ergo tota materia Theologiae Sacramentalis pertractari: 1. sub respectu scientiae Ecclesiae *docentis*, i.e. dogmaticae et moralis — 2. sub respectu Ecclesiae *regentis*, i.e. scientiae iuris canonici et ritualis — 3. sub respectu Ecclesiae *sacerdotalis*, i.e. scientiae stricte liturgicae, sicque constituitur Theologia Sacramentalis triplici hoc obiecto formali *quod*. Utilitas huius tractationis elucet, si praestantiam coniunctionis triplicis obiecti formalis *quod* consideremus.

1. *Primum emolumentum est practicum*: nemo est, qui dubitet quoad praxim pastoralem summopere utile esse, si pertractetur eadem materia sub omni respectu theologico. Sub triplici enim respectu inquiritur in munus Jesu Christi, quod Ecclesia nunc prosequitur, tum dogmatico respectu, tum morali-iuridico, tum liturgico absolvuntur omnia. Non tractatur eadem materia bis vel fortasse ter, ut saepenumero contingit, si e.gr. doctrina de Sacramentis tum in Theologia dogmatica, tum in Morali, vel Pastorali, tum in Liturgica sub alio respectu, sed tamen repetatur, cum periculo, quod ideo aliquatenus negligatur, utpote iam alibi tradita.

2. *Secundum emolumentum* huius coniunctionis est *didacticum*, id est utilitas quaedam ad exemplum nuptiarum, quae in mutuo adiutorio consistit, quod

triplex obiectum formale *quod* coniunctum praestare potest. Tractatur enim materia in vita sacerdotali tam necessaria sub respectu dogmatico, qui primus est in triplici obiecto formali *quod*. Iam vero tractatio dogmatica totius materiae fundamentum solidum praebet permultis illis rebus, quae proferri debent de grato illo acceptoque sacrificio, tum Eucharistiae tum laudis, quod Ecclesia nomine Christi Deo tribuit; deinde de ritu vitae christianae, quo Christus per Ecclesiam suam Sponsam mundum sanctificat in diebus vitae suae. Tractatio haec dogmatica omnium rerum perspectivas aperit et *unum totale* ostendit discipulis, quod sane maximi momenti habendum est, si spectetur, quod divisio et subdivisio scientiarum utile est quidem theologo qui indagare, scientifice inquirere vult in aliquam partem Theologiae, sed minus utile est tironibus sacrae scientiae. Tractatio haec totius materiae dogmatica « *theologicitatis* » *charactere* insignit et consecrat materiam liturgicam, quae deinceps iam non potest considerari veluti « mera legum praeceptorumque summa, quibus ecclesiastica Hierarchia iubeat sacros instrui ordinarique ritus » (MDei n. 253.), qui error e tractatione mere iuridico-morali huius materiae in scientia obsoleta Theologia Pastoralis nuncupata sensu saeculi XVIII-i ortus est. — Per se patet, magnopere necessariam esse etiam horum elementorum morali-iuridicorum dilucidationem quae tractationis dogmaticae pedissequa est amoenamque varietatem audientibus affert.

3. Summae denique utilitatis est quod *respectus liturgicus tractationi dogmaticae* huius materiae afferre potest. Maxime enim in re sacramentaria valet, quae de utilitate liturgiae in inquisitione scientifica dogmaticae infra proferuntur (sub B.). Ecclesia enim « quae sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit », ut apposite dicit S. Augustinus (Ep. ad Januar. 55,35.). E fructibus arbor dignoscitur, ideo genuina doctrina Ecclesiae e s. liturgia optime cognosci potest, cum constet sensum Ecclesiae moraliter universalem in ea exprimi. Testimonia enim liturgica non sunt prolata semel ab uno — ut recte monet Ph. Oppenheim (Principia theologiae liturgicae 1947, 75.) — sed a multis per generationes et generationes, et ideo indubia suppeditant argumenta, Ecclesiam aliquam doctrinam profiteri tamquam ad depositum fidei pertinentem. In Theologia autem sacramentaria, quod Sacramenta attinet, liturgia adhuc maioris momenti est in probatione dogmatica, ut videri potest apud Ecclesiae doctores, praesertim Doctorem Angelicum, qui principium sequitur, doctrinam aliquam veram esse, si in celebratione liturgiae exprimatur. « Maximam auctoritatem habet Ecclesiae consuetudo, quae, semper in omnibus est aemulanda » — affirmat S. Thomas (Quodlib. II, 2.7.). Quid de Missa, de Sacramentis et sacramentalibus credendum sit, quid Ecclesia de his potissimum rebus fideles credere velit, e s. liturgia « aliquando melius persuadentur, quam multis aliis testimoniis », ut S. Robertus Bellarminus dicit (v. Oppenheim p. 107.).

IV. Compositio Theologiae Sacramentalis. Theologia Sacramentalis per triplex obiectum formale *quod* in unam partem integralem Theologiae conflata in duas partes dividitur: in Theologiam Sacramentalem generalem seu fundamentalem et in specialem.

Theologia Sacramentalis generalis fundamentales notiones tradit totius scientiae. 1. In I. tractatu *De Euchologia sacrali* agitur de « Lege orandi », id est A) de generibus, actibus et notione cultus publici Ecclesiae. — B) agitur de

Iure liturgico, — C) de fontibus cultus publici Ecclesiae. — 2. Secundo tractatur *Stilistica sacralis*: A) Signa sacra, — B) Lingua sacralis, — C) verba et textus sacrales, — D) res et symbola sacrata, — E) Stilus sacralis liturgiae. — 3. Tertio traditur *Typologia sacralis*, id est agitur primo de familiis cultus publici Occidentalibus A) De liturgia Gallicana, — B) Mozarabica, — C) Ambrosiana, -- D) Celtica, dein — E) tractatur liturgia Romana, e qua Spiritu Sancto ducente evolvebatur — F) ritus universalis Romanus, dein — G) de familiis cultus publici Orientalibus, — H) et de ritu Byzantino universali ex iis orto. — 4. Quarto tractatu de *Semasiologia* sacrali, id est de lege signorum sanctificantium homines, seu *de Sacramentis in communi* agitur. Sedulo curandum est iam in hac parte fundamentali solidum fundamentum dogmaticum construendum esse, ut omnia lumine revelationis conspici possint.

Theologia Sacramentalis specialis aptissime dividitur ad tramitem Epistulae ad Hebraeos (5,1-10.) 1. primo in tractatum *de Ecclesia sacrificante*, nam Ecclesiae sacerdotalis munus principale est, « ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ». In hoc tractatu agitur de sacrosancto Missae sacrificio, tum respectu dogmatico, tum morali-iuridico, tum liturgico et historico. — 2. II. tractatu partis specialis agitur *de Ecclesia orante*, quae « in diebus carnis suae preces supplicationesque offert Deo », id est, de officio divino et aliis publicis devotionibus Ecclesiae. — 3. Deinde sequitur doctrina *de Ecclesia sanctificante*, quae « facta est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae ». Ecclesia enim munus Christi continuans prosequitur suum officium consecrationis mundi per sanctificationem hominum eos in ritum vitae christianae initians, confortans, nutriens, ad vitam novam suscitans, in articulo mortis ad immediatum introitum gloriae praeparans et homines ad duplicem vitae statum, ad ordinem et matrimonium consecrans. Ideoque *tractatibus III.-IX.* partis specialis de *septem Sacramentis in specie* tota materia pertractatur sub triplici obiecto formali *quod* supra memorato. — 4. X. tractatu *Heortologiae* continuatur hoc munus Ecclesiae sanctificantis, agendo de anno liturgico, qui vitae rationem publicam constituit christianis. In hac etiam parte respectus debitus haberi debet dogmaticae tractationis praeter morali-iuridicam et liturgicam. — 5. XI. tractatus complet considerationem de sanctificatione vitae christianae, agendo de *sacris locis supellectilibusque* sacratis, ubi, ut ultimo enuntiemus scopum nostrum, praeter leges liturgico-iuridicas etiam proponenda est « theologia » locorum, vestium, supellectiliumque sacrorum.

Quod *nomen* attinet huius disciplinae, merito insigniri potest nomine *Theologiae sacramentalis* vel *sacramentariae*, nam potior pars huius theologiae nobiliorque est tractatus de Sacramentis et sacrificio Missae. Demum monere debemus, nomen hoc etiam partibus aliis, i.e. liturgicis iure meritoque competere, si vocabulum « sacramentum » latiore illo sensu sumatur, quo prima saecula usque ad XII-um illud sumpserunt. — Magis adhuc vocari potest scientia de *Liturgia pastorali*, si « *liturgia* » eo sensu intelligatur, ut statim explicabitur ad tramitem MDei. Adiectivum « *pastoralis* » merito additur, quo significari volumus liturgiam seu cultum publicum Ecclesiae sub omni respectu enarrandam esse, ut pastores animarum totam materiam in unico enchiridio congestam praesto habentes cultum publicum Ecclesiae non solum addiscere, sed etiam docere, item exercere fidelesque ad liturgiam actuose participandam educare simulque gregem suam in pascua vitae sacramentalis nutrire aptimissime valeant. Agitur tamen de liturgia pastorali sensu latiore.

PARS GENERALIS

I. Tractatus Primus:

Euchologia seu De Lege Orandi

Agendum est in hoc tractatu:

A) De notione liturgiae et generibus cultus publici.
B) De liturgia ut est locus theologicus.
C) De iure ordinante cultum publicum.

A) De notione liturgiae et generibus cultus publici

In hac quaestione tractanda est 1. notio liturgiae, dein 2. genera cultus publici.

1. Notio liturgiae.

Inde a primo decennio huius saeculi definitio haec multum agitata fuit; inter varias sententias invicem oppugnantes Ecclesiae magisterium claram dedit definitionem. Encyclica enim Mediator Dei sic definit liturgiam: « (*1*) *Cultus publicus,* (*2*) *quem Redemptor noster, Ecclesiae caput, coelesti Patri habet,* (*3*) *quemque christifidelium societas Conditori suo et per Ipsum* (*4*) *aeterno Patri tribuit,* » vel sicut ab eadem encyclica brevius concipitur: « Integer publicus cultus mystici Jesu Christi corporis, Capitis nempe membrorumque eius » (n. 20.).

Nunc singula elementa huius definitionis enucleantur.

a) **Elementum primum.**

Liturgia est *cultus publicus Ecclesiae.*

1°. Contradistinguitur ergo a *devotionibus stricte non liturgicis,* quas omni tempore necessitudine quadam spirituali fideles sibi, annuente Ecclesia, procreabant. Iam inde a saec. IV. videmus nasci devotiones privatas erga Deum, S. Virginem et Sanctos, praesertim in communitatibus asceticis anachoretarum et coenobitarum. Ecclesia nunquam reprobavit has devotiones, imo approbatione sua eas communivit, ut v. gr. Rosarium, Viam Crucis etc., nunquam tamen possunt liturgiae praevalere, vel eam substituere. Merito notat S. Franciscus Salesius: « Cultus publicus Ecclesiae plus utilitatis et consolationis secumfert

quam omnes devotiones privatae. » Hoc inconcusse definivit *Mediator Dei*, dicens: « Procul dubio liturgica precatio cum publica sit inclitae Jesu Christi Sponsae supplicatio, privatis precibus potiore excellentia praestat » (n. 37.).

2°. Tamen quia inde a saeculo elapso maior maiorque motionis liturgicae vis creverat, non defuerunt, qui nimis capti suo zelo, falsas opiniones inter turbas christianas sparserunt; sic etiam non verebantur *discrepantiam statuere et repugnantiam inter « pietatem liturgicam,* seu obiectivam » *et* inter « *pietatem personalem* seu subiectivam. » Contra hos Mediator Dei veritatem sequentibus nobis ob oculos ponit. « Fallaces, insidiosas ac perniciosissimas conclusiones » (n. 30.) vocans errores circa haec duplicis pietatis genera, *thesim hanc ut falsam* proscribit: « Omnis pietas in Mystici Corporis Christi mysterio consistat oportet, nulla habita personali, seu subiectiva, ut aiunt, ratione, atque adeo cetera religionis opera negligenda reputant, quae cum Liturgia arcte non devinciantur et extra cultum publicum absolvantur » (n. 29.).

3°. *Eiusmodi opera cultus non districto iure liturgica* iuxta MDei fere haec sunt: pia meditatio, diligens sui ipsius recognitio, spirituales exercitationes statis temporibus, preces, quae forma a s. ritibus differunt. Hae preces sunt: auctior ac studiosior cotidie erga Eucharistiam cultus, erga Redemptoris cruciatus, erga SS. Cor Jesu et in Deiparam Virginem, castissimumque eius sponsum (n. 37. et n. 53; item n. 172.).

4°. Mediator Dei contra hanc thesim falsam *theses rectas has* opponit:

a. « Pietatis opera quae cum s. liturgia arcte non coniunguntur, *non modo summis laudibus, digna sed prorsus necessaria sunt.* » Enimvero, ut encyclica notat (1) « humanos actus ad Caelestem Patrem erigunt », (2) « homines ad paenitentiam excitant », (3) « ad sanctitatis verticem per arduum iter feliciter reducunt », (4) « devotio supernarum rerum meditatione ac spiritualibus exercitationibus indiget, ut alatur, excitetur, vigeat » (n. 32.).

b. « *Nulla discrepantia vel repugnantia statui potest*: (1) Inter *divinam actionem* ac sociam laboriosamque hominis operam (2) *Sacramentorum efficacitatem* et eorum benemerentem actum, qui ea suscipiunt, (3) *publicas supplicationes,* privatas preces, (4) *inter vitam asceticam* ac liturgiae pietatem » (n. 36.).

c. Revera dicendum est, quod optima quidem intentione sicdicta « *obiectiva pietas* » nostris temporibus *iusto plus elata sit*; non defuit, qui affirmaret « pro christiano non existere pietatem stricte individualem. » Pronum est pietatem « individualem » *in textibus liturgicis recedere,* quod purissime in liturgia Romana antiqua observari potest, dum in liturgiis Orientalibus et liturgiis typi Gallicani iam multo maiorem locum occupet. Quia liturgia Romana tribus vicibus influxum subiit harum liturgiarum — influxum liturgiae Byzantinae saec. VII-VIII-o, Gallicanarum aevo Carolingico, dein spiritualitatis Gothicae saec. XIII-o — multi textus orationum precumque inveniri possunt devotionem « individualem » spirantes etiam in liturgia universali Romana. Sed iam antea *semper reperiri potuit tale elementum « subiectivum »* seu « individuale », quod ab initio semper adfuit textibus liturgicis: sufficiat provocare ad usum Psalmorum liturgicum, qui quoad maiorem eorum partem individualitatis notam prae se ferunt. Specimina enim talis pietatis « subiectivae » multo crebrius inveniuntur in Psalmis, quam precationes collectivisticae. Sic amor Dei expri-

mitur modo « individuali » a Ps 17,2-3: « *Diligo* te, Domine, fortitudo *mea,* Domine, petra *mea,* arx *mea,* liberator *meus,* rupes *mea,* in quam *confugio.* » Gratiae quoque subiectivo stilo aguntur: « *Celebrabo* te, Domine, toto corde *meo, enarrabo* omnia magnalia tua » (Ps 9,2.). Pro sua persona supplicat orans ex aerumniis suis: « Ad Dominum confugio, quomodo dicitis animae meae: transvola in montem sicut avis!... Ius redde *mihi* Deus et age causam *meam* adversus gentem non sanctam... Deus in nomine tuo salvum *me fac,* et virtute tua age causam meam » (Ps. 1o,1, 42,1, 53,3.); poenitentiam individui redolent septem Psalmi poenitentiales. Laus Dei quoque saepe celebratur sub forma « individuali », e.gr.: « *Praedicabo* te, Deus *meus* rex, et *benedicam* nomini tuo in saeculam saeculi, omni die *benedicam* tibi et *laudabo* nomen tuum in saeculum saeculi » (Ps 144,1-2.). Simile quid deprehenditur in Canticis liturgicis, e. gr. sic sonat vox sperantis in Deum: « Ecce Deus est salus *mea, confidam* et non *timebo,* quia robur *meum* et fortitudo *mea* Dominus et factus est *mihi* salvator » (Is 12,2.), vel: « Dominus dominator est robur *meum* et faciet pedes *meos* sicut cervarum, et super excelsa deducet *me* » (Hab 3,19.). Vis testimoniorum, quae facile multiplicari possent, vix potest elidi per effugium, quod etsi numerus adhibeatur singularis, tamen intentio pro tota communitate dirigatur, hoc enim pro aliis quoque textibus « individualibus » affirmari potest. Verum est, quod pietas « individualis » aliquo modo semper adfuit in liturgia, iure meritoque dicit ideo MDei « *novas* (esse) illas cogitandi iudicandique rationes de christiana pietate, quam obiectivam vocant » (n. 26.). Attamen iterum inculcandum censemus, quod hae elationes seu exaggerationes veritatis tunc natae sunt, quando « nonnullis in regionibus sacrae liturgiae sensus, intelligentia ac studium mancum interdum ac fere nullum fuit » (MDei n. 8.); nunc vero Matris Ecclesiae doctrina nobis veritatis aureum iter medium benigne ostendit.

b) **Secundum elementum**

definitionis comprehendit:

1°. *Opus Redemptoris,* id sc. quod cultum publicum *Christus ut Caput Ecclesiae* peragit. *Dominus est minister principalis cultus* Novi Testamenti, utpote Sacerdos summus Novi Foederis, « Sanctorum minister et tabernaculi veri », Ecclesia enim « per ipsum et cum ipso et in ipso » adorat Deum et offert omnia ei, secundum verbum *S. Pauli*: « Omne quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine D.N. Jesu Christi facite, gratias agente Deo et Patri per ipsum » (Col 3,16.). Apposite dicit *Tertullianus*: « Deum colimus per Christum, per eum et in eo se cognosci vult Deus et coli » (Apologetic. c. 21.). Ideo, quia Christus Redemptor minister principalis cultus est, in *liturgia S. Marci* habetur, ubi fere omnes formulae ad Filium diriguntur; Arianismus enim inde exordium sumpserat et praeprimis ibi grassabatur. *Concilium Carthaginense* anno 397. habitum forsitan ideo condemnavit hunc usum, quia aliqui episcopi Africani transsumpserunt eum, ideo praescripsit: « Ut nemo in precibus Patrem pro Filio vel Filium pro Patre nominet, et cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. »

2°. Sed aliud quoque edicitur hac propositione: Christus Redemptor, Ecclesiae Caput qua minister principalis cultus per liturgiam non solum Deo debitum offert honorem, sed simul etiam, praecise *qua Caput, vitam superna-*

turalem donat sustentatque membris huius Mystici Corporis, quod *MDei per quinque theses* enuntiat.

a. Prima thesis est, quod Ecclesiae Conditor *praesens est in omni actione liturgica*: « In omni actione liturgica una cum Ecclesia praesens adest divinus eius Conditor; praesens adest Christus in augusto altaris sacrificio, cum in administri sui persona, tum maxime sub Eucharistiae speciebus; praesens adest in Sacramentis virtute sua, ... praesens adest denique in Deo admotis laudibus ac supplicationibus » (n. 20.). Ad liturgiam ergo sensu stricto pertinent etiam Sacramenta et Sacramentalia, non solum quoad ritum « externum », sed secundum totam entitatem.

b. Secunda thesi e MDei erui potest ratio supradictae thesis: in liturgia *opus redemptivum semper continuatur*: « In liturgicis celebrationibus ac peculiari modo in augusto altaris sacrificio Redemptionis nostrae opus procul dubio continuatur, eiusque fructus nobis impertitur, Christus in Sacramentis et in sacrificio suo singulis diebus saluti nostrae operatur, per eademque nullo non tempore humanum genus expiat, Deoque consecrat » (n. 29.). Quomodo hoc fiat, declaratur inferius (De Eccl. sacrificante C. 3. Scholion de praesentia ad modum mysterii).

c. Tertia thesi enuntiat MDei *ritus sacros duplicem habere finem*, quod consequentia est praecedentium: « Quocumque Pastores possunt christifidelium coetum cogere, ibi erigunt aram, in qua sacris operantur, et quam circum ceteri ordinantur ritus, quibus homines possint sanctitate imbui, debitamque Deo tribuere gloriam. Quibus in ritibus primo loco Sacramenta habentur, hoc est septem praecipui salutis fontes, dein vero divinae laudis celebratio » (n. 21.). *Simultaneitas* quaedam videtur his inculcari: *sanctificandi* homines et *Deo honorem* tribuendi; liturgia nunquam est exclusive actus latriae, sed etiam sanctificatio animarum, singuli actus liturgici solum in ratione prius et posterius differunt. Sic Sol liturgiae centrumque sublime, Sacrificium incruentum primario Deo debitas offert laudes et gratiarum actiones, secundario autem etiam animae offerentium expiando sanctificantur; similiter fit in persolutione laudis divinae observantiaque sacrorum temporum. Ex alia vero parte Sacramenta Ecclesiae primario sunt praecipui salutis seu sanctificationis fontes, secundario autem etiam laude resonant Divinitatis, ideoque qui e.gr. Sacramentum suscipit poenitentiae, non solum a peccatis solvitur augeturque gratia, sed simul hoc facto Deum quoque laudat.

d. Quarta thesi uberius expolitur, *quomodo imbuantur homines sanctitate*, primario per Sacramenta: « Quemadmodum divinum eius Caput, ita Ecclesia filiis suis perpetuo adest, eos adiuvat, eosque ad sanctimoniam adhortatur... superna vita adauctos, quodammodo regignit (=*baptismus*), eosdemque adversus implacabilem hostem luctantes Spiritus Sancti robore confirmat (=*confirmatio*), christianos ad altaria advocat, iteratisque impertitis suasionibusque ad Eucharisticum rite participandum celebrandumque Sacrificium excitat atque angelico pabulo nutrit (=*Missa et communio*), qui fortiores usque exsistant; quos suum quemque admissum sauciavit foedavitque, eos expiat atque solatur (=*poenitentia*), qui superno quodam afflatu ad sacerdotalia capessenda munia vocantur, eos legitimo consecrat ritu (=*ordo*), ...qui vero ad christianam familiam condendam instituendamque ordinantur, castum eorum connubium caelesti gratia caelestibusque muneribus corroborat (=*matrimonium*)

... Extremas mortalis huius vitae horas Eucharistico Viatico ac Sacri Opobalsamis unctione reficit ad recreat » (MDei n. 22.).

e. Quinta thesi conclusio indicatur: *liturgia attingit omnia, tempora variasve vitae condiciones*: « Cultus, quem Ecclesia aeterno Numini tribuit, quique in Eucharistico praesertim Sacrificio nititur Sacramentorumque usu, ita ordinatur ac componitur, ut per divinum officium diei horas, hebdomades, cunctumque anni cursum amplectatur, omniaque tempora variasque vitae condiciones attingat » (n. 136.). Sicque verificatur, quod Liturgia nihil aliud est, nisi sacerdotalis muneris Redemptoris exercitatio (MDei n. 22.).

c) **Elementum tertium.**

Deo cultum publicum « *christifidelium societas* » *tribuit,* aliis cultus publicus absolvitur nomine Ecclesiae.

1°. *Fundamentum theologicum* huius est dogma Communionis Sanctorum seu *Mystici Corporis Christi. a. Caput huius Corporis* est unus Supremus Pontifex, eademque Victima, qui tribuit Aeterno Patri adorationem, gratiarum actionem, expiationem et impetrationem, simulque sanctificat et consecrat membra Corporis totumque universum. — *b.* Gloria Christi e passione tam beata reportata in resurrectione effecta et in ascensione sessioneque ad Patris dexteram consummata *in singula membra suaviter redundat*: « Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus » (Rom 8,29). — *c.* Sub eodem Capite membra reguntur, fidelis itaque non manet solus in peregrinatione sua versus supernam patriam, sed *partem constituit Corporis,* i.e. socius efficitur sodalitatis illius supernaturalis, quae vivos defunctosque simul complectitur fideles, quorumque Christus est Caput: « Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur (Eph 1,22 s.). — *d. Principium vitale* e Capite derivatur in membra, gratia nempe sanctificans. Nemo potest reverti seu « venire » ad Patrem, nisi attractus a Spiritu et per vitam Filii, qui passus est pro nobis. Quando vero per hanc vitam efficimur fratres Christi, adoptamur etiam filii Patris, dignitas enim filiationis divinae obvenit nobis quia unum sumus cum Filio Dei Unigenito: « Hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis Deus. Et haec vita in Filio eius est. Qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium, vitam non habet » (1 Jo 5,11 s.).

2°. Liturgia sic est *cultus officialis Ecclesiae,* quod derivatur e sua notione. Non omnes actus cultuales sunt ergo liturgici sensu stricto, sed solum qui nomine Christi et Ecclesiae peraguntur. Ideo illi actus constituunt « pietatem Ecclesiae », qui comprehenduntur libris liturgicis Ecclesiae. — Omnes actus religionis cultus publici, i.e. liturgici, quia pietatem Ecclesiae constituunt, efficiunt *vinculum caritatis,* per quod in unum compaginatur. Vinculum hoc dulce per celebrationem sacrificii efficitur: « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus » (I. Cor. 1o, 17.)., vel ut *Didache* dicit: « Sicut hic panis fractus dispersus erat super montes et collectus factus est unus, ita colligatur Ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum ». « Publica nobis est et communis oratio », vox haec S. Cypriani vim suam retinet tunc etiam, si sacerdos solus celebret, vel recitet suum officium.

3°. Ex eo quod liturgia est cultus officialis Ecclesiae sequitur, quod *sola Ecclesia catholica* cultum legitimum Aeterno Patri persolvere potest. Ideo accepit a Filio Dei Incarnato repraesentationem sacrificii Crucis, Missam, septemque fontes salutis, Sacramenta quae Ecclesia materna pietate circumflexit officii divini aliarumque devotionum floribus, suo sicque nomine liturgiam sacrificalem, epaeneticam ac sacramentalem Deo Patri devovet simul etiam homines sanctificando. Si ergo liturgia nomine Ecclesiae absolvitur, tunc *etiam ordinatio eius ad Ecclesiam pertinet.* Recte dicit ergo S. *Thomas*: « De dictamine rationis est, quod homo aliqua signa faciat ad reverentiam divinam, sed quod haec determinate faciat, vel illa, istud non est de dictamine rationis naturalis, sed de institutione iuris divini, vel humani » (II-II q. 81. a. 2.). Cultus ergo *ordinatur primario per ius divinum*: Missae sacrificium, essentia Sacramentorum divinitus a Christo ordinata est, ad quod merito dicit Mediator Dei: « Sacra enim liturgia ut humanis, ita divinis constat elementis, haec autem, ut patet, cum a Divino Redemptore constituta fuerint, nullo modo ab hominibus mutari possunt » (n. 49.).

4°. *Secundario autem cultus publicus ordinatur per ius humanum,* i.e. Ecclesiam: cetera omnia, quae per Christum instituta non sunt, committuntur *curae Ecclesiae,* quae hanc curam *per varia membra* sua exercere potest. Prima aetate Ecclesiae episcopi ordinabant cultum, dein metropolitae sibi asservabant hoc ius, denum patriarchae et sic paulatim evolutae sunt « familiae » liturgicae. Inde a Tridentino aevo, post annum 1588 (fundatio S. Congregationis Rituum a Sixto V.) haec ordinatio exclusive Apostolicae Sedi reservata est, quod *Mediator Dei* non dubitat in memoriam revocare: « Quoniam s. liturgia imprimis a sacerdotibus Ecclesiae nomine absolvitur, idcirco eius ordinatio, moderatio ac forma ab Ecclesiae auctoritate non pendere non potest » (n. 43.).

d) **Elementum quartum.**

Cultus tribuitur *caelesti et aeterno Patri.* Liturgia ergo est cultus Deo praestitus, i.e. obiectum eius primarium Deus Trinus est. *Cultus Deo praestitus* vocatur *latria.* Omnes formulae cultus compositae sunt sec. schema trinitarium, quo exhibetur « tribus honor unus. » Per exceptionem tantum exhibetur in liturgia cultus separatus personis Filii et Spiritus Sancti. Via ordinaria cultus est adorare « Deum per Filium in Spiritu Sancto », ubi Deus intelligitur Pater, a quo in clausula orationis Filius et Spiritus Sanctus distinguitur.

2. De generibus cultus publici.

a) Deo **cultus latriae** debetur **absolutus,** i.e. adoratio stricte accepta et soli Deo debita, per quam (sc. adorationem) Deo verum et plenarium dominium obtinenti cultum et honorem deferimus (II-II q.1o3.a.3.). — *Naturae humanae Christi,* quia per unionem mirabilem hypostatice in una persona divinae naturae coniuncta est: idem latriae cultus absolutus debetur, item etiam partibus corporis Christi. Ut ex historia liturgiae et pietatis privatae videri potest, obiecta haec cultica *partium corporis Christi* variari possunt. Nam etsi per se adorabiles sunt omnes, tamen etiam in hac materia Ecclesia suum ius ordinandi retinet, sic e.gr. contra Iansenistas definivit, licitum esse et salutare Cor Sacratissimum adorare. Medio aevo autem adorabant fideles cum consensu saltem

tacito Ecclesiae *Caput* cruentatum et *Faciem* Jesu, quod nunc iam non est in usu. Monendum est tamen, partes sanctissimi Corporis *non coli praecisive* a persona Filii Dei, sed quatenus sunt partes corporis sui hypostatice uniti suae divinitati. Ideo cultu latriae absoluto adorandum est etiam SS. *Sacramentum*, quia eo continetur corpus et sanguis Dei Hominis, per concomitantiam anima quoque et divinitas eius.

b) **Cultus latriae relativus** *seu respectivus* debetur obiectis, *quae relationem externam* habent cum Deo. Haec relatio potest esse *realis*: in hoc casu loquimur *de cultu relativo superiore*. Talis debetur *instrumentis passionis* Christi quae supersunt, ut Cruci verae et particulis eius, clavibus, lanceae, coronae spineae, etc. Supponitur tamen haec esse eadem obiecta, quibus Dominus passus est, quod non semper certum est, v.gr. quod attinet sindonem sanctam Taurini custoditam, sudarium S. Veronicae in Basilica Vaticana veneratum, quorum obiectorum veneratio semper ab Ecclesiae licentia expressa vel tacita dependet. — *Cultus latriae relativus inferior* debetur obiectis quae cum Deo in relatione tantum rememorativa sunt, i.e. quibus Deus rememoratur: ut sunt cruces, Crucifixi, imagines Trinitatis, Christi, Spiritus Sancti.

c) Etsi liturgia cultus *Deo praestitus sit, coluntur in ea etiam* **personae non divinae:** Angeli et Sancti, qui obiectum cultus constituunt secundarium. Ideo cultus eis exhibitus vocatur dulia, « per quam homini similitudinem dominii (Dei) participanti cultum exhibemus » (II-II q.1o3.a.3.). Cultu duliae indirecte Deus honoratur, ut S. *Augustinus* dicit: « Nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum constituimus altaria, et quod offertur, Deo offertur, qui martyres coronavit » (Contra Faustinum 20,21). Quod textus liturgicus edicit: « Honorabiles mihi sunt amici tui Deus », non solum de apostolis valet, sed de omnibus Sanctis. — *Cultus eximius duliae hyperdulia* vocatur et soli B. Mariae Virgini debetur, cui, ut S. Thomas dicit, non debetur « adoratio latriae, sed solum veneratio duliae, eminentius tamen, quam creaturis ceteris, inquantum est Mater Dei. Et ideo dicitur, quod debetur ei non qualiscunque dulio, sed hyperdulia » (III q.25.a.5.).

Cultus	directus (Latria)	absoluta	
		relativa	inferior
			superior
privatus, sive publicus	indirectus (Dulia)	eximia (Hyperdulia)	
		ordinaria (Dulia)	

Litteratura.

M. Festugière, La liturgie catholique, essai de synthèse suivi de quelques développements, Maredsous 1913. — *Idem*, Qu'est-ce que la liturgie? Sa définition — ses fins — sa mission, Paris 1914. Opus hoc, in motione liturgica celebre, responsum est criticae sequentis: *J. J. Navatel*, L'apostolat liturgique et la piété personelle, *in*: Etudes 1913, 449-476. — *L. Beauduin*, La piété de l'Eglise, principes et faits, Louvain 1914. Tres isti libri quasi catechismi fuerunt motus liturgici incipientis. — *R. Guardini*, Vom Geist der Liturgie, Freiburg i. Br. 1918, ed. 17. 1951. — *Idem*, Das Objektive im Gebetsleben, *in*: JfLw 1921, 117-125. — *E. Caronti*, Per una definizione della liturgia, *in*: Rivista liturg. 1921, 4-16. — *Th. Michels*, Die Liturgie im Lichte der kirchlichen Gemeinschaftsidee, *in*: JfLw 1921, 109-116. — *J. M. Hanssens*, La définition de la liturgie, *in*: Gregorianum 1927, 204-228. — *J. Pinsk*, Vom Wesen der kath. Liturgie, Breslau, 1929. Anglice: Collegeville, Minnesota 1931. — *B. Capelle*, Liturgique et non liturgique, Louvain 1930. —

J. A. Jungmann, Was ist Liturgie? *in*: ZfkTh 1931, 83-102, quem aggressi sunt *O. Casel in*: JfLw (1930) 189-193 et *J. Pinsk,* Alles Liturgie? *in*: Liturg. Zeitschr. 1930/31, 325-330. — *Ph Oppenheim,* Name und Inhalt der Liturgie bei den Alten, *in*: Theol. Quartalschr. 1932, 35-53. — *D. von Hildebrand,* Liturgie und Persönlichkeit, Salzburg 1933. — *H. Keller,* Kirche als Kultgemeinschaft, *in*: Bened. Monatchr. 1934, 25-38; 1935, 183-195, 277-286, 347-361 (cf. JfLw 1938, 243-252). — *I. A. Dalmais,* La liturgie, acte de l'Eglise, *in*: Maison-Dieu 1950, 7-25. — *E. von Severus,* Liturgie und persönliche Frömmigkeit, *in*: Litg. u. Mönchtum 1951, 9-16. — *V. Franco,* Avviamento alla spiritualità liturgica, Padova 1952. — *Idem,* Celebrate Dominum. Messalino per i fedeli. Per ogni giorno dell'anno: Meditazione, S. Messa, preghiera liturgica del mattino e della sera: Lodi, Prima, Vespro, Compieta, vol. I-IV, Padova 1952. Opusculum — sicut nunc iam multi alii — satagit precem liturgicam cum prece privata amice conciliare, via unice possibilis pro futuro, cf. Eph. Lit. 1953, 88-90. — *A. Bugnini,* Documenta Pontificia ad instaurationem liturgicam spectantia (1903-1953), Roma (Ed. liturgiche) 1953. Med. Dei citatus iuxta numeros huius editionis optimae. — *Les enseignements pontificaux*: la liturgie. Par les moines de Solesmes, Tournai 1954. — *J. Lécuyer,* Réflexions sur la théologie du culte selon S. Thomas, *in*: Rev. Thomiste 1955, II. p. 339-362. — *B. Capelle,* Travaux liturgiques de doctrine et d'histoire, Louvain 1955. — *A. L. Mayer,* Die geistesgeschichtliche Situation der liturgischen Erneuerung in der Gegenwart, *in* AfLw 1955, 1-51. — *K. Rahner,* Personale u. sakramentale Frömmigkeit, *in*: Schriften zur Theol., II. Einsiedeln 1955, 115-141. — *C. Vagaggini,* Il senso teologico della liturgia. Saggio di liturgia teologica generale, Roma 1957. — *R. Aigrain,* Enciclopedia liturgica, Alba (Edizioni Paoline) 1957. — *John Miller,* Nature and definition of the Liturgy, *in*: Theological Studies 1957, 325-356. — *H. A. P. Schmidt,* Introductio in liturgiam occidentalem, Romae-Friburgi-Barcinone 1960, ubi habentur variae definitiones liturgiae (48-60) et optimus conspectus de renascentia liturgica (p. 164-208).

B) De liturgia ut est locus theologicus

THESIS. S. liturgia (1) non gignit, sed sequitur fidem, (2) eamque exprimit, (3) ideoque est locus theologicus excellens.

I. et II. pars fidei proxima, III. pars theologice certa.

I. pars probatur: Liturgia non gignit, sed sequitur fidem.

a) Vox Ecclesiae.

Pius XII. Med. Dei.: « Liturgia omnis catholicam fidem continet, quatenus Ecclesiae fidem publice testatur... Liturgia cath. fidem absolute, suaque vi non designat, neque constituit... Quodsi volumus eas, quae inter fidem et s. liturgiam intercedunt, rationes absoluto generalique modo internoscere ac determinare, iure meritoque dici potest: Lex *credendi* legem statuat *supplicandi* » (n. 46-47.). Pius XII. ergo clare edicit liturgiam absolute suaque vi non designare fidem, hoc enim sollemnis tantum definitio facit Ecclesiae, secus e.gr. Assumptio BMV iamdudum definita veritas fuisset, quia fides huius veritatis per festum et textus liturgicos iam per quindecim saecula publice testificata fuit, tamen haec definitio solum 1. nov. 1950 edita est.

Pius XII. « *Munificentissimus Deus* » *1. nov. 1950*: « Ecclesiae liturgia non gignit fidem, sed eam potius consequitur, ex eaque (fide), ut ex arbore fructus, sacri cultus ritus proferuntur » (Munificentissimus Deus 1950. 1. Nov. AAS 1950, 760.).

b) Traditio.

S. Augustinus contra monachos semipelagianos monasterii S. Cassiani Massiliae argumentatur e liturgicis orationibus, ut ostendat etiam initium conver-

sionis a Deo dari et sic pergit in sua argumentatione: « Non oraret Ecclesia, ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet *et* aversas *et* adversas hominum ad se convertere voluntates, *nec oraret Ecclesia,* ut perseveraret in fide Christi, *nisi crederet* Dominum sic in potestate habere cor nostrum... » (De dono perseverant. c. 23. P.L. 45, 1031 s.) — S. *Thomas* autem lapidari modo enuntiat: « Fides religionis est causa et principium » (In Boëtium de Trinitate qu. 3, art. 2.). Haec sufficiunt, nam e his textibus:

c) Ratio

sic argumentatur: Operari sequitur esse, ergo et actus religionis consequuntur fidem, quae religionis causa est. Ratio clara est: cultus enim Deo tamquam indeficienti principio exhibetur, est ergo agnitio maiestatis eius, atqui nihil potest agnosci, nisi prius cognoscatur. Cognitio autem Dei potissimum fit per fidem.

d) Difficultas

videtur moveri per celebre adagium attributum Coelestino papae I. (422-432.), quod forsan tamen brevi post mortem eius a Prospero Aquitano appositum est in « Indiculo seu praeteritorum Sedis Apostolicae episcoporum auctoritates » (P.L. 50, 535 et Denzinger nr. 139.): « *Legem credendi lex statuat supplicandi* ». Auctor huius adagii sine dubio loquitur de precibus liturgicis quae in omni Ecclesia uniformiter celebrantur, uti videri potest *e contextu*: « Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. »

Adagium hoc, etiamsi auctor eius non fuerit Coelestinus I., tamen verbum pontificium factum est, nam summi pontifices *Sixtus V.* (Immensa), *Benedictus XIV.*, *Pius IX.* (Ineffabilis), Sanctus *Pius X.* (Inter pastoralis officii 1903), *Pius XI.* (Divini cultus 1928) et *Pius XII.* (Mediator Dei 1947.) adagium hoc tamquam suum agnoverunt.

Difficultas inde movetur, quod *potest etiam male intelligi,* quod revera *apud Modernistas* contigit. Praecipue *Georgius Tyrrell* hoc fecit in libello suo (Lex orandi or prayer and creed, London 1904), dein a S. Sede in indicem posito. Modernistae enim, ut pedissequae agnosticismi, Deum incognoscibilem putantes religionem instinctum caecum praedicaverunt (Schleiermacher: Gefühlsreligion), fidem affectum religiosum dixerunt. Fidei huius dogmata sunt mutationi obnoxia et praeprimis a cultu christiano creantur. Haec sententia a Pio X. proscripta est (Decr. Lamentabili 1907. prop. 40.42.49.), nam originalis sensus mutatus est a Modernistis. — Etiam nostris temporibus non defuerunt, qui abusi sunt hoc adagio, Pius XII. enim allegat eorum « errorem atque fallaciam, qui sibi sumpsere s. liturgiam, quasi quoddam experimentum existere veritatum ex fide retinendarum, quatenus nempe, si certa quaedam id genus doctrina per sacros liturgiae ritus pietatis ac sanctimoniae fructus dederit, eam ab Ecclesia comprobandam esse, si vero secus, reprobandam, unde effatum illud: Lex orandi, lex credendi » (MDei n. 45.). Difficultas rectae intelligentiae obstare videtur, at simplici distinctione solvitur: Lex orandi non est lex credendi sensu ontologico, inquantum lex supplicandi produceret fidem: *Concedo* — inquantum lex orandi demonstrat fidem seu sensu logico: *Nego,* hoc enim contradiceret tum auctoritati Ecclesiae, tum factis, liturgia enim est index evo-

lutionis dogmatis et optimum medium divulgationis eius (M. Pinto, cf. infra Litter. 1952.).

II. pars. Liturgia exprimit fidem.

a) **Vox Ecclesiae.**

Liturgia *textibus suis* exprimit fidem Ecclesiae: Hoc supponitur a *Tridentino* in decreto de iustificatione: « Homo per actum iustificationis noviter creatus crescere debet in gratia iustificante », quod primo probat per textus S. Scripturae, dein e liturgia: « Hoc vero iustitiae incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum » (Dom. XIII. post Pentec — Sess. VI. cap. 10.). Concilium ergo ambo argumenta affert ad documentandum doctrinae caput: e Scriptura et e S. Liturgia. — *Pius XI.* dicit fideles imo et « litterarum ipsos studiosos per liturgiam theologicarum rerum notione imbui » (Divini cultus 1928. AAS 1929, p. 34.).

Liturgia *ritibus et rebus sacris* quoque exprimit suam fidem, ut *Sixtus V.* edicit: « Ritus sacri magnam christiani populi eruditionem veraeque fidei protestationem continent » (« Immensa » 1588.).

Festis quoque exprimit Ecclesia fidem, ut *Pius XI.* affirmat: « In populo rebus fidei imbuendo longe plus habent efficacitatis annuae mysteriorum celebritates, quam quaelibet vel gravissima ecclesiastici documenta magisterii, siquidem haec in pauciores eruditioresque viros plerumque cadunt, illae universos fideles percellunt et docent » (« Quas primas » 1925. AAS 1925, 603.).

b) **Demonstratio**

fit via facti, quod liturgia revera exprimit fidem quam profitetur. *Omnis cultus* hoc facit natura sua; fidem polytheismi profitentur religiones pagani cultu suo publico; « aquarii », dein Manichaei, vinum illicitum esse putantes in oblatione tantum aquam adhibebant, Adamitae autumantes se esse in statu innocentiae, in conventibus suis nuditati indulserunt etc.

1°. Quod *textus liturgici* non solum 13 dogmata, ut putabat *D.M. Bouix* (Tractatus de iure liturgico p. I. c. 7,4.), sed fere omnia probant et attestantur in liturgia, ut eg. *Renaudin* ostendit (Divus Thomas 1935, 51 s.) cuius attestationis vestigia usque hodie apparent. *Sic v. gr.* quod personam Christi attinet, *conclusio orationum*: « Per D.N.J.Ch. filium tuum, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, (sicut) *Deus* per omnia saecula saeculorum » nova introducta est contra Arianos, dum hi retinebant conclusionem veterem (Per Christum D.N.). Veritatem dogmaticam *de Spiritu Sancto*, expressit primum liturgia wisigothica s. VI. introducens in symbolum vocabulum « *Filioque* », quod dein per Galliam et Germaniam demum anno 1014 etiam in liturgiam Romanam pervenit, quod factum sec. Prosper *Guéranger* aequivalet dogmaticae definitioni. — Usus versiculi « *Deus in adiutorium meum intende* » initio officii introductus est, ut affirmet veritatem gratiae a pelagianis negatam.

2°. *Ritus sacri* quoque exprimunt fidem professam. Sic *genuflexio* adorationem Deo debitam, signatio suiipsius fidem in SS. Trinitatem, *expositio Hostiae* in throno super altari fidem in realem et substantialem praesentiam Christi, imago Crucifixi fidem in redemptionem etc.

3°. *Festa sacra* demum summopere exprimunt fidem. Quod luce clarius est quoad *duplicem cyclum* liturgicum, natalitium et paschalem, quae fidem re-

demptionis, incarnationis et glorificationis multiplicibus modis profitentur et exprimunt. Item *alia festa* hoc faciunt, ut SS. Trinitatis, Corporis Christi, quod totum dogma eucharisticum complectitur, SS. Cordis Jesu, praedicans nobis amorem ineffabilem Christi, Christi Regis, explanans nobis regnum suum; demum festa B.V. Mariae, e quibus duo, festa Immaculatae Conceptionis et Assumptionis, maximas partes habuere etiam in dogmatizatione harum veritatum.

Recte ergo concludimus cum S. *Roberto Bellarmino*, Ecclesiae doctore: « Aliquando ex vetustis caeremoniis melius persuadentur dogmata, quam multis testimoniis » (De effectu sacram. 1.2. cap. 31.).

Per se patet, quod nemo tam insipidus est ut affirmet, *liturgiam solam sufficere* ad veritates fidei demonstrandas; imo optime monet *J. Weber*, cultum publicum perdere de suo valore, si non inniteretur in solida doctrina dogmatica iam possessa (op. in Litt. cit. p. 109.).

III. pars. S. Liturgia est locus theologicus excellens.

a) **Vox Ecclesiae.**

Conc. Oecumenicum Nicaenum II. defendens cultum imaginum validissimum argumentum deprompsit e cultu continuo in tota Ecclesia, quia argumentum e S. Scriptura non habetur et etiam Patres ante iconoclasiam nimis ieiune de hac re locuti sunt.

Sixti V. doctrinam iam audivimus.

Alexander VII. ad liturgiam appellat: « Sane vetus est christifidelium erga B.V. Mariam pietas sentientium, eius animam... a macula peccati originalis praeservatam esse immunem atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium. »

Pius IX. loquens in bulla dogmatica « Ineffabilis Deus » de Immaculata Conceptione B.M.V. edixit, quod « hanc doctrinam ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum eiusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit... quam (sc. doctrinam) Romana Ecclesia sibi fovendam tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quae in sacra ipsa liturgia solemnioribusque precibus usurparetur. »

Benedictus XV. « *Sedis huius* » *14. maii 1919*: « Mirabili quadam consonantia a variis liturgiis adversus haereses fides eruitur de fere singulis Ecclesiae catholicae dogmatibus, unde factum est, ut theologi in liturgiis uberrimum fontem theologicum agnoverint, ex quo Ecclesiae doctrina nobis abunde manifestatur » (AAS 1920, 318.).

Pius XII. « *Mediator Dei* »: « Summi Pontifices ac Concilia, cum ex Fontibus theologicis, quos vocant, haurirent, ex sacra etiam hac disciplina haud raro argumenta duxere ». Paulo inferius vero: « Liturgia, cum sit veritatum caelestium professio, quae supremo Ecclesiae magisterio subiicitur, argumenta ac testimonia suppeditare potest, non parvi quidem momenti, ad peculiare decernendum christianae doctrinae caput » (Mediator Dei n. 47.). Presse sequens vestigia sui decessoris Pii IX. etiam *Pius XII.* in bulla sua dogmatica « *Munificentissimus Deus* » post constatationem universi episcopatus consensus, ut primum argumentum Traditionis sex argumenta liturgica affert (AAS

1950, 758-760), tamquam principalia, et postea tantum textus e SS. Patribus et theologis.

b) **Demonstratio.**

Ut omittamus S. *Patres* qui saepissime utuntur liturgia, tamquam testimonio, sufficit *Doctorem Angelicum* allegare (Oppenheim loco infra cit. p. 98-105.). Princeps theologorum quam plurime utitur textibus e Canone, Collectis, secretis, hymnis et antiphonis, responsoriis, quibus veritatem dogmaticam peremptorie probat. Sic *e.gr. angelos esse in loco* contra philosophorum commenta probat ex oratione completorii (« Angeli sancti habitantes in ea, nos in pace custodiant » I q. 52. a. 1.); quod *Eucharistia* per accidens *remittere potest* peccatum mortale, probat ex oratione: « Sit hoc sacramentum ablutio scelerum » (III q. 79. a. 3.). *Oppenheim* merito concludit Doctorem Angelicum de valore dogmatico argumentationis liturgicae plene sibi conscium fuisse ipsiusque longe frequentiorem usum fecisse quam plerumque aestimari solet.

c) **E ratione theologica**

quoque optime demonstratur quod dictum est. Cultus publicus ab Ecclesia exercitus *dupliciter* potest considerari. *Primo* ut est *liturgia hodie vigens* et ab Ecclesia approbata: hoc sensu liturgia non solum locus theologicus est, sed et *regula fidei proxima.* Ratio est, quod Ecclesia suum magisterium ordinarium non solum per magisterium verbi (catechisatio, praedicatio etc.), sed etiam per liturgiam vigentem exercet. — *Secundo* potest liturgia considerari inquantum est *vetusta et obsoleta,* i.e. ut sunt documenta antiqua liturgica, quae iam non sunt in usu. Hoc sensu liturgia potest esse *pars traditionis* et tunc haberi debet ut *regula fidei remota,* sicut omnis textus sacrae traditionis. *Conditio* eadem est ac penes haec alia Traditionis documenta: *valent* (*testimonia* liturgica), *si* constet Ecclesiam moraliter universam aliquo tempore admisisse aut professam esse doctrinam tamquam certo pertinentem ad depositum fidei: impossibile enim esset, ut Ecclesia universa erret (Oppenheim p. 75.). — *In utroque casu* doctrina professa in S. Liturgia non solum Ecclesiae docentis est, sed etiam *Ecclesiae discentis,* aliis verbis: non solum Ecclesiae orare facientis, sed etiam orantis. Sic verificatur effatum *S. Paulini*: « Ab omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Sanctus spirat » (Ep. IV. cit. a Renaudin.).

d) **Difficultatibus satisfit.**

Difficultas I. Cur Melchior Canus non affert intra locos theologicos liturgiam? Ipse est fundator et princeps theologiae fundamentalis (1509-1560). — Respondemus, etsi decem locos theologicos enumeret Canus « tamquam domicilia omnium argumentorum theologicorum », hi tamen in duas classes reduci possunt: *auctoritatis et rationis.* In theologia prima est *auctoritas*: ibi enumerat « auctoritatem » Ecclesiae catholicae, conciliorum, Ecclesiae Romanae, ibi affert « auctoritatem » Scripturae et Traditionis, ad quam per se pertinent Sancti veteres, et theologi. Secundo « *rationis* » testimonia enumerat: Rationem naturalem, philosophos et humanam historiam. Iamvero nos iam ostendimus, liturgiam pertinere ad traditionem et ad auctoritatem Ecclesiae docentis. — Ceterum *ipse Canus dicit*: « Locorum theologicorum elenchum denario quidem nos numero complectimur, non ignari futuros aliquos, qui eosdem hos locos in minorem numerum redigant, alios qui velint etiam esse maiorem » (De

locis theologicis lib. 1. cap. 3.). Opus hoc posthumum est, apparuit Salmanticae 1563.

Difficultas II. Aliquando *in liturgia inveniuntur errores dogmatici. E.gr.* sunt manuscripti, imo et impressi libri liturgici, ubi in rubrica affirmatur, feria VI. in parasceve per *immixtionem* hostiae consecratae vinum fieri consecratum (cf. M. Andrieu, Immixtio et consecratio, Paris 1924.), quae rubrica in manuscriptis Hungaricis usque ad saec. XVI. legi potest — item in pontificalibus libris invenitur in rubrica, *characterem* imprimi in traditione patenae et calicis — in Breviario Romano legebatur aliquando lectio e Ps. Hieronymo, ubi dicebatur, nihil nos certi scire *de assumptione* corporis B. Mariae Virginis. Liturgia ergo videtur non posse esse locus theologicus. — *Respondetur* distinctione: Liturgia, inquantum obiectum eius *adhuc in ambiguo* versatur, aliquando non est locus theologicus, et partim errare potest (i.e. in aliquibus libris, per aliquod tempus): *Concedo.* Inquantum *universaliter* aliquid ab ea praedicatur, *ita ut obiectum eius fixum et ratum* apparet: *Nego.* Nam *Pius IX. dixit*: « Quoniam quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum eiusdem obiecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit et in ambiguo versetur » (Ineffabilis Deus).

Difficultas III. In liturgia *evidenter continentur errores historici,* ergo non potest esse locus theologicus. *Resp.* Inquantum agitur de *textu qui relationem tantum externam et non necessariam* habet ad fidem, ut contingit in factis historicis relatis a liturgia: *Concedo,* nam errores possunt esse, et liturgia fidem in Deum et Sanctos vult exprimere, non autem asserere facta historica ut vera. Inquantum textus *internam et necessariam* habet relationem ad fidem *et* receptus est *in universa Ecclesia*: Nego. — Sic debent facta historica diiudicari: possunt esse errores in eis, vel facta incerta. E.gr. *translatio domus Lauretanae,* ideo quia festum habet, non debet esse factum historicum (10. Decembris); inculcatur tantum *cultus domus* et familiae Nazaretanae, qui iam relationem habet ad fidem internam et nihil refert, utrum domus Lauretana identica sit cum Nazaretana, et, si identica esset, utrum per angelos vel homines translata sit. Similiter *cultus S. Catherinae* ut rectus haberi debet; num corpus S. martyris et virginis per angelos in Montem Sinai delata sit, iam nihil refert ad hoc, etsi in collecta festi hoc dicatur (25. Novembris). « Fides divina innititur revelationi Apostolis et prophetis factae, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliquibus doctoribus facta », dicit S. *Thomas* (I q. 1. a. 8. ad 2.). Ut *Immaculata Conceptio* credatur, hoc ideo fit, quia in revelatione divina cum Apostolis terminata implicite continetur. *Huius* fidei documentum est liturgia ut locus theologicus eximius, quia hoc festum colebat, ut Pius IX. dixit, sed non ideo creditur, quia Sanctae *Bernadettae* apparuit, etsi hoc factum historicum verum sit. Tamen non ideo credimus Immaculatam Conceptionem, etsi liturgia hoc factum historicum in II. nocturno enarrat et etiam festum proprium in eius memoriam celebrat (11. Februarii): hoc factum historicum non est locus theologicus, etsi liturgia id continet. E facto historico huius apparitionis Lapurdicensis tantum certitudinem naturalem sumimus, et est, sicuti fons miracula inde iam per nonaginta annos ibidem patrans, obsignatio naturalis nostrae fidei, quae revelationi divinae innititur.

Litteratura.

Fr. A. Zaccaria S.J., Bibliotheca ritualis, Tomus I, Romae 1776, Diss. II. De usu librorum liturgicorum in rebus theologicis. (« Quo laboriosiorem virum in universa histo-

ria literaria vix invenies, nulla fuit disciplina theologica, in qua non excelleret »: Hurter Nomenclator, V, 1, col. 484 s.). — *Paul Renaudin*, De auctoritate s. liturgiae in rebus fidei, Divus Thomas 1935, 41-54. — *J. Brinktrine*, Der dogmatische Beweis aus der Liturgie, *in*: Scientia sacra. Festgabe Kard. Schulte, Düsseldorf 1935, 231-251. — *J. Weber*, La liturgie est la « Didascalie de l'Eglise (Pie XI) par son enseignement dogmatique, *in*: Cours et conférences des Semaines liturgiques XII. Louvain 1935, 91-114. — *N. Cappuyns*, Liturgie et théologie, *ibid.* p. 177-209. — *M. Righetti*, Manuale di storia liturgica, Genova 1945. I, 15-22. — *Ph. Oppenheim*, Principia theologiae liturgicae, Taurini 1947, 4-138. — *J. Handschin*, Gesungene Apologetik, *in*: Miscell. Liturg. K. Mohlberg, II. Roma 1949, 75-106. — *K. Federer*, Liturgie und Glaube, Eine theologiegeschichtliche Untersuchung, (Paradosis 4.), Freiburg i. d. Schweiz 1950. — *M. Pinto*, O valor teológico da liturgia, Braga 1952. — *B. Reetz*, Die Liturgie eine lebendige Theologie, *in*: Hl. Dienst 1953, 78-86. — *C. Berti*, Methodologiae theologicae elementa, Romae 1955, de liturgia p. 54-73. — *C. Vagaggini*, Liturgia, fede e teologia, *in*: Il senso teologico della liturgia, Roma 1957, 397-424. — *H. A. P. Schmidt*, Introd. in lit. occident., Romae 1960, 131-139.

C) De iure ordinante cultum publicum.

1. De fundamento huius iuris.

a) Ecclesiae competere **ius ordinandi sacra Mediator Dei sic probat:**

1° « Sacra liturgia Ecclesiae nomine absolvitur, idcirco eius ordinatio, moderatio ac forma ab Ecclesiae auctoritate non pendere non potest » (n. 43.). Uti vidimus, ex *entitate ontologica* cultus publici, i.e. liturgiae sequitur hoc ius liturgicum Ecclesiae.

2°. « S. liturgia cum iis doctrinae principiis arctissime coniungitur, quae ab Ecclesia ut certissimae veritatis capita proponuntur » (n. 44.). — Argumentum hoc *dogmaticum* est: cum liturgia exprimat fidem, quam consequitur, ideo ab Ecclesia debet moderari, ne falso exprimat fidem, vel modo haeretico, ut decursu temporis pluries factum est.

3° « Nullo non tempore Ecclesiastica hierarchia hoc in rebus liturgicis iure usa est, divinum instruendo ordinandoque cultum, eumque novo semper ad Dei gloriam christianorumque profectum, splendore ac decore ditando (n. 48.). Argumentum hoc *historicum* est.

4° Lex ordinans cultum publicum definitur *ea lex, quae omnes actus cultus publici aliquo modo ordinat.* Uti nos sumimus materiam theologiae sacramentalis, lex ordinans cultum publicum non est *lex mere liturgica,* quae strictius comprehenditur, nam est solummodo « *lex quae sacros ritus et caerimonias directe et immediate ordinat* » (Oppenheim, op. infra cit. p. 5.). *Lex cultualis* ergo latius patet, quam lex liturgica, quae tantum *modum* respicit actionis etc. cultualis, lex autem cultualis determinat etiam *essentiam* horum actuum, e.gr. locum et tempus et sic porro. Lex ergo liturgica est pars legis cultualis, v. aliis verbis: lex cultualis potest quidem, sed forsitan minus recte, lex liturgica sensu latiore vocari.

b) Sufficit ergo si tantum **legem liturgicam** prae oculos habeamus, nam lex cultualis eadem est, ac ceterae leges Ecclesiae. Lex liturgica stricte sumpta est ea, quae

1° *sacros ritus respicit.* « *Ritus est certus quidam complexus actionum ac verborum quae sub uno respectu comprehenduntur* » (Oppenheim p. 41.), vel sec. Tridentinum « legitima ratio peragendi externe functiones sacras » et vocatur etiam « ordo », si *sensu stricto* sumatur. Sic loquimur de ritibus Missae (« ordo Missae »), baptismi (« ordo baptismi parvulorum ») etc. — *Sensu latiore* ritus est complexus actionum et verborum *qui particularitates* respicit, quae in aliqua ecclesia particulari (e.gr. medio aevo Agriensi, cf. « Ordinarium Agriensem », vel Parisiensi), vel in aliqua communitate (e.gr. in ordine Praedicatorum), vel in aliqua provincia vigebant vel vigent (e.gr. ritus ambrosianus etc.).—*Sensu latissimo* ritus est *totus complexus cultus divini,* i.e. actiones omnes et verba omnia pertinentia ad modum peragendi cultum publicum. — Ritus « *sacer* » vocatur ut indicet complexum actionum et verborum, quae in cultu divino publico adhibentur, nam habetur etiam ritus profanus, e.gr. leges urbanitatis.

2° Lex liturgica ordinat « *caeremonias* » sacras. Caeremonia etymologice derivatur *a Graeco* « *kairimonia* », ubi « kairios » significat « rectum locum, tempus, mensuram servans » (« kairos » substantivum = recta mensura, tempus, locus), « monia » derivari potest e vocabulo « moné », quod « mansionem » significat. « Kairimonia » ergo est « mansio in servanda rectitudine ». Etymologia e lingua *latina* derivata « Cereris munia » (funzione in onore di Cerere), vel Ceri (cerus est « Deus » lingua archaica) cum suffixo « monia » (Righetti I, 14.) minus recta videtur. — Caeremonia definitur a Tridentino « *formae exteriores cultus divini, res vel actiones ab Ecclesia praescriptae, quae sive ex natura rei, sive ex intentione Ecclesiae symbolice aliquid spirituale significant* » (Sess. XXII. cap. 5.). Caeremonia ergo est e.gr. *genuflexio* in contestationem reverentiae, *cera* sacra ad illuminationem, augendam pompam et symbolice fidem significandam, et in eo differt a ritu, quod hic complexus actionum (caeremoniarum) et verborum (textuum) est. Caeremonia ergo est pars rituum.

3° Lex *liturgica* ordinat « *directe* » actiones et verba, i.e. ritum et caeremoniam, quae ordinatio est actio legis in ipsam actionem liturgicam. *Lex cultualis* autem plus facit: non solum modum, formam exteriorem, sed etiam *circumstantias* harum actionum et verborum respicit, de attentione, intentione, de qualitatibus ministri et subiecti (e.gr. minister extraordinarius baptismi, femina Missae inservire nequit), de loco (Missa sub divo, in navi, in domo), de tempore (missa pomeridiana, ante auroram), de lingua, qua peragitur liturgia. Haec omnia actionem liturgicam indirecte respiciunt.

4° Lex liturgica « *immediate* » ordinat sacros ritus. *Sunt enim quaedam leges poenales et disciplinares,* quae nec indirecte, nec immediate attingunt actionem liturgicam, sed tantum *mediate.* Mediate ideo dicuntur ordinare liturgiam, quia his legibus peractis et observatis oritur *possibilitas* recte peragendi actionem liturgicam. Tales sunt leges de *beatificatione* et canonizatione Sanctorum, de *reliquiis,* leges de *irregularitate* sacerdotum, de habilitate eorum etc.: *si* hae leges observantur, recte potest coli aliquis Sanctus, venerari potest reliquia per processionem, sacerdos rite et iuxta casum etiam valide potest fungi.

2. De fontibus legis cultum ordinantis.

Fontes ubi leges cultuales, praesertim leges mere liturgicae promanant et ubi continentur, sunt septem.

a) Decreta Summi Pontificis.

Nunc temporis « *uni Summo Pontifici* ius est quemlibet de cultu divino agendo morem recognoscere *ac statuere, novos* inducere ac probare ritus, eosque etiam *immutare,* quos quidem immutandos iudicaverit » (MDei n. 57.). Hoc loco tractamus de documentis Papae, quae immediate ab ipso, non a sua Curia emanant, de quibus tertio loco (c.) agemus. Decreta haec sequentia sunt.

1° *Constitutiones Apostolicae* sunt leges aut ordinationes immediate a Summo Pontifice editae, citantur primis verbis initialibus et pro tota Ecclesia promulgantur. Vox « constitutio » significat in iure Romano legem ab ipso imperatore promanatam. Sic praescribuntur res liturgicae maioris momenti a Summis Pontificibus, e.gr. die 14. iulii 1570 Missale Romanum per constitutionem apostolicam « Quam primum tempore »; nov. 1. 1911 « Divino afflatu » novum Breviarium Romanum, per quas emanavit voluntas Summi Pontificis.

2° *Motu proprio* vocatur documentum pontificium, quod sponte editum esse demonstratur *sub forma simplicis decreti,* etsi aliquoties maximi momenti sit, ut quoad liturgicam contigit, quando Sanctus Pius X. edidit Motu proprio « Inter pastoralis sollicitudines officii » nov. 22. 1903. de musica sacra.

3° *Bullae Apostolicae* nomen habent *a sigillo plumbeo* bulla vocato, his litteris appenso, quibus expediuntur negotia maioris momenti. Talibus bullis eduntur definitiones dogmaticae, ut « Ineffabilis Deus » 1870. Pii IX et « Munificentissimus Deus » Pii XII. nov. 1. 1950, et canonizationes Sanctorum.

4° *Litterae Encyclicae* vocantur documenta quibus Summus Pontifex *mentem suam* exponit quoad capita doctrinae summi momenti, vel veras leges condit, ut factum est Encyclica « Mediator Dei » 20. nov. 1947 de s. liturgia.

5° *Breve* vocatur littera Apostolica minus sollemnis quam bulla, *propter brevitatem* sic vocata (inde germanicum « Brief »), et habent sigillum in cera rubra sub annulo piscatoris.

6° *Littera apostolica* vel *pontificia* nuncupatur documentum, ubi Papa hortamina dat vel instructiones. Plerumque verae epistolae sunt, interdum ad universum clerum diriguntur, ut e.g. Littera verbis « *Menti nostrae* » incipiens quae adhortatio est ad clerum universalem de sanctitate sacerdotalis vitae promovenda, data 23. sept. 1950. per Pium XII.

Inquantum omnibus his documentis pontificiis doctrinae capita dilucidentur, patet, has enucleationes theoreticas *obligatorias* esse *obligatione* saltem *disciplinari,* imo in Encyclica « Humani generis » Pius XII. hanc obligationem *latius* extendit. Quod praescripta in iis contenta attinet, clarum est, *has esse veras leges,* quod maxime e textu ipsorum apparet, (cf. verba: « Mandamus... vi sanctae obedientiae... ex plenitudine potestatis Apostolicae »).

b) Codex Iuris Canonici.

1° CIC inde a die 19. maii 1918 universam Ecclesiam Latinam obligans continet *permultas leges cultuales,* i.e. Sacramentorum administrationem, Missae et officii divini celebrationem respicientes. Quod leges attinet *mere liturgicas,* can. 2. praescribit: « Codex plerumque nihil decernit de ritibus et caeremoniis,

quas liturgici libri, ab Ecclesia Latina probati, servandas praecipiunt in celebratione sacrosancti Missae sacrificii, in administratione Sacramentorum et sacramentalium, aliisque sacris peragendis. Quare omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur. »

2° Ut recte monet *M. Conte a Coronata* (Institutiones Iuris Canonici I, 4. ed. Taurini 1950, 3-4 p.), « *ad expressam* correctionem non requiritur, ut Codex dicat se legem aliquam liturgicam corrigere, sufficit, ut clare aliquid statuat, contra leges liturgicas ». *Exempli* instar videtur can. 947. §. 2.: « Unctio renum semper omittatur » et §. 3: « Unctio pedum ex qualibet causa omitti potest », vel can 776: « In domibus privatis baptismus sollemnis administrari non debet, nisi hisce in adiunctis », etsi libri liturgici baptismum semper in ecclesia conferri supponant. *Novis editionibus typicis* Ritualis Romani anno 1925 et 1952 editis omnes dispositiones legislativae Codicis iam assumptae sunt in rubricas Ritualis Romani.

3° Per se patet, quod leges et *normae generales Codicis* etiam pro iure liturgico valent, ut e.gr. supputatio temporis, normae de consuetudine, de rescriptis, de privilegiis etc.

c) Decreta Curiae Romanae.

Curia Romana vocatur « *complexus personarum moralium, quibus Romanus Pontifex utitur in exercitio suae supremae iurisdictionis* » (M. Conte a Coronata p. 390 s.) et constat Congregationibus, Tribunalibus et Officiis. Nunc agitur de iis, quae in tota materia Theologiae Sacramentalis competentiam habent.

Prima quoad materiam nostram procul dubio est *S. Congregatio Rituum* instituta a *Sixto V.* 12. jan. 1588 (« Immensa aeterni Dei »). Hac constitutione apostolica Summus Pontifex congregationes ordinavit et *quatuor* novas condidit (Congregationem Consistorii — Signaturam gratiae — Typographiam Vaticanam — et Rituum). Dein huc spectant adhuc Congregatio *S. Officii,* a Paulo III. anno 1542 fundata, dein S. Congregatio *Concilii* a Pio IV. anno 1564 instituta et Congregatio *de disciplina Sacramentorum* a Sancto Pio X, anno 1908 condita, demum e Tribunalibus Sacra Poenitentiaria iam inde a saec. XV. exsistens.

1° *De competentia S. Congregationis Rituum.* Haec S. Congregatio erecta est sec. *Sixtum V.*, « cupientes filiorum Ecclesiae pietatem et divinum cultum sacris ritibus et caeremoniis conservandis instaurandisque magis augere... » uti cura huius caetus assignabatur, « ut veteres ritus ubivis locorum a quibusvis personis diligenter observentur... ut caeremoniae, si exoleverint, restituantur, si depravatae fuerint, reformentur... ut libros de s. ritibus et caeremoniis, in primis pontificale, rituale, caeremoniale prout opus fuerit reforment et emendent, ... ut officia divina de Sanctis patronis examinent et nobis prius consultis concedant. » Congregationem hanc *Sanctus Pius X.* anno 1908. 3. iul. (« Sapienti consilio ») modificavit, quod iterum fecit anno 1914; *Pius vero XI.* anno 1930 sectionem historicam ei adiunxit ad providendum de quaestionibus liturgico-historicis, ut formae rituales evolvantur sano spiritu traditionum.

Hodie ad S. Congregationem Rituum *pertinet*:

a. Beatificatio et canonizatio Sanctorum,

b. Questiones de reliquiis,

c. « Ius vivendi et statuendi ea omnia, quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant » (can. 253.). Plura de hoc iure vide infra 3°.

2° *De decretis S. Congregationis Rituum.* Decreta a hac S. Congregatione emanantia dividi possunt secundum varios respectus.

a. *Respectu extensionis* sunt decreta generalia et particularia. *Generalia* ubique terrarum obligant ritum Latinum, particularia tantum ecclesiam (dioecesim, vel metropoliam) particularem. Decretum generale cognosci potest vel *ex inscriptione* (« Urbis et orbis, Decretum generale, Plurium dioecesium, Decretum »); vel ex toto contextu etsi particulari ecclesiae directum sit, responsio tunc datur toti Ecclesiae, nam decretum declarat aliquam legem liturgicam. Decreta (vere, vel apparenter) *particularia* inscriptionem portant nomen dioecesis, ordinis religiosi, vel nationis (« Strigon. [iensis causa], Aquisgranensis, Argentoratensis, Galliae, Ordinis Fratrum Minorum »).

b. *Respectu obiecti* decreta possunt esse: *decreta gratiae,* quibus alicui conceditur privilegium (e.gr. ecclesia declaratur basilica minor) — *decretum exsecutorium,* quo instructiones dantur — *decretum interpretatorium,* quo lex aliqua liturgica authentice interpretatur. Haec interpretatio potest esse *mere declarativa,* quando casus planus est, et quaestio tantum ex nimia anxietate prodivit; dein potest esse *comprehensiva,* quando rem vere dubiam dirimit; demum potest esse interpretatio *extensiva,* quando aliquam legem ultra sensum strictum verborum interpretatur.

c. *Respectu obligationis* decreta dividuntur in decreta *praeceptiva,* quae ut leges liturgicae *obligatoriae* habenda sunt, et cognoscuntur e verbis et tenore decreti (« statuit, ordinavit, mandat, prohibet, interdicit »), dein possunt esse decreta *directiva,* quae tantum commendant, suadent aliquid (verbis « laudabiliter servatur, convenit »). Decreta obligatoria « *habent eandem* auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice emanarent » (Decr. 2916). Decreta particularia obligant *subiectum, ad quod* diriguntur, decreta generalia *totam* Ecclesiam; ut aliae leges, etiam haec decreta a die promulgationis in Actis Apostolicae Sedis expletis *tribus mensibus* vim obtinent legis universalis (can. 9.).

d. Decreta praesertim interpretatoria extant in unum collecta. Prima *editio authentica* prodiit cura Aloysii Gardellini anno 1807-1819. *Secunda* et nova nunc solum authentica collectio prodire incepit anno 1898, septem tomos comprehendit continens decreta ab 1588-1926; 1947 prodiit supplementum privatae auctoritatis « Collectio decretorum ad s. liturgiam spectantium ab anno 1927-1946 », Romae (Edizioni Liturgiche) 1947.

3° *Causae ad varias Congregationes pertinentes* sunt sequentes.

Ad S. Congregationem Rituum pertinent:
Calendariorum particularium approbatio vol reformatio —
Officiorum et Missarum SS. patronorum concessio, evectio, suppressio — item ritus liturgici eorumve mutationes —
responsiones dare authenticas in rebus liturgicis —
facultates habet dispensandi ordinarias (80), quas concedere potest ex officio et

extraordinarias (62), quas tantum cum approbatione Papae concedere potest —
variarum benedictionum concessio (e. gr. benedicendi et reconciliandi ecclesias, consecrandi altaria cum formula breviore, concedere usum pontificalium)
approbatio novarum editionum librorum liturgicorum, vel librorum liturgicorum particularium (e. gr. « Appendix ad Rituale Romanum ») et in iis concedere particularem usum linguae vulgaris.
Ad S. Congregationem S. Officii pertinent:
omnia circa ieiunium sacramentale pro sacerdotibus.
Ad Congregationem de disciplina Sacramentorum pertinent:
facultas erigendi oratoria privata —
asservandi Sacramentum in loco iure vetito —
celebrandi in navi, sub divo, ante auroram, vespere, caecutientibus, bis vel ter in die —
ordinationes extra tempora —
dispensatio circa ieiunium sacramentale pro laicis —
dirimere dubia circa valorem Sacramentorum.
Ad Congregationem Concilii pertinent:
facultas anticipandi officium divinum —
dispensandi vel commutandi breviarium —
dirimere quaestiones de Missarum stipendiis —
dirimere causas praecedentiae.

FORMULA scribendi ad has Congregationes: « Beatissime Pater! N. N. sacerdos (Episcopus) dioecesis N. in Hungaria, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus petit... Et Deus etc. Litterae benignissime dirigantur ad me: N.N. in N. Ad S. Congregationem... Roma, Palazzo delle Congregazioni ».

d) Rubricae librorum liturgicorum.

Rubrica **definitur** *lex liturgicis libris inserta ritus ordinans.* Litteris rubris scribebantur medio aevo in iure tum Romano, tum canonico tituli legum et breve compendium legis sequentis. Inde a saec. XII, autem in libris liturgicis manu scriptis semper augebatur numerus praeceptorum ritualium, quae intra textus, vel ante eos minio (rubro colore) scribebantur, ideo « rubricae » (sc. scripturae) per excellentiam leges liturgicae nuncupari coeperunt.

Divisio rubricarum habetur 1° *ratione loci,* ubi legitur et sic distinguitur rubrica *generalis,* quae initio alicuius libri generalia praecepta continent (e.gr. in limine Missalis, Breviarii), et *specialis* quae ante functionem, vel festum quoddam particulare praeceptum continet (e.gr. ante benedictionem candelarum, sabbatum sanctum). — 2° *Ratione obiecti* dantur rubricae *essentiales,* quae essentiam actionis respiciunt, i.e. sine quibus actio *invalida* esset, sive de sacrificio Missae, vel Sacramentis, sive de Sacramentalibus agatur. Possunt esse *accidentales,* sine quarum observantia actio tantum *illicita* evaderet. Rubrica praescribens materiam et formam sacramentorum *et* sacramentalium essentialis est, rubrica quae tantum effectus ab Ecclesia intentos producit, ut exorcismi, olei catechumenorum usus in baptismo, accidentalis est. — 3° Ratione obligationis existunt rubricae *directivae,* quae suadent vel permittunt aliquid (sequentia ad arbitrium sacerdotis, an unam vel tres Missas vult celebrare; vel si ex contextu videri potest, obligationem tantum directivam adesse), et *praeceptivae,* quae in conscientia obligant. Pronum est rubricas *essentiales* omnes esse *praeceptivas*: nam Ecclesia non vult, ut sacramenta *et* sacramentalia frustrentur suo effectu. Quod attinet rubricas accidentales, si non sunt certe directivae, etiam hae preceptivae sunt. *Gravitas obligationis* edicitur thesi:

THESIS. Rubricae praeceptivae tum essentiales, tum accidentales obligant in genere suo sub gravi. Theologice certum.

1° **Vox Ecclesiae.** *Trid. sess. VII. can. 13*: « S.q.d., receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito suo omitti aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse: an. sit » (Denz. 856.). *Atqui* rituum praescripto habetur in rubricis, ergo de iis valet dictum Concilii.

Quod sub gravi obligant etiam e documentis pontificiis erui potest. S. *Pius V.* Const. apost. « Quo primum » (1507) de *Missali Romano*: « Mandamus ac *stricte* praecipimus, ut Missam iuxta ritum, modum ac normam quo per missale hoc a Nobis nunc traditur, decantent ac legant » — quod evidenter secumfert gravem obligationem rubricarum. Idem pontifex 1568 praescripsit, quando *Breviarium Romanum* edidit, quod nemo, « nisi has sola formula *satisfacere* » *potest*: *atqui*, qui non satisfacit recitationi, graviter peccat, ergo etiam qui non forma a rubricis tunc novis praescripta persolvebat breviarium. — S. *Pius X.* anno 1911. (« Divino afflatu ») « omnino » interdixit usum veteris psalterii et adiunxit « sciant se tam gravi *non satisfacturos* esse officio, « *atqui* ordo novus psalterii rubricis regebatur.

2° **E consensu theologorum** probatur thesis, nam omnes sic opinantur, quorum sententia *a Benedicto XIV.* sic potest comprehendi: « Ipsa communis omnium sententia docet, rubricas esse leges praeceptivas, quae obligant sub mortali ex genere suo » (De sacrificio Missae l. III. c. 13. nr. 3.).

3° *Ratione* probatur: *Omnes leges* Ecclesiae obligant in conscientia, nisi aliter dicatur (e.gr. quaedam constitutiones religiosorum, rubricae vel decreta directiva). *Atqui* rubricae leges sunt Ecclesiae, quod clarum est e can. 2. CIC, ubi « liturgicae leges » declarantur, inter quas evidenter rubricae numerantur.

4° Peccata haec possunt esse *omissionis*, quando aliquid omittitur, gravitas dependet a quantitate et qualitate omissionis. Sic e.gr. secundum moralistas quinque nomina ex Canone iam materiam gravem constituunt; omittere « Credo » veniale non excedit; in officio divino materia unius horae iam sub gravi obligat. Similiter iudicandum de *actionibus*, quantum et quale est, quod omittatur; omittere e.gr. trinam ablutionem sub forma crucis certo grave esset, etsi baptismus validus sit. — Dein sunt *mutationes* rituum, quando aliquis novos induceret ritus, ergo sive actiones sive verba, gravitas eodem modo ponderari debet. — Demum sunt peccata *contemptus*; si ex vero interno contemptu procedant, tunc semper sunt gravia.

e) Potestas Ordinarii.

1° Ordinarii locorum possunt leges ferre, et leges eorum seu decreta non indigent, ut a Romano Pontifice approbantur, sed statim obligare incipiunt a promulgatione, nisi aliud in ipsis caveatur (can. 335.). Quoad res cultuales et rituales ordinarii *nullam habent legislativam potestatem*, ergo non possunt nec minimum *ritum* omittendum vel mutandum praecipere, vel *linguae* usum vulgaris introducere, *nec* authentice possunt *interpretari* leges supradictas, sicut nec alias leges ecclesiasticas. Sic iuxta Decr. gen. S. Congr. Rituum 2621: « Nequeunt rubricas authentice interpretari » et Mediator Dei (« uni Summo Pontifici ius est... »).

Ordinarii ergo circa liturgiam sequentia possunt et debent facere:

2° Ius et officium est *vigilare* diligenter « ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur » (can. 1261. et Mediator Dei, quae etiam sic: « S. Liturgiae ordinatio ab eius [Apost. Sedis] consilio ac nutu omnino pendet » n. 59. cf. n. 64.).

Haec vigilantia sec. encyclicam extenditur ad has causas:

a. « Temerarius eorum ausus omnino reprobandus est, qui *novas* deliberato consilio liturgicas consuetudines invehant, *vel obsoletos* iam ritus revivisscere iubeant, qui cum vigentibus legibus ac rubricis non concordent » (MDei n. 58.). Idem inculcat Commonitio S. Officii 14. feb. 1958.

b. Patriae linguae usus « unius Apostolicae Sedis est concedere, atque adeo ea inconsulta atque non approbante, nihil prorsus hoc in genere fieri fas est » (n. 59.).

c. « Neve cuilibet etsi sacerdoti liceat arbitrio suo sacris aedibus quasi *experimenti* causa uti » (n. 108.).

3° Ad hoc negotium melius exsequendum Mediator Dei hoc consilium dat: « In singulis dioecesibus, quemadmodum Consilium habetur sacris musicis et artibus tutandis, sic *Consilium* quoque *ad liturgicum promovendum apostolatum* constituatur, ut vigilanti cura vestra (Episcoporum), diligenter omnia ex Apostolicae Sedis praescriptionibus eveniant » (n. 108.). — Secundum Summum Pontificem ergo non sufficit mera vigilantia, sed insuper requiritur etiam *promotio apostolatus liturgici* (qui prius minus recte vocabatur « motio liturgica »). *Scopus* huius apostolatus est: « Venerabiles Fratres, ... in Dioecesi Vestra modum rationemque quibus *populus liturgicam actionem participet,* moderari atque ordinare velitis » (MDei ibid.).

4° CIC can. 1244: « *Dies festos,* itemque dies abstinentiae et ieiunii universae Ecclesiae communes constituere, transferre, abolere unius est supremae ecclesiasticae auctoritatis. Ordinarii locorum peculiares suis dioecesibus seu locis dies festos, aut dies abstinentiae et ieiunii possunt *per modum tantum actus* indicere. » — Concilium *Tridentinum* solum ius reliquit Episcopis instituendi nova festa pro suis dioecesibus: « Dies etiam festos quos in dioecesi sua servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus serventur » (Sess. XXV. cap. 12.). — *Urbanus VIII.* ius quidem intactum relinquendo, suasit Ordinariis, « ut ad ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de cetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere ». Nunc autem *CIC* tantum per modum actus hoc ius concedit, quo permittitur aliquando festum quoddam, vel ieiunium de praecepto observare; consultum esset, aliquoties etiam hoc iure uti.

f) Decreta Conciliorum.

Decreta Conciliorum distinguuntur a canonibus: Canones sunt decisiones *doctrinales,* decreta sunt *praescriptiones disciplinares.*

1° *Decreta Conciliorum oecumenicorum* sine dubio habent valorem legislativum, si « a Romano Pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata » (CIC can. 227.). Sic Concilium oecumenicum *Lateranense IV.* (1215) praescrip-

sit communionem paschalem et semel in anno confessionem suorum peccatorum, *Tridentinum* permultas habet praescriptiones quoad Sacramenta et ritus. Decreta autem e.gr. Concilii Basileensis, postquam haec synodus schismatica evasit, nullam habent vim obligatoriam.

2° *Decreta Conciliorum particularium* **a.** tunc tantum habent vim obligatoriam, quando habetur v.gr. *concilium provinciale* sub praesidio metropolitae, si legitime promulgata fuerint, sed non possunt promulgari, nisi « a Sacra *Congregatione Concilii* expensa et recognita fuerint » (Can. 291. § 1.). Tali modo possunt etiam praescripta particularia cultualia vel mere ritualia edi. — **b.** *Synodi dioecesanae* quidem non indigent approbatione Sanctae Sedis (can. 362.), quia « unicus est in Synodo legislator Episcopus, ceteris tantum votum consultivum habentibus ». Sed cum Ordinarius *nullum ius* legislativum liturgicum habeat, *nec* Synodus habet.

g) Consuetudo.

Quod leges cultuales et inter eas leges mere liturgicas attinet, consuetudo maximum valorem habet. Obligatio e.gr. divini officii recitandi per consuetudinem orta est, variae formae cultus divini per consuetudinem evolvebantur. Ideo iam *Tertullianus* dixit: « Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix » (De corona militis 4, P.L. 2, 99.). S. *Augustinus*: « In his rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, et instituta maiorum pro lege tenenda sunt. Et sicut praevaricatores legum divinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coërcendi sunt » (Ep. 36.).

Consuetudines distinguuntur sic:

1°. *Consuetudines iuxta legem.* Ut in cetero iure canonico, sic et in legibus liturgicis habentur consuetudines « *legitimae* » (can. 346.), seu « *probatae* » (can. 463. 1.), vel « *recepti mores regionum* » (can. 1067.). CIC ergo pluries agnoscit consuetudines exsistere legitimas, et etiam in nostra materia tales ostendi possunt. *Patronorum* e. gr. privilegia valent, « si ita ferant legitimae locorum consuetudines » (can. 1455. §. 3.); *processiones* possunt esse, quae « fiunt ad normam librorum liturgicorum, vel consuetudinum ecclesiarum » (can. 1290. § 2(); « *campana* benedicta ad usus mere profanos adhiberi nequit, nisi ex causa necessitatis, aut ex licentia Ordinarii aut denique ex legitima consuetudine » (can. 1169. § 4.). *Codex* saepe *allegat et laudat* consuetudines quoad res rituales, e.gr. quod unusquisque baptizandus vel confirmandus habeat *specialem patrinum* secundum « vetustissimum Ecclesiae morem » (can. 762 § 1, et 793.); dein quod *baptismus* adultorum fiat secundum « antiquissimum Ecclesiae ritum » sabbato sancto vel in vigilia Pentecostes (can. 772.); quod viri et mulieres in ecclesia *separata loca* occupent « congruenter antiquae disciplinae » (can. 1262. § 1.); *ecclesiae* aedificari debent secundum formas a traditione christiana receptas (can. 1164 § 1.) etc.

2° *Consuetudines praeter legem* vocantur quae nullo modo a iure canonico vel liturgico memorantur, i.e. de quibus vel CIC, vel leges liturgicae silent. Hae consuetudines vim obligatoriam etiam post CIC retinent, ut declaravit S. Congregatio Concilii 10. jan. 1920: « Absonum debet censeri eorum commentum, qui volunt in ipso nr. 6. can. 6. abrogatas esse consuetudines generales de quibus Codex simpliciter sileat, quasi legislator benignius egerit erga consuetudines

vigentes *contra* canones (cf. can. 5 coll. cum can. 30.), quam erga consuetudines secundum aut praeter legem ». Tali modo e.gr. in Hungaria usque 1950 viguit *tempore* « *clauso* » prohibitio chorearum publicarum, nuptialium sollemnitatum cum musica. Consuetudo alia praeter legem est, sed obligatoria in regionibus Germaniae, Austriae, Poloniae, Cechoslowaciae, Hungariae a Feria VI. in Passione et morte Domini usque ad Sabbatum sanctum *sepulchri Dominici locatio* et celebratio « *resurrectionis* » propter antiquissimam consuetudinem; ponendi in altari *tres* tabulas, non unicam Canonis. Talis consuetudo praeter legem est adhuc: pulsandi *campanulam* crebrius in Missa quam praescriptum est (v.gr. in Germania et Hungaria etiam ad offertorium et ad communionem, in Polonia et Francia ad finem Canonis ad doxologiam); *incensandi* in Vesperis non solum reliquias, sed etiam imagines Sanctorum iuxta altare collocatas (Rit. Congr. decr. 4044.); in matrimonii celebratione consuetudo Hungarica praestandi apud altare *iuramentum* fidelitatis, quapropter nuptiae hungarice simpliciter « iuramentum » vocantur (cf. can. 1100: « in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti »). Aliquas harum consuetudinem praeter legem, quando interrogata fuit Congr. Rituum, *declaravit* esse *servandas*, quia sint antiquae, sic e.gr. adhibendi *cochlear* ad infundendam aquam (decr. 3064.); item « servetur cuiuscumque loci consuetudo », num ad *Sanctus* subdiaconus ascendat ad altare vel non (decr. 2682, nr. 30.); licitum est servare praxim contrariam Caeremoniali Episcoporum, ut diaconus *ostensorium* celebranti tradere vel accipere queat utroque stante (decr. 3975 nr. 4.).

3° *Consuetudines contra legem* **a.** possunt esse *expresse reprobatae*, hae « tamquam iuris corruptelae corrigantur, licet sint immemoriales, neve sinantur in posterum reviviscere » (can. 5.). Tales sunt e.gr. praescriptiones de vestibus choralibus canonicorum (can. 409.2.), consuetudo contra ordinationum tempora (can. 1006. § 5.), fontis baptismalis consecratio (can. 774. § 1.), observatio rubricarum in celebratione Missae (can. 818.), et alia.

b. Consuetudines contra legem possunt esse *tolerandae*, si *non* sint *expresse reprobatae*. Can. 5: « Aliae (consuetudines) quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse. » Tales consuetudines sunt: quod Missam celebraturus non se vestit superpelliceo, si commode haberi possit (Ritus cel. I, 2.); quod iis qui communionem receperunt, non datur vinum « ad purificationem » (Ritus celebrandi X, 6 et 9.); quod baldachinum non exstruitur super altare (Decr. 1966. et 2912.); quod Episcopo celebranti non osculatur manus vel annulus, si communionem distribuat (Caerem. Episc. lib. II. cap. 29. nr. 5.).

Litteratura.

D. Bouix, Tractatus de iure liturgico, ed. 3. Paris 1873. — *Ph. Oppenheim*, Tractatus de iure liturgico, vol. I-III. Taurini 1939-1941. — *L. Eisenhofer*, Handbuch der katholischen Liturgik, 2. ed. Freiburg i.Br.I. 1941, 44-52. — *M. Righetti*, Manuale di storia liturgica, I. Genova 1945, 23-35 (Il diritto liturgico. — *M. Michaud*, Droit liturgique et ministère pastoral, *in*: Année canonique 1952, 77-86. — *M. Noirot*, La « rationabilitas » des usages contraires aux lois liturgiques depuis la promulgation du Code de droit canonique, *ibid.* 1952, 129-140. — *Les initiations liturgiques*, *in*: Documentation catholique 1954, 821-826, et etiam: De inceptis liturgicis, *in*: Ephem. Liturg. 1954, 258-261.

II. Tractatus secundus.

Stilistica sacralis
seu
de ritibus et caeremoniis in genere.

Status quaestionis. *Stilus est ratio seu modus peragendi aliquid.* Sic loquimur de stilo exercitationum corporalium (« lo stilo dello sport »), de litteraturae generibus (stilus epicus, lyricus, dramaticus), de stilo cogitationis (speculativus, positivus), architecturae (stilus romanus, gothicus), musicae et sic porro.

Stilus sacralis, seu liturgicus est modus *peragendi cultum publicum Ecclesiae.* Investigandum ergo est nobis in modum peragendi singulas actiones sacrales, dein in modum quo utitur lingua sacrali vel vulgari, item in modum componendi formulas cultuales, demum in modum utendi rebus sacris, denique complectendus est, qualis stilus vigeat in diversis ritibus. Agendum ideo est:

A) De signis sacris,
B) De lingua sacrali,
C) De formulis sacris,
D) De rebus sacris,
E) De stilis liturgicis.

Modus quo omnia haec peraguntur, id est stilus, nil aliud est, ac ritus et caeremoniae. Fundamenti instar ergo primum statuimus thesim dogmaticam:

THESIS. Sacri ritus et caeremoniae non sunt irritabula impietatis, sed officia pietatis. De fide.

a) **Vox Ecclesiae.**

Tridentinum sess. XXII. can. 7: « S.q.d., caeremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis: anathema sit. » — *Sess. VII. can. 13* (de sacramentis in genere): « S.q.d., receptos et approbatos Ecclesiae cath. ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse: anathema sit. »

b) Adversarii

rituum et caeremoniarum 1° iam aevo antiquo inveniuntur *Eunomiani*, quorum assecla quidam acriter impugnabatur a S. Hieronymo anno 406, nomine *Vigilantius*. Hic « martyrum negat sepulchra veneranda, damnandas dicit esse vigilias, nunquam nisi in Pascha alleluja cantandum » esse dicit (Adv. Vigilantium, P.L. 23, 355.); dein verbotenus allegat adversarium suum: « Prope ritum gentilium videmus sub praetextu religionis introductum in Ecclesiis, sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi » (ib. col. 357.).

2° Saeculo XII. *Waldenses* omnes sacros ritus respuentes, inter alia profiteri debebant in professione fidei eis praescripta: « Ordines vero ecclesiasticos et omne, quod in sancta Ecclesia Romana sancitum legitur aut canitur, humiliter collaudamus et fidelitur veneramur » (anno 1208. 18. Dec. ab Innocentio III., Denz. 426.). « Ordo » hic intelligi debet eo sensu quo illo tempore sumebatur, nempe rubrica ordinans ritus sacros. — Saeculo XVI-XV. *Wicleff et Hussitae* interrogandi erant, utrum credant, « quod deliberato animo contemnens *ritum* Ecclesiae, *caeremonias* exorcismi et catechismi, aquae baptismatis consecratae, peccet mortaliter » (Bulla Concilii Constantiensis « Inter cunctas » 22. Febr. 1418, Denz. 665.).

3° *Novatores* dein saeculi XVI. uno ore blasphemabant ritus Ecclesiae. *Lutherus* cultum « papisticum » damnandum esse asserebat: « Darumb sind die bepstlichen Gottis dienste so verdamlich, das sie gesetze, werck und verdienst draus gemacht » (Deutsche Messe, H. A. Daniel, Codex Liturgicus Ecclesiae Lutheranae, Lipsiae 1848, 99.). Ritus « *humana inventa* » dicens affirmavit, ritum i.e. « Missas et communionem panis et vini », « pessimis additamentis viciatum esse, ita ut praeter nomen ad nostra saecula nihil de missa et communione pervenerit », item damnat « Missas pro defunctis, pro itineribus, pro opibus... additamenta externa, vestium, vasorum, cereorum, pallarum, deinde organorum et totius musicae et imaginum » (Formula missae et communionis pro ecclesia Vuittembergensi 1523, Daniel l.c. 81 s.). Anno 1592 *Agenda ecclesiae Bremensis* iam directe accusat Papam ritibus suis mala fide obtenebrare voluisse effectum Sacramentorum: « Der Papst hat solches nur darumb gethan, damit die Geheimnussen und rechte Nutz des Sacraments aus den Augen gesetzt, und seine erdichte (!) Irrthumb und Abgötterei gesterckt... werde » (Bremer Kirchenordnung Daniel, Codex lit. Eccl. reformatae, 1851, 3 p.). — *De « reformatis »* in genere ipse protestans *H. A. Daniel* fatetur secundum asseclas huius « reformationis » saec. XVI-o omnia, quae Romana ecclesia in coetibus sacris peragit, idololatriam sapere Antichristi, omnem religionem « pontificiorum » (catholicorum) contineri cultu Molochi et Baalis delicato et molli (Daniel o. cit. p. 3.). In specie *Ulricus Zwinglius*, reformator Helvetiae, sic opinatur de ritibus: « Credo caerimonias, quae neque per superstitionem fidei, neque verbo Dei contrariae sunt, quamquam huiusmodi nescio, an quae inveniantur, per charitatem *tolerari* posse. Sed simul credo, cum citra magnam offensionem fieri potest, caerimonias *abolendas* esse » (Ratio fidei, Daniel 5.). Ratio clara est, nam « pius homo, caerimonias et omnia externa, quae ad poenam peccatorum et ad tempus dumtaxat lata sunt, lusus quosdam pueriles dicit » (Explanatio articul., Daniel p. 7.). — *Jo. Calvinus*, novatorum antesignanus Galliarum, edixit: « Sufficiunt itaque piis pauci, moderati, simplices nec alieni a Dei verbo ritus » (Confess. Helvet., Daniel, p. 6.). Qui autem de facto reman-

serunt, videri potest ibidem: « Cultus sacros sic peragendos esse censemus, ut ante omnia verbum Dei in publicum plebi quotidie proponatur, Scripturae abdita per idoneos ministros quotidie eruantur edisseranturque, precationi pro omnibus omnium necessitatibus assidue instetur » (loco cit. p. 9.). — *Sequelas* plangendas huius opinionis sinistrae historia ecclesiastica prae oculis ponit: paucorum annorum spatio liturgia catholica in Gallia, Helvetia, Scotia, Belgico radicitus deleta est, et reiteratae sunt iconoclasiae saeculi VIII-i.

4° *Rationalistae* saeculi XVIII-i, *Febroniani et Josephinistae* nuncupati, etiam sat hostili animo erant versus cultum catholicum, quem purificare caeremoniasque in minimum redigere satagerunt. Horum conatuum vestigia inveniri possunt praesertim in damnatione synodi *Pistoriensis*: Temeraria, iniuriosa, favens haereticorum conviciis est nisus revocandi liturgiam « *ad maiorem* rituum *simplicitatem*... quasi vigens ordo liturgiae ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet » (Bulla « Auctorem fidei » 28. Aug. 1794. prop. 33., Denz. 1533.).

c) **Probatio e S. Scriptura.**

1° **Vetus Testamentum** varios ritus et caeremonias ordinavit. Sic e.gr.: « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Facies et labrum aeneum cum basi sua ad lavandum » (Ex. 30, 17-21.), in quo debebant Aaron et filii eius, dein pontifices et sacerdotes rituales lavationes peragere. *Atqui* haec omnia sunt signa externa internae pietatis et a Deo directe ordinata pro Veteri Testamento, sunt ergo officia et quidem pietatis. Similia dicenda sunt de thymiamate (Ex. 30, 34-38), de expansione manuum (Ps. 140, 2.), de impositione manuum (Gen. 48, 15, Eccli. 50, 22.) et multis aliis.

2° **Novum Testamentum** primo in quatuor Evangeliis clare ostendit, quae sit vera ratio evangelica utendi ritibus et caeremoniis, Christus Dominus etenim *saepissime utebatur signis* exterioribus, quae per se necessarii non erant et tantum exempli instar adhibebantur. *Leprosum* venientem eumque adorantem curavit extendens manum ac tangens eum dixit: Volo. Mundare! (Mt 8, 3.). Duorum *caecorum* oculos tetigit et oculi eorum aperti sunt (Mt 9, 29.). Caeco a nativitate fecit lutum ex sputo et linivit lutum super oculos eius (Jo 9, 6.), surdo et muto misit digitos suos in auriculas eius et exspuens tetigit linguam eius et suspiciens in caelum ingemuit et ait illi: Ephpheta, quod est adaperire! (Mc 7, 33.), qui ritus a Christo usitatus in plerisque liturgiis ab antiquissimis temporibus in usu est. Pueris et adultis *benedicens*, singulorum capitibus manus imponit (Mc 10,16, Lc 18,15.); turbae hominum benedicens, hoc fecit « elevatis manibus » super illos (Lc 24, 50.). Ante panum multiplicationem, ante suscitationem Lazari, *elevatis sursum oculis* gratias egit (Jo 11, 41.). In horto Olivarum « *positis genibus* » fecit orationem (Lc 22, 41.), deinde super duram petram « *procidit in faciem suam* » (Mt 26, 39.), precationem vero summi sacerdotis peregit « sublevatis oculis » (Jo 17, 1.) et verisimiliter stando, ut ipse hoc penes discipulos supponit (« dum statis ad orandum » Mc 11, 25.). — *Atqui* exempli instar sunt, quae Christus egit, signis externis utens et adorationem ut homo exhibens caelesti Patri. Ecclesia exemplum hoc theandricum sequens, officium persolvit pietatis erga divinum suum fundatorem, quando sic facit se coniungendo Patri, sicut Filius eius unigenitus.

3° Revera Novum Test. testatur, iam inde *ab Apostolis* exemplum Domini secutum fuisse. S. *Petrus* resuscitaturus Tabitham « ponens genua oravit » (Act. 9, 40.). S. *Paulus,* Mileto discessurus « positis genibus oravit cum omnibus » (Act. 20, 36.), quod etiam secus fecit (« Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini Nostri Jesu Christi » Eph. 3, 14.). Etiam pro *primis fidelibus* ordinavit signa sacra, v.gr. « Volo orare viros in omni loco, levantes puras manus » (1 Tim 2, 8.). — *Atqui* sancti apostoli non potuerunt uti signis, qui fuissent irritabula impietatis, sed erant manifeste signa *pietatis.* Ordinabant haec signa, e quibus aliqui temporum decursu in *desuetudinem* abierunt (« omnis mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum » 1 Cor 11, 5.), quod probe ostendit, ordinationem hanc a voluntate Ecclesiae dependere, est ergo *officium* pietatis.

d) **S. Traditio**

quoque probat thesim nostram, nam Ecclesia antiqua iam inde a primordiis suis adhibuit ritus et caeremonias, ut documenta primaevae liturgiae testantur. 1° Patres autem etiam *rationes afferunt et defendunt* hos ritus. Sic primus allegari potest *Tertullianus,* qui locum omnimode classicum nobis reliquit de permultis ritibus, tum quoad existentiam eorum tum quoad ius eos ponendi. Tertullianus loquitur *de corona militari et civica,* quas iuxta eius opinionem christiano portare non licet; adversariorum exceptioni autem, quod hoc vetitum non invenitur in S. Scriptura, eo respondet, quod existunt quaedam *observationes inveteratae,* quae ab omnibus christianis debent observari, etsi nulla Scripturae auctoritas eas commendet. « Hanc (sc. observationem) si nulla scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quae sine dubio de traditione manavit. » Dein enumerat illas observationes: « ...mos *renuntiare* diabolo et pompae et angelis eius, dehinc *ter* mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in evangelio determinavit. Inde suscepti, *lactis et mellis* concordiam praegustamus, exque ea die, *lavacro* quotidiano per totam hebdomadam *abstinemus. Eucharistiae* sacramentum *et* in tempore victus (sc. caenae, quando Dominus eam instituit) *et* omnibus (sc. temporibus) et antelucanis coetibus, nec de aliorum manibus quam praesidentium sumimus, oblationes pro defunctis, pro natalitiis (sc. martyrum) annua die facimus, *die dominico ieiunium nefas* ducimus, vel de *geniculis* adorare. Eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis nostri aliquid *decuti in terram* anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecumque nos conversatio exercet, *frontem crucis* signaculo terimus. Harum et aliarum disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix » (De corona c. 2., 3., 4., PL 2, 98-99.).

2° S. *Basilius Magnus,* loquens de ritibus (peri thêsmôn ekklesiastikôn), dicit eos minime posse reiici: « Nam si consuetudines quae scripto (sc. Scripturae Sacrae) proditae non sunt, aggrediamur reiicere, praedicationem ad nudum nomen contrahimus. » Dein vero *enumerat has* consuetudines non scriptas (agrapha tôn ethôn): « Verbi gratia, ut eius quod primum est et vulgatissimum, primo loco commemorem: ut signo crucis eos, qui spem collocant in Christo, signemus, quis scripto docuit? Ut ad orientem versi precemur, quae nos docuit

Scriptura? Invocationis verba, cum ostenditur (ta tês epiklêseôs rêmata epi tê epideixei) panis Eucharistiae, et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit?... Benedicimus autem *et* aquam baptismatis *et* oleum unctionis, imo ipsum etiam, qui baptismum accipit... Jam ter immergi unde haustum?... Nonne ex minime publicata et arcana hac doctrina, quam patres nostri silentio quieto et minime curioso servaverunt? » (De Spiritu Sancto 27, 66, PG 32, 188.).

3° S. *Hieronymus* respondens ad calumnias Vigilantii statim *ad usum Ecclesiae* provocat; rectae sunt hae observantiae, quia Ecclesia utitur: « Rides *de reliquiis martyrum* et cum auctore huius haereseos (!), Eunomio, ecclesiis Christi calumniam struis? ...Totius orbis errant episcopi, qui ingrediuntur basilicas mortuorum (sc. martyrum), in quibus pulvis vilissimus et favilla nescio quae iacet linteamine convoluta? » (Ad Vigilantium n. 8., PL 23, 362. Similiter in Ep. 109 ad Riparium PL 22, 907 s.). — Quod « crimen » seu accusationem attinet *vigiliarum*, tacite supponit, vigiliam paschalem ab omni Ecclesia servatam esse, bona ergo debent esse etiam « vigiliae et pernoctationes in basilicis martyrum saepe celebrandae... quod enim semel fecisse bonum est, non potest malum esse, si frequentius fiat » (l.c. nr. 9., PL 23, 363.). Hoc argumentum quoque valet de cantico *Alleluja*. — Criminationi propter *usum cereorum* sic respondet: « Quicunque accendunt cereos (sc. in honorem martyrum), secundum fidem suam habent mercedem... Et absque martyrum reliquiis *per totas Orientis* ecclesias, quando legendum est evangelium, accenduntur luminaria, iam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum *laetitiae* demonstrandum » (ib.). Caeremonia cereorum ergo non potest condemnari, nam ecclesia orientalis hoc facit, et usus ecclesiae, etiam particularis, omni exceptione maior est.

4°. S. *Caesarius Arelatensis* clare indicat, ritibus obediendum esse bonis christianis. Loquitur enim de acclamatione diaconi: Flectamus genua! et sic pergit: « Iustum est, ut a vobis fideliter impleatur. Sit ergo vox illa obedientibus in remedium, quia inobedientibus erit in testimonium, propter illud, quod scriptum est: Maledictus, qui facit opus Dei negligenter » (Ps. Aug. Sermo 286, 1., PL 39, 2285.).

e) **Rationes theologicas**

ad thesim nostram corroborandam et illustrandam desumimus e Conc. Tridentino (sess. XXII. cap. 5.).

1° *Natura hominum non facile potest « sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli »*. S. *Thomas* (II-II q. 81. t. 7.) rationem declarat, dicens: « Mens humana indiget, ad hoc quod coniungatur Deo sensibilium manuductione... Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut ex eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo coniungitur. » Haec « aliqua corporalia », i.e., signa sensibilia, sunt sec. Tridentinum « *adminicula* » et quidem *ad instructionem nostram*. Mater nostra optima, Ecclesia probe scit, naturam humanam e corpore animaque constitutam hoc cognoscere in intellectu, quod prius fuerat in sensu. Ecclesia ergo per ritus et caeremonias nos instruit, v.gr. mysterium redemptionis et victoriam Domini per magnificam processionem palmarum et adorationem

crucis Feria VI. in Passione et Morte Domini. *Colores* liturgici — praesertim, si etiam vestes ministrorum, antipendii et conopaei coloribus fulgeant — subito excitant affectus congruentes tempori liturgico, ut festivus ornatus albi vel rubei coloris. — Ritus et caeremoniae dein sunt adminicula quibus *seipsum excitat homo* ad orandum ferventius, ut pulcherrime hoc iam S. *Augustinus* exposuit: « Orantes de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, et si quid aliud visibiliter faciunt, quamvis eorum invisibilis voluntas et cordis intentio *Deo nota sit,* nec Ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus. Sed his *magis seipsum* excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius... iisdem rursus *exterius visibiliter factis,* ille *interior* invisibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent ista, (sc. signa sacra enumerata) praecessit, quia facta sunt, crescit » (De cura pro mortuis gerenda c. 5.).

2° Per ritus et caeremonias « *maiestas tanti sacrificii commendatur* », similiter autem et administrationis Sacramentorum. Sic e.gr. altare maius in gradibus stans elevato loco, lege artis ornatum, candelabris, floribus, cruce et tabernaculo paratum statim maiestatem sacrificii Crucis in memoriam revocat et ostendit, missam esse, sicut altare, centrum totius cultus. Idem praedicatur reverentiis altari exhibitis, thurificatione altaris, osculis infixis etc.

3° Omnia haec « *visibilia religionis et pietatis signa* » sunt. Sic v.gr. pietatem erga ecclesiasticam *hierarchiam* inculcant caeremoniae Missae pontificalis, cathedra nempe episcopi elevata, ornamenta pontificalia, mithra et baculus, tota assistentia ei reverentias continuo exhibens. Pietatem erga *Christum* exprimunt caeremoniae cantum Evangelii circumdantes: petitio benedictionis, sollemnis portatio, incensatio et osculatio libri Evangeliorum, qui verba sanctissima Christi continet. Magis adhuc exhibetur adoratio erga Christum realiter praesentem in Eucharistia ritu expositionis Sanctissimi et Missae coram Sanctissimo Sacramento. De toto cultu valet, quod S. *Thomas* de Missa dicit: « Ea, quae sacerdos in Missa facit, non sunt ridiculae gestationes, fiunt enim ad aliquid repraesentandum » (III q. 83. a. 5. ad 5.).

4° Ritus et caeremoniae sec. Tridentinum « *ad rerum altissimarum contemplationem* » perducunt (cf. de hac re Oppenheim, Principia liturgica p. 152-160.). Primario quidem per pulcherrimos textus, in quibus mater Ecclesia praeter Scripturam sacram optime nobis exponit res altissimas, id est « *magnalia Dei* ». Sic docemur de creatione et providentia Dei, de opere renovationis et sanctificationis, ut quae sursum sunt quaeramus et « ipsi quoque mente in caelestibus habitemus » (collecta Ascensionis) .Etiam dignitas humanae conditionis, inculcatur, filii Dei enim vocantur populus aeternae redemptionis, cives sanctorum et domestici Dei, membra Christi, et corporibus sive adhuc in terra degentibus sive iam mortalitate exutis exhibentur honores, salutationes, incensationes, aspersiones, unctiones etc.

5° Rerum altissimarum contemplatio potest esse ab Ecclesia intenta: tunc habetur *symbolismus liturgicus,* qui potest esse *moralis,* si veritas *ad mores* pertinens exprimitur, e.gr. ablutio digitorum animae puritatem significans — et potest esse *mysticus,* si veritatem *ad fidem* pertinens significat, e.gr. aqua vino admixta significat coniunctionem humanae naturae cum divina. Intentio

Ecclesiae e textibus comitantibus erui potest, vel e historia, vel demum ex interpretatione Ecclesiae. — Si haec desint, haberi potest *symbolismus privatus*, i.e. veritatis contemplatio, quae vera quidem est, sed non ex intentione Ecclesiae significatur. Sic S. *Thomas* (et alii auctores) nimio symbolismo interpretabantur Missam, quando e.gr. dicitur « per calicem duo posse significari: *uno modo* passionem ipsam Christi, quae repraesentatur in hoc sacramento, et secundum hoc per partem in calicem missam significantur illi, qui adhuc sunt participes passionum Christi, — *alio modo* potest significari fruitio beata quae etiam in hoc sacramento praefiguratur, et ideo illi, quorum corpora sunt iam in plena beatitudine, significantur per partem in calicem missam » (III q. 83. a. 5 ad 9.). Symbolismus privatus est, per multos auctores prolatus, si in Missa sive totam vitam Christi repraesentatam vident; talis habetur in multis interpretationibus missae mediaevalibus, sive passionem Christi per singulas partes Missae. Contemplatio haec recta est in se et valde utilis, sed symbolismus eius non invenitur in caerimoniis Missae sec. intentionem Ecclesiae.

Corollarium. Quia sacri ritus et caeremoniae sunt opera pietatis ab Ecclesia praescripta, iis uti debemus accurate, reverenter, devote et decore (M. Gatterer, Praxis celebrandi, Oeniponte 1926, 7-12.).

1° Leges rituales *accurate* debent observari, tum positive, tum negative. *Positive*, i.e. omnia praescripta adamussim, sed non scrupulose implenda sunt. Adamussim, ergo etiam leges directivas observando, non scrupulose, nam si quaedam lex sub levi tantum obligaret, ut e.g. color missae, levior causa sufficit ad excusationem, v.gr. primitiae neomystae, si coloris debiti paramenta ornatiora non adessent. Monendum, quod *ipsae leges* obligant liturgicae, *non* autem privatae *opiniones* rubricistarum, e.gr. si quidam triplicem capitis inclinationem distinguant. — *Negative* sit observatio accurata, inquantum abstinet a novis ritibus inducendis, ab usu nondum concesso linguae vulgaris, a repristinationibus antiquorum rituum non permissis, a devotionis privatae ostentatione in functionibus sacris citra rubricas, e.gr. diuturna genuflexione, vel genuflexione cum inclinatione capitis, etc.

2° *Reverenter* debent peragi ritus, tum externe, tum interne. *Interna* reverentia consistit in spiritu fidei, quo ductus celebrans sibi conscius est se in praesentia Dei et angelorum vices Christi agere. *Externa* reverentia fructus est internae. Non sufficit in liturgia, utpote cultu publico, interna reverentia, quae ideo etiam externe exprimi debet. Primario reverentia externe manifestata Ssmo Sacramento praestanda est, ne quotidiano usu tractationis Eucharistiae animi affectus vilescat.

3° *Devotio* apud functiones sacras potest esse *habitualis*, sc. propensio voluntatis ad Deum colendum, animus libenter commorandi in his, quae caelestis Patris sunt. *Actualis* devotio quae adest et reflexe advertitur, *praeparatione* suscitatur ante functiones liturgicas; inde « praeparatio missae » officialis, quae surrogari potest alia privata, v.gr. meditatione, et alia, etsi brevis, ante administrationem Sacramentorum. Ad actualem devotionem requiritur *collectio animi*, inde praescriptum Ecclesiae, ut minister oculis demissis incedat seque vertat versus populum. Ut devotio populi servetur, caveri debet tum nimia protractio functionis, intervalla illicite servata, tum festinatio irreverens, quae scandalum generat penes populum.

4° Leges rituales *decore, i.e. pulchre* observandae sunt. Rubricarum executio potest esse accurata et tamen carens pulchritudine, si modo « militari » perageretur. Ad pulchritudinem requiritur *elegantia* decens sacerdoti, sed non effeminata et exquisita. Praesertim vitanda est rusticitas in vacillanter gradiendo, sedendo neglegenter, in pronuntiando textus sacros (e.gr. « Schpiritus), in cantando etc. Dein necesse est observare *tranquillitatem*, sacerdos non sit nervosus, nimis festinans, titubans ad altare, mox uni, mox alteri pedi innitens, caput vel corpus agitans in extersione calicis etc. Si plures peragant eandem functionem, omnes eam *harmonice* et simultanee faciant: genuflexiones, inclinationes; simul surgant, sedeant, procedant, recitent vel canant. Respiciendus est *populus*: omnia commode videre debet e functionibus sacris, ideo, si altare maius non esset satis elevatum: nec cantores, nec alii assistentes se sistant in medio presbyterii, quia tunc populus nihil videret. *Epikia* quoque recte observanda est: si quis non potest facere genuflexionem totam, inclinet se potius profunde, quam genua obiter tantum flecteret.

A) De signis sacris.

Definitio. Signa sacra sunt singulae actiones cultus publici ab Ecclesia legitime ad aliquid significandum ordinatae, a signis in vita communi usitatis paulo differentes.

Divisio. Signa sacra distinguere possumus secundum agentem instrumentalem in signa *per manus* peracta, et sic loquimur de manibus benedicentibus, expansis, iunctis, in pugnum strictis, demum de gestibus manuum praeterliturgicis. — Dein agimus *de habitudine* corporis signa sacra peragentis: quomodo stemus, genua flectamus, prosternamur, nosmetipsos inclinemus. — Demum tractamus *de aspectu oculorum*: quomodo aspiciamus in caelum, versus Orientem, versus ceteras regiones caeli.

I. De signis per manus peractis.

1. Manus benedicentes.

a) Impositio manuum.

1° Vetustissima benedictio est penes christianos, manuum impositio. Illius de quo ad Deum aliquid boni dicimus, *bene*-dicimus, capiti manus imponimus: manus enim sunt instrumentum hominis et ideo secundum symbolicam universalem manus significant activitatem humanam. Benedicendo aliquem nomine Dei eum coniungimus cum actione Dei, eum ponimus sub potestate et tutela Dei, impertiri ei volumus virtutem divinam. Manuum impositio ideo tum in Vetere Testamento (e.gr. Lev. 9, 22.), tum in Novo usitatissima erat. Maiores nostri tali modo intellexerunt impositionem sicuti nos: « Manus extendimus, Domine et oramus, ut manus divina et viva extendatur in benedictionem super hunc populum! », dicitur in benedictione catechumenorum in Euchologio Serapionis (c. 4.). Infra benedictionem etiam verba quaedam recitata sunt, ut videri potest ex *Actis Thomae* (s. II.): « Veniat super vos gratia Domini Jesu in saecula. Amen. »

2° Manuum impositio *in liturgia* pluries occurrit: semel in *Missa,* ad orationem « Hanc igitur », benedictionem oblatorum significans, quod immediate post hanc orationem ad « Quam oblationem » alio modo, sc. signo crucis fit. Dein impositio manuum signum sacramentale est in *ordinatione* et in *confirmatione;* ut *Sacramentale* occurrit in extrema unctione, poenitentia (« dextera manu elevata versus poenitentem », quod inquantum possibile est fieri debet, nam locum tenet antiquae impositionis), in baptismo, demum in quibusdam benedictionibus personalibus: in benedictione infirmorum, puerorum et in benedictione sacerdotali post primitias litatas.

b) **Signatio cum Cruce**

est signum sacrum benedictionis a christianis inventa, post aevum apostolicum forsan, sed valde maturo tempore, nam *Tertullianus* iam usum latissimum cognoscit signi crucis (v. supra De corona c. 3.). *Significatio* prona est. Crux instrumentum fuit tam beatae passionis Christi redemptionem nobis afferentis, ergo delineatio Crucis in memoriam revocat nostram redemptionem, ideoque delineando signum Crucis exprimere volumus, nos velle participes fieri effectuum huius redemptionis.

1° *Signum minus* vidimus apud *Tertullianum* (« frontem signaculo crucis terere », *frons* vi synecdoches totum corpus, seu hominem significat). Sed. s. IV. iam vidimus usum signandi etiam *os*: « Ponens signaculum (tên sphragida) crucis in os eius, coepit loqui » (Vita Porphyrii episc. Gazensis, Dölger op. infra cit. p. 351.). Signatio *pectoris* sensum apotropaeicum habet: « Si animadvertas, cor tuum iratum iri, signaculi instar imprime crucem pectori tuo, recordare horum temporum (i.e. passionis Christi, cuius crux symbolum est) et memoria eorum iram decutit de anima tua, sicut pulverem » dicit *Chrysostomus.* (In Mt. 10, 2.). Liturgia utitur hoc signo in Completorio ad verba: « Converte nos Deus, salutaris noster », quod significat nos optare, quod in anima nostra boni affectus praevaleant. Initio officii ad verba « Domine labia mea aperies » os signatur, ut omnia verba ad laudem Dei dicenda munda et acceptabilia sint in conspectu Altissimi. — Haec *signacula unita* trinum signum Crucis constituunt, seu signum Crucis minus. Inde a saec. X. ad evangelium signamus frontem, os (labiis compressis) et pectus ad significandum nos velle mente credere, ore confiteri et corde recipere sanctum Evangelium. Haec signatio minor ita fit, ut manum dexteram tenemus ad nos conversam extensis pariter et iunctis digitis, pollice disiuncto, manum sinistram habentes infra pectus.

2° *Signum maius* Crucis, quod minus recte vocatur « Latinum », nam etiam orientales id in usu habent, est significatio totius corporis signo crucis, quod delineatur in quantum fit per totum corpus. Crucis signatio est benedictio nostri ipsius, totam vitam interiorem ponamus in hoc signum magnificum, quo sanctificare, in altum tollere volumus nosmetipsos, quia signum hoc signum Redemptionis est (Guardini). Fidem profitemur hoc signo in Redemptionem, in SS. Trinitatem, spem excitamus in nobis, signo causam meritoriam redemptionis nostrae repraesentante, caritatem exprimimus, qua libenter suscipimus Crucem nostram Christum sequentes. Signum quoque maius crucissignationis venerabili antiquitate splendet; usus eius iam commemoratur in *Actis Joannis* (s. II.): « Postquam seipsum totum obsignavit (sphragisamenos heauton holon) surrexit, dicens: Adsis mecum, Domine Jesu Christe, et tunc recubuit in sepul-

chrum suum » (Dölger, Sphragis, Paderborn 1911, 173.). Tali modo mortuus est apostolus Norici, S. *Severinus,* « totum corpus signo crucis extenta manu consignans » (Mon. Germ. Auctores antiquissimi I, 28.). — *Ritu latino* crucissignatio maior sic facienda est: Vertit ad se palmam manus dexterae omnibus digitis simul iunctis et extensis et sic a fronte ad pectus (inferius), dein a humero dextro ad sinistrum format signum Crucis (Rit. celebrandi III, 5.). « Signum maius multum pulchritudinis amittit, si non ab humero usque ad humerum formatur, sed negligenter in pectore solummodo fit » (M. Gatterer, Praxis celebrandi p. 32.). — *Ritu orientali,* qui tempore Innocentii III. adhuc Romae observabatur, fit signus maius, ut Pontifex dicit: « A superiori descendat in inferius et a dextra transeat ad sinistram » (De sacro altaris mysterio II, 45.).

c) **Vis et momentum crucissignationis est:**

1° *Fidei professio,* sic e.gr. sub Diocletiano martyr *Euplus* interrogatus, num permaneat in sua confessione, signaculum Christi faciens in fronte sua dixit: « Quae tunc dixi, et nunc ea confiteor! » (Th. Ruinart, Acta martyrum sincera, ed. 1859 Ratisbonae, p. 438.). Ad hanc professionem ideo iam a saec. VIII. *formulam invocationis Trinitatis* recitabant, ut videri potest ex Ordine S. Amandi, (sec. M. Andrieu, Les Ordines Romani du haut moyen âge III, Louvain 1951, Ordo XXX. B. n. 56, p. 473.). Professionis fidei catholicae praesertim inde ab aevo Novatorum signum crucis evasit, nam expungebant e cultu crucissignationem, nescientes antiquitatem et momentum huius consuetudinis. Lutherus adhuc in Catechismo suo consilium dedit: « So du aus dem Bette fährst, sollst du dich segnen mit dem heiligen Kreuz ».

2° *Ante et post orationem* crucissignatio est instar praeparationis et gratiarum actionis. Crucis signum est praeparatio brevis, sed efficax, quia ad Mediatorem Dei et hominum remittit, per quem et in cuius nomine omnia a Deo petere debemus. Post orationem nos signamus, ut oratio per Eum claudatur et ut gratias agamus per Christum.

3° *Tempore tentationis* crucissignatione ostenditur diabolo crux Christi: « Ecce crux Domini, fugite partes adversae! » *Nicetas* a Remesiana († c. 414.) commendavit catechumeno, ut « antequam dormiat, cum de somno surrexit » recitet Credo et simul signet se « signaculo Crucis, quo se contra diabolum munitat » (Dölger, Sol salutis 110.). Ideo Credo recitandum fuit ad Primam et ad Completorium usque ad 1956 (Decr. 23. mart. 1955.).

4° *Tempore periculoso,* e.gr. tempestate, bellico furore etiam utendum signo Crucis vetusti moris est, ut e *Prudentio* compertum est: « Cruce fronti inscripta cecinere tubae » (Contra Symmachum II, 712.). S. Joannes *Chrysostomus* commendat matribus, ne ullum medium superstitiosum adhibeant filiolos sanandi causa: « Fidelis es, signa te signo Crucis et dic: hoc telum meum unicum, hoc medicamentum unicum, quod possideo » (Hom. in Col. 8, 5.).

5° *Usus Crucis ad inchoationem* alicuius operis, ad seminationem, messim, porro ad itinera incipiendum, ad panem incidendum etiam pervetus est, ut e.gr. de inchoanda satione *Maximus Taurinensis* testatur: « Bonus agricola, cum parat terrae solum vertere et vitae alimenta perquirere, nonnisi per signum Crucis id facere conatur » (Hom. 50. PL 57, 342.).

6° *Res, vel animalia* quoque benedicuntur signo Crucis, ut Deus plenitudinis suae vitae nos participes efficiat, obiectaque benedicta in nostram utilitatem convertat, ne noceant, vel ut permaneant. Sic habetur benedictio mensae, alimentorum in et extra pascha, benedictio uvae, herbarum, pomorum, vini, benedictio animalium, imo in Britannia minore (Bretagne) benedictio maris, in Tyrolia et Helvetia benedictio stabuli et animalium (« Almsegen »). De antiquitate huius usus testis est Trialogus inter 385-399 conscriptus a *Severo* rhetore, ubi tempore pestilentiae boum et hominum, ceterarumque pecudum interrogatus christianus, cur pestis pecudum penes eum nulla erat, sic respondet: « Signum quod perhibent, esse Crucis Dei, | Magnis qui colitur solis in urbibus, |. Hoc signum mediis frontibus additum. Cunctarum pecudum certa salus fuit » (De virtute signi crucis Domini PL 19, 797-800.). — Secundum *ritum Romanum*, antequam aliquid benedicendum est, semper manus iungi debent ante pectus, ut ostendatur, benedictionem a Cruce Domini originem ducere (Rit. celebrandi VII, 5.), quod tunc tantum omittitur, si sinistra occupata sit.

7° Crucis signum adhibetur saepe etiam *in Missa. Ante consecrationem* pronum est signa haec esse benedictionis, quod etiam textus prodit: « ...uti accepta habeas et benedicas haec dona... » Ante doxologiam finalem Canonis benedictio « Per quem haec omnia semper bona creas... » non benedictionem Eucharistiae significat, sed oblatorum naturalium. Ubi signationes Crucis *post consecrationem* occurrunt, non benedictionem exprimunt super Eucharistiam, sed locum gestus demonstrativi tenent, ut S. Thomas optime animadvertit: « Sacerdos post consecrationem non utitur crucesignatione ad benedicendum et consecrandum, sed solum ad commemorandum virtutem crucis et modum passionis Christi » (III. q. 83. art. 5. ad 4.).

2. Manus expansae.

a) Manuum expansionem **universalem esse gestum orationis** iam Aristoteles intellexit: « Omnes homines expandimus manus ad caelum orationem facientes » (De mundo c. 6.). In hoc gestu symbolismus naturalis latitat: anima expanditur coram Deo, grates ei agere vult, laudes Creatoris concinit, veluti si dirigere vellet brachiorum nutibus carmen creaturae gloriam Dei resonantis. Expansio manuum etiam desiderium testatur patriae caelestis, sicut viator extendit manus suas e cacumine montis aspiciens patriam regionem, sicut parvuli expandunt brachiola matrem videntes. Levatio manuum haberi potest etiam signum humanum supplicationis desperatae, uti manus elevat homo devictus iacens in terrae pulvere.

b) Ideo revera **ubique gentium** inveniri potest in signum orationis manuum extensio. Aegyptii veteres sic orabant deos suos, manibus elevatis, extensis, palmis manuum protinus versis sic faciebant etiam Sumerii, Babylonii et Assyrii, ut videri potest in monumentis horum populorum. Pronum est, etiam populum electum hoc gestu orasse, ut dicitur Psalmo (140, 2.): « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum ». Antiqui Hellenes et Romani quoque sic orabant, fecerunt « pandere palmas ante deum (deorum) delubra » (Lucretius, Dölger, Sol salutis 59.), sed manibus magis extentis et palmis se invicem respicientibus, uti conspicitur in sculpturis archaicis. Christiani ergo per se patet, adhibuerunt etiam hunc gestum orationis, Novo Testamento hoc testante (v. superius). *Tertullianus* iam loquitur de hac re: « Non vero non attollimus tantum (sc.

manus), sed etiam expandimus e Dominica passione modulantes et orantes confitemur Christum » (De orat. c. 14, PL 1, 1273.). Aliam rationem affert dicens, christianum debere paratum esse ad omne supplicium ut ipse habitus orantis christiani ostendit, sc. manus in similitudinem Crucifixi expansae (Apol. c. 30., PL 1, 507.). Quod etiam *Minucius Felix* testatur: « Crucis signum est et cum homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur » (Octav. 29, 8.). Haec manuum expansio aevo antiquo ab omnibus fidelibus observabatur, tum tempore mysteriorum, tum in orationibus privatis, ut Augustinus et Chrysostomus testantur.

c) **Ritu occidentali** haec extensio manuum ita fiebat, sicut in monumentis Hellenicis et Romanis conspicitur: palmis invicem respicientibus, sic videntur in catacumbis depictae « orantium » figurae. Ritui hodierno communis est manuum extensio in partibus Missae e ritu Romano puro oriundis: ad orationes, praefationem, Canonem et Pater noster. — Manus secundum hodiernam praescriptionem sic extenduntur: « Extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul iunctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat » (Rit. cel. V, 1.). Haec extensio ergo pessime fit, si manus in altum porrigerentur, vel palmis ad altare versis, vel si nimis arcte fieret, manus quasi ante pectus abscondendo. A consecratione panis usque ad peractam ablutionem manus sic extenduntur, ut pollices et indices manuum iuncti tenentur (Rit. cel. VIII, 5.).

d) **Ritu orientali** manuum extensio fit more gentium antiqui orientis: orant enim aliquantum plus elatis manibus et palmis protinus ad altare versis. Hoc imitari, ut alicubi fiebat, nequit, morem nostrum occidentalem iam Tertullianus commendabat; dicens orandum non esse « manibus sublimius elevatis, sed temperate ac probe elatis » (De orat. c. 17.).

3. Manus iunctae.

Antiquum aevum christianum non novit orationem iunctis manibus, hic mos oriundus est e consuetudine Germanica, nam « more francico » vasallus praestavit iuramentum fidelitatis manus suas iungens et *inclusas habens* per manus domini sui, symbolo hoc intelligibili promittens, manus suas se nunquam sine voluntate « senioris » sui usurpare velle. Promissio oboedientiae usque hodie sic fit in ordinatione presbyteri. — Manuum iunctio *sine inclusione* in alterius manus aevo medio incipiente etiam in liturgiam assumpta saec. IX. iam Romae in usu fuit. Haec iunctio manuum est:

a) **Gestus subiectionis,**

uti videri potest e significatione originali, quo homo se totum in potestatem Dei dat. *Nicolaus I.* Bulgaris sic explanat sensum huius gestus, quando « iunctis manibus, digitis compressis, compositis palmis » orant occidentales, aeque ac si dicerent: « Domine, ne manus meas ligari praecipias, ut mittas in tenebras exteriores, quoniam ecce ego eas ligavi! » — Hodierno *ritu Romano* haec iunctio manuum habetur in omnibus partibus Missae, quae posteriores sunt tempore ritus puri Romani: ad offertorium, ad communionem, ad orationem ante altare (Stufengebet), deinde ad recitationem partium, quae a choro cantantur (cantus libri Kyrialis et Gradualis). Ad Evangelium ideo iunguntur

manus, ut exprimamus nos omni reverentia subiectionis suscipere verba sanctissima Redemptoris. Item semper manus iungendae sunt, nisi alius modus expresse praescribatur inter functiones liturgicas, in stando, eundo, genuflectendo. Rubrica sic praescribit iunctionem manuum: Iunguntur ante pectus, digitis extensis pariterque iunctis et oblique in altum erectis, pollice dextro super sinistrum in modum crucis posito (Rit. cel. III, 1.).

b) **Gestus deprecationis**

possunt esse manus iunctae, qua signum profanum apud fere omnes gentes. Ideo ritu Romano ad omnes benedictiones manus iunctae habentur, tum in omnibus functionibus sacris Ritualis, tum in benedictionibus in Missali contentis (utputa candelarum, cinerum, palmarum, aquae benedictae). Etiam in orationibus privatis sic orabant christiani, uti videri potest in permultis imaginibus depictis, et adhuc communiter in usu est in regionibus Europae centralis.

Aliquando *gestus fit compositum* praescribiturque ad invocationem et clausulam orationum liturgicarum in Missa. Hic gestus pulcherrimus fit ad invocationem orationis: « Extendens et iungens (manus) ante pectus caputque cruci inclinans, dicit Oremus » (Rit. cel. V, 1.); sensus symbolicus tunc plene evolvitur, si hae actiones — ut supponitur — *simultanee fiunt*, i.e. deprecationem capitis inclinatione exprimens simul dicit Oremus. — Similiter ad orationum clausulam (Per Dominum nostrum Jesum...) « Cum dicit, iungit manus easque iunctas tenet usque ad finem... Cum nominatur nomen Jesus, caput versus Crucem inclinat » (Rit. cel. V, 1. 2.), ergo evidenter simul fit iunctio manuum, inclinatio capitis et pronuntiatio nominis Jesu. Quo ritu exprimitur deprecatio ad Christum, ut Mediator sit precationis nostrae apud Deum.

c) **Gestus admirationis**

est iunctio manuum composita cum elevatione earum et inclinatione capitis, aliquoties etiam cum elevatione oculorum. Hic gestus semper tunc fit, quando Deus initio nominatur, et optime potest intelligi ut admiratio gaudiosa propter possessionem Dei. Manus extenduntur dein elevantur (linea rotunda, ut Gatterer dicit, Praxis celebr. p. 28.) usque ad humeros, quod in omni manuum elevatione observatur, et cum dicit « Deo » (« in unum Deum », « Memento Domine ») caput Cruci inclinat. (Rit. cel. IV, 3. ad Gloria in excelsis, VI, 3. ad Credo, VIII, 3. et IX, 2. ad Memento vivorum et mortuorum). — Alia variatio huius gestus est, quando *etiam oculi* elevantur « ad Deum », « ad Crucem », quod idem est, quia supponitur Crucem semper candelas superare, sic fit ergo: manus extenduntur, elevantur et iunguntur, oculi ad Deum elevantur et statim caput inclinatur ad verba: « Deo nostro » (praefationis « Gratias agamus Domino Deo nostro » Rit. Cel. VII, 8., profunda inclinatio apud « Te igitur » evidenter propter verba « clementissime Pater » Rit. cel. VIII, 1., ad Benedictionem: « Benedicat vos omnipotens Deus » Rit. cel. XII, 1.). — Ad orationem « Veni sanctificator omnipotens Deus » benedictionem dat « elevans oculos, manusque expandens, easque in altum porrectas statim iungens ante pectus,... dicit: Veni sanctificator etc. » (VII, 5.), hic caput non inclinatur.

4. Manus in pugnum compressae.

Pugnus est symbolum naturale certaminis, aggressionis, ideo activitas aliqua manibus in pugnum constrictis hoc vult exprimere. Unicus hostis hominis

redempti est civitas diaboli, i.e. peccatum, concupiscentia et diabolus. Inde manu in pugnum compressa:

a) **Pectus nostrum** tundimus **in signum paenitentiae,** quod iam 1° in Vetere Testamento in usu erat, nam tunsio pectoris synecdoches instar percussionem totius corporis vult significare, « ex corde enim exeunt malae cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae », ut Salvator dixit (Mt 15, 19.). Percussio haec suiipsius propter vitam depravatam est poenae genus ideoque signum verae poenitentiae, nam hoc facto — ut dicit *Caesarius Arelatensis* — imitamur « publicanum illum Dei misericordiam consecutum, qui in caelos oculos levare non audebat, sed inclinato in terram capite pectus tundebat, et peccata intus clausa quasi iudex severissimus verberabat » (Ps. Aug. Sermo 286, 1; PL 39, 2285.). — 2° Hic ritus fit in Confiteor ad verba: « Mea culpa », dein ad « Agnus Dei » ad verba: « peccata mundi », ad « Domine non sum dignus », ad confessionem, ad verba Iitaniarum « Peccatores, » ... « qui tollis peccata » (Rit. cel. III, 7., X, 2. et 4.). — 3° Rubricae tantum dicunt « ter pectus dextera manu percutit, sinistra infra pectus posita » (III, 7.), nisi in altari sit (X, 2.) reponenda, vel patenam teneat (X, 4.), sed evidenter supponitur manus in pugnum stricta: « manu dextra, digitis ad summitates iunctis, curandum est, ut non solum manus, sed etiam brachium dextrum in actione versus partem anteriorem moveatur » (Gatterer p. 30.).

b) Pectus tundi potest etiam in **signum excitationis,** hac tunsione significans Dominum ante portam stantem cordium et pulsantem nobisque dicentem: « Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum » (Apoc 3, 20.). Sic potest interpretari tunsio pectoris ad verba Angelus Domini: « Et verbum caro factum est », vel ad elevationem in Missa, ut fit in multis regionibus Germaniae.

5. Gestus manuum praeterliturgici.

a) **Manuum cancellatio,**

quando bracchia in pectore in modum Crucis ponuntur, hodie in ritu Romano praeterliturgica est. Habebatur medio aevo post consecrationem ad orationem « Supplices te rogamus », quod adhuc hodie in usu remansit apud Carthusianos. Gestus hic ex oriente oriundus, significat totalem oblationem suiipsius: omnia quod sumus et habemus, complectimur, comprehendimus, corpus et animam, voluntatem et intellectum, facultates opesque nostras et tradimus in servitium Domini. Hodie tantum liturgia monastica hunc gestum usurpat ad professionis cantum « Suscipe me secundum eloquium tuum et vivam ».

b) **Manuum absconsio**

gestus praeterliturgicus, sed facile intelligibilis est. Manuum enim usus nimius apud populos urbanitate cultivatos mos pravus (Unart) habetur; symbolismo biblico autem manus quasi rationem reddunt, responsabiles sunt propter peccata (Vigouroux, Dictionnaire de la Bible IV, 582). « Manibus meis adhaesit macula », (Job 31, 7.) « manus vestrae sanguine plenae sunt » (Is 1, 15.), « iniquitas quae est in manibus eorum » (Jon 3, 8.) similesque locutiones metaphoricae adhibentur, quia plurima peccata externa manibus committuntur. Medio aevo ergo ob profundam conscientiam peccatorum intelligi potest ab-

sconsio manuum, subtus scapulare, uti etiam hodie viget in ordinibus monasticis, in manicas apud mendicantes, alicubi, ut in Hungaria in manuleam superpellicei etc.

c) **Manus digitis insertae**

vetustissimum symbolum est apotropaeicum, i.e. malum avertens daemonii, contra quem « digitis inter se pectine iunctis » dimicabant, ut *Ovidius* dicit (Metamorph. IX, 299.). Aevo antiquo Ecclesiae in sarcophago Syracusano saec. V-i hic gestus conspicitur (Eisenhofer I, 268.), quem etiam Gregorius Magnus de sorore S. Benedicti, S. *Scholastica* narrat: « Insertas digitis manus super mensam posuit » (Dialog. II, 53.). — Significatio huius gestus apud christianos evidenter non est apotropaeica, sed optime exprimit collectionem animi. Si quis in seipsum revertitur, et toto corde unitur Deo, manus inserit ad orationem, profluvius affectuum non erumpit, manet in orante, qui unicus unico Deo coniungitur (Guardini). Nostra opinione manuum insertio ideo mansit semper gestus orationis privatae, quia praeprimis individualem pietatem redoleat.

II. De habitudine corporis signa sacra peragentis.

1. Stare ante Deum.

a) Vetustissimum signum profanum habetur, surgere et stare in conspectu personae venerandae. Stare ergo signum est **reverentiae**, sic statur ad psallendum, ad Missam, ad actus omnes cultuales, uti etiam fere omnes gentes ad sacrificium stabant, sicut et summus pontifex Veteris Legis erat « et ipse stans iuxta aram et circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in monte Libano » (Eccli 50, 13.). *Chrysostomus* dicit: « Sacerdos non sedet, sed stat, quod signum est actionis cultualis » (Hom. 18. in Hebr. nr. 1.). Stando offerebant etiam fideles antiqui oblationem et in orationibus quoque stabant diebus dominicis et tempore Pentecostes, i.e. inter Pascha et Pentecosten, uti iam e textu Tertulliani videmus (v. supra). Rationem aperit Ambrosius, dicens: « Quinquaginta dierum numero, sicut dominica solemus facere, erecti et feriati resurrectionem Domini celebramus » (Sermo 61. de Pentec.). Ideo etiam *hodierno ritu* antiphonae finales de Beata dicuntur stando, item Angelus Domini. — Per se etiam officium divinum *in choro* stando persolvendum est, tantum misericordia est Ecclesiae, extra lectiones sedere. Symbolice initio et fine uniuscuiusque horae standum est, ut significemus per se stare debere, nam « cum stamus ad orandum, cogitemus nos sub conspectu Dei stare » (Cyprian., De oratione dom. c. 4.).

b) Sed **non semper et omnino standum est** ad orationem, neque ad liturgicam, neque a fortiori ad privatam, ut bene declarat *Augustinus*: « Non est praescriptum, quomodo corpus constituatur ad orandum, dum animus Deo praesens peragat intentionem suam. Nam et stantes oramus... et fixis genibus... et sedentes, sicut ecce David (2 Reg 7, 18.)... etiam iacentes » (De div. quaest. ad Simplician. 2,4. PL 40, 144-5.). Ideo etiam aliae habitudines corporis usurpantur.

2. Genuflexio.

« Genu flectere sollicitae ac humillimae mentis indicium est », dixit Theophilus Alexandr. (Contra Origin. ep. pasch. 2.). Homo etenim secum reputans

Conditoris totius universi maiestatem, in cuius conspectu gentes sunt tantum, quasi « stilla situlae », cuius « thronus caelum, terra autem scabellum pedum eius », sentit contingentiae suae parvitatem et se symbolice minuit, staturam suam per genuflexionem abbreviando, ut *Marius Victorinus* dicit: « Non solum animo flectere debemus nos in preces, sed etiam corpore nulla parte altiores simus » (In Eph. 3, 14, PL 8, 1268.).

a) **Fixis genibus**

orare ergo 1° signum est humilis subiectionis et ideo, quia ex animo humili et paenitenti procedit, reconciliat Deum, qui maxime placatur per orationem, quae inter gemitus et lacrimas, inclinato corpore et flexis genibus fit. S. *Ambrosius* sic extollit vim orationis flexis genibus factae: « Flexibile genu, quo prae ceteris Domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia provocatur » (In hexaemeron 6, 9.). — 2° Flexis genibus standum est in choro tempore Quadragesimae infra orationes, et cantum tractus « Domine non secundum peccata », recitando preces feriales, litanias approbatas, psalmos poenitentiales et Ps. Miserere. Sanctissimum semper fixis genibus incensatur, sic dicuntur antiphonae finales de Beata, exceptis dominicis (a primis vesperis usque completorium dominicae et tempore paschali). Genuflectendum est aliquibus hymnis in officio, sic ad primam stropham « Veni Creator », « Ave maris stella », ad stropham « O crux ave, spes unica » hymni « Vexilla regis », ad « Incarnatus est » in Credo missae Nativitatis Domini et Annuntiationis, ad « Te ergo quaesumus » in cantu « Te Deum », in lectione Passionis Domini nuntio mortis eius etc.

b) **Genuflexio**

1° est curvatio genuum *ad reverentiam exhibendam,* usitatissima in antiquo oriente coram regibus (Vigouroux, Dict Bible III, 1, 192-3.). Sic curvabantur genua etiam ante Joseph Aegyptium (Gen. 41, 43.), ante prophetam Eliam (4 Reg 1, 13.), ante Aman (Esth 3, 2.), ante Dominum in passione sua (Mt 27, 29.). In ritibus orientalibus genuflexio nunquam usuvenit, in Occidente decursu saec. X. apud Cluniacenses triduo sacro ante Sanctissimum (P. Browe). — *Modus hodiernus* genuflexionis est: genu dexterum usque ad solum flectitur et sine mora levatur, cum gravitate, non obiter. Si plura verba recitanda sunt inter genuflexionem, lente facienda est. Genuflexio ante altare duplex potest esse: *in plano,* si acceditur vel receditur ab altari, fit ab omnibus, ministri insuper inferiores semper sic genuflectunt; *in gradu* genuflectunt ministri sacri infra functionem (Caer. ep. I, 18, 3.).

2° Genuflexio potest esse *signum latriae,* in Missa genuflectit celebrans antequam tangat Sanctissimum et postquam id deposuerit, tamquam veniam petens ob indignitatem suam. Ministri sacri infra functionem, ubi Sanctissimum *in altari exstat,* in utroque latere genuflectunt, quoties ab uno latere ad alterum transeunt. Sanctissimum in altari exstat tantum infra Missam a consecratione usque ad communionem, dein si expositum sit. Genuflectendum est, si transeamus *in conspectu* ciborii (tabernaculi), ubi Sanctissimum asservatur; non autem ianua clausa ante tabernaculum, e.gr. in ambulatorio.

3° Genuflexio potest esse *signum adorationis relativae,* sic ante crucem altaris maioris ab adoratione crucis Fer. VI. in Pass. et Mortis Domini usque ad initium Vigiliae paschalis; item omnes ministri, etiam sacri semper genu-

flectunt coram Cruce altaris maioris, accedentes, redeuntes vel transeuntes (Rit. cel. IV, 7; CRit decr. 1741; 3046; 3792,11; 4048,4; 4193).

4° *Signum honoris* est genuflexio ante pontificem loci, quoties transitur ante thronum, exceptis canonicis (Caer. ep. I, 18, 3.).

5° Genuflexio est aliquoties etiam *signum repraesentativum*, quando aliquid narratum illustratur seu ob oculos ponitur; sic ad verba: « et verbum caro factum est », « procidentes adoraverunt eum » (Epiphania), « ut in nomine Jesu omne genu flectatur ».

3. Prostratio.

a) In genua procumbere et caput usque ad terram demittere symbolum pervetus est **annihilationis suipsius** coram maiestate alicuius. 1° Sic conspiciuntur vasalli Salmanasar regis adorantes dominum suum; servi Aegyptiorum imaginibus repraesentati. Multoties etiam in Bibliis Veteris Testamenti legitur de tali prostratione, e.gr. vividissime depicta coram David: Abigail « cum vidisset David, festinavit, descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, et cecidit ad pedes eius » (1 Sam 25, 24.). In *Oriente* hellenistico coram regibus in deorum numero relatis exercebant prostrationem (proskynesis, a cane, qui terram lambens salutat dominum suum). *Romae* secundum Suetonium *Lucius Vitellius* primum prostrationem exhibebat Caligulae caesari, « capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens » (Dölger p. 58). — 2° Aevo antiquo a christianis solum in oratione privata usurpabatur prostratio; sic oravit Deum Alexander episcopus Constantinopolitanus, ne Arium recipere debeat, ante altare prostratus (cf. Sozomenus H.E.I., 37.). Romae iam saec. VI-o in usu erat prostratio ut videri potest ex Ordine Romano I. (Mabillon I, 11.).

b) **Prostratio totalis** facienda est in ritu Romano in signum honoris ante altare Fer. VI. Pass. et Mortis Domini; dein procumbunt consecrandi ad ordines maiores, profitendi vota sollemnia ritu monastico; abbas benedicendus inter Litanias omnium Sanctorum, quod faciendum erat usque 1951. etiam Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes. Secundum ritum novum Vigiliae paschalis instauratae hoc omittitur et « omnibus genuflectentibus et respondentibus » cantantur litaniae (Ordo Hebd. Sanctae Instaur. 1956, Sabb. S. n. 18.). — « Ut ritus aedificationi sit, non quasi dormituri sese prosternant, sed primo genuflectant utroque genu, dein reverenter procumbant, crura clausa extendant, brachia pectori supponant, caput manibus iunctis imponere possunt, sic magna cum reverentia et humilitate coram Deo orent » (Gatterer p. 36.).

c) **Prostratio simplex** est attenuatio prostrationis originalis totalis. Fit coram Sanctissimo exposito in accessu et recessu, ad functiones, dein quando in ecclesiam intratur. Expositioni aequipollet distributio S. Communionis et elevatio, item Fer. V. et VI. Hebdomadae Sanctae Sanctissimum in altari minore inclusum (Rit. cel. II, 1.). — Etiam haec prostratio debita decentia peragenda est, non simul procumbitur utroque genu, sed primum genu dextrum, dein sinistrum flectitur et fit « inclinatio mediocris, i.e. capitis et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda » (S. C. Rit. decr. 4179, 1.).

4. Inclinatio

a) est symbolum naturale **honoris** exhibiti: quando persona reverentiam exhibens inclinatione se minuit coram superiore submissionem suam hoc signo exprimens. Fideles sic salutabant clerum secundum Origenem, « ad ecclesiam veniant et inclinent caput suum sacerdotibus, officia exhibeant, servos Dei honorent » (In Jesu Nave hom. 10, 3.). Dein homo inclinari potest etiam ut verberetur: sic inclinatio etiam signum *poenitentiae* haberi potest. Hanc significationem obtinet inclinatio quando Confiteor recitatur, et ad invocationem: « Humiliate capita vestra Deo! »

b) **Primigenia inclinatio** est *profunda* inclinatio corporis a Graecibus vocata « metanoia mikra », i.e. parva poenitentia, quia « megale » (magna) nominatur prostratio. Profunda inclinatio praescripta est in ritu Romano ante Crucem altaris, intra Missam ad « Confiteor », « Munda cor meum », « Te igitur » et post consecrationem ad « Supplices te rogamus ». — Profunda fit corpus tantopere inclinando, ut si manus pendulae haberentur, possent genua tangere, quod revera non fit, manus enim iunguntur ante pectus; caput neque demittitur, neque elevatur.

c) **Inclinatio mediocris** per rubricas introducta consistit in « capitis et modica humerorum inclinatione » (C. Rit. d 4179.). Facienda est ad versiculos post « Confiteor », ad orationes: « Oramus te » et « In spiritu humilitatis », « Suscipe sancta Trinitas », ad tres orationes praeparatorias ante communionem, ad « Placeat » in fine Missae, deinde ad recitationem Sanctus, Agnus Dei et Domine non sum dignus.

d) **Inclinatio capitis** habetur quoties quoddam sacrum nomen occurrit. Caeremoniale Episcoporum duplicem distinguit: 1° Quum profertur nomen Jesus, *profundius* caput inclinatur (II, 8, 46.), etsi aliae rubricae de hoc sileant. Haec inclinatio fit versus Crucem, excepto ad lectionem Evangelii, ubi caput coram se inclinat (Rit. cel. VI, 2.). — 2° Inclinatio *simplex* habetur capitis ad nomina BMV, Papae ad nomina Sanctorum, « de quibus dicitur Missa vel fit commemoratio », etsi forte commemoratio per accidens omitteretur (Rit. cel. V, 2.); si in altari habeatur imago, simulacrum vel reliquia Sancti, tunc inclinatio versus eam debet fieri. Inclinatio capitis fit dein ad « Oremus », ad « Gloria Patri » et quoties a rubricis praescribitur. Facienda est etiam personis tum sacralibus, tum aliis, ut patrono alicuius ecclesiae iuxta consuetudinem. — Apud Graecos haec inclinatio capitis vocatur « proskynema »; inclinatio mediocris non usurpatur. — 3° Ad pulchritudinem et varietatem in functionibus confert, si inclinationes clare distinguuntur, quare plures species statuere, quam libri liturgici praescribunt, non convenit (Gatterer p. 39.).

III. De aspectu oculorum.

1. De aspectu oculorum in coelum.

a) Anima Deum inquirens sursum adspicit, versus caelum, secundum antiquissimam consuetudinem generis humani. 1° Homines Veteris Testamenti sic orabant: « Ad te levavi oculos meos qui habitas in caelis » (Ps 122, 1.), hoc faciebant etiam gentes, ut e.gr. in Aeneide legitur (II, 688.): Anchises « oculos

ad sidera laetus extulit et caelo palmas cum voce tetendit: Jupiter omnipotens... » Commune erat ad caelum respicere, in qua consuetudine *Tertullianus* testimonium conspicit animae naturaliter christianae: « Iudicem quoque contestantur illum: Deus videt, et Deo commendo, et Deus mihi reddet. O testimonium animae naturaliter christianae! Denique pronuntians haec non ad Capitolium, sed ad caelum respicit. Novit enim sedem Dei vivi... » (Apolog. 17, PL 1, 433.). Ideo ipse testatur christianos sui temporis sic orasse: « Illuc (sc. ad caelum) suspicientes christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore (i.e. orationis textum e libro suggerente), quia de pectore (i.e. memoriter, par coeur) oramus » (Apol. 30,, PL 1, 503. Tota habitudo haec optime interpretatur per Le Nourry PL 1, 1033-1036.). — 2° *Symbolismum* huius ritus sic exponit S. *Cyprianus*: « Rectum te Deus fecit, et cum cetera animalia prona et ad terram situ vergente depressa sint, tibi sublimis status et ad caelum atque ad Deum sursum vultus erectus est. Illuc intuere, illuc oculos tuos erige, in supernis Deum quaere! Ut carere inferis possis, ad alta et caelestia suspensum *pectus* adtolle! » (Liber ad Demetrianum 16, PL 4, 556.).

b) Oculorum elevatio potest esse 1° *obtutus* (Hinblick) tantum, quando oculi elevantur et statim demittuntur; « caput eatenus tantum levatur, quatenus ad pulchram actionem necesse est » (Gatterer p. 49.). Talis obtutus habetur cum gestu « admirationis » (v. supra), ad orationes « Munda cor », « Suscipe sancte Pater » (panis oblatio), « Suscipe sancta Trinitas », ad verba « elevatis oculis » in consecratione. — 2° Potest esse *aspectus fixus* oculorum, sic « *ad Deum* » i.e. ad Crucem altiori loco collocatam aspicitur oculis fixis in oblatione calicis; dein dona consecrata in altum porrecta conspiciuntur fixis oculis infra elevationem. Oculi *ad SS. Sacramentum* figuntur ad Memento defunctorum, intra Pater noster in Missis privatis, item dicendo tres orationes praeparatorias ante communionem. — 3° Oculis *in terram demissis* debet sacerdos procedere et recedere ad Missam et functiones, item sic debet se habere, si ad populum convertitur (Dominus vobiscum, Orate fratres, benedictio). In processionibus sacris « procedentes sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu mutuoque colloquio et vago oculorum aspectu » se habeant (Rit. Rom. X, 1. 3.).

2. De aspectu oculorum versus orientem.

a) Orationes fundere versus orientem, *non* est symbolum tam *naturaliter commune*, quam plurima alia symbola signis sacris inservientia. Orientem solem adorabant Persae et Mithracistae, dein asseclae solaris henotheismi inde a saec. III-IV. in Imperio Romano latissime divulgati (Cf. F. Cumont, Les religions orientales dans le paganisme romain, Bruxelles 1929, 125-150.). Cum hoc henotheismo debebat monotheismus verus christianorum pugnam ultimae dimicationis committere, nam etiam fideles alliciebat religio solis, uti cerni potest e sermone S. *Leonis Magni*, vituperantis suos fideles die Nativitatis Christi, quod e gradibus Basilicae S. Petri « converso corpore ad nascentem se solem reflectant et curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis terrarum inclinent » (Sermo 27. PL 54, 218.).

b) Christiani ergo 1° per se non orabant versus orientem. Fideles Veteris Testamenti adorabant versus Hierosolymam, « contra viam civitatis quam

elegisti, et contra domum, quam aedificavi nomini tuo » (3 Reg 8, 44.), ut etiam exemplum Danielis ostendit (Dan 6, 10). — 2° Morem hunc tamen traditione venerandum esse docemur, nam saec. II. exeunte iam immemoriabilis censetur. *Tertullianus* dicit: « Alii plane humanius solem christianum deum aestimant, quod innotuerit ad orientis partem nos facere precationem, vel die solis laetitiam curare » (Ad nationes 1, 13.). Eo fere tempore *Clemens Alexandrinus* testatur praxim Alexandrinam precandi versus orientem, loquens de precibus versus matutinum orientem » = pros ten heothinen anatolen, directis (Stromat. 7, 7. § 43, 6., 7.). Praxim Romae ex *Hippolyto Romano* cognoscimus, qui dicit Ecclesiam esse navim, cuius gubernator Christus est et rostrum, i.e. pars anterior, ergo etiam directio cursus navicularis, versus orientem directum est (De antichristo 59). Praxim syriacam *Didascalia Apostolorum* versus 220 testatur: « Orientem versus oportet vos orare, sicut et scitis scriptum esse: Date laudem Deo, qui adscendit super caelum caeli ad orientem » (II, 57. Quasten, Monumenta eucharistica et liturg. vetustiss. p. 35.). Vetustissimum vestigium circa 160-180 *in Actis Pauli*, scriptis in Asia minore, legitur, ubi Paulus dicitur sic orasse: « Se sistens orientem versus et elevans manus suas in caelum » (Martyrium Pauli 5., Dölger Sol salut. p. 137-8.). — 3° *Templa* tamen antiquissima versus occidentem sita aedificabantur, sic ecclesia Antiochiae Syriae (Socrates, H. E. 5, 22, quod res insolita ab eo habetur), Basilicae S. Petri, S. Joannis in Laterano, dum ecclesia Anastasis Hierosolymis « versus orientem solem spectabat » sec. Eusebium (Vita Constantini 3, 36. Vide Quasten p. 35 nota 1. dein Antike u. Christentum II, 41-56.).

c) Tamen — post aliquas haesitationes ob cultum solis paganum — precatio orientem versus, imo « orientatio » (Ostung) ecclesiarum et sepultorum in coemeteriis in usu remansit; defuncti iam in catacumbis S. Callisti sic sepeliebantur, dein toto medio aevo iuxta Durandum: « capite ad occidentem posito, pedes dirigat ad orientem, in quo quasi ipsa positione orat, et innuit, quod promptus est, ut de occasu festinet ad ortum, de mundo ad saeculum » (Rationale div. officior. VII, 35, 39.). Huius ritus, cuius totam historiam Dölger optime enarrat (Sol salutis p. 136-286.), *rationem S. Thomas* quinque argumentis brevissime reddit, quae omnia iam antiquitati christianae nota fuere (II-II q. 84. a. 3. ad 3.) (Semper textu Aquinatis incipiuntur sequentia):

« Dicendum quod secundum quandam decentiam adoramus versus orientem », nam. 1° « *quidem propter divinae maiestatis indicium*, quod nobis manifestatur in motu caeli, qui est ab oriente ». Revera sic enodabat hoc argumentum iam pulchre *Augustinus*, dicens: « Cum ad orationem stamus, ad orientem convertimur, unde caelum surgit: non tamquam ibi habitet Deus, quasi ceteras mundi partes deseruerit, qui ubique praesens est, non locorum spatiis sed maiestatis potentia, — sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est ad Deum, cum ipsum corpus eius, quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est ad corpus caeleste convertitur » (De serm. Domini in monte 2, 5, 18., PL 34, 1277.).

2° *Propter paradisum* in oriente constitutum, ut legitur Genes. 2. ... « quasi quaeramus ad paradisum redire ». — Locum aeternae beatitudinis secundum locutionem popularem ludaeorum « paradisi » amissi nomine consignabant, ut videtur in *Apocalypsi Henoch* (Dölger 226.), quam denominationem etiam *Dominus* adhibuit: « Hodie mecum eris in paradiso » (Lc 23, 43.). Christiani

ad orientem se convertentes, hoc « significant se patriam inquirere »; sic christianus quidam Aegyptius interrogatus tempore persecutionis unde esset oriundus, respondit Hierusalem sibi patriam esse, i.e. caelum. Cum nomen hoc inintelligibile erat iudici, civitas enim tunc Aelia vocabatur, martyr interrogatus, quaenam esset illa quam dicebat civitas, respondit: « Eorum dumtaxat, qui veri Dei cultores essent, hanc esse patriam. Neque enim aliis praeterquam istis huius civitatis ius competere, ipsam porro *ad Orientem* et iuxta ipsum exsurgentis solis cubile positam esse » (Eusebius, De martyribus Palestinae 36. Ruinart p. 367.).

3° « *Propter Christum qui est lux mundi* et Oriens nominatur (Zach. 6, 12) ». Ex oriente enim oritur lux, lux autem est symbolum Domini, ut Ipse affirmabat. Christianus autem orienti se vertens hoc actu symbolico exprimit, se non velle ambulare in tenebris, sed optare habere lumen vitae, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sic iam *Origenes* hanc ideam evolvit: « Quatuor sunt orbis partes, id est versus septentrionem, versus meridiem, versus occasum et orientem solis. Quis non ultro fateretur plagam orientalem sensibus obvio modo indicare, quod illuc conversi debeamus precari, symboli instar animam versus ortum veri luminis conspicere » (De oratione 32, GCS Origines II, 400.).

4° Ad orientem vertimus nos etiam propter Christum, « *qui ascendit super caelum caelorum ad orientem* » (Ps 67, 34.), ut S. Thomas dicit. Conversio ad orientem ergo in mentem nobis revocat ascensionem Domini, ut iam Didascalia intellexit (v. superius). Symbolismus maiorum nostrorum in oriente patriam aeternam conspiciens, quo iter nostrum dirigitur, etiam ascensionem Christi per hanc regionem orbis adsignificatam putabat. Conversi ergo ad orientem etiam Christi in caelos ascensi, i.e. Christi glorificati meminimus pollicentes nobis ad eius similitudinem futuram glorificationem.

5° Orientem versus adoramus, nam « et ab oriente etiam *expectatur venturus*, secundum illud Matthaei (24, 27.): « Sicut fulgur exit ab oriente et paret usque ad occidentem, ita erit et adventus filii hominis ». Novum symbolum oritur enim, si Christus symbolice imaginatur versus orientem in caelum ascendisse, ideo etiam ipse dixit fulgur exire ab oriente et sic fieri adventum eius. Memoria parusiae Domini solatur nos tempore passionis et persecutionis, brevis est passio, aeternum solamen. Ideo primi christiani tam fervide precabantur: Veni Domine Jesu! Maranatha!

3. Aspectus versus ceteras regiones caeli.

a) Aspicere versus septentrionem significat 1° regnum satanae visendum inspicere. Partes enim aquilonis naturaliter tenebras significant, regnum tenebrarum est regnum exclusorum a visione Dei, qui lux est et tenebrae in eo non sunt ullae. Ideo saec. IX.-o orta est consuetudo cantandi Evangelium versus septentrionem, non versum meridiem, sicut usque ad hoc tempus fieri solebat, et adhuc Micrologus s. XI. inculcabat (c. 9.). Tempore *Innocentii III.* iam communis erat mos cantandi Evangelium versus septentrionem e Gallia oriundus, ut ipse prodit: « Faciem suam (diaconus) versus aquilonem opponit, ut ostendat praedicationem Christi contra eum specialiter dirigi, qui ait: Ponam sedem meam ad aquilonem... Adversus ergo aquilonem legitur evangelium, ut

aquilo surgat et auster veniat (Cant 4, 16.), id est ut diabolus fugiat et Spiritus Sanctus accedat » (De s. altaris mysterio III, 4; PL 217, 824.).

2° Conversio haec versus septentrionem ad lectionem Evangelii etiam hodierno ritu praescribitur. Celebrans enim « Missale sic locat, ut pars posterior libri respiciat ipsum cornu altaris et non ad parietem sive ad partem eius contra se directam, ubi stans versus illum » sc. librum Missalis, legit evangelium. Sic ergo celebrans, quantum fieri potest, revera versus septentrionem legit Evangelium (Rit. cel. VI, 1. 2.). Cavendum est, ne Missale tantum in latere Evangelii, sed in *cornu* Evangelii, ergo in parte extrema lateris evangelii collocetur (Gatterer p. 250.).

b) Aspicere *versus omnes partes* caeli ideam prae se fert benedictionis Dei collocare. Mos hic pervetus est, iam *Simeon Stylites* († 459.) ante exitum suum rogatus a populo, ut sibi benedicat, « respexit versus orientem, dein ad occasum et ad omnes regiones caeli, extendit manus suas e cuculla et benedixit eis » (Texte und Untersuchungen III, 2, 4, (1908) 171 p., Dölger p. 252.). Talis moris reliquiae conspiciuntur in consuetudine quatuor altaria erigendi ad processionem corporis Christi, quae nil aliud est, quam benedictio contra tempestates (Wettersegen); etiam in Hungaria sic celebratur haec processio, ubi insuper etiam benedictio segetum in die S. Marci fit per lectionem quatuor evangeliorum versus quatuor mundi partes (Rit. Strigoniense).

Litteratura.

Fr. Heiler, Das Gebet, München 1923. — *J. Kramp*, Von der Kniebeuge vor der Eucharistie, *in*: ZfkTh 1924, 154-160. — *Fr. J. Dölger*, Sol salutis, Gebet u. Gesang im christl. Altertum, 2. ed. Münster i.W. 1925. — *J. Coppens*, L'imposition des mains, Paris 1925. — *M. Gatterer*, Praxis celebrandi functiones ordinarias sacerdotales, Oeniponte 1926, 3. ed. 1940. — *R. Guardini*, *Heilige Zeichen* 1927. *Hungarice duae versiones*: *Liszt Nándor*, Orökmécs (=Lampas perpetuo ardens), Debrecen 1931 et *Halamka Gyula*, Az Egyház szent jelei (Signa Sacra Ecclesiae), Budapest 1938). — *F. J. Dölger*, Das Niedersitzen nach dem Gebet, *in*: Ant. Christ. 1936, 116-137. — *P. Browe*, L'atteggiamento del corpo durante la messa, *in*: Eph. Lit. 1936, 402-414. — *L. Eisenhofer*, Liturgik, 2. ed. Freiburg i. Br. 2. ed. 1941, I, 251-282. — *H. Vorwahl*, Die Gebärdensprache der Religion, *in*: Zeitschr. f. Religionspsychol. 5 (1932) 121-128. — *A. Moretti*, De sacris functionibus, I-IV. Taurini 1936-1939. — *Th. Ohm*, Die Gebetsgebärden der Völker und das Christentum, Leiden 1944. — *M. Righetti*, Storia liturgica I. Genova 1945, 278-313. — *Th. Ohm*, Die Gebetsgebärde des Gehens, *in*: Bened. Monatschr. 1949, 29-37. — *J.A. Jungmann*, Missarum sollemnia 3. ed. 1952, quoad manus: I, 103, 313. II, 177 s., 262-264., quoad habitudinem corporis: I, 162, 312-316, 471-475, quoad aspectum oculorum: II, 248, 252, 552. — *J. Lechner*, Liturgik d. röm. Ritus, Freiburg i. Br. 1953, 71-80.

B) De lingua sacrali.

Definitio. Lingua sacralis, vel liturgica vocari potest lingua cultus publici, a vulgari lingua differens, in territorio aliquo latiore usitata.

Status quaestionis. Notio linguae alicuius sacralis, quam sc. non callet fidelium multitudo, non ab Ecclesia inventa est; linguam sacralem adhibebant iam Babylonii et Assyrii, lingua utentes Sumerica; lingua hebraica Veteris Testamenti etiam inde post 587 a. Chr. populo inintelligibilis facta est, nam iam aramaice loquebantur, cultus tamen semper hebraice celebrabatur, ad lectiones interpretandas adhibebatur interpres (turgeman).

Omnino certum est, nullum testimonium afferri posse e fontibus revelatio-

nis, quae *necessitatem absolutam* linguae sacralis in liturgia veri Dei evinceret; item omnino certum est, in Ecclesia nunc haberi linguas sacrales, quarum praecipua Latina et Graeca celebratur, et etiam temporibus elapsis sic fuit. Unde sequitur, *etsi lex* linguam aliquam sacralem adhibendi *disciplinaris* esset, tamen de fide definita debet esse, quod cultus *potest* celebrari lingua populo ignota. — Ideo thesis sequens statuatur:

THESIS. (1) Liturgia non debet lingua vulgari celebrari, imo (2) linguae sacrae aliquo modo semper usurpabantur (3) usus tamen partialis linguae vulgaris valde utilis esse potest.

a) **Vox Ecclesiae.**

Trident. sess. XXII. can. 9: « S. q. d., lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, anathema sit. » Quoad Missam ergo I. pars thesis est de fide, quoad totum cultum publicum theologice certa, nam evidens est ex usu Ecclesiae, quod etiam aliae functiones sacrae celebrantur lingua sacrali. — II. et III. pars theologice certae haberi debent.

Bulla « *Unigenitus* », prop. 86. condemnata Quesnelii: « Eripere simplici populo hoc solatium iungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae et intentioni Dei » (Denz. 1436). *Constit. Apost.* « *Auctorem fidei* » 1794., prop. 66. damnata synodi Pistoriensis: « Propositio asserens fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam iungendi cum voce totius Ecclesiae: intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae: — falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione praescripti perturbativa plurium malorum facile productrix. » — Notandum, hanc damnationem esse intelligendam eo sensu, quo Ecclesia hoc enuntiavit: *non* est omnino necessarium lingua vulgari uti, ceterum hoc a statu fidelium et temporibus dependet, de quo iudicium solius Ecclesiae est.

b) **Adversarii.**

1° *Waldenses et Albigenses* asserentes secundum Reinerum, auctorem contemporaneum, « quod sacra scriptura eundem effectum habet in vulgari quam in latino, unde etiam conficiunt in vulgari et dant sacramenta » (Guéranger op. infra cit. p. 121.).

2° *Protestantes* in ieiunis ritibus et textibus relictis semper « aedificationem » fidelium quaerentes, omnes tenuerunt, cultum publicum lingua celebrari debere, quae intelligi potest. — a. Sic *Lutherus* iam 1523 optavit, ut « habeatur *missa vernacula,* quod Christus faveat » et dixit: « *Cantica* velim etiam nobis esse vernacula quam plurima, quae populus sub missa cantaret, vel iuxta gradualia, item iuxta Sanctus et Agnus Dei. Quis enim dubitat, eas olim fuisse voces totius populi, quae nunc solus chorus cantat? » (Formula missae, Daniel, Codex lit. II, 84, 95.). Anno 1524 dein edidit *formulam missae Germanicae,* in qua iam omnia germanice scripsit, sed tamen linguam latinam partialiter retinere iubebat propter iuventutem, imo si potuisset — ut ipse fatetur — omni Dominica, latine, hebraice et graece canendum et legendum esset, *si* hae linguae tam communiter intelligerentur quam latina (Deutsche Messe und Ord-

nung Gottis diensts, Daniel II, 99.). Revera in multis coetibus evangelicis Germaniae usque ad initium saeculi XIX.-i Gloria, praefatio et aliqua carmina *latine* canebantur et hodie adhuc in Suecia et Dania. Sed *verba consecratoria,* canone penitus eliminato, iam in hac formula germanica affert, item *lectiones* latine, dein germanice legere iubet (Daniel II, 109 s., 105.). In administratione baptismi tamen omnia iam 1523 « quae hucusque latine fiebant, germanice interpretavit, ut patrini et circumstantes tanto plus ad fidem et seriam devotionem excitarentur » (Das Taufbuechlein, Daniel II, 186.), similiter etiam in festis, « ut Nativitatis, Paschae, Pentecostes, Michaelis, Purificationis et his similibus, fiant omnia ut hucusque, latine, usquedum cantica germanica sufficientia habeantur » (Deudsche Messe, Daniel II, 111.). — b. « *Reformatorum* » opinionem magis congruentem falso principio, quod omnia debent intelligi, clare exprimit *Czengerus*: « Cantilenas ex sacris literis compositas canimus et reiicimus insanos, qui his contradicunt, aut lingua non intellecta in cantu discantizant, aut reboant ad caelum usque, ut sacerdotes Baal »; ipse peritissimus Daniel affirmat, « ecclesiam Reformatam *cantica latina nullo tempore* in cultibus sacris adhiberi passam esse » (III, 27.). Pro caetibus « reformatis » Gallicae linguae *Clemens Marotus* 1536. 30 psalmos gallice interpretatus est; eodem anno pro coetibus linguae germanicae *Jo. Zwick* germanicos psalmos et cantica edidit, anno 1552 prodiit totum psalterium gallicum auctore *Theodoro Beza* (Daniel III, 27-30.). — c. *Anglicanum* schisma usque ad mortem Henrici VIII. cum cultu catholico etiam linguam latinam retinens, anno 1549 in lucem protulit « *Librum communis precationis* » (The Book of the common prayer, tertia vice editus cum mutationibus 1559.), ubi iam iubetur, quod « omnia legi et cantari debent in ecclesia lingua anglica, in eum finem, ut congregatio aedificetur » (« all things shall be read and sung in the church in the english tongue, to the end that the congregation may be thereby edified » Daniel III, 317.).

3° *Erasmus Roterodamus* quoque fautor linguae vernaculae surrexit, dicens: « Indecorum, vel ridiculum potius videtur quod idiotae et mulierculae, psittăci (Papagei, perroquet, parrot) exemplo, psalmos suos et precationem dominicam inmurmurant, cum ipsae quod sonant, non intelligant » (Praef. in Matth.), quae sententia a facultate Parisiensi anno 1526 proscripta est.

4° Erasmi sententiam susceperunt *Jansenistae,* et ubi libere potuerunt hanc sequi, *in Hollandia* viventes, inde a saeculo XVII.-o sacramenta lingua vulgari administrabant (Guéranger p. 121.). Ideo traductio Missalis gallice interpretata per *Jos. Voisin* anno 1660 per Clementem VII. prohibita est, ut novitas deformans pulchritudinem Ecclesiae, capabile ad excitandam inoboedientiam, temeritatem, audaciam, seditionem, schisma et alia mala, etsi in Gallia ad usum privatum fidelium *iam quinque aliae* versiones sine prohibitione in lucem prolatae sunt; Voisin enim erat fautor Jansenistarum, mutuas vicissitudines fovens cum conventu suspecto Port-Royal (Guèranger p. 169-170, 187.).

5° Episcopi Febroniani *Synodi Pistoriensis* quoque ideo censuram acceperunt, ut vidimus, quia non recte de linguae vulgaris usu opinabantur.

6° *Aevo nostro,* praesertim post secundum bellum mundiale, aliqui minus recte opinati sunt circa hanc questionem. Ita e.gr. plures *Galli et Germani* proprio marte Sacramenta vulgari idiomate administrare coeperunt, putantes, quod

lingua latina impediret actuosam participationem populi. *Episcopi Galliae* anno 1945. ideo declararunt linguam Latinam non posse haberi saepimenti instar separantis populum a cultu (« l'Assemblée n'estime pas que la langue latine soit la barricade qui sépare le peuple de la liturgie », v. Eph. lit. 1946, 439.). In Germania *Conr. Gröber*, episcopus Friburgensis anno 1943 aegre notavit crescentem tendentiam vulgarizandi preces in administratione Sacramentorum, et praesertim contra populi optatum introducendi linguam Germanicam in Missa (v. ibid.). — In *Anglia* inde ab anno 1944 motio incepit nimia in favorem linguae vulgaris per societatem quandam (The English Liturgy Society), cuius scopus erat promovendi usum linguae vernaculae in cultu publico Ecclesiae; aliqui in ephemeride huius societatis adeo processi sunt (The English Liturgist), ut totam Missam anglice celebrari optabant. In *America* septentrionali societas similis fundata est 1946 (Vernacular Society), sed cum intentione omnia subiicere velle iudicio Ecclesiae. (Cf. periodicum « America » 19. aug. 1950, p. 503.).

I. pars: Probatur rationibus theologicis.

1° *Non in sola verborum intelligentia* constare fructum orationis iam a *Facultate Parisiensi* lucide probatum est anno 1526, affirmans esse errorem perniciosum, quod oratio solum ad intellectum erudiendum fiat. Oratio enim vocalis « praecipue fit ad inflammandum affectum, ut pio et devoto animo in Deum modis praedictis se erigendo mens reficiatur et obtinendo quod petit, sua intentione non frustretur, mereatur itidem intellectus illuminationem,... qui nimirum fructus longe uberiores sunt quam *sola verborum intelligentia*, quae absque excitatione affectus in Deum, *parum affert utilitatis* » (D'Argentré, Collectio iudiciorum II, 61.). Reapse quanti sunt studiosi intelligentes precationes paganas latinas, graecas, babyloniacas etc. tamen longe absunt ut deos falsos adorent. Recte dixit ergo cl. *Respighi* illusionem esse, quod concesso aliquando totali usu linguae vulgaris, omnes difficultates actuosae participationis fidelium iam cessarent (Bollettino Ceciliano 1946, 10-12.).

2° Intelligentia cultus *etiam alio modo procurari potest*, ut iam *Tridentinum* rectissime animadvertit: « Ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant et non sit, qui frangat eis, mandat S. Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter *inter Missarum celebrationem* vel per se vel per alios ex iis quae in Missa leguntur, *aliquid exponant*, atque inter cetera sanctissimi huius Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim Dominicis et festis » (S. XXII. cap. 8. Denz. 946.). Ad quod optime notat *Card. Suhard*, clerum debere *explicare* limpida claritate *ritus* et caeremonias Missarum, baptismi, matrimonii, sepulturae; dein *ante Missam* habeatur verbum (« il indique d'un mot ») de Sancto in cuius honorem celebratur; item quod *durante Missa* clericus a celebrante distinctus praelegat aliquos textus Missae; demum quod omnia, quae celebrans recitat, recitentur clara et intelligibili voce, cum fortitudine, compunctione et pietate (Instructio pastor. sept. 1945., v. Eph. Lit. 1946, 203.).

3° Multoties affertur argumentum, quod breviter *Mediator Dei* sic constrinxit: « *Perspicuum est unitatis signum* ac remedium efficax adversus quaslibet germanae doctrinae corruptelas. » Quod evidenter illustratur *exemplo haereticorum* inde iam a Nestorianis et Monophysitis, qui statim ut annis 431 et

451 ab Ecclesia lacrimabili modo se scisserunt, linguas vernaculas introduxere: Syriacam, dein Aegyptiacam (Copticam) et Abyssinicam. — Unitatem hanc voluerunt Orientales christiani ante schisma *illustrare* summis festis Constantinopoli Evangelium primum latine, dein graece cantando, quod in Missa a Summo Pontifice celebrata etiam hodie fit (Guéranger p. 148., 150.).

II. pars: historice probatur,

quod etiam *ut argumentatio theologica* sumi debet: nam si verum est linguas sacrales aliquo modo semper in usu fuisse, clara est veritas dogmatica primae partis thesis: lingua vernacula non debere celebrari liturgiam, Ecclesia enim in usu tam late diffuso errare non potest.

1° Historice certum est, etiam *aevo antiquo* Ecclesiae linguas sacrales in usu fuisse (cf. G. Bardy, 1948.). Aliquo modo, diximus, fuerunt linguae sacrales. Quod statim elucescit etiam quoad partem primam aetatis antiquae, i.e. usque ad 313, nam etiam aevo apostolico *ecclesiae Palaestinenses* dialecto aramaico Palaestinensi utentes, psalmos et lectiones Veteris Testamenti hebraice legebant, quod iam sine dubio lingua sacralis haberi debet. Item *ecclesiae Hellenisticae,* quae praeprimis a Paulo apostolo fidem acceperunt, lingua graeca communi (koiné) utebantur, sed lectiones Veteris Testamenti et psalmi, ut patet, e versione *Septuaginta* sumebantur, quae per se difficilis erat ad intelligendum propter versionem servilem libri psalmorum, propter hebraismos quibus totus textus Bibliae graecae scatet. — Eadem lingua graeca utebantur *omnes ecclesiae,* quae domi aliam linguam usurpabant: sic *Syri* usque ad annum 431, etsi etiam syriace legebant lectiones post lectionem graecam, ut videri potest e relatione Aetheriae (Peregrinatio 47., 4.), dein Phryges, Cataphryges, Lydii, Thraces, Celtae seu Galatae in *Asia minore,* quibus Paulus epistolam suam graece scripsit. — Imo etiam *ecclesia Romana* graeca lingua celebravit sacra sua. Graece scripsit Paulus Romanis epistolam suam, Marcus evangelium suum; nomina et inscriptiones sepulchrales primorum pontificum graece leguntur usque ad Cornelium (251-3.); graece descripsit liturgiam S. Hippolytus circa 220. Haec lingua usque ad 360 lingua sacralis Romae remansit, nam rhetor *Marius Victorinus* circa hoc tempus graece allegat precem sacerdotalem: « Hinc oratio oblationis (i.e. missae) intellectu eodem precatur eum: Soson periousion laon » (Adv. Arium 2, 8, PL 8, 1094.). Investigatio *Th. Klauser* merito demonstravit non solum ex hoc loco citato, sed etiam ex aliis indiciis, ut ex mutatione ethnica Romanae populationis, inscriptionibus, linguam latinam a Damaso papa (366-384.) publica auctoritate loco graecae introductam esse (Miscellanea Card. Mercati 1946, I, 467-482). Quod non impedit usum partialem linguae latinae *in titulis,* i.e. parochiis 25 Urbis paulatim iam ante hoc tempus invaluisse, ut putat B. Botte, Bardy et J.A. Jungmann (Missarum sollemnia I, 65.).

2° *Lingua latina sacralis* evasit in *Africa* proconsulari sine dubio ab initio, i.e. saeculo II., ut hoc demonstratur ex existentia versionis Scripturarum hoc tempore, quam demonstrant Passio martyrum *Scilitanorum* versus 180 et *Tertullianus*: « Non sic in graeco authentico quomodo in usum exit » (De monogamia c. 11.), quam versionem plurime citat (cf. B. Capelle, Le texte du psautier latin en Afrique, Collectanea bibl. latina vol. IV, p .). Tamen etiam hoc idioma vulgaris linguae latinae *semi-sacralis* fuit, nam psalmi et textus biblici

e graeco serviliter versi non erant per se facile patentes intellectui. Hoc evenit e multitudine vocabulorum *graecorum,* ut « Christus, chrisma, abyssus, azyma, cataclysmus, problema, parabola, scandalum, hypocrita. » Dein *graecismi* permulti impediebant intelligendi viam auditoribus, ut e.gr. « Spiritus Domini replevit orbem terrarum et hoc quod continet omnia (to katechon ta panta) scientiam habet vocis »; genus neutrum « hoc » servilis versionis fructus est, nam « pneuma », spiritus graece est neutri generis. Demum multa *nova vocabula* efformabantur hac versione ad exemplum textus graeci, ut « longanimitas, multiloquium, pusillanimitas, vaniloquium, intransgressibilis etc. », quae etiam obstacula erant intellectui. *Linguam hanc semisacralem* usurpabant in *cultu divino,* ut iam perfecte videtur e *Cypriano*: « Ideo et sacerdos ante orationem, praefatione praemissa, parat fratrum animos dicendo: Sursum corda »; qui etiam textum hymni Te Deum allegare videtur: « Illic apostolorum gloriosus chorus, illic prophetarum exsultantium numerus » (De orat. dom. 31 et de mortalitate c. 26.). Lingua haec latina etiam in Africa *sacralis fuit* saltem christianis *Punicis,* quia nullum vestigium apparet versionis punicae Bibliarum (Guéranger p. 65.).

3° Linguae sacrales *remanebant in usu* etiam quando *extra limites Imperii* saeculo IV.-V. christiana professio extendebatur. Sic apud *Armenos* et *Georgicos,* item *Aethiopes* initio graece celebrabatur liturgia, lectiones apud Armenos lingua syriaca. Tantum post lapsum in haeresim mutabatur lingua sacralis in vulgarem, quod fecerunt etiam gentes intra limites viventes, ut iam diximus. Ideo Patribus saeculi IV.-V. commune erat dictum de *tribus linguis sacris,* instar inscriptionis tituli Crucis; *Hilarius* e.gr.: « His maxime tribus linguis sacramentum voluntatis Dei et beati regni expectatio praedicatur: ex quo illud Pilati fuit, ut in his tribus linguis regem Iudaeorum Dominum Jesum Christum esse praescriberet » (Prol. in libr. Psalmor. nr. 15.). Notandum quod « praedicatio » terminus liturgicus est et usurpatur de oratione sacerdotali (O. Casel, JfLw 6., 121., 128., 159.). Etiam *novi tribus gentium in Imperium irruentes* christiani facti lingua latina utebantur, exceptis, ut patet, haereticis. *Ariani* erant Germani orientales: Gothi, Vandales, Suevi, Alemanni et lingua Gothica adhibebant Scripturam et celebrabant cultum suum nunc iam incognitum, ita ut nec episcopi et « patriarchae » eorum, sicut metropolitas vocabant, intellexerunt latine. Lingua liturgica nationali exprimebant differentiam inter professionem « Gothicam », i.e. arianam et « Romanam » i.e. catholicam (G. Schnürer, Kirche u. Kultur im Mittelalter I, 1924, 146-7.). Tum hi tribus ariani se convertentes ad catholicam fidem, ut *Gothi occidentales* in Hispania, *Alemanni* in Burgundia, tum gentes Germanicae paganismo terga vertentes, ut *Franci et Angli,* dein omnes tribus in Germania degentes cum professione catholica etiam linguam latinam assumpserunt, quod sic remansit per totum medium aevum.

4° *Exceptiones* dantur tantum hac in re. Prima et maxima est, quae facta est cum immani multitudine *Slavorum* saec. IX., quorum apostoli, fratres Methodius et Cyrillus, Thessalonica oriundi a Slavis in regione ista degentibus linguam eorum didicerunt et 862 in Moravia a principe Rastislav vocati, conversioni operam dederunt. Moravia, ad quam tunc etiam Pannonia pertinebat, partim iam christiana fide imbuta erat, sed expansioni germanicae limites coercere volens, princeps slavonicam optavit introducere liturgiam. S. *Cyrillus* slavice interpretatus Scripturam sacram. invenit scripturam (s. XIV. tantum sic

vocatam) « *Glagoliticam* » e litteris *minusculis* graecis et non liturgiam Byzantinam, sed Romanam tunc temporis in Moravia et Pannonia usitatam transtulit in idioma Slavorum. Huius liturgiae Romanae slavice versae monumentum exstat in fragmento aliquo missalis Kioviae detecto (editum a C. Mohlberg, Il messale glagolitico di Kiew, Atti della Pont. Acc. Romana di archeologia, Memorie II Roma 1928, 207-320.). Roman vocati, honorifice ab Hadriano II. excepti sunt, sed, uti nunc videtur, non obtinuerunt licentiam huius innovationis; S. Cyrillus Romae 869 mortuus est. S. *Methodius* post calamitates ab episcopis Germanicis perpessas, a Joanne VIII. archiepiscopus Moravorum creatus, accepit licentiam liturgiae slavicae: « Nec sanae fidei vel doctrinae aliquid obstat, sive missas in eadem slavinica lingua canere, sive sanctum evangelium vel lectiones divinas Novi et Veteris Testamenti bene translatas et interpretatas legere aut horarum officia omnia psallere... Iubemus tamen, ut in omnibus ecclesiis terrae vestrae propter maiorem honorificentiam evangelium latine legatur et postmodum slavinica lingua translatum in auribus populi latina verba non intelligentis annuntietur » (G. Friedrich, Codex diplomat. Regni Bohemiae I, 1906-7, p. 19.). Haec liturgia romano-slavica in Moravia post mortem S. Methodii prohibita, evanuit. *Discipuli* autem venerabilis viri expulsi, *in Bulgaria liturgiam Byzantinam* transtulerunt in linguam slavonicam (palaeoslavicam), invenientes novam scripturam e litteris graecis *maiusculis*, quae in honorem defuncti Cyrilli, *littera Cyrillica* nuncupata est. Haec liturgia palaeoslavica devenit deinde ad alios populos slavos. — Liturgia autem *Romano-slavica* ab iisdem discipulis Methodii in Pannoniam et Dalmatiam delata, diu permansit. *Innocentius IV.* 1247. permisit usum huius liturgiae « in illis dumtaxat partibus, ubi de consuetudine observantur », rationem proferens « quod sermo rei et non res est sermoni subiecta ». Sic in aliquibus dioecesibus Dalmatiae usque hodie haec liturgia romano-slavica celebratur (N. Sojat 1948, St. Sakac 1949, R. Rogosic 1954.).

5° Uti videtur, slavica concessio in Ecclesia occidentali exceptio fuit, tolerationi valde similis. *Aevo medio* haec erat unica exceptio, si non respicitur tentamen liturgiae Romanae *in linguam mongolicam* translatae, de quo *B. Joannes a Monte Corvino* initio saeculi XIV. in imperio Sinensi Tartarorum dominationi subiecto scribit: « Didici competenter linguam et literam Tartaricam... et iam transtuli in linguam illam et literam totum Novum Testamentum et psalterium... et celebrabam Missam secundum ritum latinum, in litera et lingua illa legens tam verba Canonis quam praefationis » (Raynaldi, Continuatio Baronii ad annum 1306 nr. 20., Guéranger p. 119.). — *Aevo novo* missionarii Societatis Jesu Sinenses anno 1615 a Paulo V. iam licentiam acceperunt liturgiam Romanam transferendi *in linguam Sinensem* mandarinorum, sed breve a superioribus expeditum non fuit, ut testatur P. Bartoli S. J. historiographus Societatis (Guéranger p. 126-136 et praecipue liber St. Chen 1951 de tota hac questione). Missale totum translatum est in linguam Sinensem et offertum Innocentio XI., sed nunquam est consecutum approbationem.

6° Linguam *Rumenicam* saeculo XVII. principes Transsylvaniae calvinismo dediti induxerunt, ut Rumenos versione Bibliae et liturgiae in rumenicam linguam ad protestantismum alliceret, quod quidem non successit, sed lingua moderna rumenica sic evasit liturgica apud Rumenos ritum byzantinum palaeoslavicum sequentes. Quando pars Rumenorum anno *1697 ad unionem* conversa est, etiam novam linguam cultualem retinuerunt (Archdale King. The rites of the eastern church II, Roma 1948, 37-46.).

Exemplum secuti uniti orientales *hungarico idiomate* utentes coeperunt lingua hac celebrare ritum byzantinum; manuscriptum primum habetur iam ex anno 1814, quae est versio hungarica liturgiae S. Chrysostomi, facta anno 1793 per *Mich. Krucsay,* canonicum graecum unitum (ms anni 1814 copia huius ms-i originalis est). Anno 1795 etiam alius, *Georgius Krisfalusy* transtulit liturgiam byzantinam, ms autem nunc iam non invenitur. De facto ex hoc tempore coeperunt pro fidelibus unitis lingua hungarica utentibus liturgiam loco linguae palaeoslavicae, vel rumenae hungarice celebrare. Usus huius legitimatio a Sede Apostolica 1896 expostulata concessa non fuit, iteratae dein preces Sanctum Pium X. moverunt ad edendas Litteras Apostolicas « Christifideles graeci ritus » (8. iun. 1912.), quibus nova eparchia seu dioecesis graeci ritus erecta fuit in Hajdudorog pro his fidelibus, ad quam pertinent etiam fideles Hungari graeci ritus « a territorio Hajdu-Doroghensis dioecesis longe distantes ». Summus Pontifex commemorat factum, quod « inter fideles graeci ritus excreverunt etiam, qui lingua hungarica utuntur, quique iam a Sancta Sede instantissime petierunt, ut dioecesis pro iisdem conderetur. » Huic petitioni S. Pius X. ideo satisfecit, ut « periculum avertatur probrosissimi illius abusus, a Summis Pontificibus pluries damnati, inducendi nimirum linguas vernaculas in sacram Liturgiam. » Dein praecepit Summus Pontifex: « Ad linguam liturgicam huius novae erectate dioecesis quod attinet, praecipimus, ut sit *graeca antiqua,* vernacula vero in functionibus extraliturgicis toleretur...» Sacerdotibus autem huius diocesis iniunctum fuit, ut intra tres annos ab erectione dioecesis linguam graecam antiquam addiscant (AAS 1912, 429-435.). Haec tamen ordinatio nunquam executioni mandata est, fidelesque graeci ritus in Hungaria numero circ. 350.000 existentes hodie quoque lingua hungarica utuntur, excepta anaphora Missae graece recitata, quod tacite toleratur (cf. Korolewskij 1955. et Jungmann in St. d. Zeit 1955, 328.). — Inde a Pio XI. plures factae sunt iam concessiones explicitae lingua quadam moderna substituendi linguas sacrales ritus orientalis, sic 1929. permissum est liturgiam Byzantinam lingua *esthonica* celebrare (H. Chirat, in Études de lit. past., Paris 1940, 227.). — Parti cuidam Jacobitarum in ora Malabarica duce Mar Ivanios ad unionem anno 1930 reversae concessio facta est retinendi loco linguae syriacae linguam modernam *Malayalam* in tota liturgia. — Fama affertur Sinensibus anno 1949 concessum fuisse usum linguae Sinensis Mandarinorum etiam in Missa excepto Canone latine recitando (iuxta S. Paventi, officialem S.C. Propag. fid., La chiesa missionaria, Roma 1949, 388.).

III. pars probatur,

quod usus partialis linguae vulgaris valde utilis esse potest,

1° *Ecclesiae enuntiatione*: « In non paucis tamen ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum exsistere potest, nihilominus unius Apostolicae Sedis est id concedere, atque adeo, ea inconsulta eaque non approbante, nihil prorsus hac in re fieri fas est » (MDei n. 59.). Ut permultas alias, etiam hanc questionem vox Ecclesiae dirimit, quam decisionem in praxi iam antea Sancta Sedes sequebatur. Sic e gr. dioecesis *Linziensis* in Austria iam anno 1897 accepit licentiam in suo Rituali partialiter, etsi sat raro, adhibendi linguam vernaculam; similiter factum est 1930., quando a S. Rituum Congregatione approbata est « Collectio rituum in usum cleri archidioecesis *Monacen-*

sis et Frisingensis ad instar appendicis Ritualis Romani ». « Collectio rituum in usum cleri archidioecesis *Viennensis* » 1935 in lucem prolata iam plures textus vernaculos possidet, textus hucusque bilingues erant. « Collectio rituum in usum dioecesis *Basileensis* », Solodori 1938 edita adhuc plures textus vernaculos affert, etiam orationes exclusive vernaculo idiomate dicendos.

2° *Cardinem notat* (Wendepunkt, fordulópont) editio « *Ritualis parvi ad usum dioecesium Gallicae linguae* », Turonibus 1948, quia decretum S. Congregationis Rituum affixum habet, ad cuius rationis normam videntur se dirigere debere aliae collectiones rituum in futurum edendae. Hae sunt normae decreti 28. nov. 1947. editi:

a. « In administratione baptismi parvulorum. solo in textu latino ponantur ac proinde semper et sola hac lingua dicantur: exorcismi, omnes formulae unctionum ac benedictionum, necnon ipsa baptismi forma. »

b. « In administratione baptismi adultorum, praeter ea, quae superius recensita sunt, etiam lingua latina tantum imprimantur et recitentur psalmi et aliae preces initiales. »

c. « In ordine ministrandi sacramentum extremae unctionis latina tantum lingua adhibeatur in oratione impositionis manuum super infirmum, in verbis unctionum et in orationibus subsequentibus. »

d. « In celebratione matrimonii lingua gallica sacerdos uti poterit ad omnia, praeter benedictionem annuli et formulam: Ego coniungo vos etc. In benedictione nuptiali extra Missam, danda ex apostolico indulto, quando Missa non dicitur, preces, quae in rituali Romano habentur, recitari possunt lingua gallica. »

e. « In exequiis vero peragendis pro fidelibus defunctis sola lingua latina preces et absolutiones peragi debent. Nihil tamen vetat quominus, hoc ritu absoluto, vulgari lingua aliae addantur preces, pro opportunitate temporis et loci, ab Ordinariis determinandae et ab ipso sacerdote recitandae ».

3° Die 21. mart. 1950 approbata fuit a SCRit. « Collectio rituum ad instar appendicis Ritualis Romani pro omnibus dioecesibus *Germaniae* », cum vere multis textibus linguae vernacularis, opus, ut refertur, eruditorum Th. Schnitzler et J. Wagner (cf. Eph. Lit. 1948, 352.). — Die vero 3. iun. 1954 ab eadem S. Congregatione permissa fuit « Appendix linguae vernaculae ad Rit. Romanum » pro dioecesibus Statuum Unitorum *Americae*, quae dein concessa est 21. apr. 1955 pro dioecesibus *Australiae*, et 12. febr. 1955 dioecesibus *Canadae* pro iis, qui lingua anglica utuntur, dum lingua gallica utentibus supradictum Rituale parvum pro dioecesibus gallicae linguae concessum est (cf. Worship 1956, 159.).

4° Pro *territoriis missionum* vero nova quaedam directiva emanata est Summo Pontifice disponente (prot. 2362.) 1948 S.C. Propag. fid., cf. Eph. Lit. 1953, 155-6.). Usque nunc inde a Tridentino semper requirebatur approbatio Sanctae Sedis, iuxta vero dispositionem dictam quoad territoria Missionum Ordinarii locorum cuiusdam Delegaturae vel Nuntiaturae Apostolicae constituere possunt commissionem eruditorum, qui elaborare queant appendicem ad Rit. Romanum. Ordinarii approbare possunt opus commissionis usumque eius ad

decennium permittere. Sic fuit editum « Rituale parvum ad usum dioecesium Indicae linguae » cum approbatione Ordinariorum *Indiae* in Bangalore 17. ian. 1950; similia facta sunt in *Sinis* et *Iaponia* (cf. Eph. Lit. 1953, 196.). Notanda est *norma sapiens* quoad usum linguae vulgaris: formulae, exorcismi, unctiones et omnia quae ad formam et essentiam spectant, lingua debent exprimi latina, cetera possunt lingua vulgari, sed lingua litteraria usitata in libris modernis, evitando archaismos; lingua sit apta et digna, sed populari captui accommodata (ibid. p. 155.).

Corollarium. 1. Non sunt ergo approbandi conatus et *nisus privati* preces liturgicas seu *interpretandi* intra functionem, postquam lingua liturgica recitatae sunt, seu tantum *lingua vulgari* eas dicendi, quia offendit contra praescriptum Ecclesiae (Mediator Dei et can. 819.: « Missae sacrificium celebrandum est lingua liturgica sui cuiusque ritus ab Ecclesia probati »). Usus linguae vernaculae in liturgia etiam partialis sine dubio peccatum est, et quidem secundum genus suum grave, secundum principia superius statuta. Benedictio apostolica in articulo mortis in forma a probatis liturgicis tradita danda (can. 468. § 2.), haec forma autem est a Benedicto XIV. praescripta sub poena nullitatis (Noldin-Schmitt-Heinzel ed. 30. 1954. n. 331. 2. b.), quod etiam usum linguae latinae attingit (L. Anler, Comes pastoralis ed. 10. 1947. 213.). Secus Sacramenta vel etiam Missa valida essent vernacula lingua administrata, sed graviter illicita.

2. Tamen in quantum Ecclesia permittit usum linguae vulgaris, haec *licita est et valde utilis,* Sancta Sedes ergo rogari potest et debet ab auctoritatibus alicuius dioecesis vel territorii latioris; exempla enim allata ostendunt, Sedem Apostolicam libenter dare talem gratiam. Ut gratiae hucusque datae demonstrant, optandum est, ut non singulae dioeceses, sed omnes Ordinarii territorii sermonis alicuius (Sprachgebiet) petant collectionem rituum propriam instar appendicis ad Rituale Romanum.

3. Usus linguae vulgaris omnino *permittitur* intra Missam et quasdam liturgicas functiones « *commentatori* » iuxta Instr. de musica s. et s. liturgia 3. sept. 1958 (Bugnini, Doc. pont. II. 1959, 96 s.). Commentator talis « momento opportuno paucisve verbis, ritus ipsos aut sacerdotis celebrantis vel sacrorum ministrorum precationes aut lectiones interpretetur. » Convenit, ut munus hoc « *a sacerdote* vel saltem clerico absolvatur, qui superpelliceo induti sint et ad cancellos vel in ambone stent. His deficientibus viro *laico* committi potest, christianis moribus commendato et de munere bene edocto. *Mulieres* vero nunquam officio commentatoris fungi possunt. » Laicus commentator se « sistat coram fidelibus opportuniore loco, sed extra presbyterium vel pulpitum. » — « Explicationes et monitiones a commentatore tradendae *scripto* sint praeparatae paucae, sobrietate perspicuae, tempore opportuno et voce moderata prolatae, orationibus sacerdotis celebrantis *nunquam superponantur,* uno verbo: ita disponantur, ut fidelium pietati adiumento sint, non nocumento ». (Cf. *Clifford Howell,* The Commentator at Mass, *in*: Clergy review 1959, 12-21.).

Litteratura.

Pr. Guéranger, Institutions liturgiques, 2. ed. Paris 1883. III, 50-156. — *H. Leclerq,* Langues liturgiques, *in*: DAL VIII (1928) 1297-1312. — *Ch. Segvic,* Le origini del rito

slavo-latino in Dalmazia e Croazia, *in*: Ephem. Lit. 1940, 38-66. — *L. Eisenhofer*, Handbuch d. kath. Liturgik, 2. ed. 1941, I, 149-159. — *M. Righetti*, Storia liturgica I. Genova 1945, 141-146. — *Th. Klauser*, Der Uebergang der römischen Kirche von der griechischen zur lat. Liturgiesprache, *in*: Miscell. Mercati I (1946) 467-482. — *E. Dolderer*, Die Volksprache in der Liturgie, *in*: Theol. Quartalschr. 1947, 89-146. — *G. Bardy*, La question des langues dans l'Église ancienne, Paris 1948. — *N. Sojat*, Liturg. slavico-romanae annivers. memorabile, *in*: Eph. Lit. 1948, 96-102. — *Ch. Mohrmann*, Les origines de la Latinité chrétienne à Rome, *in*: Vig. christ. 1949, 67-106, 163-183. — *St. Sakač*, L'origine del rito romano slavo e i S. Cirillo e Metodio, *in*: Unitas (Roma) 1949, 47-56. — *B. Capelle*, Plaidoyer pour le latin, *in*: Quest. lit. paroiss. 1950, 65-71. — *H. A. P. Schmidt*, Liturgie et langue vulgaire, Roma 1950. — *H. Ch. Chéry*, Le français langue liturgique? Paris 1951. — *E. Ranieri*, Il latino, lingua liturgica, *in*: Ephem. Lit. 1951, 24-27. — *W. Dürig*, Die Erforschung der lateinisch-christlichen Sakralsprache, *in*: Lit. Jahrbuch 1951, 32-47. — *Stan. Chen*, Hist. tentaminum Missionariorum S. J. pro litg. Sinica in saec. XVII., Romae 1951. — *H. A. P. Schmidt*, The problem of languages in liturgy, *in*: Worship (Collegeville) 1952, 276-292, 342-349. — *J. Lechner*, Liturgik des römischen Ritus, 6. ed. Freib.i.Br. 1953, 43-47. — *R. Rogošić*, De S. Concilii Tridentini decreto super antiquitate in ritibus retinenda, *in*: Ephem. Lit. 1954, 330-360. — *C. Korolewskij*, Liturgie et langue vivante. Orient et Occident, Paris 1955. — *P. Card. Gerlier*, Les rituels bilingues et l'efficacité pastorale des sacrements, *in*: Maison-Dieu n. 47-48 (1956), 81-97.

C) De formulis sacris.

Definitio. Formulae sacrae sunt textus verborum ad varios fines sacros: ad precationem, ad ordinem faciendum, ad consecrationem et benedictionem, ad fidem profitendam redacti.

Divisio. Prima habetur, uti in definitione enuntiata est, respectu *finis*. Secunda *secundum genera* et sic distingui possunt 1. textus biblici, 2. acclamationes liturgicae, 3. doxologiae, 4. preces litanicae, 5. symbola, 6. orationes, 7. orationes eucharisticae seu praefationes.

1. Textus biblici.

a) **Lectiones et carmina Scripturarum**

quae ad exemplum Synagogae inde a primis temporibus christianis adhibebantur et semper adhibentur, sunt nobilissimae partes cultus publici Ecclesiae.

1°. *Lectiones* in vigiliis nocturnis sumebantur aevo apostolorum praeprimis e Vetere Testamento, dein versus finem saec. I. etiam e Novo Testamento. Quando decursu saec. IV.-i vigiliae et Missa catechumenorum distinguebantur, seorsim in utraque synaxi legebantur Scripturae Sacrae ad aedificationem populi. Ideo habentur lectiones tum in Missa catechumenorum, tum in Nocturnis officii divini. Pericopae, i.e. lectiones selectae et excisae (« peri-koptein » = excidere) in festis maioribus semper legebantur, ad omnes occasiones inde a saec. V. paulatim locum lectionis continuae occupabant.

2° *Carmina Scripturarum* sunt *Psalmi et Cantica* e Vetere dein e Novo Testamento selecta (Magnificat et Benedictus et Nunc dimittis). Erant primis quatuor saeculis fere unici textus cantationis sacrae. De Psalmis agetur inferius (v. officium divinum). E Scripturis sumebantur quoque *textus antiphonarum*, quibus populus respondere solebat ad cantum Psalmorum: hae antiphonae decursu aevi aurei Ecclesiae (saec. IV-V.) se multiplicabant et tum in

Missa (introitus, graduale, offertorium, communio), tum in officio divino adhibentur (antiphonae, versiculi, responsoria). Totaliter e Scriptura Sacra sumuntur 4216 tales textus cantuales, e quibus maxima pars: 1565 e Psalmis desumpta est, 124 e Canticis biblicis, 257 ex Isaia, 127 ex Ecclesiastico, 350 ex evangelio S. Lucae, 315 e Matthaeo, 255 e Joanne, 180 ex epistolis Paulinis et ex aliis libris (cf. Marbach, Carmina Scripturarum, sc. antiphonae et responsoria ex S. Scriptura in libros liturgicos S.R. Ecclesiae derivata, Argentorati 1907.).

3° *Textus pseudobiblici* quoque in cultu publico locum obtinuerunt, praesertim e libro IV. Esdrae et quidem iam aevo antiquo Ecclesiae. Huc pertinent: Improperia fer. VI. in Parasceve (IV. Esdr. 1, 10-25.), ant. « Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et aeternitas temporum » (Comm. mart. temp. pasch.: IV. Esdr. 2, 35.) et « Requiem aeternam dona eis Domine et lux perpetua luceat eis » (off. defunctorum: IV. Esdr. 2, 34.).

4° Ad exemplum Psalmorum et Canticorum componebantur iam primis saeculis « *psalmi idiotici* », i.e. privati, qui in desuetudinem abierunt propter multiplicem abusum haereticorum, duo remanebant in usu liturgico generali: doxologiae Te Deum et Gloria in excelsis.

b) **Oratio Dominica.**

Sanctissima prex christianorum quia ab ipso Domino composita, semper magni habebatur et in usu fuit (Righetti, Storia liturgica I, 162-164). 1° *Tertullianus* eam vocat « breviarium totius evangelii », dein « orationem legitimam et ordinariam fidelium » (De orat. c. 1 et c. 10.), *Cyprianus* extollit eam ut « orationem publicam et communem » (De oratione dominica c. 8.). Ut symbolum apostolorum, ita et haec oratio subiacebat legi disciplinae arcani, uti S. *Ambrosius* monebat: « Cave, ne incaute symboli vel orationis dominicae divulges mysteria! » (De Cain 11, 35).

2° Haec oratio *duplici textu* tradita est nobis: textus *Lucae* brevior est (11, 2-4, deest enim 3. et 7. precatio: « fiat voluntas tua... » et « et ne nos inducas... »). In usu christianorum semper longior formula S. *Matthaei* (6, 9-13.) erat. Propter multiplicem usum lectiones variantes, seu melius loquendo variationes liturgicae in textum sacrum irrepserunt, aliquando etiam in textum codicum S. Scripturae. Notissima est illa doxologia, quam « clausulam protestanticam » vocant orationis dominicae: « Quoniam tuum est regnum, virtus et gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen! » Haec antiquissima doxologia, quae brevius iam in Didache legitur (« Quoniam tua est virtus et gloria in saecula ») in liturgia *Byzantina* in usum venit et inde derivavit in quosdam codices evangeliorum. *Erasmus Roterodamus* autem in sua editione (1516) textus Graeci Novi Testamenti hanc clausulam, putans eam ad textum primigenium pertinere, assumpsit et inde in versiones protestanticas Scripturae pervenit.

c) **Salutatio Angelica**

vocatur textus « Ave Maria », qui in duas partes dividitur.

1° *Prima pars* (usque ad verba: « Sancta Maria ») est oratio stricte dicta biblica, nam conseritur e verbis salutationis S. Gabrielis archangeli (Lc 1, 28: « Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus ») et S. Eli-

sabeth (Lc 1, 42: « Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui »). Haec coniunctio tam pulchra in laudem Deiparae Virginis primum facta est Hierosolymae, ubi Salvator et Maria vixerunt et ubi carbo Evangelii diutissime flagrans manebat sub cinere traditionis. *In liturgia Hierosolymitana S. Jacobi* iam saec. IV. post consecrationem his verbis consertis laudabant S. Virginem, inde forsan peregrini tradebant usum huius textus. — *Romae* certo iam temporibus S. Gregorii Magni canebatur instar offertorii Dominicae IV. Adventus. Hic textus pure biblicus erat « parvum Ave », toto medio aevo hoc recitabant, etiam in Psalterio B. Mariae Virginis, i.e. ss. rosario. Saec. XI. mos invaluit « versum angelicum et evangelicum » recitare, ut S. Petrus Damiani testatur; huic adiunxerunt post « fructus ventris tui » : « Jesus Christus. Amen. »

2° *Secunda pars* (post « Jesus »). Tantum aetate exeuntis medii aevi inveniuntur « *orationes post Ave Maria dicendae* », e permultis una, nunc usitata (« Sancta Maria, mater Dei... ») praevaluit, nam in Breviarium Romanum S. Pii V. (1568) assumpta est.

2. Acclamationes liturgicae.

Sic vocantur breves formulae plausus, felicitationis aevo antiquo, e.gr. « Io, triumphe! » « Io, hymen! » Tales salutationes collectivae a populo acclamatae in usu erant in theatris, triumphis, festis publicis, in adventu imperatoris. Ecclesia quoque mature utebatur talibus acclamationibus; in Conciliis (« Fiat! Fiat! »), in electione episcoporum, festis diebus in honorem Papae et regum. Acclamationes *sensu stricto liturgicae* fere hae sunt:

a) **Amen.**

Est vox approbationis, et versa est: « Fiat! » etsi significat etiam « sane » : « Amen, amen dico vobis. » E Testamento Veteri transsumebatur invenimusque eam iam in usu Novi Testamenti, uti clare apparet, usu liturgico. *Momentum* huius acclamationis pulchre edicit fragmentum graecum papyri e saec. III.: « Dum nos celebramus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, tota creatura respondet cantui nostro: Amen, amen! Potentia, et laus unico dispensatori omnis boni. Amen, amen! » (DAL art. Papyrus col. 1478.). Populus quasi confirmat quod omnia quae celebrans dicit et facit, in nomine totius plebis sanctae fiebant, ut apposite S. *Augustinus*: « Amen dicere subscribere est » (Righetti I, 158.).

b) **Alleluia.**

Etiam haec acclamatio e textu et liturgia Veteris Testamenti oriunda est; sumebatur: « Laudate Deum! » estque expressio magni gaudii et tripudii spiritualis. Usum ritualem iam aevo apostolico Apocalypsis nobis confirmat (Apoc. 19, 1.). Non solum in liturgia, sed etiam in vita communi christiana hac acclamatione utebantur in signum serenitatis animae christianae. In mari hoc cantabant nautae, messores in agro, parvulos docebant matres ad hunc cantum, milites christiani, ut Britanni anno 429, hostes cum clamore Alleluia aggressi sunt. Alleluia praesertim in Missa receptum est: in Oriente post Evangelium, in Occidente Romano ante Evangelium: est quodammodo expressio gaudii propter verba dominica.

c) **Dominus vobiscum:**

hanc salutationem dixit Booz messoribus in agro (Ruth 2, 4.) et in Vetere Testamento pluries occurrit aliquantum uberius evoluta (1 Par 22, 18; 2 Par 15, 2; Jud 8, 34; Amos 5, 14; Agg 1, 13.). Etiam Angelus his verbis Mariam salutavit (Lc 1, 28.), mirum ergo non est, quod acclamatio haec in omnibus liturgiis usu recepta fuit. Prima anaphora cognita, S. Hippolyti, cum hac salutatione incipit, ut omnes deinceps praefationes. Responsum: « *Et cum spiritu tuo* » probabiliter e S. Paulo deprompta est (« Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo! » 2 Tim 4, 22.).

d) **Pax tecum, pax vobis.**

Etiam hanc salutationem Vetus Testamentum usitavit et inde assumptum est in Novum, sic e.gr. salutavit Dominus apostolos post suam resurrectionem (Jo 20, 19. 26.). *Osculum* sanctum (1 Cor 16, 20.) hac salutatione tradebatur et adhuc traditur. Pax exoptatur animis *defunctorum* iam in catacumbis: « In pace! Laurinia, dulcior melle, quiescas in pace! » S. *Chrysostomus* testatur hac salutatione episcopum uti, quando intrat basilicam. Usus invaluit in Occidente, quod solum episcopi salutant sic populum; sec. ritum hodiernum tunc tantum, si Gloria cantatur, quia « pax » in hac doxologia collaudatur. Has salutationes dicentes *extendunt manus ante pectus versus plebem*, veluti si dicerent, se amplexu fraterno velle eos fideles benedicere.

e) **Kyrie eleison**

quoque e Vetere Testamento ducit originem: « Miserere mei Domine! » (Ps 6, 3; 9, 14, etc.) « Domine miserere nostri » (Is 33, 2.), ideo per se patet, quod etiam Novum in usum recepit hanc formulam simplicem, paenitentiam et precationem auxilii divini efflagitantem (Mt 9, 27; 20, 30; Mc 10, 47 etc.). « Kyrie eleison me, » vel « eleison imas » (hêmas) legitur his textibus, sed sine hoc venit in usum liturgicum et quidem in Occidente primum latine. *Aetheria* circa 390 expresse notat canticum « Kyrie eleison » in ecclesia Hierosolymitana, dicens, quod in sua patria « Domine, miserere » clamatur. *Romae*, ubi lingua originalis sacralis graeca fuit, forsitan semper graece cantabatur haec acclamatio, Concilium Gallicum de *Vaisson* anno 529. ad usum Romanum provocans commendavit textum Graecum vice Latini. Haec acclamatio evasit canticum popularissimum, durante processione semper hoc cantabant. Huius processionis, quae « litania », i.e. precatio vocabatur, vestigium est in Missa cantus Kyrie, etsi Kyrie etiam in vita communi in usu erat.

f) **Deo gratias**

e textu S. Pauli: « Deo autem gratias qui nobis victoriam dedit per Dominum nostrum Jesum Christum » (1 Cor 15, 57.). Iam circa annum 180 hanc acclamationem in usu fuisse testantur martyres Scillitani in Numidia, qui a proconsule ad mortem damnati, una voce « Deo gratias » responderunt, ut et serius S. Cyprianus. In cultu publico respondetur « Deo gratias » ad lectiones; Deo agimus gratias pro acceptis beneficiis doctrinae et pabuli sanctorum eius verborum. *Momentum* eius laudat S. Augustinus: « Quid melius et animo geramus et ore probemus et calamo scribamus quam Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri laetius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest ». (Cit. in DAL IV, 1, 650.).

g) **Acclamationes ordinem componentes,**

seu invocationes (Ordnungsrufe) multo plures erant antiquiore tempore, quam in liturgiis hodiernis. Liturgia Romana haec fere habet hodie vigentes: « Ite, missa (=dimissio) est », « Flectamus genua! Levate! — Procedamus in pace! In nomine Christi, amen! — Humiliate capita vestra Deo! » Liturgiae Orientales plures asservabant: « State cum silentio! » — Ante lectiones: « Sapientia! Erecti! — Ianuas, ianuas! » sc. claudite. — « Sancta sanctis! — Respiciamus ad orientem! »

3. Doxologiae.

Doxologiae seu glorificationes sunt *formulae, quibus latria exhibetur Deo.* Vetus Testamentum cognoscebat doxologias, e.gr. « Tibi est gloria in saecula saeculorum. Amen! » « Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo et usque in saeculum, fiat, fiat! » In Novo Testamento invenitur vestigium liturgiae apostolicae in perpulchris doxologiis, etsi plerumque non remanserunt in usu, e.gr.: « Regi saeculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum. Amen » (1 Tim 1, 17.), « Sedenti in throno et agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum. Amen » (Apoc 5, 13.). « Ipsi (Jesu Christo) gloria et nunc et in diem aeternitatis. Amen » (2 Petr 3, 18.). Doxologiam Didaches iam vidimus. Doxologiae concludunt in omnibus liturgiis: anaphoram, praefationem eucharisticam (trisagion), preces litanicas fidelium, hymnorum, Pater noster et Psalmos. *Praecipuae* sunt sequentes:

a) **Doxologia minor,**

« Gloria Patri, » orta est e doxologia V.T. uti supra, cum expressione SS. Trinitatis: « Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto in saecula saeculorum. Amen ». Sic in scriptis legitur saeculi II.-III. (cf. MEL I, 4416., 3864., 3911., 4552. nr.). *In Oriente* interpolata est haec doxologia et usque ad hodiernum tempus sic canitur in Ecclesiis Orientis: « Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto *et nunc et semper* et in saecula saeculorum. Amen. » *In Occidente* dein etiam hic textus adhuc amplificatus est interpolatione: « Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto *sicut erat in principio* et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. »

b) **Doxologia maior,**

« Gloria in excelsis Deo », seu hymnus Angelicus est psalmus « idioticus » glorificationis Dei. *In primo eius textu, qui* in Constitutionibus Apost. invenitur (VII, 47, Funk I, 454 s.), *ad Patrem* praeprimis dirigitur glorificatio (Christus tantum per verba: « per magnum pontificem... Domine Deus, Pater Christi, agni immaculati, qui tollit peccatum mundi... tu solus Dominus Jesu Christi, Dei totius naturae creatae, regis nostri »). Hic textus *mutatus* est in praevalentem glorificationem *Filii,* ut evidens est, temporibus antiarianis, i.e. saec. IV.-o, hic textus graece legitur in Codice Alexandrino Scripturae sacrae (s. V.) et identicus est quoad paucas variantes cum textu latino. Mutatio haec in Alexandria facta esse videtur, ubi arianismus ortum habuit, et ubi in liturgia S. Marci omnes orationes ad Filium diriguntur. — Textus hic receptus Gloriae in excelsis in tres partes dividitur:

1. Angelica laus: Gloria in excelsis... voluntatis.
2. Laus Patris: Laudamus te... Deus Pater omnipotens.
3. Laus Christi: Domine Filii unigenite... miserere nobis.

Doxologia finalis: Quoniam tu solus sanctus... Jesu Christe, cum S. Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

c) **Doxologia maxima,**

« Te Deum, » cuius auctor quaerebatur, dum praecedentium doxologiarum auctores ignoti sint. Olim S. Ambrosius habebatur auctor, ideo etiam Hymnus Ambrosianus vocatur; nostris temporibus G. Morin demonstravit, quod verisimiliter S. *Nicetas* († 441) episcopus Remesianae (Béla-Palànka) in Dacia inferiore est auctor huius magnificae doxologiae, vel melius compilator trium partium, quae tribus Ecclesiae aetatibus ortae, genium harum resonant.

1. pars *aevo Ecclesiae primaevae*: « Te Deum laudamus... sancta confitetur ecclesia », cum doxologia finali: « Patrem immensae maiestatis, Venerandum tuum verum et unicum Filium, Sanctum quoque Paracletum Spiritum ». Partem hanc ex aevo ecclesiae primigeniae esse demonstrat allegatio S. Cypriani (De mortalitate c. 26.).

2. pars *aevo Ecclesiae aureo*: « Tu rex gloriae, Christe... Aeterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari ». Tempore luctarum arianarum hic hymnus ortus esse debet in honorem Christi Regis. Cursus rhytmicus huius partis eam presse distinguit a parte prima.

3. pars *aevo migrationis gentium*: « Salvum fac populum tuum, Domine... In te Domine speravi, non confundar in aeternum ». Haec pars consistit e versiculis e Biblia depromptis et in modum speculi imaginem reddit metus diri propter crudeles turmas Gothorum appropinquantium et vocis Ecclesiae opem a Deo implorantis.

4. Preces litanicae.

a) **Prex fidelium.**

Preces sicdictae litanicae oriuntur a « prece fidelium » seu « oratione communi », quae secundum vetustissimos testes Missae post missam catechumenorum in tota Ecclesia fiebant. Merito dicere potuit *Coelestinus.*, quod hae orationes « ab apostolis traditae, in toto mundo atque in omni ecclesia catholica uniformiter celebrantur » (Ep. ad episcopos Galliae c. 11.). Quod non est intelligendum de conformitate textus, sed de identitate intentionum, quae in antiquissimis orationibus sollemnibus Feriae VI. in Passione et Morte Domini emittuntur:

1. Oremus pro ecclesia sancta Dei. — 2. Oremus pro beatissimo papa nostro. — 3. Oremus pro omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, acolytis, exorcistis, lectoribus, ostiariis, confessoribus, virginibus, viduis, et pro omni populo sancto Dei. — 4. Oremus pro christianissimo imperatore. — 5. Oremus pro catechumenis nostris. — 6. Oremus ut cunctum mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat. — 7. Oremus pro haereticis et schismaticis. — 8. Oremus pro perfidis Judaeis. — 9. Oremus pro paganis. — N. B. oratio 4. et 9. cum denominatione

« pagani » ante saec. IV. non est possibilis, sed orationis thema certissime etiam temporibus persecutionum usitatum erat.

Intentiones hae et etiam verba aevo S. Cypriani et Cornelii papae, circa 250 iam notae erant et etiam in Alexandria usitatae, cui urbi proprie hoc tempore Roma necessitudine intima coniuncta erat. — Forma huius orationis « fidelium » erat, quod praeses sacri coetus enuntiabat intentionem, diaconus invitabat ad orationem solitariam: « Flectamus genua! » (in Aegypto: Klinômen gony!), dein sequebatur oratio nomine populi (A. Baumstark, Liturgie comparée p. 84).

b) **Ektenia seu letania.**

1° Prex fidelium in Oriente mutata est in formam magis *simplicem et popularem*, quae Graece **ektenia**, Latine « **letania** » (item a Graeco litê: supplicatio) vocabatur. Populus ad intentionem a diacono simpliciter enuntiatam respondebat cum acclamatione: « Kyrie eleison », vel « Deômetha sou, Kyrie, epakouson kai eleison » (Te rogamus Domine audi nos et miserere). Hic modus simplex supplicandi etiam in paganis cultibus usitatus erat, tum in cultu *Isidis*, tum in cultu Romano. Milites *Licinii* caesaris e.gr. ante pugnam precabantur: « Sancte Deus, te rogamus! Summe Deus, te rogamus; Summe, sancte Deus, preces nostras exaudi! Brachia nostra ad te tendimus, exaudi sancte, summe Deus » (Lactantius, De mortib. persec. 46, 6).

2° Romae in usu mansit oratio fidelium antiquo modo peracta, sed *S. Gelasius I.* inducebat formam litanicam, quae vocatur « *Deprecatio Gelasii* » (B. Capelle, Le Kyrie de la messe et le pape Gélase, Revue Bénéd. 1934, 126-144). Precationes hae papae Gelasii duodeviginti omnes novem intentiones « orationum sollemnium » includunt; primis 14 respondetur cum Kyrie eleison, nr. 15.17. respondetur cum « Praesta, Domine, praesta! » (Textum vide PL 101, 560 s.) Forma haec litanica in Missa Romana paulatim evanuit, sed eo magis praevalebat in liturgiis orientalibus.

c) **Litaniae Sanctorum.**

Prex litanica etiam extra Missam invaluit, notissimae sunt *Litaniae Omnium Sanctorum.*

1° Litaniae hae tribus constant partibus:

I. pars. Series invocationum *Sanctorum* cum responso: « Ora pro nobis! »

II. pars. Series invocationum *ad Deum* directarum, inde « Ab omni malo », liberationem supplicans per mysteria vitae Christi, resp.: « Libera nos Domine! »

III. pars. *Secunda* series precum *ad Deum* directarum, inde: « Peccatores », cum responso: « Te rogamus, audi nos! »

2° *Fundus communis Sanctorum*, qui invenitur in omnibus litanicis textibus, Romae compositus est, sec. Edm. Bishop aevo Sergii I. (687-701) et quidem Graece; continetur in « *Psalterio Aethelstani* » (manuscripto Musaei Britannici, Bishop, Liturgica historica, Oxford 1917, 125, Righetti I, 195.). Fundus hic communis in variis dioecesibus et regnis auctus est multis aliis sanctis regionalibus, eorumque praesentia in litaniis adminiculum praestat nobis ad enu-

cleandam originem cuiusdam libri liturgici. — *Pars II.* antiquior est eius, prototypus enim invenitur in vetere litania Nestorianorum *Kârôzûthâ* nominata, ubi etiam cum « libera nos, Domine! » respondetur. — *Pars III.*, in qua variae intentiones enuntiantur, quibus per « Te rogamus, audi nos » respondetur, resonat voces repercussas antiquarum orationum « fidelium ».

3° Litanias omnium sanctorum hodiernus ritus *triplici forma* usitat: a. *Longissima* forma est communior, a Rituali et Pontificali praescripta in diebus rogationum, ordinationibus, reliquiarum translationibus, exorcismis, et publicis devotionibus. b. Forma *brevior* in Sabbato Sancto, ubi iam secundum novum ritum, quando vigiliae instauratae noctis tempore aguntur, invocationes non duplicantur, quod secus praescriptum est, demum c. forma *brevissima* in commendatione animae praescripta. — Notandum, quod qui non intersunt processionibus rogationum, debent *privatim* post Laudes Litanias latine recitare cum suis orationibus annexis, sine psalmis poenitentialibus; Litanias lingua *vernacula* cantans non satisfacit obligationi, uti S. Rituum Congregatio declaravit (3. iun. 1904. cf. G. Oesterle in: *Anima* 1958, 45).

d) **Aliae litaniae**

permultae medio aevo exeunte exortae sunt, sed quinque tantum ad usum publicum approbatae.

1° *Litanias Lauretanas* in honorem Deiparae Virginis in celeberrimo sanctuario Lauretano saec. XV.-XVI. ortas Summus Pontifex *Sixtus V.* 1587 approbavit pro universali Ecclesia. Haec litania permultos praedecessores habuit, antiquissima est aliqua « letania de domina nostra Dei genitrice virgine Maria, oratio valde bona, quotidie pro quacunque tribulatione recitanda » in aliquo codice saec. XII. Moguntiae asservato, sed Beatae Virgini tituli a Litaniis Lauretanis differentes tribuuntur. — Textus Litaniarum Lauretanarum decursu saeculorum auctus est per Summos Pontifices; sic Pius VII. adiunxit titulum: « Auxilium christianorum », Pius IX. « Regina sine labe originali concepta », Leo XIII. « Regina sacratissimi rosarii » et pro Hungaria « Magna Domina Hungarorum », S. Pius X. « Mater boni consilii », Benedictus XV. « Regina pacis, Pius XII. « Regina in coelos assumpta ».

2° *Litaniae sanctissimi nominis Jesu* inde ab initio saeculi XV-i variis formis usitatae erant, inter quas forma hodie vigens a S. Bernardino Senensi, dulcissimi nominis Jesu propagatore, vel a S. Joanne Capestrano composita est, sed approbationem pro universa Ecclesia tantum a Summo Pontifice Leone XIII. nactae sunt anno 1886.

3° *Litanias sanctissimi Cordis* redegit venerabilis sanctimonialis femina Anna Magdalena Rémusat (1718); pulcherrimus textus ab eodem pontifice anno 1899 novo saeculo ineunte approbatus est.

4° *Litanias S. Joseph,* patroni Ecclesiae, S. Pius X. composuit et praescripsit 18. martii 1909.

5° *Litaniae aliae pro cultu publico* prohibitae tantum privatim recitari possunt. « Loci ordinarius nequit novas litanias approbare publice recitandas » (can. 1259. §2.), ergo privatim recitandas potest.

6° Ad quinque Litanias ad usum publicum approbatas novae accesserunt ex ordinatione S. P. Joannis XXIII.: *Litaniae pretiosissimi Sanguinis D. N. Jesu Christi,* approbatae et in Rit. Rom. (tit. XI. c. 2) post Litanias SS. Cordis Jesu inserendae, « ut in toto Orbe catholico a christifidelibus cum private tum publice adhiberi valeant » (Decr. Urbis et Orbis CRit 24. feb. 1960. AAS 1960, 412-3).

5. Symbola sacra (professiones fidei).

Tria symbola in liturgia usurpantur.

a) **Symbolum apostolicum**

formula brevi, concisa et intellectibus rudibus apprime consonante 12 articulis comprehendit summa capita nostrae fidei. Symbolum vocatur primo a S. *Cypriano;* « *symbolon* » est latine tessera, qua aliquis vel aliquid recognoscitur: homo his textibus symbolorum cognosci potest, num christianus sit (Cypr. Ep. 69, 7). *Momentum* symboli apostolorum Patres uno ore praedicant, S. *Irenaeus* id vocat « regulam veritatis » (Adv. haer. III, 9, 4), alii « regulam, doctrinam fidei, tesseram et sacramentum »; S. *Ambrosius* dixit: « Si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur symbolo apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum custodit et servat » (Ep. ad Siricium papam 42, 5); hic occurrit prima vice nomen « *apostolorum* ». Denominatio haec quoad rem vera est, nam recentes indagatores statuunt symbolum hoc iam circa annos 100-120 ortum esse (Batiffol et Burn, Introduction to the Creeds, London 1897, 30 p.). Legendariam narrationem de Apostolorum communi compositione ante eorum divisionem, primus tradit *Rufinus* Aquilegiensis circa 400, « ut tradunt maiores nostri » (PL 21, 337).

b) **Symbolum Missae,**

vocatum etiam « *Nicaeno-Constantinopolitanum* », 1° ortum sine dubio habuit in Concilio Nicaeno, etsi nescitur, quis eius actor sit. Symbolum primigenium « apostolorum » auctum est in venerando Concilio propter luctas adversus *arianos*; Eusebius Caesareensis, Athanasius, Hosius, Macarius Hierosolymitanus, nominantur *auctores* novarum formularum. Certum est, hoc symbolum auctum esse versus 360, quando haeretici « adversus Spiritum dimicantes », i.e. « *pneumato-machi* », divinitatem Spiritus Sancti negabant. Num hoc revera in Concilio Constantinopolitano anno 381 habito factum sit, ignoramus, nam acta genuina huius concilii deperdita sunt; Concilium Chalcedonense (451) autem recognovit hoc symbolum.

2° In Missa primum *Antiochiae* fuit recitatum hoc symbolum saec. V., et quidem ante « Pater noster », quod est oratio communis ante mensam Domini, scopus ergo erat professio orthodoxae fidei ante communionem. Ab ecclesia Antiochena hunc morem tum ecclesia Constantinopolitana accepit et usque hodie in liturgia byzantina viget, tum ecclesiae typi *Gallicani* primo wisigothorum (mozarabica). In Hispania enim saec. VI. Wisigothi Ariani erant et post eorum conversionem necessaria visa est haec frequens professio fidei. In omni Missa, ante fractionem panis sacerdos sanctum panem supra calicem populo ostendens, invitabat fideles: « Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus! » Recitatio Credo in omnibus Missis hinc etiam in Galliam viam invenit; Carolus Magnus in sua ecclesia *Aquisgranensi* introduxit ritum hunc cum additione hispanica « Filioque », verisimiliter ad consilium B. Alcuini, non vero ante communionem, sed *post Evangelium,* fidem testans post verba dominica percepta. Saeculis subsequentibus in tota regione Europae usus hic invaluit, Romae solum 1014 in Missam mos cantandi Credo invectus est, sed tantum diebus dominicis et festis, quando obiectum festi etiam in hoc symbolo commemoratur (B. Capelle, Le Credo, *in*: Cours et conférences des semaines liturgiques VI (1928) 171-184).

c) **Symbolum vocatum « Athanasianum »**

speciem catechismi popularis aurae prae se fert et duo magna mysteria Trinitatis et Incarnationis explicat in suis duabus partibus (v. 1-26 et v. 27-40.). Ideo originem tantum ducere potuit post concilium Chalcedonense (451); prima attestatio absolute certa habetur in Concilio Toletano anni 633.

6. Orationes.

Orationes vocantur precationes sacerdotis nomine populi ad Deum directae. De his uberius vide infra, ubi de stilis liturgicis agetur (E. 2. c.).

7. Praefationes.

Hoc *nomen* in ritu Romano orationibus quibusdam datum e ritu paganorum ortum sumit, *Tito Livio* dicente: « Solemne carmen, praefationis quod praefari, priusquam populus adloquatur, magistratus solent » (Hist. 39, 15.). Nomen in Oriente adhibitum est *anaphora* (oblatio), in liturgia Gallicana « *immolatio* » vel « *contestatio* », in liturgia mozarabica « *inlatio* » (versio servilis anaphorae).

a) **« Praefationes » primigeniae**

sunt orationes eucharisticae, i.e. summae precationes, quibus in Missarum sollemniis panis et vinum conficiebantur aevo catacumbarum. Typus huius precationis est sine dubio apostolicus, nempe gratiarum actio, ad quam tam saepe S. Paulus fideles suos exhortabatur (Eph 5, 20; Col 3, 17; 1 Thess 2, 13; 5, 18). Prima precatio huius generis in *Paradosi Apostoliké* S. Hippolyti legitur circa 220. Post dialogum ubique terrarum usitatum (« Dominus vobiscum... Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino. Dignum et iustum est ») sequitur brevis gratiarum actio, quae etiam longior potest esse, ut in Constitutionibus Apostolicis; dein evolvitur thema christologicum, i.e. momenta vitae Christi praeclara; dein centrum huius precationis: narratio coenae ultimae cum verbis instituentibus Eucharistiam, post haec verba anamnesis, i.e. recordatio mortis et passionis Domini cum oblatione hostiae, demum invocatio Sancti Spiritus, postremo autem doxologia finalis (J. Quasten, Monumenta eucharistica et liturgica vetustissima, Bonnae 1935, p. 29-30). Tales praefationes primigeniae (eucharisticae) leguntur etiam in Euchologio Serapionis, in papyris Der el Balyzeh, in liturgia S. Marci papyris descripta, in liturgia S. Jacobi et in Didascaliis Apostolorum etc.

b) **Praefationes consecratoriae.**

Ad formam praefationum eucharisticarum conceptae sunt etiam praefationes ad omnes consecrationes. Tales tum in libris vetustis, tum in hodie vigentibus occurrunt; in consecratione episcopi et presbyteri, virginum, fontis baptismalis, oleorum sanctorum, ecclesiarum, cerei paschalis. Hae praefationes excellunt profunditate idearum, sobria elegantia stili, compositione sua limpida, rhythmo harmonice sonante.

c) **Praefationes Missarum**

tertiam classem constituunt. Tantum in Occidente inveniuntur, in *Oriente*

enim anaphora tota quanta immobilis et invariabilis evasit. In Occidente, ubi typi *Gallicani* vigebant quam maximum varietatem invenimus: in singulis Missis enim propria « praefatio » (rectius immolatio, inlatio etc.) legitur. *In ritu Romano* praefationes initio unicuique Missae propriae erant, decursu vero temporum paulatim imminutus est eorum numerus: dum Sacramentarium Leonianum 267 exhibet, Gelasianum tantum 54 continet, Gregorianum autem solum 13. Medio aevo tamen e liturgia Gallicana multae aliae praefationes in usum venerunt praeter « Gregorianas » praefationes. *Reformatio Missalis* Romani dein exstirpavit omnes has praefationes eorumque numerum « cum severitate, quam hodie excessivam iudicamus » (Righetti I, 201) ad 11 restrinxit. Sic fuit usque ad nostra tempora; circa 1890 *motio* ad restaurandas praefationes incepit; quidam ordines religiosi acceperunt proprias praefationes Sanctorum fundatorum. In Missali Romano a Benedicto XV. anno 1920 edito duae « novae » assumptae sunt, rectius antiquae restauratae: praefatio defunctorum et S. Joseph; Pius XI. introduxit praefationem Christi Regis (1925) et Sanctissimi Cordis (1928).

Litteratura.

F. Cabrol, Le livre de la prière antique, 4. ed. Paris 1900. (*Germanice* a *G. Plettl,* Die Liturgie der Kirche, 1906). — *E. v. d. Goltz,* Das Gebet in der ältesten Christenheit, Leipzig 1901. — *F. J. Dölger,* Sol salutis. Gebet und Gesang im. christl. Altertum, 2. ed. Münster i.W. 1925. — *J. A. Jungmann,* Die Stellung Christi im liturgischen Gebet, Münster i. W. 1925. — *C. del Grande,* Liturgicae preces. Hymni christianorum e papyris collecti, Neapoli 1928. (cf. Gnomon 1929, 30-35). — *J. M. Nielen,* Gebet und Gottesdienst im Neuen Testament, Freib. i. Br. 1937. — *A. Baumstark,* Liturgie comparée, 2. ed. Chevetogne 1940, 57-97. — *L. Eisenhofer,* Handbuch d. kath. Liturgik 2. ed. 1941, 159-220. — *M. Righetti,* Storia liturgica I. 1945, 146-203. — *I. Herwegen,* L'Écriture Sainte dans la liturgie, *in*: Maison-Dieu cah. 5. (1946) 7-20. — *Chr. Mohrmann,* Quelques observations linguistiques à propos de la nouvelle version latine du Psautier, *in*: Vig. christ. 1947, 114-128, 168-182. — *A. Bea,* Die neue lateinische Psalmenübersetzung. Ihr Werden und ihr Geist, Freib. i. Bl. 1949. — *H. Schneider,* Die biblischen Oden im christlichen Altertum, *in*: Biblica 1949, 28-65, 239-272, 433-452, 379-500. — *J. Daniélou,* Bible et liturgie, Paris 1951. — *Chr. Mohrmann,* Sur l'histoire de praefari-praefatio, *in*: Vig. christ. 1953, 1-15. — *J. Lechner,* Liturgik d. röm. Ritus 6. ed. 1953, 55-71. — *P. Paris,* Les hymnes de la liturgie romaine, Paris 1954. — *A. Bea,* De novo Psalterio latino ab eius prima editione recurrente decennio, *in*: Eph. Lit. 1955, 63-71. — *G. M. Castellini,* Parola di Dio e culto di Dio, *in*: Eph. Lit. 1956, 50-55.

D) De rebus sacris.

Definitio. Res sacrae, seu sacrales vocantur *omnia obiecta materialia pertinentia ad cultum publicum Ecclesiae*: tum sacra aedificia, tum supellectilia, tum utensilia, tum vestes, demum aliqua elementa naturae inservientes ut symbola naturalia.

Status quaestionis. De sacris *aedibus* agitur in tractatu de sanctificatione loci (hierotopologia), de *supellectilibus* sacris, i.e. de altari, cancellis, confessionali, ambone seu pulpitu, de organis, imaginibus et statuis, dein de *utensilibus* sacris: de vasibus sacris etc., de vestibus in tractatu de paramentica. — Nunc agendum tantum est de quibusdam elementis naturae inservientibus, quae vi suae naturae communiter *symbola naturalia* sunt, ut aqua, ignis et lumen, oleum, thymiama, sal, cinera, vinum et panis. E quibus praecipua subiiciuntur.

1. Aqua.

a) **Symbolismus naturalis**

aquae prona est: sancta et innocens creatura, pura et simplex, a S. Francisco clamata virginalis; simplicitas et limpiditas eius semper parata sunt ad purificandum omne squalidum et ad recreandum sitientes et refrigerandum lassorum membra. At aqua simul etiam investigabile quid est, parata quoque ad perdendum, deglutiendum, ipsissima ergo imago naturalis habetur vitae humanae, quae vix nata iam in se portat germen mortis. — Aqua ideo ab omnibus populis colebatur, *Babylonii* eam « orem mundi » praedicabant, *Aegyptii* putabant eam deitatem vetustissimam, e qua etiam dii ortum duxere; *Indorum* doctrina tenebat, quod in principio aquae erant et postea tantum terra orta est. *Vetus Testamentum* semper adhibuit aquam ut symbolum, praesertim purificationis; in ea debebant lavare « Aaron et filii eius manus suas ac pedes, quando ingressuri erant tabernaculum testimonii, et quando accessuri erant ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino » (Ex 30, 19 s.); multoties praescripta est adhuc aqua in veteri lege.

b) **Usus aquae**

ideo iam a christianis antiqui aevi cognitus fuit. *Tertullianus* commemorat quosdam christianos, qui ante orationem manus lavant, etsi forte e balneis venerunt (De orat. c. 13). Similiter eodem fere tempore loquitur *Clemens Alexandrinus* de lotione manuum ante precationem, rem declarans ut signum internae puritatis (Stromat. IV, 22). Aevo aureo Ecclesiae iam usus hic late divulgatus est: novis basilicis praefixum est atrium, in medio puteum habens ad purificandum, « lavatorium » nominatum (H. Marucchi, Basiliques et églises de Rome, 2. éd. Rome 1909, p. 17). Praeter usum hunc mere symbolicum, aqua:

c) **elevata est**

ad usum supernaturalem. Per Christum Dominum quidem facta est materia remota *baptismi*, ut sit unda regenerans hominem in vitam aeternam.

1° Ab Ecclesia quoque elevata est aqua *in Sacramentale*, ut videri potest iam saec. III. in Oriente et Occidente. Aqua benedicta est *ad aspersionem et ad potionem*, aspersio videri potest in Actis Petri et Actis Thomae, potus aquae benedictae in Euchologio Serapionis: « Oratio pro oleis et aquis oblatis... et fiat remedium curationis et remedium integritatis perceptio harum creaturarum » (XVII. Quasten p. 66). *In Occidente* aquae benedictae *sal mixtum est*, Libro Pontificali de Alexandro (105-115) dicente: « Hic constituit, aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis hominum », quod initio saec. VI.-i, quando haec pars scripta est, certe iam in usu fuit. Haec commixtio aquae et salis ad exemplum *Elisaei* prophetae facta est, ut iam Gelasianum medio saec. VI. dicit: « Exorcizo te, creatura salis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, qui te per Heliseum in aqua mitti iussit, ut sanaretur sterilitas » (Wilson p. 286).

2° Aqua haec benedicta *in domibus fidelium* usurpabatur, « ut ubicumque aspersae fuerint per angulos domus... sit nobis aqua virtutis, aqua refrigerans, diaboli ritu ut liberati hospitales agamus tibi, Domine Pater omnipo-

tens, laudes et gratias » (Wilson p. 287). Initio medii aevi haec aspersio omnibus Dominicis facta est per monasteria, non solum in ecclesia, sed et in capitulo, in dormitorio, refectorio, scriptorio, in officinis, in culina etc.

3° Haec aspersio remansit *ante Missam summam Dominicis* etiam in hodierna liturgia, cuius ritus hae sunt praescriptiones. Fieri *debet* in ecclesiis collegiatis, *decet*, ut fiat in omnibus ecclesiis, ubi missa conventualis celebratur et in parochialibus, *potest* celebrari in omnibus ecclesiis (Decr. S. C. Rit. nr. 4051). *Ritus eius*: Celebrans in pluviali aspergit ter genuflexus altare, dein seipsum, surgens intonat antiphonam « Asperges me » (« Vidi aquam ») et aspergit ministros, dein aspergit clerum et postremo populum, sive e cancellis. sive transeundo per totam ecclesiam, a latere epistolae incipiendo, reversus dicit versiculos et orationem.

d) **Effectus aquae benedictae**

sunt ii pro quibus Ecclesia Deum precatur, in Rituali Romano (Tit. IX, cap. 2. quae orationes omnes iam in Gelasiano inveniuntur). Virtus benedictionis Dei infusa est aquae lustrali, ut haec creatura, nunc iam elevata, sit apta

ad 1° « *abigendos daemones* » ut, « effugiat atque discedat a loco in quo aspersa fuerit, omnis phantasia et nequitia vel versutia diabolicae fraudis », ut « omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur » — hic effectus ergo apotropaeicus est.

2° « Omnibus sumentibus est salus mentis et corporis », ergo *salus animae*, ut Gelasianum dicit: « Sis eis animae tutamentum, atque huic domui protectio in remissione peccatorum » (Wilson p. 286). Ideo secundum theologos aqua benedicta apta est ad delenda venialia.

3° « *Salus corporis* », aqua haec apta est ad « morbos pellendos », ut « salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationis defensa ».

4° Alia *bona temporalia*: « Si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aspersione huius aquae effugiat ». Haec bona temporalia *permulta* sunt, quae efflagitantur per aspersionem aquae benedictae in variis sacramentalibus: Angeli de caelis « custodiant, foveant, protegant, visitent atque defendant omnes habitantes » (Ben. domus Tit. IX. c. 3, 9), ut « fructus terrae usque ad maturitatem perducantur » (Super fruges et vineas Tit. IX, c. 6, 18), « ut cibus salubris fiat fidelibus tuis » (Ben. ovorum c. 3. n. 11, 2), ut qui curribus viae ferreae vehuntur, « liberentur et custodiantur semper a periculis universis » (Ben. viae ferreae c. 8, 7), ut equi « benedictionem Domini accipiant, qua corpore salventur » (Ben. equorum, c. 5, 2).

5° *Gratias etiam actuales* confert sec. orationis verba: « Ut ubicunque fuerit aspersa... et praesentia Sancti Spiritus nobis, misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur » (c. 2, 3).

2) Ignis.

a) **Symbolismus naturalis**

ignis invenitur in eo, quod calor est et simul lucet. Flammae ignis utique symbolum animae sunt: semper sursum tendentes ab incitato aere quidem

moventur, sed iterum sursum tendunt, fulgentes caloremque emittentes. Igni similem dixerunt igitur *animam*, principium vitale hominis, igni similabant *Deum* in Veteri Testamento, *Jesus* autem dixit de seipso: « Ignem veni mittere in terram et quid volo, nisi ut accendatur » (Lc 12, 49), item de seipso affirmavit se esse lumen mundi.

b) **Usus ignis**

in cultu publico ut patet, aevo antiquo incognita erat, nam tum abrogatorum sacrificiorum tum pagani cultus memoriam excitasset.

1° Aevo medio ineunte germanicam consuetudinem *ignes* accendendi *vernales* aequinoctii tempore (Frühlingsfeuer) etiam Ecclesia adhibuit, ideoque in Gallia Sabbato Sancto ante functiones sacras incendebant et benedicebant novum ignem; haec transmutatio usus pagani in libris liturgicis Franciae et Germaniae saepe invenitur. S. *Bonifatius*, apostolus Germaniae a papa Zacharia anno 752 accepit litteras hac de re, in quibus Summus Pontifex ei scripsit: « De igne autem paschali, quod inquisisti... quinta feria paschae, dum s. chrisma consecratur, tres lampades magnae capacitatis ex diversis candelis ecclesiae oleo collecto... indesinenter multa diligentia ardebunt,... de quibus candelis sabbato sancto pro sacri fontis baptismate sumptus ignis per sacerdotes renovabitur. De crystallis autem, ut asseruisti, nullam habemus traditionem » (Ep. 87. Mon. Germ. Epist. aevi Caroling. 1, 370). Usus ergo benedictionis ignis ignotus erat Romae, ideo loquitur papa de usu Romano, quod autem de « crystallis » dixit, intelligitur ex usu adhibendi ad illuminandum novum ignem vel silicem, vel « liquidum crystalli orbiculum » (de quo usu Rupert. Tuitiensis, De div. officiis V. c. 28).

2° Primitus hic novus ignis habebat *finem apotropaeicum, ut oratio saec.* X.-i medii ostendit: « Ut intus vel foris accensus, non quod nocet, incedat, sed omnia ad usus hominum necessaria calefaciat sive illuminet, et quae ex hoc igne fuerint conflata vel calefacta, sint benedicta et omni humanae saluti utilia » (sec. Ordinem Romanum vulgatum, ed. Hittorp, De div. offic. Coloniae 1568 p. 68, ordo hic in Germania et Gallia med. saeculo X-o usitatus erat.)

3° *Novus ordo* hodie vigens *Sabbati Sancti* unicam tantum habet orationem ad benedicendum novum ignem, in quo precatur, nos « per haec festa paschalia *caelestibus desideriis* inflammari » (Ordo Hebdom. Sanctae instauratus, 1956, De vig. pasch. n. 3).

4° Aliam quoque benedictionem ignis, contentam in Rituali Romano, ut « *benedictio rogi*, quae fit a clero extra ecclesiam in vigilia Nativitatis S. Joannis Baptistae » (Tit. IX. c. 3, 13), censemus esse transmutationem evidentem ignium occasione solstitii aestivi accensorum per gentes Germanicas (« Sonnwendfeuer »), cuiusmodi ignes hodiedum in Helvetiae et Tyroliae montibus accenduntur.

c) **Ignis, ut lumen ardens**

multo crebrius usurpatur.

1° *Candelae seu cerei* tantum secundum necessitatem in usum venerunt primis tribus saeculis, nam in cultibus paganis sacralem usum habebant; per-

multa candelabra sunt inventa *in sepulchris Etruscis.* Saeculo IV. in finem vergente iam etiam christiani candelas accenderunt in sepulchris martyrum et carorum suorum, in *Orientis* ecclesiis iam ad Evangelium quoque accendebantur, uti Hieronymus testatur (v. supra). Hunc usum liturgicum orientalem notavit in sua Peregrinatione Aetheria de ecclesia Anastaseos: « Candelae vitreae ingentes ubique plurimae pendent... luminaria infinita lucent, fit lumen infinitum » (cap. 24, 9, 4). Inde a saec. V.-o etiam in *Occidente,* uti videtur e carmine S. Paulini episcopi Nolani († 431), qui de ecclesia S. Felicis martyris Nolani cecinit: « Clara coronantur densis altaria lychnis, lumina ceratis adolentur odora papyris » (Carm. in nat. S. Felicis, carm. 3, 9). Non multum post hoc tempus Ordo Romanus I. praescribit ad Missam papalem septem acolythos septem debere portare candelas ante Pontificem, quae ad altare deponebantur. Clarum est numerum septenarium ideo in usum venisse, quia S. Joannes in visione sua conspexit Filium hominis « in medio septem candelabrorum aureorum » (Apoc 1, 13); sec. Expositionem missae Gallicanae (saec. VII), septem luminaria septem dona Spiritus Sancti significant.

2° *Praescriptiones hodie vigentes* candelarum sunt fere sequentes. a. *Materia liturgica cereorum* est cera apum, « episcopi pro viribus curent, ut cereus paschalis et duae candelae in Missa accendendae sint ex cera apum saltem in maxima parte » (CRit d4147. a. 1904). « Attentis tamen praesentis temporis adiunctis, quae adhuc non permittunt ubique terrarum *maximam* partem illarum candelarum ex praedictis materiis conficere, iisque perdurantibus, remittitur ad Conferentias episcopales cuiusque nationis praecise determinare ad *quantas centesimas partes* diminui possit cera apum, aut oleum olivarum vel alia olea ex seminibus extractis in illis regionibus, ut praedictae candelae in usum liturgicum adhiberi valeant » (CRit d 13. dec. 1957). — Candelae ex cera *dealbata* debent esse; pro officiis quibuscunque defunctorum, in matutinis tenebrarum et fer. VI. in Pass. et Mort. Domini Caeremoniale episcoporum praescribit ceram *communem,* non dealbatam, sed *flavam.* — Luminaria *extraliturgica,* i.e. supra numerum praescriptum possunt esse e varia materia (oleum, stearinum, spiritus naturalis vulgo Gas, lux electrica). — b. *Numerus candelarum* praescriptus: *duo* cerei in Missa privata lecta, *quatuor* (vel sex) in missa cantata, *sex* in Missa solemni, et in expositione privata SS-mi, *septem* in missa pontificali Ordinarii, septima candela in medio altaris ante Crucem collocetur (Rubr. gen. Missae XX., Caerem. Ep. I, 12. 11. 12; 29, 4), *duodecim* in expositione publica, S.C.Rit. decr. 18. aug. 1949 (AAS 1949, 476) ut minimum praescripsit quatuor etiam pro Missa sollemni, quatuor item pro sollemni expositione Sanctissimi. Cerei altaris accendendi sunt incipiendo a cornu epistolae a cereo Cruci proximo, dein item a cereo proximo in cornu evangelii (Decr. 4198. nr. 9).

d) Cereus paschalis

est cereorum vetustissimus, qui statim ab initio significationem symbolicam prae se ferebat. Iam saec. IV. invenimus usum huius cerei, qui praeprimis Christum resurgentem significabat, ut liturgia mozarabica (s. VII) canebat ad accensum cerei paschalis: « Lumen verum inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quoniam apud te est, Domine, fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen. » Illuminatio, phôtismos vocabatur baptisma, in quo homo lumine gratiae sanctificantis accipit potestatem videndi obiecta fidei mo-

do supernaturali, ad quod illustrandum antiquitus et nunc omnes cerei accenduntur de cereo paschali. *Hic ritus innovatus est a S. Sede*: « Sacerdos de cereo benedicto propriam candelam accendit... de cereo benedicto accenduntur candelae cleri... tertio accenduntur ex cereo benedicto candelae populi et luminaria ecclesiae » (Ordo instauratae vigiliae 1952. cap. III. nr. 11. et OHS 1956. c. 2, 11). Cereus paschalis deinde etiam hominem redemptum significat sec. Augustinum: « Cereus nocturnum lumen est et homo iustus tenebrosi huius mundi lumen est... Tria conspiciuntur in cereo: Cera, papyrus et flamma. Et in homine iusto tria sunt: Caro, anima et sapientia. Flamma illuminat, papyrus accenditur, cerae tenacitas solvitur » (De cereo pasch. PL 46, 819). Sic caro consumitur ignito animi zelo, interea christianus lumen est mundo sapientia sua supernaturali. (Benedictio cerei cf. Heortol. E. 2. a. 3.°-5.°, b. 2°, leges cultuales d. 1°).

e) **Lampas perpetuo ardens**

1° ante Sanctissimum reconditum tota quanta *symbolum* est: significat nostram vitam quam in servitute Dei et militia Christi volumus impendere et in cuius signum lampadem ardentem ponimus ante thronum Domini terrestrem, quia ad numerum servorum fidelium volumus pertinere, qui cum lampade ardente Dominum expectabant. Origo huius lampadis in Sepulchro Domini quaerendum est, ubi iam s. IV. exeunte teste Aetheria in « spelunca interiori noctu ac die semper lucerna ardet » (cap. 24, 4). Crucigeri e Terra Sancta videntur secum portasse hanc consuetudinem, et lampadem accendebant ante tabernaculum, ubi Corpus Domini asservatur. Primum vestigium invenitur in decreto Synodi de Worcester in Anglia 1240: « In ecclesiis saltem, quarum amplae sunt facultates, continuo lampas ardeat, die videlicet ac nocte coram redemptionis nostrae pignore » (Eisenhofer I, 288).

2° *Praescriptiones hodie vigentes sunt*: « Coram tabernaculo, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum, ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinario loci prudentiae permittitur, ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetabilibus » (Can. 1271). Oleum *vegetabile* est oleum e plantis profectum, quorum defectu, quod sane raro contingit, potest adhiberi *petrae* oleum, « ultimo loco etiam *luce electrica* adhibita » (C. Rit d. 4334. die 23. febr. 1916, quod indultum iuxta decr. 18 aug. 1949 (AAS 1949, 476) firmum adhuc manet. Ceterum moneri debet lampadem hanc etiam « *candela* alicubi *pro* lampade... indeficienter ardente *peculiari modo confecta* » suppleri posse (CRit d 13. dec. 1957). Usus candelae per dies septem continuo ardentis in quadam officina ceraria Urbis excogitatae, ubique terrarum invaluit (Eph. Lit. 1958, 132).

3) Oleum.

a) **Symbolismus olei**

e fertilitate utili arboris olivae oritur, habitatores enim regionum meridionalium multum venerabantur olivam, cuius fructus oleum donant dolores leniens, vulnera sanans, corpus corroborans, cibos condiens, lumen proferens. In utilitate hac olivae multiplici gentes potestatem deitatis agnoverunt et oli-

va ut symbolum *pacis* habebatur, oleum autem plenitudinem *bonitatis* a deitate venientis. Idcirco gentes primitivae iam cognoverunt consuetudinem ungendi oleo homines ad servitium deitatis *consecrandos.* Romani et Graeci simulacra deorum liniebant oleo. Vetus Testamentum quoque adhibuit oleum ad consecrandos sacerdotes, imo tabernaculum testimonii et arcam foederis, aras et « universam supellectilem quae ad cultum eorum pertinet », sanctificabant (Ex 30, 28). — In Novo Testamento oleum evasit *symbolum Spiritus Sancti,* columbae enim specie apparuit super caput Domini in Jordane baptismum « tebila » suscipientis, indicans hac imagine columbam super aquas diluvii revertentem, portantem ramum olivae virentibus foliis in ore suo (Gen 8, 11). Hunc symbolismum supponit ipse Dominus dicens: « Spiritus Domini super me et propterea unxit me Deus » (Lc 4, 18), cf. etiam Act. 10, 38: « Jesum Nazarenum, quem unxit Spiritu Sancto ». Hac metaphorica locutione affirmabat Dominus Spiritum Sanctum ab eo nequaquam separatum esse. Sic intelligitur plene:

b) **Usus olei,**

quem ipse Christus initiavit, qua materiam Sacramentorum. Quocirca pronum est oleum in usu fuisse iam aevo antiquissimo:

1° *Ad sanandum corpora,* quando adhuc curationes charismaticae fiebant tempore apostolico (Mc 6, 13: « Daemonia multa eiiciebant et ungebant oleo multos aegros et sanabant »). Hoc sacramentale retinebant primi christiani, precantes, ut Deus dignetur oleo « largire virtutem curationis, ut omnis febris et omne daemonium et omnis morbus per unctionem removeatur » (Euchologion Serapionis XVII. Quasten p. 66). Daemon ideo commemoratur, quia secundum effatum Domini habet potestatem super corpora hominum: « Hanc filiam Abrahae, quam alligavit satanas (mulierem quae habebat spiritum infirmitatis decem et octo annis et erat inclinata), non oportuit solvi a vinculo? » (Lc 13, 16 cf. 11.) Daemon etiam maiorem potestatem habet; ideo:

2° *ad sanandum quoque animas* adhibetur oleum, et a maioribus nostris vocabatur « oleum *exorcizatum* », nunc *oleum catechumenorum,* quo ungitur catechumenus baptizandus ante baptismum. Formula in hodierno ritu consecrationis olei usitata iam in Gelasiano occurrit et exprimit clare hanc virtutem apotropaeicam huius unctionis: « Te oramus, Domine, ut venturis ad beatae regenerationis lavacrum tribuas per unctionem istius creaturae purgationem mentis et corporis, ut si quae illis adversantium spirituum inhaesere reliquiae, ad tactum sanctificati olei huius abscedant » (Wilson p. 70).

3° Oleum significat etiam *conferendam sanctitatem* per inhabitationem Spiritus Sancti, et hoc probe scientes, maiores nostri confecerunt etiam « oleum *gratiarum actionis* » ad *unctionem postbaptismalem* et ad unctionem confirmationis, deinde « oret super oleo unctionis quod est oleum gratiarum actionis » (Canones Hippolyti can. 117.). Ad dandam plenitudinem sanctitatis oleum Christus elevavit, materiam constituens *Sacramenti confirmationis,* quam antiqui christiani ad distinguendum a ceteris oleis miscebant aromatibus, ut significent « euodiam », bonum odorem Christi (2 Cor. 2, 15). In Oriente haec materia confirmationis est oleum mixtum fere 40 substantiis aromaticis et vocatur « *myron* », in Occidente miscetur balsamo, impediente corruptionem et vocatur « *chrisma* ».

4) Thymiama.

a) **Symbolismus naturalis thymiamatis,**

i.e. incensionis et combustionis thuris, vel aliae resinae (Harz, résen, gyanta) arborum lacrimantium est pronus. Hanc thurificationem enim adhibebant iam gentes antiquissimae ad bonum odorem excitandum in domibus suis, et prout diis suis cibos et potus, ita etiam bonum odorem obtulerunt. Quia fumus naturalis imago animae est, ideo thymiamatis fumus in caelum ascendens optime potuit significare orationem animae. Ideo Aegyptii, Sumerii, Babylonii, Persae, Canaanaei, Graeci et Romani omnes adhibebant thymiama, sicut et liturgia Veteris Legis: « Facies thymiama compositum opere unguentarii, mixtum diligenter et purum et sanctificatione dignissimum » (Ex 30, 35). In Novo Testamento thymiama imago est orationis: « Phialae aureae plenae odoramentorum quae sunt orationes sanctorum » (Apoc. 5, 8).

b) **Usus thymiamatis**

1° *non statim inceptus est,* nam aevo persecutionum multi thymiama diis paganis offerre coacti magis mortem elegerunt martyrii, alii autem, qui thus iaciebant ut « thurificati » iam plene negatores Christi habebantur. Ideo, ut E.G.C. Atchley ostendit, ante saeculum IV. usus cultualis incensi prorsus ignotus erat in Ecclesia, tantum ut morem mere civilem retinebant incensum accendendi *in sepulchris mortuorum* « ad solatia sepulturae » (Tertullianus De idololatr. c. 11). — Deinde post liberationem Ecclesiae iam s. IV-o in templis christianis thus accendebant, utique sine aliquo ritu, uti testatur Aetheria; ad matutinum coetum Hierosolymis tria thuribula accendebantur, « ut tota basilica impleatur odoribus » (24, 11). In *Occidente* Sergius I., papa ex Oriente veniens († 701), iussit feci « thymiaterium aureum » ante imagines S. Petri, « in quo incensum et odor suavitatis festis diebus, dum Missarum sollemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur » (Liber pontif. Duchesne I, 374).

2° Usus incensi *signum honoris* est, non solum Deo exhibiti, sed etiam erga res et personas cum Deo coniunctas. **a.** Primitus *Summus Pontifex* excipiebat incensationem, ut Ordo Romanus I. dicit, nam « subdiaconus cum thymiaterio procedit ante ipsum mittens incensum »; etiam alii episcopi hunc honorem, summis magistratibus civilibus Romanis competentem sibi vindicaverunt. — **b.** Planum erat etiam obiecta thurificare. Primo quidem *librum evangeliorum,* qui symbolice semper personam Christi gerebat, continens eius sacratissima verba, quod iam medio s. VI. videmus: « Procedunt de sacrario IV diaconi cum IV evangeliis, praecedentibus duobus candelabris cum thuribulis » (Gelasianum, p. 50). Dein etiam *altaria* adolebantur thure, ibi enim repraesentatur sacramentaliter Christi sacrificium incruentum; quod in Oriente mos erat, in Occidente tamen non ante saec. XI. invenitur (Jungmann, Missarum sollemnia I, 375). — **c.** *Sanctissimum Sacramentum* triduo sacro incensare primum Cluniacenses coeperunt s. X.-XI, deinde etiam Crucem et reliquias. — Incensatio ergo est *signum honoris* erga personas, erga obiecta cum Deo coniuncta, ut evangeliarium et altare, est signum *duliae* erga imagines et reliquias, et demum signum *latriae,* seu adorationis erga Sanctissimum, vel relativae adorationis erga crucem.

3° *Praescriptiones hodiernae* incensationis: **a.** Semper *stando* fit, excepta incensatione Sanctissimi. — **b.** *Praeparatio* eius est sequens: Diaconus manu sinistra tenet naviculam continens thus, dextera autem cum solitis osculis porrigit cochlear celebranti, cum inclinatione capitis dicens: « Benedicite pater reverende. » Celebrans ter ponit thus in thuribulum, dicens praescriptam benedictionem, dein reddit cochlear recipiens osculum in manu, dein iungit manus et crucissignatione benedicit incensum, sinistra infra pectus posita. Haec benedictio omittitur tantum, si *solum* Sanctissimum incensatur, ergo si etiam oblata vel personae incensantur, benedicendum est etiam exposito Sanctissimo et etiam in omnibus officiis (ut Missa, absolutione, exsequiis) defunctorum, etsi hic solita oscula desint. — **c.** *Thurificatio ipsa*: Celebrans accipit thuribulum, apprehendens id ad summitatem catenularum sinistra manu, dextra easdem simul iunctas tenet prope thuribulum, quod ope perpendiculi directe ducit sursum usque ad summum pectus et versus incensandum obiectum ictum facit unicum. Actio haec est *ductus*, notandum semper faciendus est unicus ictus, solum Sanctissimum potest incensari duplici *ictu*. *Triplex* ductus (duplici ictu) exhibendus est Sanctissimo; (unico iam ictu) Cruci, imagini Divini Infantis, celebranti et Episcopo praesenti. *Duplex* ductus exhibendus est: Ministris sacris, praelatis, canonicis et dignitatibus. *Simplex* ductus competit inferioribus.

Litteratura.

In genere. *F. Cabrol*, Le livre de la prière antique, Paris 1900. - vers. german. 1906, 380-413. — *E. v. Schmid-Pauli*, Elemente und Naturalien in der Kirche, Paderborn 1937. — *L. Eisenhofer*, Handbuch d. kath. Liturgik, 2. ed. 1941, I, 282-317. — *J. Lechner*, Lit. d. röm. Ritus, 6. ed. 1953, 80-87.

Quoad aquam: *Ad. Franz*, Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter, Freib. i. Br. I. 1909,, Wasserweihe 43-220. — *A. Archdale King*, Holy water. A short account of the Use of Water for ceremonial and purificatory Purposes in Pagan, Jewish and Christian times, London 1926. — *F. Cabrol*, Usage de l'eau dans la liturgie, *in*: DAL IV, 2 (1921) 1680-1690. — *F. J. Dölger*, Nilwasser und Taufwasser, *in*: Ant. u. Christent. 1936, 153-187. — *E. Vijkoukal*, Wasser, *in*: LfThK X (1938) 759-765. — *R. Lesage*, Dict. prat. Litg. Romaine, Paris 1952, col. 360-366. — *M. Righetti*, Storia liturgica IV. 1953, 393-399. — *J. Lécuyer*, La prière consécratoire des eaux, Maison-Dieu 52 (1957) 71-95.

Quoad ignem: *Ad. Franz*, Feuerweihe op. cit. 507-518; Kerzenweihe 442-460. — *H. Leclercq*, Feux de la St. Jean, *in*: DAL V, 1 (1922) 1466-1470. — *F. J. Dölger*, Sonne u. Sonnenstrahl als Gleichnis in der Logostheologie des christl. Altertums, *in*: Ant. u. Christ. 1929, 271-290. — *Idem*, Lumen Christi, ibid, 1-43. — *H. Leclercq*, Lumière, *in*: DAL IX 2 (1930) 2698-2702. — *F. J. Dölger*, Das Sonnengleichnis in einer Weihnachtspredigt des Bischofs Zeno von Verona, *in*: Ant. Christ. 1940-50, 1-56. — *E. Wohlhaupter*, Die Kerze im Recht, Weimar 1940. — *M. Righetti*, de lumine: I (1945) 305-310, de igne: II (1946) 170-171 et IV (1953) 415-416.

Quoad thus: *E. G. C. Atchley*, A. History of the use of Incense, London 1909. — *E. Fehrenbach*, Encens, *in*: DAL V, I (1922) 2-21. — *R. H. Connolly*, The Use of Incense in the Roman Liturgy, Eph. Lit. 1929, 171-176. — *M. Righetti* I (1945) 301-305. — *R. Lesage* op. cit. 1952, col. 381-384. — *J. A. Jungmann*, Missarum sollemnia 3. ed. Wien 1952, I, 409-413; II, 88-95.

Quoad oleum: *F. J. Dölger*, Der Exorzismus im christl. Taufritual, Paderborn 1909, 137-159. — *A. Franz* I (1909), Oelweihe 335-361. — *H. Leclercq*, Chrisme in DAL III, 1481-1534. — *F. Cabrol*, DAL VI, 2 (1925), 2777-2791. — *Ph. Hofmeister*, Die hl. Oele in der abend-u. morgenländischen Kirche, Würzburg 1948. — *M. Righetti* II (1946) 148-151. IV (1953) 49. 73. 92. 199. 305. 325. 368. 387. 392. — *R. Lesage*, Huile op. cit. 1952, 494-5.

E) De stilis liturgicis.

Status quaestionis. Postquam iam inquisivimus in singulas actiones sacrales, de signis, linguis, formulis, rebus sacris, complectendum est, qualis stilus sacralis, i.e. modus peragendi cultum publicum, vigeat in diversis ritibus.

Post pacem Constantinianam decursu saeculorum IV.-V. modus hic, i.e. stilus, semper magis magisque evolvitur diversus inter ecclesias Orientis et Occidentis. Haec diversitas in tota ratione vitae his temporibus conspici potest, praesertim inde ab anno 395, quando Theodosius Magnus Imperium divisit in Romanum Occidentale et Orientale inter filios suos Arcadium et Honorium, Imperiumque postea iam nunquam unitum fuit. Singula elementa constitutiva vitae culturalis viam propriam evolutionis ingrediebantur; elementa latina in Oriente, elementa graeca in Occidente paulatim disparuerunt, sicque ratio diversa vivendi incipiebat: quoad linguam, in architectura, in artibus, in litteratura, disciplina ecclesiastica (e.g. ieiunii, legis coelibatus), in relatione ad potestatem civilem, in modo colendi et tractandi disciplinas sacras (in Oriente modo magis speculativo, in Occidente magis practico). Per se patet, hanc diversum vivendi rationem etiam in modum peragendi cultum influxum habuisse, proinde loqui possumus de stilo orientali et occidentali. Orientalis stilus in aliquam partem liturgiae Occidentalis influxum exercuit, quae vocatur typus Gallicanus, contradistinctus a liturgia Romana pura seu antiqua.

Ideo primum proprietates stilares animo capiendae sunt 1) cultus Orientalis et Occidentalis, dein 2) stilus liturgicus Romanus et Gallicanus.

1. Stilus liturgicus Orientalis et Occidentalis.

a) Prima differentia est, quod **caeremoniae** in cultu Orientali *multum ditiores* sunt, quam in Occidente, praesertim in ritu Romano antiquo. Sufficiat memoriae commendare iconostasion orientale, benedictionem datam per duplex candelabrum (dikirion et trikirion), processiones sollemnes « parvi » et « magni ingressus » (« mikra » et « megalê eisodos »), deinde praeparationem oblatorum ante Missam, quae proskomidia vocatur (non pros-komoedia, sed komidia a vocabulo komizein « afferre » sc. ad altare dona). Accedunt ad illustrandum hanc differentiam thurificationes totius templi et altaris, divisio prosphorae (panis sancti) in quatuor partes, delineatio signi Crucis triplex per « lanceam » (lonche) sacram, quatuor aliorum oblatorum tractatio, tertiae partis divisio in novem particulas etc. — Si offertorium ritus antiqui Romani cum hoc coniicimus, maxima simplicitas statim perspicitur: fideles afferebant ad altare protheseos panes, vinum in urceolis, ceram, oleum, denarios, interea canitur psalmus offertorialis, sacerdos eligit ex oblatis ad sacrificium necessaria, affert ad altare et ibi dicit orationem super « dona secreta », i.e. « selecta » ex aliis et segregata.

b) **Textus precationis, i.e. euchologici** 1° In Oriente multo *prolixiores sunt* et saepe perlongi; cumulant adlocutiones Dei (Anrede, megszólítás); proprietates divinas magis terminis technicis *negativis* praedicant (incomparabilis, incomprehensibilis, incorruptibilis, immortalis, ineffabilis etc.); argumentum in his textibus orientalibus contentum magis prae se fert notam theologicitatis, quod e.gr. valde animadverti potest in liturgia S. Basilii. — E contra textus liturgici Romani puri breves, simplices, limpidissimi sunt; contentum

eorum per meditationem debemus eruere, nam modo lapidari omnia exprimuntur, cuius exemplum haberi potest admonitio Romana « Pater noster » praecedens novem tantum vocabulis constans, cui comparari possunt introductiones « Pater noster » longissimae orientales, e.gr. liturgiae S. Jacobi. — 2° Prolixitas haec inde provenit, saltem e parte, quod textus euchologici orientales *elatione orationis rhetorica* multo magis excellunt, abundant metaphoris, similitudinibus, quibus etiam Sancti coluntur (myroblytos, megalomartyr, anargyros i.e. odorem proferens, magnus martyr, gratuitus [medicus] etc.), praesertim autem extollunt « penitus sanctam, immaculatam, maxime benedictam, gloriosam reginam Dei genitricem semper virginem Mariam ». — 3° Dein cultus orientales multo plus locum dant, quam Romanus antiquus *lyrismo individuali*; orientales textus ad poeseos culmen etiam in oratione prosaica altius assurgunt quam Romani, in quibus deest locutio pathetica, qui concisi sunt simplicitate sua obiectiva, carentes affectibus mollibus. — 4° Euchologici textus orientales magis totum mundum respiciunt, ut opus Dei Creatoris, i.e. magis « *cosmici* » sunt, quam occidentales, qui magis hominem et eius partes in mundo contemplant (textus hi magis « *anthropologici* » possunt haberi. Cf. J. Casper, Weltverklärung im liturgischen Geiste der Ostkirche, Freiburg i. Br. 1939). — 5° Demum notandum est, quod in Oriente multo plus inveniri potest *pietatis individualis* in textibus liturgicis, quam in euchologia Romana antiqua, ubi tantum per fusionem cum textibus Gallicanis, deinde aevo Gothico (inde a s. XIII.) consimiles textus inveniuntur. Orientales liturgici textus multo citius et uberius habent tales orationes strictius « individuales », e.gr. orationes praeparatorias ante Missam, ante communionem, oratio « trisagii », dein « cherubici », preces sacerdotis stricte individuales sunt, dum hi cantus canuntur. — 6° Textus orientales habent etiam *precationes ad Christum* directas, dum ritus purus Romanus tales non cognoscit. Liturgia S. Marci, i.e. forma Missae in Aegypto usitata, fere omnes orationes ad Christum dirigit, quod facile intelligitur ex origine Alexandrina arianismi. Orationes ad Christum directae in posteriore liturgia Romana e liturgicis textibus Gallicanis transsumptae, vel novo aevo ortae sunt (cf. S. Salaville, Christus in orientalium pietate, Eph. Lit. 1938, 221-236 et 1939, 13-59, 360-385).

c) Tertia differentia stilistica detegi potest in eo, quod **eventus vitae et anni liturgici** in *Oriente multo minorem influxum obtinent*, quam in Occidente. In liturgiis orientalibus tantum pericopae et aliqui cantus variantur in ritu Missae, ceterum « liturgia », i.e. textus Missae omnino invariabilis est, dum in occidentalibus textibus magna varietas invenitur. Opus Redemptionis per singula momenta anni liturgici his textibus celebratur et commemoratur. Certissime iam inde a s. IV-o singulae Missae « proprios », i.e. tempori liturgico correspondentes textus exhibent, collectas, secreta, complendas (postcommuniones), imo praefationes. A. Baumstark recte enuntiat, hanc praxim esse conservativam, nam primitivae orationis subitae seu extemporalis (Stegreifrede, rögtönzés) reliquia est, dum in toto Oriente iam inde a saec. IV-V-o textus Missae invariabili rigiditate idem mansit (Baumstark Vom gesch. Werden d. Liturgie 1923, p. 93-94). Imo primitus etiam *vitae eventus* textibus liturgicis speculi instar exhibentur, uti videtur e Sacramentario Leoniano (e.gr. oratio ad mortem Simplicii papae 483. Feltoe, Sacramentarium Leonianum p. 148).

d) Demum orientales et occidentales ritus etiam differunt **in parte diacono in liturgia tributa.** In Oriente diaconus semper magis evasit mediator in-

ter sacerdotem et populum; fere omnes orationes sacerdotales litania (« ektenia ») diaconali introducuntur; permultae habentur « diakonika », i.e. invocationes diaconi ad populum. In Occidente partes diaconi solum in ministrando sacerdoti constant, quod cultum attinet publicum, nam diaconus primitus minus habebat officium liturgicum, quam caritativum. In Oriente, iis in locis ubi nova lingua loco sacralis inintelligibilis introducta fuit, primario « diakonika » recitabantur lingua vulgari, sic e.gr. apud Melchitas oratio sacerdotalis graece absolvitur ritu byzantino, « diakonika » lingua arabica; syriace oratio sacerdotalis apud Jacobitas, arabice « diakonika »; item apud Maronitas, i.e. Syros occidentales unitos.

2. Stilus liturgicus Romanus et Gallicanus.

a) Inter stilum Romanum antiquum seu purum et stilum familiarum typi Gallicani prima differentia etiam **in caeremoniis** inveniri postest. Nam typus Gallicanus exemplum Orientale secutus, summopere amat caeremonias prolixas et aspectabiles (anschaulich, szemléletes). Omnia quae nostro hodierno ritui Romano tam pulchra et significantia sunt in caeremoniis e liturgiis typi Gallicani ortum ducunt, e.gr. orationes ante altare (Stufengebet), confessio, dein dedicatio templi per aspersionem et unctionem parietum, cribratio cineris in pavimento ecclesiae, inscriptio alphabeti latini et graeci ibidem facta, consecratio altaris et thuris combustio ibidem, processio reliquiarum circa templum etc. Ritu puro Romano consecratio ecclesiae constabat solum locatione reliquiarum in confessione altaris, dein e Missa super altari celebrata. Similiter consecratio diaconi et presbyteri sola manuum impositione et oratione fit in Leoniano (Feltoe p. 120-123), ritu Gallicano etiam adhibetur traditio instrumentorum, unctio etc.

b) Etiam **in textibus** magna differentia invenitur. Sine dubio statim cognosci potest *oratio Gallicana*

1° *e prolixitate* textuum, e verbositate, e rhetorico et lyrico stilo, saepe componuntur hae orationes e variis particulis scriptorum Patrum, e Cypriano, Novatiano, Aratore, Augustino, Maximo Taurinensi etc. et quidem valde lato modo. Haec consuetudo vocatur « *centonisatio* », « cento » est particula aliqua scissa ex opere alius auctoris quae cum multis aliis fere verbotenus contexitur in novum textum (cf. P. Cagin, Paléographie musicale 1896, V, 133 p. et praecipue D. M. Havard, Centonisation patristique dans les formules liturgiques, *in*: F. Cabrol, Les origines liturgiques, Paris 1906, p. 281-316). Stilus orationum ritus puri Romani brevitate excellit, ut vidimus et non utitur « centonisatione ».

2° *Textus orationum* Gallicanarum prosaicus est, seu oratio soluta, vel textus omnino poeticus, i.e. oratione ligata compositus. Talis missa in hexametris composita invenitur VII. e missis Gallicanis a F. J. Mone detectis (cf. P. Radó, Verfasser und Heimat der Mone-Messen, Eph. Lit. 1928, 58-65, forsitan Venantius auctor huius Missae est).

3° Textus autem orationum Romanarum semper prosaicus est, sed *arte prosae antiquae compositus* (E. Norden, Die antike Kunstprosa). Haec ars in « cursu » consistit, aliis verbis in rhythmo. *Cursus* est *concentus harmonicus*

(Zusammenklang, összecsengés) *vocabulorum et syllabarum in fine propositionis.* Hic concentus potest obtineri *metrice,* si longitas vel brevitas syllabarum concentum causat, vel *rhythmice,* si syllabae acutae (betonte Silbe, hangsulyos szótag) cum non acutis variantur. Permulta sunt exempla cursus metrici in Sacramentario Leoniano 76% (D. Mocquereau, Paléographie musicale IV, 27). Existit quadruplex cursus:

a. *Cursus planus* — ∪ — — ∪ « quaesumus nobis », « esse consortes », « corde curramus », « splendor illustret », « summa consistit. »

b. *Cursus tardus* — ∪ — — ∪ — « (indiffe)renter in-telligi » « natus est particeps », « corde respuere », « nostris accomoda ».

c. *Cursus velox* — ∪ ∪ ∪ — — ∪ « in terra cognovimus », « capere valeamus », « praemia largiatur ».

d. *Cursus trispondaicus* — ∪ ∪ ∪ — ∪ « (adversi)tate liberentur », « (ser) vire mereamur », « nostra cumulentur ».

e. Omnes hi cursus *promiscue occurrunt* in textibus orationum, e.gr.

« *Porrige quaesumus* (tardus), dexteram, Domine, *populo deprecanti* (velox) et cui tribuis supplicandi be-*nignus affectum* (planus), praebe placatus auxilium, ut te *ductore confidens* et mala *cuncta declinet* (planus), et omnia quae *bona sunt apprehendat* » (trispondaicus) (Leonianum mense Julio XXXVI. Feltoe p. 78.).

c) Demum **in compositione** quoque potest videri sat magna differentia. In compositione quidem etiam *loci sacralis,* basilica antiqui aevi quam simplex sub uno conspectu apparet, cum altari visibili elevato, cum ambonibus similiter collocatis, cum sedilibus presbyterii et cathedra episcopi — e converso multo minus perspicax est compositio ecclesiae orientalis. Compositio etiam *Missae* multo intricatior est in cultibus Gallicanis, quam in liturgia Romana pura; praesertim laudari potest Canon cum sua structura symmetrica. Consimilis compositio arte facta cernitur in constructione *orationum* Romanarum, dum constructio sibi conscia frustra quaeratur in orationibus Gallicani typi, quae pleonasmis et amplificationibus abundantes ideas quidem profundas evolvunt, sed eas imaginibus, flosculis, antithesibus et lusis verborum ornant.

1° Compositio orationum in liturgia Romana pura potest esse **constructio simplex:** haec Deum alloquendo tantum *petitionem* delegat. Ordinarie *cum voce petitionis* incipiunt: « Quaesumus... Fac nos... Concede... Fiat... Conferat... Exaudi ». Saepe autem *obiectum petitionis* stat in fronte orationis, e.gr.: « Fideles tui, Domine, per tua dona firmentur: ut eadem et percipiendo requirant et quaerendo sine fine percipiant. »

2° **Compositio auctior** orationum eo fit, quod *vel adlocutio* Dei augetur propositione secundaria addita aut etiam tantum *adiectivo* apposito, *vel* ipsa *petitio* amplificatur.

3° Oratio auctiore modo constructa **per propositionem secundariam** saepe profunditatem speculativam aperit meditationis: « Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas », « Omnipotens, sempiterne

Deus, qui in Unigenito tuo novam creaturam nos tibi esse fecisti », « Deus, qui alligare venturus es vulnus populi tui », « Deus, qui ecclesiam tuam in dilectione tuae divinitatis et proximi cuncta servare caelestia mandata docuisti » etc.

4° Oratio quoque auctiore modo constructa **per adiectiva apposita** contemplationis altitudinem prodit: « Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus », « Operis tui Deus initiator et custos », « Populi tui Deus defensor et rector », « Deus omnium fortitudo sanctorum », « Deus castorum corporum benignus habitator, incorruptarum Deus amator animarum », (Ad virgines sacras, Leon. Feltoe p. 139); « Pater, mundi conditor, nascentium genitor, multiplicandae originis institutor » (Velatio nuptialis, Leon. Feltoe p. 141); « Omnipotens et misericors Deus », « Omnipotens et sempiterne Deus », « Deus misericors rex aeterne », « Deus dierum temporumque nostrorum potens et benigne moderator » (Leon. Feltoe p. 128), et permultae pulchro pulchriores orationes, e quibus facillime possumus thesaurum absconditum meditationis maiorum nostrorum effodere sive in propriam utilitatem sive aliorum, tum in sacra concione, tum in theologia tradenda.

5° Oratio auctiore modo composita **per petitionis amplificationem** saepe leges sequitur parallelismi synthetici, antithetici, synonymi vel chiastici.

a. Parallelismus *syntheticus* invenitur e.gr.: « ...ut et perfectam libertatem consequi mereatur et ad vitam proficiat sempiternam », « ...ut et gratam tibi nostram facias servitutem et sacramentum nobis perpetuae salvationis institutas » (Leon., Feltoe 57).

b. Parallelismus *antitheticus* est e.gr.: « ...eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis fieri dignatus est particeps »; « praesta propitius, ne dissimulatio (sc. peccatorum) cumulet ultionem, sed ut potius emendatio prosit ad veniam » (Leon., Feltoe p. 109).

c. Parallelismus *synonymus* est: « ut caelestibus mysteriis servientes et fidei integritate fundati et mentis luceant puritate conspicui » (Leon. p. 128).

d. Parallelismus *chiasticus* invenitur aliquando, si tum adlocutio Dei, tum petitio auctae sint et quatuor membra constituentia ita sibi correspondent ut figura rhetorica chiasmi oriatur. Talem paralellismum chiasticum cernere possumus oratione Leoniani sequente (Feltoe p. 161):

1. Concede, quaesumus, Domine Deus noster, ut:
2. qui ad destructionem diaboli
3. et remissionem natus est hodie peccatorum,
4. et a culparum subreptione nos expiet,
5. et ab hostium incursione defendat.

Membrum 1. huius orationis est adlocutio Dei, quae amplificatur membris 2. et 3. quasi motivum ministrantibus, cur Deus homo factus sit, nempe diaboli destruendi et peccata remittendi causa. Membra 4. et 5. continent petitionem, quae ordine inverso precantur liberationem a peccato et tutelam ab hostibus animae. Si haec membra attenduntur, chiasmus conspici potest:

2. (destructio diaboli) X 3. (remissio peccatorum)
4. (culparum subreptio) X 5 (hostium incursio)

Differentiae stilisticae, ut vidimus, accidentales, essentiam Sacramentorum et Sacrificii Missae minime offendentes, in culto publico Ecclesiae peragendo, revera existunt. Nunc tractatu sequenti considerandum est, his differentiis stilisticis quales typi exoriantur, i.e. quae sint familiae liturgicae.

Litteratura.

E. Vacandard, Le cursus, son origine, son histoire, son emploi dans la liturgie, *in*: Rev. quest. hist. 1905, 59-103. — *F. di Capua,* De numero in vetustis sacramentariis, quae instrumenta vel adjumenta ad clausulas efficiendae in sacramentariis adhibeantur, *in*: Eph. Lit. 1912, 459-476, 526-535, 591-600. — *E. Bishop,* The genius of Roman Rite, *in*: Liturgica historica, London 1918, 1-19, gallice cum adnotationibus non parvi valoris ab *A. Wilmart,* Le génie du rit romain, Paris 1920, germanice: Liturgische Zeitschrift 1931/2, 395-417. — *J. B. Umberg,* Liturg. Stil u. Dogmatik, *in*: Scholastik 1926, 491-503. — *R. Will,* Quelques réflexions sur le style liturgique, *in*: Rev. d'hist. et de phil. rel. 1929, 32-41. — *H. Rheinfelder,* Zum Stil d. lat. Orationen, *in*: JfLw 1931, 20-34. — *Pio Alfonso,* L'eucologia romana antica. Lineamenti stilistici e storici, Subiaco 1931. — *A. Ehrhard,* Die griechische u. d. lat. Kirche, Bonn 1937, 127. et 266. — *C. Erdmann,* Leonitas. Mittelalterliche Lehre von Kursus, Rhytmus u. Reim, *in*: Corona Quernea. Festschr. f. K. Strecker, Leipzig 1941, 15-28. — *G. Manz,* Ausdrucksformen d. lat. Liturgiesprache bis ins elfte Jahrhundert, Beuron 1941. — *G. Wunderle,* Die Wesenszüge d. inneren Gebetshaltung d. Ostkirche, *in*: Zeitsch. f. Asz. u. Mystik 1943, 150-162. — *M. Righetti,* Storia liturgica I. Genova 1945, 186-193. — *A. Baumstark,* Antik-römischer Gebetsstil im Messkanon, *in*: Misc. Lit. K. Mohlberg I. Roma 1948, 300-331. — *Ch. Mohrmann,* Quelques observations sur l'évolution stylistique du canon de la messe romaine, *in*: Vig. christ. 1950, 17-19. — *Fr. Stummer,* Vom Satzrhytmus in d. Bibel u. in d. Liturgie d. lat. Christenheit, in: AfLw 1954, 233-283.

III. Tractatus Tertius.

Typologia Sacralis seu de familiis cultus Occidentalibus et Orientalibus.

Status quaestionis. Hoc tractatu agitur de typis liturgicis, i.e. sacralibus. Primo dicendum est, quid intelligatur sub typo aliquo sacrali seu liturgico.

Definitio. Typus sacralis consistit *in certa aliqua ratione exhibendi ritus et caeremonias secundum accidentia aliquatenus diversa, remanente essentiali Sacrificii Missae et Sacramentorum identitate.*

Divisio. Varii typi sacrales constituunt familias liturgicas, quae primo dividuntur in Occidentales et Orientales. Occidentales distinguuntur in a) liturgiam Gallicanam, b) Mozarabicam, c) Ambrosianam, d) Celticam, a quibus, utpote typis Gallicanis, contradistinguitur e) Romanae urbis, vel Romanae purae antiquae, e qua f) evoluta est liturgia universalis Romana. — Occidentalibus absolutis agendum est g) de typibus Orientalibus, e quibus orta est h) liturgia universalis Byzantina. Agendum ideo est:

A) De liturgia Gallicana.
B) De liturgia Mozarabica.
C) De liturgia Ambrosiana.
D) De liturgia Celtica.
E) De liturgia Romana pura antiqua.
F) De liturgia universali Romana.
G) De liturgiis Orientalibus.
H) De liturgia universali Byzantina.

Huius *tractatus* **fundamentum dogmaticum** sternitur thesi hac:

THESIS. Typi varii liturgici ab Ecclesia concessi unitatem Ecclesiae non solvunt, imo eam confirmant. Theologice certa.

a) **Adversarii.**

1° *Schismatici Orientales* iam inde a Photio et Michaele Caerulario praeprimis difficultates rituales proferentes, differentias ritus et caeremoniarum adeo extollunt, ut putent Sacramenta Ecclesiae Occidentalis invalida esse.

Ideo iterant baptismum ritu Latinorum collatum, invalidam habent consecrationem azymorum, imo invalidas censent ordinationes Latinorum.

2° « *Panchristiani* » vocantur a Pio XI. sectatores sectarum Protestanticarum, unionem laudabili quidem nisu, sed pessimo modo provehentes. Motio haec *in Anglia* ortum suum duxit, ubi *Philippus de Lisle* Londini 1857 Societatem ad procurandam christianitatis unitatem (A.P.U.C. = Association for the Promotion of the Union of Christendom) condidit, cum periodico Union Review, quae motio quoad principia sua falsa damnata est a *Pio IX.* anno 1864 et 1865 (Denzinger nr. 1685-7). Huius theoriae protagonista, *William Palmer* (1811-1879), vir optimae fidei, anno 1855 ad fidem catholicam Romae conversus est, sed alii, ut *Pusey, Dr. Lee,* continuabant hanc motionem. Nostro saeculo anno 1910 reassumptus nisus unionis falsae *ad congressus unionisticos* ducebat. Conferentias totius mundi fundabant aliqui in America septentrionali, quae vocabantur « *Fides et ordo* » (« The world conference for the consideration of questions touching faith and order » = Conferentia totius mundi ad considerandas quaestiones fidei et ordinis), tales conferentiae revera pluries post duplex bellum mundiale convocata sunt (Lausanne, Stockholm etc.). Viri hi in eo errant, quod non solum agnoscunt varietatem ritualem, sed etiam de unitate recta Ecclesiae falsis opinionibus indulgent. Error eorum potissimum in eo consistit, quod — ut Pius XI. dixit in Encyclica sua « *Mortalium animos* » (6. Jan. 1928, AAS 1928, 5-16) — « Ecclesiam adspectabilem seu visibilem intellegunt non aliud esse, nisi *Foedus* ex variis christianorum communitatibus compositum, licet aliis aliae doctrinis, vel inter se pugnantibus, adhaereant » (Enc. p. 8). Ut Sanctus Pater pergit, hi viri autumant, « fidei ac regiminis unitatem quae verae et unius Ecclesiae Christi insigne est, nec fere unquam exstitisse antehac, nec hodie exsistere... Oportere igitur aiunt, controversiis praetermissis ac sepositis, de ceteris doctrinis communem aliquam credendi legem effici, ac proponi » (l.c. p. 10).

b) **Vox Ecclesiae.**

Hac in re luculentissima est, praesertim, quod spectat ad ecclesias Orientales. Etsi ritus varii *Occidentales* fere ad nihilum evanuerint, Summi Pontifices tamen pluries edixerunt, eos licitos esse et approbatos; sic quando anno 1568 et 1670 libros Breviario et Missali Romano 200 annis antiquiores concedebant, quando hoc saeculo approbabant etiam editionem recognitam librorum ritus mozarabici et ambrosiani. *Mozarabicum* a Cardinale Ximenez 1495 restauratum approbavit Julius II. anno 1508, Ambrosianum vero supplicante S. Carolo Borromaeo approbavit Gregorius XIII. 25. jan. 1575: « Ecclesiae Mediolanensis peculiaris in divinis officiis ac ritibus ratio... perpetuo sit catholicae Romanae Ecclesiae firmata consensu » (Righetti I, 136. 129). — Attamen *principia genuina* de typorum liturgicorum ratione vera multo magis inveniri possunt in documentis Ecclesiae *ad Orientales Ecclesias* spectantibus. Series horum documentorum pontificiorum *elencho sequente* exhibetur:

Clemens VIII.	Litt. apost. « *Benedictus sit pastor* » 7. febr. 1596.
Benedictus XIV.	Const. Ap. « *Etsi pastoralis* » ad Italograecos 26. maii 1742.
»	Litt. ap. « *Demandatum coelitus* » ad Cyrillum VI. patriarcham Melchitarum Antiochensem, 1741.
»	Const. ap. « *Eo quamvis tempore* » ad Coptos catholicos 1745.
»	« *Anno vertente* » ad eosdem 1750.

Benedictus XIV.	Litterae ad episcopos Leopoliensem et Premisliensem 1751.
»	Litt. ap. « *Etsi persuasum* » ad capitulum generale Ord. S. Basilii Magni 20 apr. 1751.
»	Encycl. « *Allatae sunt* » 26. jul. 1755.
Pius IX.	Litt. ap. « *In suprema Petri apostoli sede* » 6. jan. 1848.
»	Allocutio 1853. habita.
»	Const. ap. « *Romani Pontifices* » 1862.
	Encycl. « *Praeclara gratulationis* » 20 jun. 1894. (ASS 1893-4, 705-717).
	Litt. ap. « *Orientalium dignitas ecclesiarum* » de disciplina Orientalium conservanda et tuenda 30. nov. 1894. (ASS 1894, 257-264).
S. *Pius X.*	Const. ap. « *Tradita ab antiquis* » 14. sept. 1912 (AAS 1912, 610-614).
Benedictus XV.	Motu proprio « *Dei providentis* » 1. maii 1917. (AAS 1917, 529-531).
»	Motu proprio « *Orientis catholici* » 15. oct. 1917 (ib. p. 531-3).
»	Litt. ap. « *Quod nobis* » 25. sept. 1920 (AAS 1920, 440).
Pius XI.	Encycl. « *Mortalium animos* » 6. jan. 1928 (AAS 1928, 5-16).
»	Encycl. « *Ecclesiam Dei* » 12. nov. 1923 (AAS 1923, 573-582).
»	Encycl. « *Rerum orientalium studiis* » 8. sept. 1928 (ib. 277-88).
»	Litt. circul. S. Congr. Seminar. et Stud. Universit. « *Quod catholicis* » 28. aug. 1929 (AAS ib. 283-285).
»	Epist. eiusdem Congreg. de « *Die pro Oriente christ.* » instituendo 27. jan. 1935.
Pius XII.	Enc. « *Orientalis Ecclesiae* » 9. apr. 1944 (AAS 1944, 129-144).
»	Encycl. « *Orientales omnes Ecclesias* » 23. dic. 1945. (AAS 1946, 33-63).
»	Motupr. « *Cleri sanctitati* » 2. iun. 1957 (AAS 1957, 433-603) leges de ritibus orientalibus et de personis.

1° Rituum diversitas *fidei integritatem et mutuam coniunctionem* non impediunt, quod sollemniter declaravit *Clemens VIII.* 1596 (« Benedictus sit pastor »), quando populus Ruthenorum Apostolicae Sedi unitus est: « Ritus enim vestros et caeremonias vestras, quae fidei catholicae *integritatem et mutuam Nostram unionem nequaquam impediunt*, eadem ratione et modo, quo a Concilio Florentino permissum est, et Nos quoque vos retinere permisimus » (A. Theiner, Vetera monumenta Poloniae et Lithvaniae, tom. III, 251, citatum a Pio XII. 1945 « Orientales omnes Ecclesias » AAS 1946, 38). — *Concilium Florentinum* enim statuit 6. jul. 1439: « In azymo sive fermentato pane triticeo veraciter confici, sacerdotesque in alterutro ipsum corpus Domini conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive occidentalis sive orientalis consuetudinem » (Decr. pro Graecis, Denz. nr. 692).

2° Rituum *uniformitatem non pertinere ad essentiam verae coniunctionis*, declarant Pontifices Summi. Sic enuntiat hoc *Leo XIII.*: « Vera coniunctio inter christianos est, quam auctor Ecclesiae Jesus Christus instituit voluitque, *in fidei et regiminis unitate* consistens. Neque est cur dubitetis, quidquam propterea vel Nos vel successores Nostros de iure vestro, de patriarchalibus privilegiis, de rituali cuiusque Ecclesiae consuetudine detracturos ». (« Praeclara gratulationis » 1894. AAS 1894, 709). — *Rationem* profundissimam aperit *Benedictus XV.* enuntians: « Manifestum in Ecclesia Jesu Christi, ut quae *non latina sit, non graeca, non slavonica, sed catholica*, nullum inter filios eius intercedere discrimen, eosque sive latinos, sive aliarum nationum, omnes apud hanc Apostolicam Sedem eumdem locum obtinere » (« Dei providentis » 1917. AAS 1917, 530).

3° Ritus hos diversos Summi Pontifices *plurimi aestimant. Pius IX.* enuntiavit: « Omnino sartas tectasque habebimus peculiares vestras catholicas liturgias, quas *plurimi sane facimus, licet* illae nonnullis in rebus a liturgia Ecclesiarum Latinarum diversae sint » (« In suprema Petri apostoli Sede » 1848.

Acta Pii IX. tom I, pars 1. Romae 1854, 81). — *Pius XII.* officium nostrum esse asseverat, quod « ... *aestimatione debita* ea omnia amplectatur oportet, quae orientalibus gentibus fuere peculiare veluti patrimonium, a maioribus tradita, simul quae ad sacram liturgiam et ad hierarchicos ordines spectant » (« Orientalis Ecclesiae » 1944, AAS 1944, 137). Huius etiam historia ecclesiastica testis est: « Orientales omnes Ecclesias quod historia docet, amantissima semper voluntate Romani Pontifices prosecuti sunt » (« Orientales omnes Ecclesias » 1945, AAS 1946, 33).

4° Ritus hi varii *non destruuntur* a Summis Pontificibus, *sed sedulo conservantur*, ut iam *Benedictus XIV.* de se et suis praedecessoribus affirmabat: « ...*non destructionem, sed conservationem* graeci ritus summopere desideramus » (Litter. ad episcop. Leopoliens et Premisliens. 1751, cit. a Pio XII. AAS 1946, 48). *Alibi* dixit idem pontifex: « Nos quibus maxime cordi est, ut *exacta* eiusdem graeci ritus *custodia* in monasteriis pro ritu graeco constitutis stabilis permaneat » (Epist. ad capit. gener. O.S.B.M. 1751, Gordillo, op. infra cit. p. 273). Imo historiam allegat dicens, « ecclesiasticae historiae ignarum se proderet, qui pariter nesciret,... numquam actum esse, ut venerabili orientali ritui ullum detrimentum inferretur » (« Allatae sunt » 1755, l.c. 273). Ratio, quod non destruuntur hi ritus est, quod *aequali aestimatione* habendi sunt, ac ritus latini, ut *Pius XII.* declarat, promissionem praedecessorum suorum renovans: « Omnes noscant, ac pro certo habeant, se *nunquam* coactum iri ad proprios legitimos ritus... *cum latinis ritibus* institutisque commutanda, quae quidem omnia aequali aestimatione aequalique decore habenda sunt » (« Orientalis Ecclesiae » AAS 1944, 138). Imo eos, qui lacrimabili discessu extra veram Ecclesiam adhuc versantur, cohortatur, « *minime* esse orientalibus timendum, ne iidem, fidei ac regiminis unitate restituta, legitimos suos ritus et usus *relinquere cogantur* » (« Orientales omnes Ecclesias » AAS 1946, 34).

5° Rituum diversitas *confirmat unitatem Ecclesiae*, ut Summi Pontifices dicunt. Ritus enim orientales secundum Leonem XIII. « fidei catholicae *unitatem affirmant*. Inde enimvero dum sua praecipuis Ecclesiis apostolica origo testatior constat, apparet simul et enitet earumdem cum Romana usque ab exordiis summa coniunctio » (« Orientalium dignitas Ecclesiarum » AAS 1894, 258). — *Pius XI.* praescribens tironibus sacrae disciplinae orientalium rerum studium, non tenue emolumentum sperat polliceri e his studiis, et quidem « erga veram Christi Sponsam amorem animis concipere, cuius miram pulchritudinem et *in ipsa rituum varietate unitatem* splendidiore quodam modo effulgentem *conspexerint* » (« Rerum orientalium » AAS 1928, 285). — Similiter *Pius XII.* enuntiavit, quod « rituum institutionumque diversitas, dum id, quod unicuique antiquum est atque pretiosum, sartum tectumque servat, *verae sinceraeque* unitati minime obsistit » (« Orientalis Ecclesiae » AAS 1944, 138).

c) E S. Scriptura

solum adumbrari potest thesis nostra. *Principium* enim iam aevo apostolico indicatum fuit *in concilio Apostolorum*, quod unitas Ecclesiae remanere potest, etsi ritus aliqui et caeremoniae non ab omnibus observentur. Concilium enim hoc, versus 50 Hierosolymas coactum, per os S. Petri primo declaravit plenam omnium gentium *aequalitatem*: « Deus nihil discrevit inter nos et illos... Nunc ergo quid tentatis imponere iugum? » (Act 15, 7-11). Apostoli autem et senio-

res fratres sanxerunt praxim non inquietandi eos, qui « *ex gentibus convertuntur ad Deum* » (Act 15, 19. 28 et 21, 25). Observare tantum debebant duo praecepta « Noachica », quibus praecipua vitia pagana adiunguntur ut vitanda: « Abstineant se a coinquinatione simulachrorum, et fornicatione et suffocatis et sanguine »; praeter haec nil debebant observare e permultis legibus caeremonialibus. *Judaeo-christiani* autem usque ad exterminium Templi potuerunt hanc legem observare, imo aliquando ad hoc propter respectum Judaeorum coacti fuerunt; e.gr. ipse S. Paulus circumcidens Timotheum propter Judaeos, qui erant in illis locis, nam voluit eum secum proficisci (Act. 16, 3); imo, quando Hierosolymis erat, Jacobus minor et omnes seniores commendabant ei, ut propter Judaeos cum quatuor viris, « votum habentibus super se » (sc. nazireatus) etiam ipse « sanctificet se cum illis », ut pronum est, ritu Veteris Testamenti (Act. 21, 17-25). Factum, quod in communitatibus Apostolicis exstiterunt Judaeo-christiani et fideles e gentibus, legem non observantes Veteris Testamenti, ipsi quoque seniores et Jacobus testantur Paulo dicentes: « Vides, frater, quot millia sunt in Judaeis, qui crediderunt, et omnes aemulatores sunt legis! », imo et Paulum laudabant, quod « ambulat et ipse custodiens legem » (Act 21, 20. 24). Ergo si millia fidelium adhuc servabant his primis temporibus Legem caeremonialem Veteris Testamenti et item fuerunt, qui hoc non fecerunt: *distinctio ritualis existebat iam in Ecclesia primaeva.* De textibus citatis ergo apprime dici potest cum M. d'Herbigny: « Iuridice approbatur prima illa rituum distinctio in universali fidei et caritatis communicatione » (Theologica de Ecclesia I, Paris 1920, 38).

d) **S. Traditio**

invocari potest praeprimis via facti: revera ab initio existebant differentes ritus; revera episcopi Romani vindicabant sibi auctoritatem iudicium ferendi de his differentiis; revera autem agnoscebant horum in multis casibus auctoritatem.

1° Sic evidenter ab exordiis usus invaluit *in Asia minore* pascha celebrandi quartodecimo Nisan et ieiunandi, Romae autem dominica die et sine ieiunio. Haec praxis duxit S. Polycarpum Romam, ubi S. *Anicetus* ei « persuadere unquam poterat ut observare desineret,... neque ex altera parte Polycarpus Aniceto persuasit ut observaret... Quae cum ita se haberent, communicarunt sibi invicem (ekoinônêsan, i.e. sacra mysteria simul celebraverunt) et in ecclesia Anicetus eucharistiam (i.e. dicendi precem summam eucharisticam) concessit honoris causa Polycarpo », ut S. *Irenaeus* nobis retulit (Eusebius, Hist. eccl. 5, 24, 17). Hunc casum anno circiter 155 eventum Irenaeus S. *Victori* papae in mentem revocavit, quando communionem voluit rumpere cum Asiaticis ecclesiis, quartodecimanam praxim circa annum 190 adhuc sequentibus, eum animadvertens, quod ritus huius et « ieiuniorum *diversitas consensionem fidei commendat* » (ib. nr. 13).

2° *Exempla et dicta aliorum Pontificum* hoc graviter confirmant. Ita v. gr. S. *Gregorii Magni* notissimum est adagium: « In una fide nil officit sanctae Ecclesiae consuetudo diversa ». — Revera, quando aevo « *iconoclasiae* », saeculis VIII-IX. permulti orthodoxi in Italiam meridionalem aufugerunt, libenter suscepti sunt, integre servantes suas institutiones ritusque diversos. — Saec. VII. et VIII., *inter annos 642-752*, e 19 summis Pontificibus fuerunt duodecim

Orientales, qui hoc tempore non haesitaverunt liturgiam Romanam ritibus et festis Orientalibus ditare, ut Liber pontificalis hoc demonstrat.

3° Etiam pontifices posteriorum aetatum sic fecere. *Martinus V.* 16. oct. 1418 Mediolani consecrans altare maius ecclesiae cathedralis, hoc fecit ritu ambrosiano, in honorem venerandae antiquitatis huius liturgiae (Righetti I, 129). *Gregorius XIII.* Romae Collegium pro Maronitis condidit, item pro Armenis et Graecis. *Leo XIII.* ipse enumerat, *quanta fecit* pro ritibus orientalibus provehendis: « Collegium hac ipsa in Urbe clericis Armeniis et Maronitis instituendis, itemque Philippopoli et Hadrianopoli pro Bulgaris, condidimus; Athenis Leonianum condendum decrevimus; etiam seminario S. Annae, quod Hierosolymis cleri Graeci Melchitae educandi causa coeptum est, maiorem in modum favemus. In eo praeterea sumus, ut numerum in alumnio Collegii Urbaniani augeamus, utque Athanasianum Graecorum ad pristinum restituamus institutum, quod Gregorius XIII. munificus auctor, sapienter voluit » (« Orientalium dignitas Ecclesiarum » ASS 1894, 257-8).

4° *Sanctus Pius X.* decretum maximi momenti edidit, quod etiam in Codicem novum transsumptum est: « De SS. Eucharistia *promiscuo ritu* sumenda » (« Tradita ab antiquis » 1912, AAS 1912, 610-4). Hoc decreto facultatem dedit et latinis et orientalibus « sive in azymo sive in fermentato... in ecclesiis cuiusvis ritus catholici, secundum pristinam Ecclesiae consuetudinem » sumere Eucharistiam. Valde mentibus mandanda est *ratio, cur hoc permisit*: « ...ut omnes et singuli qui christiano nomine censentur, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent ». — Hanc concordiam ostentui praebuit Sanctus Pius X. quando revertente anno millesimo quingentesimo mortis *S. Joannis Chrysostomi,* Byzantinae liturgiae in aedibus Vaticanis celebratae interfuit et ipse Graece benedictionem dedit (Archdale King op. infra cit. I, 50).

5° *Benedictus XV.* condidit *Congregationem* pro Ecclesia Orientali 1. maii 1917 motu proprio « Dei providentis », post hanc institutionem summi momenti autem eodem anno *Institutum Pontificium* studiis rerum orientalium provehendis, motu proprio « Orientis catholici » 15. oct. 1917, consulens ut habeatur « proprium altiorum studiorum domicilium de rebus orientalibus » (AAS 1917, 531-3). Huic Instituto 25. sept. 1920 (Litt. apost. « Quod nobis ») etiam ius dedit doctorales laureas conferendi.

6. *Pius XII.* in memoriam provocat factum historicum, quod Sancta Sedes in liturgicis libris Ruthenorum « nullas fieri mutationes concessit... nisi paucas eas, quae in Zamoscena synodo a Ruthenis ipsis episcopis decretae fuissent » (« Orientales omnes Ecclesias » AAS 1946, p. 49). Mense octobri anni 1940 in audientia patribus *Synodi inter-eparchialis Italo-Graecae* loquebatur de usu legitimo rituum et puritate eorum (« ...gli usi legittimi del rito e le prescrizioni della liturgia vengano osservati nella loro integrale purezza », Archdale King, I, 54); die vero 12. martii 1946, anniversario suae coronationis voluit, ut primus cardinalis, ab eo creatus, *Petrus XV. Agagianian,* patriarcha Ciliciae Armenorum, celebret liturgiam ritu Armeno coram ipso in Capella Sixtina, praesentibus 23 Cardinalibus. In fine Ipse Summus Pontifex dans benedictionem Armenice « Pax omnibus vobis! » (Chahahutiun amenetzum!), exemplo augustissimo in pectora misit doctrinam Ecclesiae de rituum diversitate unitatem commendante (King l. c. I, 55).

e) **Rationibus theologicis**

quoque commendatur thesis nostra.

1° Rituum varietas *non offendit unitati Ecclesiae*, quod sic probatur. Ad unitatem Ecclesiae pertinet secundum theologos (cf. M. d'Herbigny, Theologica de Ecclesia, tom. II, Paris 1921, 34-47) super terram analoga illa unitas credentium cum SS. Trinitate, quae necessario requirit socialem unitatem fidei et regiminis. Ad unitatem fidei requiritur unitas fidei internae, professionis externae et cultus publici quoad essentiam. « Unitas cultus publici sufficienter obtinetur, si unius societatis diversi forte ritus per eandem fidem ordinentur ad eundem finem. » Cultus publici essentialis unitas iam obtinetur, si « idem est sacrificium et eadem sacramenta per universum orbem, cum iisdem fidei, vel orationis formulis essentialibus » (d'Herbigny II, p. 4. et 105).

2° *Varietate rituum magis elucet unitas Ecclesiae*, quod sic potest probari. Haec varietas « in utilitatem Ecclesiae convertitur » (Leo XIII. « Orientalium dignitas » AAS 1894, 259), nam *notam* exhibet *catholicitatis*, quod Summus Pontifex exemplo Magorum illustrat: (Diversitas confert) « ad catholicitatis notam in Ecclesia Dei illustrandam, quod ei praebent obsequium caeremoniarum formae dispares, nobilesque vetustatis linguae, ex ipsa Apostolorum et Patrum consuetudine nobiliores, fere ad imitationem obsequii... quum Magi ex variis Orientis plagis devecti venerunt adorare Eum » (l. c. p. 258). Ratio est, quod *vis unitiva fidei* magis elucescit, regiminis auctoritas magis apparet, si actus cultuales quoad accidentia quidem differant, sed quoad essentiam indissolubili vinculo cohaereant.

3° In specie liturgiae Orientis commendantur, ut *Pius IX.* dixit, « *splendido* quodam ac magnifico apparatu celebrandi, quibus fidelium erga divina mysteria *pietas* et *reverentia* foveatur » (« In suprema Petri apostoli sede » 1848., Acta Pii IX. tom. I, pars 1, 82). *Splendor* non solum caeremoniarum magnifica pompa ostenditur, sed etiam specie liturgici dramatis, quam ritus orientales exhibent, item pulchritudine orientalis iconographiae et poeseos liturgicae. — *Pietatem* redolent: tota euchologia continens devotionem erga Deum trinum, laudes, gratiarum actiones, magnificae et quotidianae doxologiae, devotio filialis erga Deiparam Virginem et erga Sanctos, etiam Veteris Testamenti (S. Salaville, Les liturgies Orientales p. 74). — *Reverentiam* commendat venerabilis antiquitas horum rituum: nam ad Patrum aetatem descendunt, ut etiam inquisitio scientifica hoc demonstrat: Liturgia S. Marci et Jacobi, ergo ritus Alexandrinus et Hierosolymitanus exeunte saec. IV. originem ducunt, item etiam liturgia S. Basilii, veteris liturgiae Cappadociae ab eodem reformatae.

Litteratura.

A. Magistretti, Cenni sul rito ambrosiano, Milano 1895. — *M. Righetti*, Storia liturgica, I, Genova 1945, 76-140. — *M. Gordillo*, Compendium theologiae Orientalis, 2. ed. Romae 1939, 1-19, Selecta Apostolicae Sedis documenta: p. 271-287. — *Archdale A. King*, The rites of eastern Christendom, I, Romae 1947, 40-55. — *Ph. Oppenheim*, De iure liturgico, Taurini 1939, 36 s., ubi uberior potest inveniri bibliographia.

Introductio.

Post exstructum fundamentum dogmaticum typologiae considerandi sunt varii typi liturgici, i.e. familiae rituum.

Quod ritus attinet occidentales, monendum est, in Oriente christiano, tum catholico, tum acatholico, adhuc hodiedum maiorem varietatem typologicam inveniri, quam in Occidente, ubi iam a medietate medii aevi, inde a saec. XI.-i sat magna uniformitas cerni potest, inde a reformatione Piana liturgiae Romanae (1568. 1570. 1615) autem fere totalis. Primo millenario vero non fuit sic. Aetate pacem Constantinianam subsequente enim coeperunt evolvi *varii ritus locales*. Dum in Oriente principium vigere coepit, unamquamque ecclesiam sequi debere ritum metropolitanum, dein patriarchatus, in Occidente hoc non statim contigit, etsi principium enuntiatum est iam ab Innocentio I.: « In omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, et insulas interiacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus aut eius successores constituerunt sacerdotes... oportet eos hoc sequi, quod ecclesia Romana custodit ». Quod sane in hac epistola primario valet de ritibus, nam directa est ad Decentium, episcopum Eugubinum anno 416, qui Summo Pontifici quaestiones liturgicas proposuit. (Ep. 25. Innocentii, PL 20, 552).

Tamen praesertim propter incursionem Barbarorum coniunctio cum Sede Apostolica minus stricta facta est, praecise eo tempore, quo liturgiae evolutae sunt et sic in variis provinciis cultus aliquantum proprius ortus est. Hi ritus proprii maxima ex parte evanuerunt, tantum vestigia eorum remanentia detegi possunt aliquando. Sic evidens est, *Africam* proprium ritum secutam fuisse, qui secus sat ignotus est quia christianitas Africae totaliter deleta est saec. VII.-o. Ritum *Ravennatum* ex operibus S. Petri Chrysologi (433-450) cognosci mus aliquantulum; *Mediolanensem* ex operibus S. Ambrosii; *Aquilegiensem* VII. saec.-i e systemate tantum pericoparum; similiter ritum *Capuanum et Neapolitanum* e VI., respective VII. saeculo. Rituum varietas iam ad portas Urbis pervenit, nam Eugubium (Gubbio), ubi Decentius episcopus fuit, non multo distat a Roma.

Hi tamen ritus ut diximus, tantum vestigia relinquebant. Inde a saec. V. usque ad VIII. liturgiae florentes ortae sunt in maioribus territoriis, olim ad Imperium pertinentibus, et in his videmus evolutionem magnarum familiarum liturgicarum occidentalium. Quatuor sunt territoria, ubi hoc factum est: Gallia, Hispania, Italia septentrionalis, et Britannia, ubi liturgiae Gallicana, Mozarabica, Ambrosiana et Celtica floruerunt. Cum hae liturgiae cognationis notas prae se ferant, eas nomine collectivo *liturgias « typi Gallicani »* vocamus, quibus opponitur liturgia Urbis: ritus Romanus purus seu antiquus denominatus.

A) De liturgia Gallicana.

1) Territorium,

a) ubi haec familia liturgica orta et evoluta est, Gallia vocatur, regnum a Julio Caesare saec. ante Chr. I. subiugatum. Tribus Gallici *ad genus Celtarum* pertinentes cum cultura Romanorum etiam linguam Latinam suam fecerunt. Cito se converterunt ad Christum (176 martyres Lugdunenses, S. Irenaeus †202), ita ut saec. IV. iam Patres, Sanctos, doctores habebant, toto orbe terrarum claros. Provinciae trium Galliarum eadem administratione Romana viventes, iisdem legibus utentes, eodem more viventes, lingua latina loquentes, tamen proprietates suas generi Celtarum convenientes retinebant. Hi incolae christiani Galloromani fuerunt creatores et fideles ritus Gallicani, cuius vesti-

gia iam saec. V. inveniri possunt: Musaeus presbyter Massiliensis (Marseille) 461 defunctus composuit sacramentorum volumen et systema pericoparum.

b) Circa 480 hoc territorium *sub dominatione Francorum* adhuc paganorum venit, sed populatio Galloromana continuare potuit vitam culturalem et christianam. Hoc adhuc multo facilius fiebat post conversionem Francorum duce Chlodovaeo rege anno 496, qui gentem suam Germanicam directe e paganismo in sinum Ecclesiae catholicae direxit, adiuvante S. Remigio Remensi. Per 250 annos duravit *regnum Merowingicum*, cuius cultus uniformis liturgia quaedam erat, quam post detectionem saec. XVII. factam *Gallicanam* vocant (occurrunt etiam nomina: Gallica, vetus Gallica). Unitatis huius regni Merowingici externum signum et symbolum proprie haec liturgia fuit, in qua etiam nisus restituendi Imperium Romanum occidentale inveniri potest, nam reges Francorum in orationibus locum occupabant imperatorum Romanorum: « Respice ad Francorum benignus imperium » et « Oremus pro christianissimo rege nostro » (Baumstark, Gesch. Werden p. 51).

2) Fontes.

huius liturgiae fere omnes periere. a) E saec. VII. habetur *Expositio antiquae liturgiae Gallicanae*, in vanum adscripta S. Germano Parisiensi († 576), textus: PL 72, 89-98.

b) Unicum monumentum stili puri est libellus Missarum septem a *F. J. Mone* detectus (cf. *A. Wilmart*, L'âge et l'ordre des messes de Mone, *in*: Rev. Bén. 1911, 377-390, *P. Radó*, Verfasser u. Heimat der Mone-Messen, *in*: Eph. Lit. 1928, 58-65); textus: PL 138, 863-882. Recens ed. critica cum optimis annotationibus *in*: *L.C. Mohlberg-L. Eizenhöfer-P. Siffrin*, Des Missale Gallicanum Vetus, Romae 1958, p. 61-91.

c) *Missale Gallicanum Vetus* saec. VII-VIII. fragmentarium, scriptum pro Augustoduno (=Autun) vel Lauriaco (=Lorsch), textus: PL 72, 339-382, ed. critica optima supra b) citata a. 1958.

d) *Lectionarium Luxoviense* (=Luxeuil) e saec. VII., textus: PL 72, 171-216, ed. critica *P. Salmon*, Le lectionnaire de Luxeuil, I. Rome 1944., II. Rome 1953 (Collect. Bibl. Latina v. VII. et IX.).

e) *Missale Gothicum* (Vat. Reg. 317) e saec. VIII., textus: PL 72, 225-318, ed. phototypica *C. Mohlberg*, Missale Gothicum, München 1930.

f) *Missale Francorum* saec. VIII., textus: PL 72, 317-340, ed. critica: *C. L. Mohlberg-L. Eizenhöfer-P. Siffrin*, Missale Francorum, Romae 1957.

g) *Palimpsestum Guelferbitanum*, ed. *A. Dold*, Das älteste Liturgiebuch d. lat. Kirche. Ein altgallik. Lektionar 5-6 Jh:. Beuron 1936.

3) Descriptio Missae Gallicanae.

a) Missa incipit cum ingressu cleri, interea canebatur « *antiphona* ». Postea celebrans salutavit populum: « Dominus sit semper vobiscum ». Dein cantabatur « *Aius* », i.e. trisagion latine et graece a populo: « Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis », postea « *prophetia* », i.e. Benedictus. *Collectio* post prophetiam nil aliud est quam oratio praecessa a « praefatione », i.e.

adhortatione ad orandum, qualia in Occidente ubicunque in usu erant, in ritu Romano nunc tantum Fer. VI. Pass. et Mort. Domini.

b) Post collectionem sequebatur *pars didactica* constans e tribus lectionibus: una e *Veteri Testamento*, vel e passionibus martyrum, dein « *apostolus* », post has lectiones canebant Canticum trium puerorum (Benedicite). Librum *Evangeliorum* sollemni processione deferebant ad ambonem cum septem candelis et thuribulo, ad initium omnes clerici clamabant: « Gloria tibi, Domine! » Post lectionem Evangelii iterum cantabant « Aius », cui cantui successit homelia.

c) Pars *sacrificalis Missae fidelium* incoepit per *litaniam diaconalem*, uti in ritu Antiocheno, e quibus ortum duxit etiam « Aius ». Haec litania vicem supplet antiquae « orationis fidelium » et stilum orientalem prae se fert: « Dicamus omnes: Domine miserere, exaudi et miserere, exaudi et miserere, Domine miserere, ex toto corde et ex mente ». (Stowe Missale, quia in libris Gallicanis non remansit textus). Post litanias dicebat sacerdos « *collectionem post precem* ». Tunc dimittebantur pagani, catechumeni et poenitentes.

d) Offertorium aperiebat *sollemnis processio* cum donis oblatis, quae imitatio est ritus graeci. Panem in vase turri simili, vinum in calice portabant cooperta tribus velis, interea canebatur « *sonus* ». « Expositio liturgiae Gallicanae » iam haec oblata non consecrata vocat « Corpus Domini, sanguis Christi », omnino sicut in liturgia Antiochena, proleptice honorem iam oblatis consecrandis tribuens. Depositis oblatis super altare, et tectis velo, cecinerunt « *Laudes* », i.e. tria Alleluia. — Postea lecta sunt *diptycha*, i.e. commemorationes vivorum et defunctorum, inter quos et apostoli, martyres et sancti nominabantur. Post lecta diptycha sequebatur « *collectio post nomina* », deinde omnino secundum morem Orientalium invicem dabant *osculum pacis* ante precem eucharisticam, cum « collectione post pacem ».

e) *Prex eucharistica* exorditur sollemni dialogo « Sursum corda » etc. ante « *contestationem* », vel alio nomine « immolationem », quemadmodum cantus Romanae praefationi correspondens vocatus est. Unaquaeque Missa propriam habet « immolationem » multoque longiores sunt, quam in ritu Romano puro. Immolationem excipiebat *Sanctus* a populo decantatus. Dein successit ipsa *consecratio*, quae sine Canone fiebat, per « Qui pridie etc. », quam precem praecessit tantum brevis oratiuncula « *Post Sanctus* », quae fere semper cum « Vere sanctus, vere benedictus Dominus noster Jesus Christus » incipiebat; dein statim veniunt verba consecratoria, post quas oratio antiqua anamnesi correspondens, clamata « *post pridie* » vel « post secreta » (ex quo sequitur verba consecratoria submissa voce, i.e. secrete recitata fuisse) et pars consecratoria iam finita est.

f) *Sectio communionis* initium fecit a fractione panis; sec. decretum Concilii Turonensis anni 567 debebant particulae in modum crucis disponi. — Post fractionem populus simul recitavit *Orationem Dominicam*, ut communem precem mensae Domini, inclusam per duas orationes sacerdotales (« ante orationem Domini » et « post orationem Domini »). — Hanc orationem excipiebat *benedictio*, ut ante communionem « in vas benedictum benedictionis mysterium ingrediatur » (Expos. ant. litg. Gallic.) Simplices *sacerdotes* brevi for-

mula benedicebant: « Pax, fides et caritas et communicatio corporis et sanguinis Domini sit semper vobiscum! ». *Episcopi* autem trinam dabant benedictionem, e tribus membris constantem, quae secundum Missas varia fuit. Hae benedictiones decursu saec. IX-X. in ritum Romanum viam invenientes ibi in usu erant usque ad Tridentinum. — Durante communione canebatur « *Trecanum* », cantus invariabilis, quod « signum est catholicae fidei de Trinitatis credulitate » (Expositio).

4) Corruptio et suppressio liturgiae Gallicanae.

a) Non potest negari, liturgiam Gallicanam aliquo modo iusto plus nationalem fuisse: orta est tempore, quando Roma propter invectiones Longobardicas a Gallia satis separata erat et quidem sub influxu ritus Antiocheni. Libertas sat magna vigebat, omnes ecclesiae potuerunt secundum quandam ordinationem episcopalem anni 742 « libellum ordinis », i.e. cultum ordinantem, conficere. Sic vera liturgica anarchia orta est, quam per aliquod tempus tantum augebant conatus ritus Romanum introducendi, quia non purus ritus Urbis assumebatur, sed vetus liturgia Gallicana cum eius elementis interpolata est. Primum vestigium huius processus conspici potest in sic dicto *Sacramentario Gelasiano,* quod est manuscriptum unicum e s. VII. detectum per Beatum Thomasium cardinalem 1680 inter codices Reginenses (a Christina regina Sueviae oriundos) Vaticanos (*Vat. Reg. 316.* Textus PL 74. et *H. A. Wilson,* The Gelasian Sacramentary, Oxford 1894). Hic codex est monumentum venerandum Romani ritus, sed scriptus est in Gallia et aliquas interpolationes Gallicanas iam passus est. A. Chavasse, vir exquisitae doctrinae, valde probabilem reddidit, quod Gelasianum compositum est e libro liturgico Romano, qui liturgiam « presbyteralem, i.e. in « titulis » usitatam retulit, in Gallia dein recepit functiones episcopales: ordinationes, consecrationem virginum, dedicationem consecrationem chrismatis (Le Sacramentaire gélasien, sacramentaire presbytéral, Paris-Tournai 1958). Recens ed. Mohlberg, Roma 1960.

b) A medio s. VI. usque ad VIII. hic processus perdurabat, adeo, ut circa medium saeculum VIII., versus 750-760 nova recensio Gelasiani orta est in Gallia. Haec recensio vocatur « *Gelasianum saeculi VIII.* », vel « *Gelasianum francicum* » et permultos habet testes textuales, e quibus eminens est *Cod. Sangallensis 348.* (ed. *K. Mohlberg,* Das fränkische Sacr. Gelasianum in alemannischer Ueberlieferung, Münster 1918). Facile intelligitur hic triumphus spontaneus ritus Romani in Gallia: in Germania enim ante 754 S. Bonifatius Anglosaxo ritum Romanum propagabat, et in Germania certos usus Gallicanos iussu Zachariae papae (741-752) exstirpavit: « Omnes doce, sicut a sancta Romana, cui Deo auctore deservimus, accepisti Ecclesia » (PL 89, 952). Quia Bonifatii missio Germanica sub protectione Francorum stabat eiusque influxus etiam in Gallia magni fuit ponderis, per se patet quod recensio Francica Gelasiani tam diffusa est in Gallia. Verisimile est quod Gelasianum recensionis Francicae in Anglia ortum duxit et quidem in Wessex, inde vero in Galliam translatum fuit. Revera Synodus 747 in Clovesho celebrata uniformitatem ritus decrevit cum libris Romanis; Bonifatius allegat textum huius recensionis, fragmenta exstant Gelasiani scripta in littera anglosaxonica (sic *A. Baumstark,* Missale Romanum 1929, 86 s. et *W. Levison,* England and the continent in the eight century, Oxford 1946, 97).

c) Sed iam non Gelasianum erat cultus officialis Romanae ecclesiae, *Sacramentarium Gregorianum* et cantus Gregorianus occupabat eius locum. Quando ergo summus Pontifex *Stephanus II.* anno 754 in Gallia erat, cultus Romanae Urbis et cantus eius ita placuit, quod iam *Pippinus rex* introduxit cantum romanum, uti testatur filius eius, Carolus Magnus: « Ut cantum romanum pleniter discant... genitor noster Pipinus rex decertavit ut fieret, quando gallicanum (cantum) tulit ob unanimitatem sedis et sanctae Dei ecclesiae pacificam concordiam » (Mon. Germ. Hist., Leg. sect. II, tom. I. 61). Legatus Pipini erat patruus eius, Chrodegangus Metensis episcopus, qui toto animo inhiabat Roma reversus liturgiam Romanam introducendi, una cum fratre suo Remedio, episcopo Rotomagensi. *Mohlberg* (Rendiconti Pont. Accad. Rom. di Archeol. 1931, 1933), *Th. Klauser* (Hist. Jahrb. 1933, 173) et *W. Lewison* (p. 98) iure coniiciunt recensionem Gelasiani saec. VIII-i fuisse typum a Pipino rege verisimiliter tunc praescriptum, quando eum papa Stephanus 754 visitavit.

d) *Carolus Magnus* (768-814) opus liturgicum a patre suo incoeptum complevit et ad finem usque perducit, Sacramentarium exposcens et accipiens ab Hadriano I. Hoc anno 784/5 factum est (Th. Klauser, Hist. Jahrbuch 1933, 179); exinde in scriptorio Palatii Aquisgranensis continuo exscribebant Sacramentarium, ut *Hadrianus I.* testatur « a sancto disposito praedecessore nostro deifluo Gregorio papa... secundum sanctae nostrae ecclesiae traditionem » (Cod. Carolin. ed. Jaffé p. 274). Revera haec mutatio facilis erat, iam inde a multo tempore non scribebant libros liturgicos Gallicanos, nam 50 annis serius post introductionem Sacramentarii Gregoriani, Hilduinus abbas iam loquitur de « antiquissimis et nimia vetustate paene consumptis missalibus libris continentibus missae ordinem more gallico » (PL 106, 13). Liturgia tamen Gallicana exitu suo fecundavit Romanam (v. inferius F. 2.).

Litteratura.

Quoad ritus occidentales qui iam evanuerunt, vide *F. Cabrol*, Afrique (liturgie) DAL I, 591-657. — *Idem*, Aquilée (lit.) DAL I, 2683-91, systema pericoparum V, 883-894. — Systema pericoparum Capuanum s. VI. et Neapolitanum s. VII. *G. Morin*, Anecdota Maredsolana I, Maredsous 1893, 426-444, etiam DAL V, 297-300 (G. Godu, Épitres), dein XII, 756-762 (H. Leclercq, Naples).

Quoad liturgiam Gallicanam: *Neale-Forbes*, The ancient Liturgies of the Gallican Church, Burntisland 1855. — *E. Buchwald*, De liturg. Gallicana, Breslau 1890. — *H. Leclercq*, Gallicane (liturgie) DAL VI, 473-593. — *A. Wilmart*, *Germain* de Paris DAL V, 1, 1066-1090. — *J. Thibaut*, L'ancienne liturgie Gallicane, Paris 1929. — *P. Radó*, Das älteste Schriftlesungssystem der altgallikanischen Liturgie, Ephem. Lit. 1931, 9-15. 100-115. — *F. Cabrol*, La messe en Occident, Paris 1932, 139-156. — *Th. Klauser*, Die litg. Austauschbeziehungen der römischen und fränkisch-deutschen Kirchen, *in*: Hist. Jahrbuch 1933, 169-189. — *J. Quasten*, Oriental influence in the Gallican Liturgy, *in*: Traditio (New York) 1943, 55-73. — *A. Gastoué*, Le chant Gallican, Rev. chant Grégorien (Grenoble) 1937, 101-106. 131-133. 167-176 (cf. Arch. fLit. w. 1950, 415-416.) — *M. Righetti*, Storia lit. I, 1945, 115-126. — *E. Griffe*, Aux origines de la litg. Gallicane, *in*: Bullet. de litt. ecclés. 1951, 17-43.

B) De liturgia Mozarabica.

1) Territorium

a) huius typi liturgici fuit Hispania vetustissima provincia Romani imperii, quam primi *Iberi* coluisse dicuntur. Hi cum superveniente *Celtarum* tur-

ma permixti, iam inde saec. II. ante Christum natum *Romanis* subiecti sunt. Sicut Galli, ita etiam populus *Ibero-celta* linguam latinam assumpsit, et iam primis saeculis christianis fide excelluit. Martyres eius numerosi: inter quos Eulalia Barcinonensis, Vincentius diaconus; Cordubenses: Januarius, Faustus, Martialis; episcopi celebres, ut e.gr. Hosius in Nicaena synodo veneratus, cuius coaevus erat Juvencus, primus poetarum christianorum latinorum. Hac aetate nondum sermo esse postest de liturgico typo proprio, sed saeculo VI.-o vestigia eius iam sine dubio inveniri possunt.

b) Hoc territorium, ut provincia ecclesiastica, arctissimae necessitudinis nexu coniuncta erat Romanae Sedi, fere ut Africa proconsularis. Hoc autem post quatuor fere saecula aliter fiebat, nam Hispania inter primas erat provincias, quae incursionibus Barbarorum succubuit. Anno 409 enim occupata est per Suevos et Vandalos; Vandali 430 pergebant in Africam eam sibi subiicientes, *Suevi* autem remanserunt in parte occidentali, in Lusitania. Confines eorum evaserunt Gothi « occidentales » seu *Wisigothi* sub Eurico rege (466-484), qui regno « Gothiae », seu Septimaniae (regio Galliae meridionalis usque ad Rhodanum) adiunxit etiam territoria ultra Pyrenaeos. Wisigothi dein 507 a Chlodovaeo, Francorum rege catholico e Gallia expulsi, Hispaniam totaliter sibi occupabant. Ibi hi semibarbari, confessionem Arianam profitentes, liturgia et lingua Gothica utentes, catholicos Ibero-romanos aliquoties quidem persecuti sunt, sed extirpare eos non potuerunt, quod sequentia facta ostendunt.

c) Saeculo hoc tenebroso VI.-o sine dubio iam aliquatenus typus liturgicus proprius inter catholicos aderat. Hoc *pro territorio Suevis subiecto* demonstrat tendentia romanizandi, nam haec tendentia supponit alii typi liturgici existentiam. *Profuturus* enim, episcopus urbis capitis, Bragae, anno 538 a Summo Pontifice Vigilio petiit et accepit consilia liturgica, inter cetera etiam Canonem Romanum Missae, dein descriptionem ritus Baptismi. Praescriptum est etiam, quod Arianis ad fidem conversis non solum baptisma, sed nec confirmationem licet iterare (PL 69, 15 s.). Quod haec tendentia romanizandi in Lusitania perduravit, eo cernitur quod anno 563 *concilium Bragense* ordinavit, « ut eodem ordine missae celebrentur ab omnibus, quam Profuturus... ab ipsa apostolicae sedis auctoritate suscepit scriptum ». Ergo existebat alius ritus, quod etiam in parte Hispaniae Wisigothis subiecto sic erat. Nam Wisigothis sub rege *Reccaredo* 586 ad catholicam fidem conversis, statim videmus liturgiam propriam wisigothicam efflorescere, hoc autem necessario supponit, quod iam antea exsistebat.

d) Liturgia haec una cum populo novo nunc orituro e commixtione pacifica Ibero-romanorum et Gothorum per 120 annos *aetatem florescentem habebat*. Reges Gothici, nunc iam catholici, omni potentia favebant huic liturgiae propriae; de ea inter alia decreta tulerunt 18 concilia Toletana; episcopi magni s. VI-VII. composuerunt permultas formulas liturgicas. Quorum praecipui sunt: Petrus Leridensis (saec. VI.), Leander Hispalensis (†599), frater eius Isidorus Hispalensis (†636), Ildephonsus Toletanus (†667), Julianus Toletanus (†690) et multi alii quorum nomina etiam nota sunt, secus ac in omnibus aliis liturgiis.

2) Fontes

huius liturgiae uberrimi sunt, etsi manuscripta aetatis posterioris (s. IX-XI), sed descripti ex exemplaribus s. VII-VIII. Praecipui hi sunt.

a) *Liber comicus* (i.e. comes, pericoparum systema continens) *de Silos*, ed. G. Morin, Anecdota Maredsolana, Maredsous 1893. *Ed. nova* e quinque mss-is: *J- Perez de Urbel*, Liber comicus (Mon. Hisp. Sacra ser. litg. vol. II.), Madrid 1950. — Aliud systema invenitur in manuscripto Paris Bibl. Nat. lat. 2269, quod antiquissimum videtur, editum est ab *A. M. Mundó*, El Commicus palimsest Paris Lat. 2269., *in*: Liturgica Card. I. A. Schuster in memoriam, Montserrat 1956, 151-275.

b) *Liber Ordinum*, continens ritum Sacramentorum, ed. a M. Férotin, Monumenta Eccl. liturgica V, Paris 1904.

c) *Sacramentarium Mozarabicum*, Missae ordinem et Missas exhibens sec. mss Toletana IX-X. saec., ed. M. Férotin, Le Liber Sacramentorum Mozarabicus, MEL VI, Paris 1912.

d) *Ordinem Missae* describit et explicat S. *Isidorus Hispalensis*: De ecclesiasticis officiis (PL 83, 737-826).

e) *Missale Mixtum* (i.e. plenum, non solum Sacramentarium, i.e. preces sacerdotales continens) editio 1500. impressa e manuscriptis maxima parte hodie deperditis (PL 85.) et Breviarium Gothicum ab eodem editum (PL 86.).

f) *Libellus Orationum*, ed a *Bianchini*, Op. omnia tom. I (1741). Nova editio critica: *J. Vives - J. Claveras*, Oracional Visigótico, Barcelona 1946.

g) *Hymnodiam* collegit *Cl. Blume*, Hymnodia Gothica (Analecta Hymnica medii aevi vol. 27.), Leipzig 1897; novas adiecit *Perez de Urbel*, Origen de los hymnos mozárabes, Silos 1932.

h) *Antiphonarium Mozarabicum Legionense* (=Léon), ed. per PP. Benedictinos de Silos, Burgos 1928.

3) Descriptio Missae mozarabicae.

a) Descriptioni huius typi Mozarabici praemittimus notam de **proprietatibus principalibus**, quae iam saec. VI. conspici possunt.

1° Primo intuitu videtur *abundantia exuberans formularum*, quarum multo plures reperiuntur, quam in ritu Romano antiquo. Prolixitate textuum Mozarabes superant omnes liturgias occidentales, ita ut Missa certe aliquot horas durare debuit.

2° *Centonisatio* in hoc typo maximum locum obtinuit, usque adeo, ut quaedam « inlatio » (=praefatio, sensu Romano) etiam decem categorias Aristotelis continet: « ...sine qualitate bonum, sine quantitate magnum ». Totas partes e scriptis Patrum et scriptorum ecclesiasticorum contexerunt in permultis textibus liturgicis.

3° *Amplificatio textuum* valde usitatur: e.gr. « Gloria *et honor* Patri et Filio » etc., « Per omnia *semper* saecula saeculorum », « Laus tibi Domine *Jesu Christe*, rex aeternae gloriae », « *Aures ad Dominum.* Habemus ad Dominum *nostrum.* » Additio etiam vocabuli « *Filioque* » talis amplificatio haberi debet.

4° Mozarabica liturgia *characterem profunde theologicum* prae se fert. Inter cetera themata praesertim excolitur doctrina de SS. Trinitate, propter Arianos et Priscillianistas in Hispania degentes; sic e.gr. praefatio SS. Trinitatis in Gelasiano primigenio iam exsistens oriunda est ex inlatione Mozarabica, Romana prolixiore (Miss. Mixtum PL 85, 255).

b) Missa Mozarabica praecipuis delineamentis eadem est fere, ac Gallicana.

1° Missa incepit cum ingressu cleri in ecclesiam, cantando « *officium* », i.e. cantilenam psalmodicam introitus.

2° More orientali statim subsequebatur *praeparatio oblatorum*, graece proskomidia. *Corporale* extendebatur et clara voce dictum est: « Attollite portas principes vestras et introibit rex gloriae ». Sicut in ritibus orientalibus, etiam in liturgia Mozarabica in pane et vino proleptice iam corpus et sanguis Christi futurus adorabatur. Vinum cum aqua *miscetur*; symbolismus conspicitur in oratione comitante: « Misce, quaesumus, Domine, in calice isto, quod manavit ex latere tuo, ut fiat in remissionem peccatorum nostrorum ». Panis dein benedicitur, collocatur in patena et totus velatur. Ritus hic proskomidiae sine dubio *etiam in ritu Gallicano* usurpabatur, etsi fontes parce superstites, casu hoc taceant; usum hunc in Gallia quoque viguisse inde colligimus, quod in permultis libris liturgicis Romanis « Gregoriani fusionati » (de quo inferius) per saecula permansit proskomidia initio Missae, sicut et hodie in ritu Ordinis Praedicatorum, qui nil aliud est, quam ritus Parisiensis s. XIII-i.

3° Deest « Aius » et « Kyrie » liturgiae Gallicanae, loco eorum iam saec. VII. habetur « Gloria in excelsis ».

4° *Oratio* eodem modo recitata fuit, ac in Gallicano ritu: secundum terminologiam S. Isidori post « Orationem admonitionis » sequebatur « Oratio invocationis » (« De missa et orationibus », De eccl. off. I, 15) quae correspondent « praefationi » et « collectioni » Gallicani ritus; in manuscriptis Mozarabicis vocantur « *Missa* » et « *Alia* ».

5° Deinde legebantur *tres lectiones*, ut in Gallia.

6° Offertorii pars essentialis iam ante Missam peracta est, ideo canitur « *sacrificium* », i.e. cantus offertorialis, Trisagion, et loco « orationis fidelium » antiquae aetatis brevis oratio communis pro Ecclesia omni, pro captivis, infirmis et peregrinis. — *Diptycha* Gallicana iam schematizata inveniuntur, « Memento » sunt in quibus primum nomina Missam offerentium dicuntur. Oratio « *post nomina* » et « *post pacem* » similiter dicuntur ac in ritu Gallicano. Ad *ritum pacis* primo osculatur patenam, dein dicit sacerdos: « Habete osculum dilectionis et pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. »

7° *Pars consecratoria* exorditur cum dialogo amplificato, praecipue: « Deo ac Domino nostro Jesu Christo filio Dei, qui est in caelis, dignas laudes dignasque gratias referamus », dein cantata fuit sat prolixa « *Inlatio* ». Post cantum populi (Sanctus), ut in liturgia Gallicana, statim sequitur brevis et semper variabilis oratio « *Post sanctus* », dein post consecrationem oratio « *Post pridie* ». Haec oratio tantum anamneseos characterem prae se fert, et non epi-

kleseos (cf. *W. S. Porter*, The Mozarabic Post pridie, Journal of theol. Studies 1934, 182-194, qui ostendit e 240 formulis tantum decem esse epiklesim continentes, omnes posterioris aetatis).

8° *Ritus communionis* est omnino identicus cum Gallicano, excepto, quod statim initio, ante fractionem panis, canitur *Credo* (v. supra) (Missae descriptionem uberiorem videsis H. Leclercq, La messe mozarabe, *in*: DAL art. Messes XI (1933) col. 674-690).

5) Sortes ulteriores liturgiae Mozarabicae.

In ipso aetatis flore anno 711 victoria Arabica apud Xeres de la Frontera regno et ecclesiae Wisigothicae finem imposuit. Maxima pars Hispaniae sub dominatione Arabica remansit, tantum regiones boreales liberae manebant. Post hanc invasionem quoque retinuerunt propriam liturgiam, tum christiani sub ditione Musulmanorum viventes, tum christiani in Aquilone refugium invenientes. Saeculo XI. dein, aevo crescentis potestatis christianorum, relationes ad Sanctam Sedem invalescentes secum ferebant, imprimis tempore Gregorii VII. acceptionem Romani ritus loco Gothici. *Sancho Ramírez*, rex Aragoniae, anno 1063 tulit legem, ne sacerdotes « alio more, quam Romano precarentur, neque Gothica, utpote peregrina, piacula exsolverentur ». *Alphonsus VI.*, rex Castiliae et Legionis (Léon), 1074 accepit litteras exhortatorias a Gregorio VII. ad introducendum ritum Romanum, quod tandem concilium in Burgos coactum decrevit 1085; Richardus abbas Massiliensis et cardinalis, legatus pontificius, hoc etiam, non sine resistentia cleri, perfecit. Christiani in califatu *Cordubensi* remanentes, liturgiam tamen retinebant, ut patet, dum expugnatione Granadae (1492) etiam hi ceteris Hispanis se unientes, hanc reliquerunt. Cardinalis *Ximenez* e pietate in sacello cathedralis Toletanae et aliquibus aliis retinebat cum approbatione Julii II. ritum qui tunc iam exclusive *Mozarabes* vocabatur, quod significat christianum « arabizatum » (must-arab).

Collegium a Ximenez fundatum usque hodie perdurat, imo ritus Mozarabicus iterum honoratur ut monumentum temporis elapsi nationale. Sic 1943, quando anniversarium millenarium regni Castiliae celebrabatur, Covarrubiae Missa ritu Mozarabico celebrata est (cf. Rev. d'histoire ecclésiastique 1943, 554-555).

Litteratura.

J. Prado, Historia del rito Mozárabe, Silos 1928. — *H. Engberding*, Die spanisch-westgotische Liturgie, *in*: Liturg. Zeitschr. 1931/32, 155, 241-249, ubi uberior bibliographia. — *A. Baumstark*, Orientalisches in altspanischer Liturgie, *in*: Oriens christ. 3. ser. 1935, 1-37. — *F. Cabrol*, Mozarabe (liturgie), DAL XII (1935) 390-491. — *R. M. Pidal*, Espagna del Cid (versio Germ. München 1936) I, 171-181. — *P. Séjourné*, Saint Isidore de Séville et la liturgie wisigothique, *in*: Miscellanea Isidoriana, Romae 1936, 221-251. — *G. Morin*, La part de S. Isidore dans la constitution du texte du psautier mozarabe, *ibid.* 151-163. — *A. Franqueza*, Die Beteiligung des Volkes in der mozarabischen Liturgie, *in*: Lit. Leben 1938, 243-272. — *M. Alamo*, Les calendriers mozarabes d'après Dom Férotin. Additions et corrections, *in*: Rev. d'hist. ecclés. 1943, 100-131. — *J. Prado*, Valoración y plan de reforma del Rito mózarabe, Madrid 1943 (cf. Revue d'histoire ecclés. 1944/5, p. 346). — *M. Righetti*, Storia liturgica I (1945) p. 135-137. — *L. Brou*, Études sur la liturgie mozarabe, Eph. Lit. 1947, 13-54. 309-334. — *Idem*, Bulletin de liturgie mozarabe, *in*: Hispania sacra 1949, 459-484.

C) De liturgia Ambrosiana.

1) Territorium,

liturgiae huius quae etiam Italiae superioris, vel Mediolanensis nomine vocatur, est Italiae pars versus Aquilonem sita.

a) Qui fuerint initio Italiam superiorem incolentes, nescitur, e Livio (V, 31) comperimus Gallos, i.e. Celtas, ibidem circa 590 a. Chr. irruisse; Roma hoc territorium irrevocabiliter sub Julio Caesare sibi subiugavit, quod nomen accepit *Galliae Cisalpinae* seu Citerioris, cui opposita est Gallia Transalpina seu Ulterior. Denominatio haec vere optima est, nam gens eiusdem generis Celtici, eiusdem linguae et culturae incolebat utramque provinciam, tum Galliam, tum Italiae partem septentrionalem. Non est ergo mirum, quod etiam hoc territorio inveniri potest liturgia typi Gallicani; non solum stilus Gallicanus textuum hoc demonstrat, sed etiam Missae structura clare ostendens, etsi Romana facta, antiqua delineamenta Gallicana.

b) Liturgicus hic typus, sicut cognitus est, non potest esse simpliciter a S. *Ambrosio* creatus, nam s. IV. adhuc non fuit tam idoneum ad typos varios severe distinctos producendum. Certum est, Doctorem eximium habuisse partes magnas in cultu divino: ipse enim erat introductor « psalmi antiphonarii » et hymnorum cantus (Vita Ambr., auctore Paulino PL 14, 31 et Augustin. Confess. IX, 7), sed tamen stricte loquendo non fuit auctor novi typi liturgici. Aevo *Carolingico,* quando toto vasto imperio ritus Romanus usu receptus est, ritus proprius antiquus Mediolani dignus visus est, propter quem fama crearetur eum ab Ambrosio originem ducere. Revera ante hoc tempus ignota erat origo « Ambrosiana » huius typi. *Walafridus Strabo* (†849) iam loquitur de hac fama: « Ambrosius Mediolanensis episcopus, tam missae, quam ceterorum dispositionem officiorum suae ecclesiae ordinavit » (De ecclesiastic. rerum exordiis et incrementis c. 23). *Epistola Pauli et Gebehardi* narrat, Ambrosium sacramentarium ordinasse, systema pericoparum invexisse et antiphonarium composuisse (Mabillon, Musaeum Italic. I, 96, cf. Kraus, Realencyclop. christl. Altertümer II, 332). Conamina reapse fuerunt invehendi ritum Romanum et quidem iam Gelasianum etiam Mediolani, cuius plures testes exsistunt, inter quos numeratur fragmentum Musaei Budapestinensis (c. l. m. ae. 441, de quo C. Mohlberg, Nuovi frammenti di un sacramentario Gelasiano dell'Italia settentrionale, *in*: Rendiconti d. Pont. Accademia Rom. di Archeologia 16 (1940) 131-151). Historia fabularis de miraculis, propter quae Hadrianus I. et Carolus Magnus discesserunt ab invectione ritus Romani, s. XI. primo occurrit (Landulphus, Hist. Mediol. PL 147, 853).

2) Fontes

praecipui ritus Ambrosiani sunt:

a) Vetustissimum documentum est *Missa catechumenorum* s. VII. e cod. Sangallensi 908 *inf.* (i.e. palimpsesto), ed. *A. Dold,* Le texte de la Missa Catechumenorum du Cod. Sangallens., Rev. Bénéd. 1924, 307-316).

b) *Expositio Missae canonicae* e s. VIII., ed *A. Wilmart,* Une exposition de la messe ambrosienne, JfLw 1922, 47-67.

c) *Sacramentarium de Biasca* s. IX-X., cf. A. Ceriani, Monumenta sacra et profana vol. VIII. (incompletum), 1891.

d) *Codex Sacramentorum Bergomensis* s. X-XI. ed. P. Cagin, Auctarium Solesmense I., Solesmes 1900.

e) *Kalendarium et ordines eccl. Mediolanensis,* per Beroldum s. XII. ed. *M. Magistretti,* Milano 1894.

f) *A. Ratti* (Pius XI.) — *M. Magistretti,* Missale Ambrosianum duplex cum critico commentario continuo, Milano 1913.

3) Descriptio Missae.

a) Missa incipit cum cantu « *ingressae* »; sub influxu ritus Romani mediaevalis etiam habetur ante eam *oratio ante altare.* Post incensationem in Missa sollemni cantatur « *Gloria in excelsis* », loco eius in dominicis quadragesimalibus vestigium remansit antiquitatis: *diaconalis litania,* ad quam respondetur per « Domine miserere » et « Kyrie eleison ». Huius litaniae est memoria in aliis missis post « Gloria in excelsis » *triplex Kyrie eleison.*

b) Salutatio populi « *Dominus vobiscum* » in ritu Ambrosiano semper fit sine versione ad populum, archaismus hic in memoriam revocat altaria ad populum versa.

c) *Pars didactica* complectitur *tres lectiones*: prophetiam, lectionem apostolicam et Evangelium, quae vocantur: « lectio » (si sumenda sit, e Vetere Testamento, vel Actis apostolorum), « epistola » et « lectio evangelii ». Post lectionem, si habeatur, canitur « *psalmellus* » correspondens graduali Romano, post epistolam *Alleluia* cum « melodiis » cantatis super versiculum, tempore poenitentiae loco Alleluia canitur « *cantus* » (Romanus « tractus »). — *Evangelium* circumdatur magna cum sollemnitate, canitur cum thuribulis et candelabris e pulpito. Post lectionem Evangelii canitur triplex Kyrie et « *antiphona ad evangelium* », quae optime intelligitur ut cantus processionis evangelicae ad exemplum Byzantinum, postea dicitur « *oratio super sindonem* », sc. post coopertionem altaris sindone sacro.

d) *Offertorium* in Missis sollemnibus cathedralis Mediolanensis adhuc fit ritu antiquo: viri et mulieres vestiti tunicis lineis talaribus, manibus « fanone » coopertis oblata afferunt ad cancellos altaris, ubi celebrans cum ministris sacris ea recipit. Iam a. 879. invenitur quaedam confraternitas ad hunc finem instituta, vocata « Schola S. Ambrosii » (Borella *in*: Righetti III, 544). Cantus offertorii est *antiphona ad « offertorium »*. Antequam celebrans ipse quoque hoc « offertorium » diceret, praeparat oblata et offert ea, orationibus quae a ritu Romano differunt; in Missa sollemni ea incensat. Deinde legit tantum « offertorium ». Postea sequitur « *Symbolum Constantinopolitanum* », i.e. Credo, post Credo succedit « *oratio super oblata* ».

e) *Pars consecratoria* incipit cum « *praefatione* » quae in unaquaque Missa propria est et concluditur cum cantu « *Sanctus* ». Canon iam in primo monumento legitur (Expositio missae canonicae, Wilmart l. c. p. 60-61) certum est, iam S. Ambrosium *canonem hunc* actionis exposuisse in libris « De sacramentis », qui hodie communiter ei adscribuntur. Hic canon idem est ac Romanus,

paucis variantibus exceptis, sed in « *Communicantes* » etiam Sancti Mediolanenses commemorantur, post consecrationem autem loco « Haec quotiescunque... » dicitur: « Mandans quoque et dicens ad eos: Haec quotiescunque feceritis, ad meam commemorationem facietis, mortem meam praedicabitis, resurrectionem meam annuntiabitis, adventum meum sperabitis, donec iterum de caelis veniam ad vos ». Ritus specialis Ambrosianus est, quod ante « Qui pridie » in cornu altaris nihil dicens lavat digitos. *Elevatio* Corporis et Sanguinis Domini statim locum obtinuit, quando in ecclesia Parisiensi initio s. XIII. haec in usum venit: anno 1229 archiepiscopus Henricus de Settala ordinavit, ut « in elevatione campana pulsetur » (Borella l.c. p. 557).

f) Post conclusionem Canonis per *doxologiam* aliquatenus a Romana differentem, statim sequitur *fractio panis* in tres partes cum oratione: « Commixtio consecrati corporis et sanguinis D.N. Jesu Christi, nobis edentibus et sumentibus proficiat ad vitam et gaudium sempiternum ». Interea canitur « *confractorium* », quam sacerdos post fractionem secrete dicit.

g) Oratio introductoria communionis est *Pater noster* deinde datur « *Pax* »; « *Agnus Dei* » tantum in Missis pro defunctis dicitur. « Pax » hoc loco signum influxus Romani est, primigenius eius locus, ut in Gallicano typo contigit, erat ante partem consecratoriam, cuius vestigium hodiedum est admonitio (ante offertorium): « Pacem habete! R. Ad te Domine. » *Orationes praeparatoriae* communionis sunt eaedem ac in Missali Romano (secunda excepta), dicitur « *Domine non sum dignus* ». Populus communicatur, communicantes respondent ad « Corpus Christi »: « Amen » (Righetti III, 427). Inter communionem cantatur « *transitorium* », cantus variabilis communionis. Post purificationem dicitur oratio post communionem, datur benedictio et legitur *Evangelium S. Joannis.*

4) Sortes ulteriores liturgiae Ambrosianae

comparatae cum aliis liturgiis occidentalibus, faustiores sunt. Postquam cauti sunt conatus aevo Carolingico liturgiam propriam abolendi, auctoritas ritus huius S. Ambrosio fundata etiam nisus temporis S. *Gregorii VII.* superare potuit. Codificator et renovator, non sine aliqua adaptatione ad ritum Romanum, fuit Tridentini tempore S. *Carolus Borromaeus,* qui cum approbatione S. Sedis decem annis ante Missale Romanum iam edidit Missale Mediolanense (1560). Ideoque haec liturgia pulcherrima hodie quoque in usu est textibus et ritibus abundans in archidioecesi Mediolanensi et cantone Tessin in Helvetia.

Litteratura.

A. M. Ceriani, Notitia liturgiae Ambrosianae, (1895) *in*: Ratti-Magistretti op. supra cit. p. 413-439. — *P. Lejay,* Ambrosienne (liturgie) DAL I, 1907, 1373-1442. — *H. Leclercq,* Messe ambrosienne, DAL XI (1933 696-701. — *B. Neunheuser,* Eine lateinische Sonderliturgie, Liturg. Leben 1934, 313-326. *Idem,* Die ambrosianische Messliturgie, *ibid.* 1936, 40-48. — *G. M. Sunol,* Antiphonale missarum iuxta ritum S. Ecclesiae Mediolanensis, Romae 1935 (cf. AfLw 1950, 414-415). — *A. Nohe,* Das mailänder Psalter. Seine Grundlage und Entwicklung, Freiburg i. Br. 1936. — *B. Neunheuser,* Von der ambrosianischen Quadragesima, *in*: Litg. Leben 1937, 57-67. — *A. Paredi,* I prefazi Ambrosiani, Milano 1937. — *B. Neunheuser,* Orientalisches in der Liturgie von Mailand, das Transitorium, *in*: Christ. Or. 1938, 45-52. — *V. Maraschi,* Le particolarità del rito Ambrosiano, Milano 1938. — *A. Paredi,* La liturgia di Sant'Ambrogio, *in*: S. Ambrogio nel XVI. cen-

tenario della nascita, Milano 1940, 69-157. — *H. Frank*, Das mailändische Kirchenjahr in den Werken des hl. Ambrosius, *in*: Pastor bonus (Trier) 1940, 40-48, 79-90, 120-127, 1941, 11-17. — *A. Cattaneo*, Il Breviario Ambrosiano. Note storiche ed illustrative, Milano 1943. — *M. Righetti*, Storia liturgica I (1945) 126-135. — *P. Borella*, L'anno liturgico Ambrosiano, *in*: Righetti II (1946) 362-414. — *Idem*, La messa Ambrosiana, *in*: Righetti III (1949) 508-568. — *Idem*, Influssi carolingici e monastici sul Messale Ambrosiano, *in*: Miscellanea liturgica, C. L. Mohlberg, Romae I (1948), 73-115. — *E. Cattaneo*, I canti della frazione e communione nella liturgia ambrosiana, *ibid.* II (1949) 147-174. — *Od. Heiming*, Das mailändische Präfazionale, *in*: Arch. f. Liturgiewissenschaft 1950, 128-132. — *Idem*, Aliturgische Fastenferien in Mailand, *in*: AfLw 1952, 44-60.

D) De liturgia Celtica.

1) Territorium

a) originarium, ubi vigebat hic ritus, etiam Hibernicus vel Scoticus, Iroscoticus nominatus, est *Britannia*, hodierna Anglia. Frequens incolis Celticae gentis, « Britanni » vocatis, s. I. post Chr. a Romanis occupatum est, Caledonia (Scotia) et Hibernia (Eire) a tali subiugatione liberis manentibus. Britones Romano more et lingua assuescentes, paulatim fide christiana imbuti sunt. Sine dubio ritum Gallicanum Galliae secuti sunt, nam s. V. videri potest *frequens usus Galliae cum Britannia* intercedens. Sic e.gr. e consilio Arelatensi anni 429 S. Germanus episcopus Autissiodorensis et S. Lupus Trecensis Britanniam missi sunt ad debellandum pelagianismum; idem Germanus cum Severo Trevirensi antistite iterum post sex annos ibidem iter fecit. Sic intelligi potest notitia tardiva, quod Germanus et Lupus fundamenta iecerunt « cursus Scottorum » i.e. officii divini (e ms saec. VIII. Musaei Britannici, cf. Eisenhofer I, 38). Haec arcta relatio Britanniam inter Galliamque ab antiquo tempore notissima est; sic iam Victricius episcopus Rotomagensis 415 visitavit insulam ab episcopis Britonibus rogatus (Hurter, Nomenclator lit., I, 333), ideoque per se intelligitur, fontibus liturgicis obiter inspectis, cur sit ritus Celticus idem ac Gallicanus Galliae.

b) « Insula viridis », a Strabone *Ierne* vocata, a Romanis *Hibernia*, per populum Iuvernorum ad genus Celtarum pertinentem incolebatur. Insula haec nunquam pertinens ad Imperium Romanum inde ab anno 432 a Britoromano S. *Patricio* ad fidem conversa est. Patricius nepos S. Martini in Monasterio Maiore (Marmoutier) a S. Martino fundato educatus est, clarum est ergo, quod omnes usus Gallicani apud Hibernos vigebant, tunc quoque, quando iam in Gallia in desuetudinem abiere (sic cyclus paschalis vetus annorum 84 loco anno 525 introducti novi cycli « Romani » 19 annorum, ritus differentes baptismales, tonsura). Ideo dicebatur de Hibernis: « Britones toti mundo contrarii, moribus romanis inimici, non solum in Missa sed in tonsura etiam » (Gilda saec. VII., Righetti I, 138). Haec insula, aevo suo christiano iure meritoque vocata « *Insula Sanctorum* », arx liturgiae Celticae effecta est, quando anno 449 *Anglosaxones* Britanniam inundaverunt flosque christianitatis ibi decidit. Professio catholica una cum liturgia propria in montes *Valliae* (=Wales) aufugit, partim Armonicam migravit in partibus occidentalibus Galliae, quae tunc ab ipsis *Britannia minor* (Bretagne) denominata est. Liturgia Celtica quae usque adhuc tantum Britanniae et Hiberniae propria fuit, sic diffundebatur ultra limites sui territorii originis. Quod magis factum est, *cum monachi* « *Scottici* », i.e. Hibernia oriundi, propagationi fidei operam navabant. Primo

quidem Caledoniam seu *Scotiam* in Christi ovile redegerunt, praeeunte S. Columbano maiore (Columbkille) inde ab anno 563. Eodem saeculo autem alii monachi duce S. Columbano iuniore versus 590 totam continentem terram Europae peragrabant, liturgiam propriam, quae secus a Gallicano fere nihil differebat, secum portantes. Centra operationis missionariae erant monasteria celeberrima *Luxovium* (Luxeuil) in Gallia, *Cella Sancti Galli* in Helvetia, *Bobienseque* coenobium in Italia septentrionali.

c) Per totum hoc saeculum VI. *Anglosaxonum* tribus in Britannia, nunc iam « Maiore » nuncupata, pagana remansit, christianitatis etiam vestigia delens. Nemo nescit quantum sudavit S. *Augustinus* primus episcopus Cantuarensis (597-604) a S. Gregorio Magno Angliam missus in convertendo hanc gentem, quae dein decursu saeculi VII. totaliter catholicae fidei iugo se subdidit. Liturgia ad initiis ea fuit, quam Augustinus et 40 socii secum ex Urbe Romana tulerunt, ita ut regnum Anglorum Romanitatis genuinae centrum evasit, e quo etiam *Germaniae* tribus pagani et fidem et liturgiam Romanam acceperunt, praeentibus S. *Wilfrido,* praesertim autem S. *Bonifatio* († 754). Vestigia ritus Celtici per laborem monachorum Scotticorum resuscitati in Anglia, 60 annis post exitum Augustini anno 664 in synodo Streaneshalchensi penitus deleta sunt.

d) In *Britannia minore,* cum ad imperium Francorum pertinuerit, anno 817 sub Ludovico Pio ritum Romanum usu receperunt; in *Caledonia* regina Scotiae S. Margareta, uxor Malcolmi III. Romanam loco Celticae liturgiam instituit (1067-1095). In *Hibernia* vigebat longissime haec liturgia propria, usque post occupationem Anglicam (1172) etiam Hibernii ritus Romanos in synodo Cashel celebrata asciscere coacti sunt.

2) Fontes

huius typi Celtici sunt a) praesertim *Missale Bobiense,* e s. VII. quod primum exemplum Missalis « pleni », i.e. etiam lectiones et alia continentis est. Nostra tantum aetate vocatur hoc nomine, prius « Sacramentarii Gallicani » nomen ei inhaesit (sic citatur etiam in Constit. « Munificentissimus Deus »). Ed. PL 72, 451-580, ed. critica *E. A. Lowe,* The Bobbio Missal, London 1920.

b) Item e monasterio Bobiensi oriundum est *Antiphonarium Banghorense* (s. VII), hodie in Bibl. Ambrosiana, exaratum pro praeside chori officium praesidente. Editio PL 72, 579-606, critica: *F. E. Warren,* The antiphonary of Bangor I. London 1893, II, 1895.

c) *Missale a Stowe* (hodie Dublin, Academy), ed. *Warren,* The Stowe-Missal, I. London 1906, II. 1915.

3) Descriptio Missae Celticae.

Uti G. Cabrol animadvertit, liturgia Celtica reapse non est ritus quidam sui iuris, sed est liturgia Gallicana, modo eclectico amplificata e ritibus aliis.

a) *Missae structura* presse sequitur ritum Gallicanum, sed iam inde a s. VII. habet Canonem Romanum (Missale Bobiense et Stowe). Missa, quae Hibernice (irish) vocabatur « oifrend » (offerenda), ritu Gallicano initium sump-

sit a *praeparatione oblatorum*. Infundendo aquam dicebatur: « Peto te Pater, deprecor te Fili, obsecro te Spiritus Sancte », infundendo vinum autem: « Remittet Pater, indulgeat Filius, misereatur Spiritus Sanctus ». In *Missa catechumenorum* iam dicta fuit « apologia » liturgica et litania, et « Gloria in excelsis »; permultaeque « collectiones » inveniuntur. « *Alloir* » (alleluia) cantatum est post Evangelium, postea autem *Credo* cum « Filioque ». Videtur quod Credo primo in liturgia Celtica hunc locum occupavit.

b) *Offertorium* constat calicis revelatione completa, dein ostensione calicis et patenae deinde e recitatione diptycharum, praesertim mortuorum, etsi etiam in Canone contineantur Memento duo, et quidem summopere amplificata. Talis amplificatio more Celtico conspicitur e.gr. in cantu Benedictus: « Benedictus qui venit in caelis ut conversaretur in terris, homo factus est, ut delicta carnis deleret, hostia factus est, ut per passionem suam vitam aeternam credentibus daret per dominum. »

c) Etiam *orationes Canonis* plerumque incrementa accipiunt incredibilia: « Hanc igitur... quam tibi offerimus in honorem domini nostri ihesu xpisti et in commemorationem beatorum martirum tuorum in hac aeclesia quam famulus tuus ad honorem nominis tui aedificavit, quesumus domine ut placatus suscipias, eumque adque omnem populum ab idulorum cultura eripias et ad te deum verum patrem omnipotentem convertas, diesque nostros in tua pace disponas atque ab aeterna damnatione nos eripias et in electorum tuorum iubeas grege numerari ». *Caercmoniis* quoque dilatantur omnia, sic e.gr. ad « periculosam orationem », i.e. verba consecratoria, sacerdos triplicem inclinationem facit ad verba « accepit Jesus panem », populus se prosternit. Oratio est « periculosa », nam presbyter qui vel semel balbutiens offendit hanc orationem dicendo, sec. Poenitentiale Cammiani 50 verbera accepit. *Fractio panis* more Gallicano obtinet locum ante « Pater noster ». Mirum est, quod sec. gradum altiorem festi panis dividitur in 3, 7, 8, 9, 11, 12, 13 et in Nativitate, Pascha et Pentecoste in 65 particulas.

Litteratura.

F. E. Warren, The liturgy and Ritual of the Celtic Church, Oxford 1881. — *L. Gougaud*, Celtiques (liturgies) DAL II, 2969-3032. — *Idem*, Christianity in Celtic lands, London 1932. — *L. Eisenhofer* I, 37-38. — *H. Leclercq*, La messe dans les liturgies celtiques, DAL XI (1933) 690-6. — *M. Righetti*, Storia Liturgica I (1945 137-139. — *V. Maraschi*, Eine altirische Lektionsnotation im Weltenburger Evangeliar, *in*: Stud. u. Mitteilung. Bened. ord. 1938, 161-198 — *C. Power*, The Mass in the Early Irish Church, *in*: The Irish Ecclesiastical Record 1942, 197-206.

Scholion. De origine typi liturgici Gallicani.

Quaestio haec multum disputata ideo videtur intricata, quia fontes primigenii satis non cognoscuntur; quocirca ratio originis huius typi liturgici ad modum hypothesis tantum coniici potest. Tres hypotheses, plus minus iam obsoletae habentur ad declarandam originem liturgiae Gallicanae.

1° *Hypothesis originis Orientalis*, seu Ephesina. *W. Palmer* Anglus coniecit usus liturgicos Gallicanos Ephesi ortos esse, S. Pothinus etenim, episcopus Lugdunensis ex hac urbe erat oriundus, imo etiam eius successor, S. Irenaeus in Oriente incumbens studiis, Smyrnae discipulus erat S. Polycarpi. —

At laudati episcopi saec. II. vixerunt et hoc tempore non potest adhuc sermo esse de typo liturgico iam evoluto. — Recentius *J. B. Thibaut* Joannem Cassianum designavit ut auctorem liturgiae Gallicanae, qui utique ex Oriente, Syria nempe veniens, in suo magno monasterio a se Massiliae versus 415 fundato ritum originalem Romanum ritibus Syriacis renovavit. — At dicendum est, quod unus non sufficit ad varia facta declaranda, etsi etiam partes habere potuit; certum est enim, et alios in opere liturgico collaborasse.

2° *Hypothesis Mediolanensis*, cuius auctor *Lud. Duchesne* fuit, tenet, usus Gallicanos Mediolani ortos esse. Ecclesia enim haec necessitudines habebat cum Oriente, curia enim imperatoris saec. IV.-o per longum tempus Mediolani erat, sicque multi episcopi orientales hanc urbem visitabant. Item, episcopus Ambrosio praecedens orientalis erat: Auxentius, Cappadocia oriundus, qui tempore longo episcopatus sui ritus orientales inducere potuit (355-374), quod tunc Ambrosius retinuit. A Mediolano deinde usus hi in Galliam et Hispaniam penetraverunt. — At dicendum est, quod inverisimile esset, Ambrosium, vel quemcumque alium novum ritum ab Auxentio instrusum retinuisse, erat enim Arianus.

3° *Hypothesis Romana*, primo prolata a *Ferd. Probst*, et propugnata etiam a *Paulo Cagin*, et *Ferd. Cabrol*, tenet, totam Occidentem uniformem ritum secutam esse, qui dein decursu saeculi IV. Romae reformationem subiit, quae in aliis partibus Occidentis iam non fuerit secuta. — Typus ergo Gallicanus esset Romanus antiquus, sed influxus Orientales subeundo, adhuc magis declinavit a ritu Romano. — At non inveniuntur vestigia huius tam gravis correctionis, et non est verisimile ecclesiam tam « conservativam », quam Romanam, hoc fecisse.

4° *Hypothesis complexiva* ergo, quam proponimus, omnia debet facta enodare, quae fere sequentia sunt:

a. *Primum factum est*, quod non solum una vel altera debet e familiis Occidentalibus considerari, sed omnes universim sumptae, ut typus liturgicus, nam adeo propinquae conspiciuntur. Origo ergo earum communiter debet investigari.

b. *Secundum factum est* praesentia *elementorum Orientalium* in his familiis liturgicis non-Romanis, et quidem praeprimis liturgiae Antiochenae e qua etiam Byzantina orta est. In memoriam revocantur: *ritus* (proskomidia, litaniae diaconales, processiones in Missa), *cantus* (aius=trisagion, Kyrie, trecanum), *usus* (« pax » ante partem consecratoriam, fractio panis multiplex, artificialis), demum *stilus* euchologicus; omnia evidenter indolem orientalem prae se ferunt. Quia elementa haec maxime in ritu Antiocheno inveniri possunt, praeprimis hic influxus Antiochenus debet declarari.

c. *Tertium factum est*, quod elementa haec orientalia tantum instar penetrationis (vulgo « *infiltrationis* ») haberi debent, aliis verbis liturgiae hae occidentales non possunt dici simpliciter rami ritus orientalis. Manent etenim occidentales, latinae, quia *proprietates* habent ab orientalibus ritibus eas *discernentes*: (1) influxus anni liturgici in euchologiam Missae, quae varietas in liturgiis typi Gallicani maxima est, (2) dein consecratio « Qui pridie », i.e. per relationem evangelistarum synopticorum facta; orientales per verba Paulina

(et Lucana) consecrant, (3) demum « admonitiones » (invitatoria, « praefationes ») ante orationes etiam tantum in Occidente reperiuntur.

d. *Quartum factum est,* quod *ante saeculum V. non potest mentio fieri ullius typi liturgici.* Anni saeculi V. imprimis secundum dimidium saeculi circa interitum Imperii occidentalis, viderunt ortum typorum liturgicorum in Occidente. Familiae variae eiusdem typi liturgici dein saec. VI. se evolverunt, VII-o floruerunt et VIII. iam influxus Romanus conspici potest.

5° Haec *facta explicantur* per nostram hypothesim complexivam, qua non de singulis personis, ut auctoribus agitur, nec de aliqua etsi capitali, civitate. Loco singularum personarum plures haberi debent auctores familiarum liturgicarum typi Gallicani: tum personae eximiae, tum populationes generis Celtici; loco civitatum territoria, imprimis Gallia et territoria a Celtis habitata.

a. *Plures viri eximii* erant in relatione cum Oriente. Sic *Hilarius Pictaviensis* per plures annos in exilio orientali degens (356-359), qui primus composuit hymnos latinos, etsi non venerunt in usum liturgicum; dein sine dubio *Cassianus,* discipulus Chrysostomi, qui pluries consuetudines Syriacas usibus Aegyptiacis anteponit (e.gr. quod tempore inter Ascensionem et Pentecosten non est genuflectendum et ieiunandum sicut in Aegypto, Collat. XXI, 10, cf. J. Dölger, Sol salutis p. 175). *Massilia,* ubi Cassianus monasteria sua fundavit, reapse erat quo permulti convenerunt Orientalium et Occidentalium. Aliquot decennia post Cassianum revera *Musaeus* componens sacramentorum volumen et contestandi beneficia Dei, i.e. « contestationes », presbyter erat Massiliensis (Gennadius, De viris inlustribus c. 79). Memorari possunt *Sidonius Apollinaris* episcopus Avernensis (471-482) senatorii generis et poeta, qui ipse quoque composuit contestationes (teste Gregorio Turonensi Hist. Franc. II, 22). *Caesarius Arelatensis* († 543) quoque maximas partes habuit in liturgia Gallicana evolvenda, cuius testis qualificatus haberi debet (cf. K. Berg, Die Werke des hl. Caesarius von Arles als liturgiegeschichtliche Quelle 1946). De viris liturgiam Mozarabicam ditantibus iam audivimus.

b. *Populationes generis Celtici,* Galloromani, Ibero-romani, Britoromani, item habitatores Gallicae originis Italiae septentrionalis, sine dubio partem habent in liturgia hac Gallicana tum evolvenda, tum recipienda. Spiritualitas Celtarum loco sobrietatis Romanae magis amabat mysticismum, « individualem » pietatem, prolixitatem, affectuum dominatum, ritus ditiores, coloribus plenos, quae omnia invenerunt in Orientis ritibus. Sic intelligitur, cur typus Galticanus ortus et ubique propagatus est, ubi Celtae habitabant.

c. *Territorium,* ubi typus Gallicanus verisimiliter ortus est, Gallia haberi debet, patria nativa omnium populorum generis Celtici. Celtae quidem minus valuerunt regna stabilia fundando, sed cultura eorum *valde homogena* fuit, sic intelligitur receptio eiusdem typi liturgici. Gallia etiam ideo commendatur ut locus originis typi Gallicani, quia praeprimis Gallia habebat maximam *communicationem cum Oriente,* imprimis cum *Syria.* Relationes has arctissimas *Fr. Cumont* animadvertit; Syri enim negotiantes totum Imperium, prae ceteris Galliam frequentabant. Coloniae Syriacae reperiuntur per totam Galliam usque ad Augustam Trevirorum (Trier). Post occupationem per Francos, Syrorum coetus remanserunt, imo creverunt, ita ut a. 591. episcopus Parisiensis quidam Syrus electus est; a. 585. rex Aureliani receptus per populum can-

tionibus latinis, syriacis et hebraicis salutatus est (Cumont, Les religions orientales dans le paganisme romain, Paris 1928, 98-99). Influxus Syriacus adhuc s. VIII.-o cerni potest, existunt ex hoc saeculo manuscripta Gallica arte Syriaca illuminata (cf. H. Leclercq, Manuel d'archéologie chrétienne, II, Paris 1906, 616). Ceterum notissimum est, quot peregrini profecti sint e Gallia, Hispania in Terram sanctam inde a peregrino Burdigalensi (333), quot episcopi conversati sint in Oriente. Haec *etiam in Hispania* contingebant, ubi urbes quaedam maritimae, ut e.gr. Barcinona, ad imperium adhuc Romanum orientale pertinebant, cuius urbem capitalem frequenter invisebant, v. gr. S. Leander Hispalensis. Numquid etiam influxus Gothorum, quorum liturgia certe aliquo modo typi orientalis fuit, etsi ignota, non constat, nam Ariani fuerunt cultusque eorum rudimentarius suspectus.

Haec omnia commendant liturgiam typi Gallicani in ipsa Gallia primordia sua habuisse.

Litteratura.

W. Palmer, Origines liturgicae, London 1839. — *F. Probst*, Die Liturgie des vierten Jahrhunderts und ihre Reform, Münster i. W. 1893, 445-472. — *P. Cagin*, Paléographie musicale, Solesmes 1896, 70-97. — *G. Mercati*, Sull'origine della liturgia Gallicana, *in*: Antiche reliquie liturgiche ambrosiane e romane, Roma 1902, 72. — *F. Cabrol*, Les origines liturgiques, Paris 1906, 347. — *H. Lerlercq*, Colonies d'orientaux en Occident, *in*: DAL III, 2266-2277. — *J. Ebersolt*, Orient et Occident. Recherches sur les influences byzantines et orientales en France avant les croisades, Paris-Bruxelles 1928. — *J. B. Thibaut*, L'ancienne liturgie gallicane, son origine et sa formation en Provence aux V. et VI. siècle, Paris 1929. — *L. Eisenhofer*, Handbuch I, 32-35. — *M. Righetti*, Storia liturgica I (1945) 111-115. — *E. Griffe*, Aux origines de la liturgie Gallicane, *in*: Bulletin de litt. ecclés. 1951, 17-43.

E) De ritu Romano antiquo.

Etsi hic ritus, qui nominatur etiam ritus purus Romanus, vel ritus Urbanus Romanus, iam sua antiqua puritate desuetus sit, tamen magni habendus et cognoscendus est, nam haec liturgia Romana antiqua est mater sanctae universalis liturgiae Romanae hodie in maxima parte orbis terrarum vigentis. Agendum est tum de origine et evolutione huius liturgiae Urbanae, tum de proprietatibus.

1) Origines et evolutio ritus Romani antiqui.

a) Tempus, quando nondum erat

ritus proprius Romae, est aevum primorum quatuor fere saeculorum. Sine dubio erat cultus etiam Romae, in urbe capitali totius orbis et Ecclesiae, sed nondum erat proprius, etsi etiam monumenta eiusmodi cultus cognoscantur: e Roma ducunt quidem originem, sed nondum sunt « Romani », i.e. alia, quam alibi. S. *Iustinus* martyr circa 155 Romae descripsit Missae ordinem, *Hippolytus* Romanus versus 220, tamen minus recte inciperetur his testibus historia liturgiae Romanae, ut e.gr. Eisenhofer fecit (LfThK VI [1934] 612), nam ante saeculum V. vix potest mentio fieri liturgiae Romanae propriae. Haec decursu s. IV.-i versus finem fortasse iam animadverti potest, s. V.-o iam habetur eius conscientia. Romae, sicuti et in aliis regionibus Ecclesiae primaevae liturgia eadem fuit quoad *structuram principalem*, lingua sacralis hac aetate uti vidimus,

etiam Romae graeca fuit, ceterum *textus* liberi ubique erant et commissi curae episcoporum. Huius liturgiae primigeniae Romae ultima mentio fit apud *Marium Victorinum* (cf. superius), versus 360. Primordia ritus Romani hoc tempore quaerenda sunt, quia initio s. V.-i iam supponi debet eius existentia, quam clare prodit epistola *Innocentii I.* ad Decentium, scripta anno 416.

b) **Origo ritus Romani antiqui**

saeculo IV. vertente ponenda est. Etiam textus proprietates Urbanas Romae exhibentes iam ex hoc saeculo inveniuntur et quidem in Sacramentario Leoniano, in cuius formulis quaedam certo iam e saeculo V. oriundae sunt. Ut A. Stuiber ostendit (op. infra cit. p. 63), Missa quaedam iam despoliationis per Geisericum anno 455 factae vestigia ostendit, Missa habetur ibidem e tempore mortis Simplicii Papae (483). Quia hi textus nihil differunt ab aliis in Leoniano inventis, iure meritoque concludi potest origo ritus antiqui versus ultima decennia saec. IV., ut iam Ferd. Probst fecit (op. infra cit. 62-80), Damasum papam auctorem constituens. Melius concipitur origo huius ritus, si non instantanee, sed lentiore evolutione imaginatur, nam certo certius iam in « titulis » i.e. ecclesiis parochialibus decursu s. IV.-i aliquo modo incipiebat.

c) **Evolutio ritus Romani antiqui**

saec. V-VI. facta est, propius inter 410-604, a prima despoliatione Romae (410) usque Gregorium Magnum (†604). Tres viri commemorandi sunt, qui in ritu Romano antiquo perficiendo maximas partes habuerunt.

1° Primus auctor est anonymus, qui compilavit *Sacramentarium Leonianum.* Manuscriptum hoc venerandum Capituli Veronensis, saec. VI-VII., sine dubio post 554 compositum est quoad archetypum eius. Jos. Bianchini, inventor et primus editor huius manuscripti, Sacramentarium vocavit « Leonianum », id inter opera Leonis Magni inserens (1735). Textus: PL 55, 21-156; ed. critica: *L. Feltoe,* Sacramentarium Leonianum edited with introduction, Cambridge 1896, quae a nobis citatur, novissima editio: *C. Mohlberg-L. Eizenhöfer-P. Siffrin,* Sacramentarium Veronense (Cod. Bibl. Capit. Veronens. LXXXV), Romae 1955-56. Hoc sacramentarium est collectio plurium formularum eucologicarum Missae, quam cancellaria patriarchii Romani redigi iussit, iuxta Th. Klauser et Stuiber. Compilator non composuit librum liturgicum stricte dictum, sed collectionem exemplarem, quae continebat permultas formulas pro uno festo, sic pro festo S. Petri et Pauli 28, pro Laurentii 14 formulas. Orationes, inquantum coniici potest e textibus eventus historicos speculi instar ostendentibus, inter 455-554 scriptae sunt; 554 signat belli Byzantinorum cum Ostrogothis finem, post hunc annum iam nulla invenitur oratio. Iuxta recentissimas investigationes compilator huius chrestomathiae varios « libellos » in unum redegit, inter quos certissime etiam opera liturgica S. Leonis Magni inveniuntur. Sic P. Borella (1946) et Callewaert (1948) (v. infra Litteraturam), quibus accessit Hier. Frank (1950) et B. Capelle (1953). Saltem unus libellus pro ieiunio quatuor temporum Pentecostis a magno Pontifice exaratus est. Recenter ostendit Chavasse (1950) in Litt. 60 Missas in Leoniano compositas esse durante Urbis obsidione an. 537-538, Vigiliumque papam circ. 18 textus Missarum composuisse inter 539-545.

2° Secundus qui perficiendae liturgiae Romanae incubuit, erat S. *Gelasius* papa (492-496), cuius pontificatus coincidit cum initio potestatis per Ostro-

gothos apprehensae in Italia (Theodoricus Magnus 493-526). Hic pontifex summus, Africa oriundus, eximius tum in theologia, tum in regimine ecclesiastico sine dubio etiam ritum Romanum expoliendo excelluit. Hoc testatur eius coaevus, Gennadius: « Tractatus diversarum scripturarum et sacramentorum elimato sermone... fecit et hymnos in similitudinem Ambrosii episcopi » (De viris illustribus c. 94.); Walafridus Strabo quoque dixit aliqua de opere liturgico Gelasii; enuntians, quod « tam a se, quam ab aliis compositas preces dicitur ordinasse » (De rebus eccles. 22); Joannes diaconus autem, biographus S. Gregorii de « Gelasiano codice » loquitur (Vita Gregorii II, 17). Hic liber quidem certo non est idem cum « *Sacramentario Gelasiano* », venerando monumento ritus Romani e saeculo VI.-o, de quo superius egimus, sed novissima pervestigatio scientifica H. Koch. B. Capelle (1937, 1945-6 et 1951) et C. Coeberg (1950 et 1951) ostendit Missas sat multas in Leoniano collectas scriptas esse per Gelasium (v. Litteraturam). Institutio precis litanicae loco « orationis fidelium » item iam supra commemoravimus.

3° Tertius vir, maximas partes habens meritorum quoad liturgiam Romanam antiquam, est *S. Gregorius Magnus* (590-604), stans in confinibus antiqui et medii aevi, vel aliis verbis medius in aetate migrationis populorum, qui hac aetate liturgiae Romanae antiquae evolutionem ad culmen perduxit. Singula consideranda sunt:

d) **Aetas migrationis populorum: 410-756,**

aetas tam lugubris et tamen promissionibus plena, eadem est evolutionis liturgiae Romanae, quae iam absoluta fuit, quando pericula migrationis populorum per fundationem Status ecclesiastici (756) superata sunt. Medius stat Gregorius, nesciens finem huius turbulenti temporis, exclamans: « Ubi est senatus, ubi populus? » et putans finem mundi imminentem esse (cf. In Ezech. 1,8).

1° Revera *saeculum V.* aetas fuit incursionum devastantium, ubi neces, stupra, spoliationes, captivitates abundavere. Anno 410 *Alaricus* cum Wisigothis occupavit Urbem; totius Imperii pavor cerni potest ex introductione Civitatis Dei S. Augustini. A. 451 *Attila* Hunnorum rex, flagellum Dei, tantum per Leonem Magnum aversus est. A. 476 *Odoacer* cum Herulis suis finem facit Imperio occidentali, interea provinciae occupabantur omnes. A. 493 *Theodoricus* factus est Italiae dominatur, pacem interea servans.

2° *Saeculum VI.* Italiae et Romae immane bellum tulit viginti annorum inter *Gothos et Byzantinos* (534-554), quod Gothos orientales quidem exstirpavit, sed etiam Italiam maximeque Romam depopulavit. Narses, dux Byzantinus quidem victoriam celebravit, dedicando in memoriam huius basilicam Duodecim Apostolorum, sed regnum Byzantinum tantum per 14 annos duravit. Nam 568 nova gens Barbara, *Longobardi* occupaverunt Italiam, Romam vero cum locis circumiacentibus incluserunt. Roma abhinc per duo saecula (568-756) ad *Imperium Byzantinum* pertinebat, dependens ab exarchis imperatoris Ravennae residentibus, sed Longobardi tum in septentrione, tum in meridie Urbis incolentes per ducentos annos semper minati sunt Romam, etsi nunquam eam occuparunt. Romae, in monte Palatino, residebat exarcha substitutus: « Vicarius Italiae », qui tamen semper minus valuit adiuvare Urbem.

Ideo auctoritas Summorum Pontificum in dies crevit; officiales huius Vicarii semper magis a « Patriarchio », i.e. a residentia papali dependebant. Interim vita quotidiana antiqua Romana pedetentim evanuit, quod quidem lento processu factum est.

3° Dum haec geruntur, — *saec. V-VI.* — manserunt patricii, senatores, imo et consules, scholae rhetorum, in quas Gothos non assumebant, diu remanebant ludi circenses, thermae frequentabantur. Sed aedificia magnifica tardo passu iniuria temporum fatiscentia, pedetentim ruinae effecta sunt, vel mutata in castella abhinc bellis civilibus perturbationibusve internis serviebant. Sic *ruinae* devenerunt palatia Caesarum, Augusti, Flaviorum in Palatino, Domus aurea Neronis; *arces* fiebant Amphitheatrum Flavium; Moles Hadriani fiebat Castellum S. Angeli. Permultae basilicae antiquae mundanis usibus olim servientes, porticus et templa pagana in christianas *ecclesias* transmutari coeperunt. Roma hac aetate migrationis gentium creata est *Civitas sancta,* permultis templis ornata; etiam centrum statolatriae, templum Romae Deae christiana ecclesia evasit SS. Cosmae et Damiani. Hac aetate evoluta est praestantissima liturgia stationalis, qua nihil melius fovebat spiritum communitatis. — Ideoque hac aetate perventum est: ad

e) **Culmen liturgiae Romanae antiquae.**

S. Gregorius Magnus (590-604) evolutionem liturgiae purae Romanae perduxit ad summum fastigium, opusque eius, ut notat Baumstark, erat temperatio ad unitatis rationem speciem prae se ferens individualitatis (« eine einheitliche Organisierung individuellen Gepräges », Gesch. Werden d. Lit. p. 78). Opus hoc *temperationis* seu vulgo « *organizationis* » memoratum est etiam ab ipso Summo Pontifice in epistola scripta ad Joannem episcopum Syracusanum anno 598 (PL 77, 935). (Cf. G. Gassner 1926, B. Capelle 1937 et H. Ashworth 1953 infra in Litt.).

1° Gregorius Magnus ordinavit *liturgiam stationalem* iam existentem: « Stationes per basilicas vel beatorum martyrum coemeteria secundum quod hactenus plebs Romana quasi eo vivente certatim discurrit, sollicitus ordinavit », dicit Joannes diaconus. De *Sacramentario Gregoriano* haec dicit idem: « Gelasianum codicem de missarum sollemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero superadiiciens, pro exponendis evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit » (Vita Gregorii II, 18. 17 PL 75, 1075 s.). Multo ante eum Aldhelmus monachus anglosaxo, qui Galliam et Italiam inter 639-645 peragravit, meminit iam operis S. Gregorii loquens de S. Agatha, cuius nomen « praeceptor et paedagogus noster Gregorius in canone quotidiano, quando Missarum sollemnia celebrantur pariter copulasse cognoscitur » (De laudib. virginit. c. 42. PL 89, 142). Quoniam multi extiterunt codices manuscripti titulum portantes: « Incipit liber sacramentorum de circulo anni a Sancto Gregorio Papa editus », plures editiones inter se variantes lucem conspexere; « Gregorianum » quoddam primo a *Pamelio* est editum (1571), dein ab *A. Rocca* (1593), celebris evasit editio e codice Eligii saec. IX-i adornata ab *H. Ménard* OSB (1642, reimpressa PL 78, 25-240), optima abhinc editio fuit *L. A. Muratorii* (1748). Omnes hae editiones non repraesentant Gregorianum primigenium, multas enim iam habent interpolationes e codicibus gelasianis et libris liturgicis gallicanis, ita ut inde a L. Duchesne multi critici au-

thentiam Sacramentarii Gregoriani inficiati sunt, exemplaria autem cum inscriptione supradicta appellati fuerunt « *Sacramentarii Hadriani* » nomine (de S. Hadriano cf. supra A. 4. d.), cuius textus cum certitudine morali restitutus est ab *H. Lietzmann* (Das Sacr. Gregr. nach dem Aachener Urexemplar, 1921), repraesentatque textum Gregoriani temporis fere 790.

2° Sed quia « Hadrianum » plus quam ducentis annis ab aevo Gregorii Magni distat, conati sunt textum *Gregoriani primigenii* (*Urgregorianum*) *restituere*. Optimum successum habuit eximius indagator *C. Mohlberg*, qui « antiquissimam formam quae attingi potest » e codice quodam saec. IX-i Patavino (Padova, Bibl. capit. D. 47) edidit (Die älteste erreichbare Gestalt des Liber Sacramentorum anni circuli der röm. Kirche, Münster i. W. 1927). Hic codex nunc communius « *Paduanum* » vel « *Sacramentarium Patavinum* » nuncupatur, etsi nil cum civitate ista commune habeat, scriptus est etenim Leodiae (Liège, Lüttich), sed fidelissime ad fidem archetypi oriundi e tempore Honorii I. (625-638). Sic iam notabiliter appropinquatum est aevum S. Gregorii Magni, sed recentiore investigatione *Kl. Gamber* (Wege zum Urgregorianum 1956) videtur attingi ipsum aevum dictum Sacramentarii *Gregoriani primigenii* textusque eius adhuc propius determinari posse. Gamber enim e variis recensionibus Gregoriani conatus est seriem Missarum Gregoriani primigenii restituere (op. cit. p. 31-50), argumentisque concludentibus verisimile reddit opus id originarium anno 592 a S. Gregorio editum fuisse. Liber hic fuit directe pro officiis Curiae Papalis concinnatus ideoque desunt in eo Missae Dominicarum de anni circulo, i.e. communes.

3° *Ordinatio cantus ecclesiastici* etiam Gregorio tribuitur, ut Joannes diaconus scripsit: « In domo Domini more sapientissimi Salomonis propter musicae compunctionem dulcedinis, antiphonarium centonem, cantorum studiosissimus (i.e. Gregorius), nimis utiliter compilavit. Scholam quoque cantorum... constituit,... ubi usque hodie lectus eius... et flagellum ipsius quo pueris minabatur, veneratione congrua cum authentico antiphonario reservatur ». Sic *Joannes* diaconus, qui etsi versus 882 mortuus sit, tamen opus suum egregium e documentis archivi Romani composuit (Hurter, Nomenclator liter. I, 858). Etiam Hadrianus I. sic tradidit posterorum memoriae hexametris illis, quae Dominicae I. Adventus praefixa toto medio aevo hac dominica cantabantur: « Gregorius praesul... composuit hunc libellum musicae artis, scholae cantandum circulo » (Cl. Blume, Tropi graduales missae, Analecta hymnica 49, 19). — Ideoque iure vocabant hunc *cantum* « *Gregorianum* », dum primus *Goussainville* anno 1675, Antiphonarii Gregoriani editor, hoc in dubium vocavit. Tempore elapsi saeculi *F. A. Gevaert* iteravit hanc sententiam (Les origines du chant liturgique de l'église latine, Gent 1890). At certum haberi debet quoad summam Gregorium esse auctorem antiphonarii Gregoriani, cantumque merito vocari eius nomine. Nam Angli sic tenebant traditionem directe e Roma oriundam; *Egbertus* archiepiscopus Eboracensis (York) circa 732 loquitur de hoc: « ...noster didascalus b. Gregorius, in suo antiphonali et missali libro per paedagogum nostrum b. Augustinum transmisit... » (PL 89, 441). Imo *epitaphium Honorii I.* (625-638), qui « divino in carmine pollens » fuit, in hac re defunctum assimilat Gregorio Magno: « Gregorii tanti vestigia iusti sum sequeris cupiens, meritumque geris »; ergo 34 annis post mortem Gregorii maximum meritum conspexerunt in eius opere cantui commisso (cf. Righetti I, 532-540).

2) Proprietates ritus Romani antiqui.

Ritum Romanum antiquum in sua primaeva puritate tantum Leonianum exhibet, dein etiam Gregorianum primigenium (Paduanum). Praecipuae proprietates hae conspiciuntur:

a) Sobrietas Romana

frequenter vocata, quam iam exposuimus loquendo de stilo liturgico Romano, eius ritibus et stilo euchologico (cf. Stilistica E. 2.).

b) Conservativismus Romanus,

qui cernitur in religione pagana Romanorum, remanente cultu naturae rustico, etiam liturgiam christianam quam maxime nota sua insignivit. Hic conservativismus Romanus invenitur

1° in eo, quod tam longe custodivit *linguam graecam* sacralem, uti vidimus usque 360; — dein

2° in principium archaicum servando (Baumstark: « mit gewaltigem Beharrungsvermögen »), quod *textus variabiles* euchologici crearentur. Principium Romae intactum custoditum est, quod semper *novae* orationes ad Deum delegentur, dum in Oriente tota liturgia Missae invariabili rigiditate torpescere coepit, apparenter tantum archaica existens.

3° Hic spiritus conservativus Romanus effecit, ut principium antiquum in vigore mansit, *orationes semper ad Patrem* dirigendi, dum Oriens, eiusque influxu etiam liturgiae typi Gallicani saepe ad Filium precationes mittebant, ut e.gr. videri potest in hac oratione Fer. VI. Pass. et Mort. Domini: « O salutaris hora passionis! O magna maximarum gratiarum! Nona hodierna maxima horarum hora. Hac nunc tu, noster dilecte sponse, osculare de cruce, licet post crucis trophaeum. Osculare precamur, salutare tuum impertire nobis, triumphator mirabilis, auriga supreme, Deus pie, gloriosissime propugnator! » (Miss. Gallican. Vetus PL 72, 361, cit. a Baumstark, Lit. comparée p. 4).

4° Hic conservativismus causa fuit, cur *recentior ritus* Missae Romanae in regno Francisco s. IX-X; exortus, in ipsa Urbe sat tarde receptus sit, hoc enim tanto tempore imperatorum Saxonum, initio s. XI. contingit, sicut ritus novus officii abbreviati a Curia Romana solum post duo saecula in basilicis Romanis receptus est.

5° Sic etiam *usus liturgici* ex individuali pietate *spiritualitatis Celticae* seu Gallicanae oriundi, ut Missae privatae, pluria altaria in ecclesia, concelebrationis omissio, multiplicatio numeri orationum, inversio altaris ad parietem posteriorem ecclesiae, usus azymorum s. VIII. incipiens, communionis receptio genibus flexis et multa alia: tardissime in ipsa Urbe acceptati sunt (cf. de his optime J. A. Jungmann, Die Abwehr des germanischen Arianismus und der Umbruch der religiösen Kultur im frühen Mittelalter, in ZfkTh 1947, 36-99). — Tertia proprietas significans est:

c) Collectivismus Romanus

i.e. genius consensionis omnium seu vulgo « spiritus communitatis » (Gemeinschaftsgeist), cuius ductu orta est:

1° *Liturgia stationalis. Statio* significat locum conventionis populi in basilicis Romanis, ubi populus e 25 « titulis » confluxit (cf. P. Batiffol, Leçons sur la messe, 9. ed. Paris 1923, 30-36). Summus Pontifex celebravit Missam, in « scypho stationario » aureo, octo libras ponderante, consecravit vinum, et quinquaginta scyphis argenteis, « calicibus ministerialibus » per diaconos fidelibus 25 titulorum, seorsim viris et seorsim mulieribus, id distribuit (Liber pontf. ed Duchesne I, 224). Quia etiam in titulis debuit Missa celebrari, Summus Pontifex unicuique « titulo » particulam misit panis consecrati, « fermentum a nobis confectum » in signum unitatis, ut Innocentius I. cit. epistola scripsit.

2° Transmutatio Romae ex urbe pagana in civitatem sanctam per hanc liturgiam stationalem completa est. Hae ecclesiae « stationales » historia saxis inscripta haberi possunt Romae sacrae (F. Cabrol: « épopée de pierre »: La liturgie romaine à Rome, *in*: IV. Semaine liturgique, Maredsous 1912, 76-99). *Stationum loca* erant et adhuc in Missali notantur: Magnae *basilicae Constantinianae,* imprimis Domus Lateranorum, cathedralis Urbis, vicinum habens « Patriarchium », i.e. residentiam papalem; dein *basilicae coemeteriales* extra muros: loco Circi Neronis et Gaii in Vaticano colle Basilica S. Petri, penes viam Ostiensem Basilica S. Pauli, Basilica S. Laurentii extra muros, omnes a Constantino exstructae, Basilica S. Agnetis a filia eius aedificata. Stationes erant demum ecclesiae 25 titulorum, secundum elenchum synodi anno 499 habitae: S. Xysti, Joannis et Pauli, Quattuor Coronatorum, Clementis, Marcellini et Petri, Petri ad vincula, Silvestri et Martini, Praxedis, Pudentianae, Eusebii, Vitalis, Susannae, Cyriaci, Marcelli, Laurentii in Lucina, Laurentii in Damaso, Marci, Anastasiae, Nerei et Achillei ad fasciola, Balbinae, Sabinae, Priscae, S. Mariae trans Tiberim, Caeciliae, Chrysogoni. Postea etiam *aliae ecclesiae* stationales effectae sunt, plerumque iam tempore S. Gregorii Magni, sic e.gr. S. Stephani in Coelio monte. In summa habentur 43 ecclesiae stationales cum 89 diebus stationalibus.

3° *Vis et momentum liturgiae stationalis* magna fuit: **a.** unaquaeque Missa proprium textum habens, incredibilem prodit cognitionem *Scripturarum,* qua lectiones sacrae et cantus Missae variabiles selecta sunt. Ideae anni liturgici vera Romana experientia evolvuntur et illustrantur *captui rudium* accomodato modo; quae accomodatio praesertim eo cernitur, quod circumstantiae locales stationum (ut statim dicetur) velut notae, initio inserviunt *tradendae doctrinae*; demum agmina populi a presbyteris ducta ad ecclesiam stationalem nuclei instar erant *processionum sacrarum,* quae tam diu nutriebant sensum religiosum christianae plebis (H. Grisar, Das Missale etc. p. 93). — **b.** Etiam *hodiedum* liturgica notatio stationum in Missali sensu non caret. *Clavis* etenim est ad melius intelligendam aliquam Missam, quae saepe tunc intelligitur, si ecclesiam stationalem respicimus; dein liturgia stationalis etiam nobis in memoriam revocat *consensionem omnium nostrum* cum una sancta Matre Ecclesia Romana; demum peculiaris modus est *venerationis Sanctorum* (P. Parsch, Messerklärung 2. ed. 1935, 87-88 p.).

Quarta proprietas liturgiae Romanae antiquae est:

d) **Color localis**

huic ritui inhaerens, qui Ritu Romano per totum orbem latinum propagato, diffundit amorem et aestimationem communis domus paternae, in Urbe splen-

dentis. Color hic localis videri potest tum quoad loca Romana, tum quoad Sanctos Romanos.

1° *Loca Romana* multoties influxu suo selectionem textuum liturgicorum afficiebant, ut etiam Sancti Urbis, de quibus optime disserebant Card. Ild. Schuster, Hartmannus Grisar, J. P. Kirsch (v. Litteraturam).

a. Sic *regio Romana* patefacit intellectui e.gr. Missam *Fer. V. post Dom. II. Quadr.,* cuius statio assignatur *S. Maria trans Tiberim,* Evangelium legitur de divite et Lazaro; eo tempore haec regio erat Hebraeorum, et quia saepe dives evangelicus typus Iudaei habebatur, Lazarus autem pauperis Christiani, intelligi potest electio huius pericopae, quia iam Gregorius Magnus hanc ideam evolvit (Hom. 40.). Sic interpretatur, quid velit offertorium huius Missae, in quo Moyses precatur: « Quare Domine, irasceris in populo tuo? parce irae animae tuae... »

b. *Aedificia* templo adiacentia, vel e quibus ecclesia facta est, etiam nota sua insigniunt textus liturgicos. Sic v. gr. *Fer. VI. post Cineres* statio est ad *S. Joannem et Paulum,* quae fuit aevo antiquo « titulus Pammachii », eius viri, qui propriam domum in Monte Coelio in basilicam transformans in ea recondidit exuvias Sanctorum fratrum. Tum Pammachius beneficus vir fuit, notissimus ob xenodochim pauperum et peregrinorum a se apud Ostia Tiberina exstructum, tum fratres celebres erant propter animum caritativum, quorum « Xenodochium Valeriorum » prope titulum Pammachii stetit. Ideo facile percipitur, cur loquantur textus Missae stationalis de actibus caritatis proximi: « Frange esurienti panem tuum, egenos vagosque induc in domum tuam » (epist.), « Diligite inimicos vestros, benefacite his... cum ergo facis eleemosynam » (evang.), « Spiritum nobis, Domine, tuae caritatis infunde », precatur postcommunio.

c. In Missa *Sabbati* « *Sitientes* » post Dom. IV. Quadr. cernitur *compositio arte mirabilis,* cui stationi inservit ecclesia *S. Nicolai in carcere.* Penes hanc ecclesiam puteus erat limpidissimus, pro aetate migrationis magni ponderis, nam aquaeductus per Gothos destructi sunt; vicinum dein tribunal vicarii Byzantini et carcer eius fuit. Puteus antiquus excitavit ideam aquarum salientium in vitam aeternam, i.e. plenitudinem gratiae Novi Testamenti, quae cum baptismo initium sumit, ideo cantus introductorius: « Sitientes venite ad aquas », quae gratia memoratur etiam cantu communionis: « Super aquam refectionis educavit me ». Directe catechumenos respicit Evangelium: « Ego sum lux mundi », nam baptismus « illuminatio », photisma, vocabatur. Tribunalis meminit idem Evangelium, loquens de « iudicio » et « testimonio », carceris autem motivum invenitur in epistola: « Ut diceres his, qui vincti sunt: Exite, et his, qui in tenebris: Revelamini! » Ut patet haec de reconciliandis paenitentibus intellecta sunt.

d. Virginis martyris, *S. Caeciliae,* adeo veneratae cultus localis in Missa *Fer IV. post Dom II. Quadr.* vestigia reliquit. Sacrae virginis exuviae in basilica e domo paterna transmutata sepultae sunt, haec domus loco elevato stetit, quod factum respicitur epistola Missae: « Domine Deus, exaltasti super terram habitationem meam », quae Missa dein etiam in Communi virginis et martyris

(II. missa) assumpta est. Evangelium autem loquitur de filiis Zebedaei per popularem accomodationem fratrum Tiburtii et Valeriani, sociorum Caeciliae.

2° *Sancti Romani* quoque nota coloris localis insigniunt liturgiam antiquam. Sancti Romani dicuntur vel Sancti Romae passi, vel alieni quorum cultus iam in Urbe tempore primae evolutionis liturgiae vigebat.

a. Praesertim *duo elenchi Sanctorum* (Communicantes et Nobis quoque) huc pertinent. In « *Communicantes* » post *apostolos* tres primi Papae commemorantur: « *Lini, Cleti, Clementis* », dein omittendo ceteros, feruntur nomina « *Xysti, Cornelii* » post eos statim « *Cypriani* » fit memoria, nam eodem die passus est, quo ante quinque annos Cornelius sepultus est, ideo iam in catacumbis Callisti simul depicti conspiciuntur. Post primaevum indicem apostolorum et paparum iam abbreviatum, Sanctorum memoria fit tempore s. V.-VI maxime veneratorum. « *Laurentii* », post S. Petrum dilectissimus; dein Sancti, qui regnante Symmacho (498-514) maxime colebantur: « Joannis et Pauli » quorum apsidem idem Papa restauravit, « *Cosmae et Damiani* », quorum veneration in S. Maria Maiore oratorium exstruxit; « *Chrysogoni* », cuius nomen primo 499 occurrit. Iure coniicitur ergo redactio huius elenchi tempore Symmachi. *Compositio* sine dubio *arte facta* est: post *duodecim* nomina apostolorum sequuntur *duodecim* nomina martyrum, excepto Cypriano omnes Sancti Romani.

b. Index nominum « *Nobis quoque* » simili artificiali modo constructus est. *Dux* huius elenchi est « *Joannes* », nullo modo evangelista, qui iam commemoratus est, sed Baptista, quo nullus maior surrexit inter filios hominum, *primi* elenchi *dux* est S. Maria Virgo. Post Joannem succedunt *septem* sancti viri, dein *septem* sanctae feminae. Secundus index supplementarii finem habet; ideo protomartyris memoria « *Stephani* », qui eo tempore quam maxime venerebatur Romae; dein apostoli serius vocati « *Matthias, Barnabas* »; dein pars et societas deprecatur cum « *Ignatio* » Antiocheno, cuius reliquiae Romae quieverunt, cum « *Alexandro* » martyre, propter cuius corpus Symmachus restauravit Coemeterium Jordanorum, demum cum « *Marcellino, Petro* » martyribus. Prima *inter feminas* precatur pars cum « *Felicitate* », martyre Romana, cuius basilicam Symmachus renovavit, cum « *Perpetua* », quae quidem in basilica Carthaginensi quievit, sed associatione quadam (nam eius socia erat alia Felicitas) et propter Acta eius celeberrima commemoratur; cum « *Agatha* », cuius basilicam contra Gothorum templum S. Agathae idem Symmachus exstruxit, cum « *Lucia* », propter basilicam item a Symmacho renovatam; cum « *Caecilia* », cuius cultus similiter popularis fuit quam S. Laurentii, et cum « *Anastasia* », cuius basilica in clivo Palatini ecclesia curialis fuit Byzantinorum. Cultus ergo Sanctorum Romanorum quam maxime resplendet in his duobus elenchis.

3° Cultus *aliorum Sanctorum* quoque cerni potest; a. sic S. *Andreas* in embolismo « Pater noster » post Petrum et Paulum nominatur, nam S. Gregorius Magnus peculiari modo eum coluit, brachium eius secum portans e Constantinopoli, monasteriumque in eius honorem construens loco domus suae paternae; in Sacramentario Gregoriano penitus sic intelligitur Missa propria vigiliae eius.

b. *Ut A. Vogel* ostendit, etiam in quibusdam *dominicis post Pentecosten* electio pericoparum explicari potest proximitate festi alicuius Sancti eximie venerati. Sic pericopa de captione piscium (Lc 5, 1-11) propter festum Petri et

Pauli; pericopa vero de villico iniquitatis (Lc 16, 1-9) et de « apertione aurium » per Ephpheta (Mc 7, 31-37) propter festum proximum S. Laurentii diaconi; pericopa demum sanationis paralytici (Mt 9, 1-8) propter festum SS. Cosmae et Damiani electa est (Vogel, Der Einfluss von Heiligenfesten auf die Perikopenwahl an den Sonntagen nach Pfingsten, *in*: ZfKTh 1947, 100-118).

Litteratura.

Quoad originem et evolutionem ritus Romani antiqui. *F. Probst,* Die ältesten römischen Sacramentarien und Ordines, Münster i. W. 1892. — *H. Grisar,* Das Missale im Lichte römischer Stadtgeschichte, Freib. i. Br. 1925. — *H. Hohlwein,* Untersuchungen über die überlieferunggeschichtliche Stellung des Sacr. Gregor., *in*: Eph. Lit. 1928, 231-257, 444-473. — *H. Lietzmann,* Auf dem Wege zum Urgregorianum, *in*: JfLw 1929, 132-138. — *B. Capelle,* La main de S. Grégoire dans le Sacramentaire Grégorien, *in*: Rev. Bénéd. 1937, 13-28. — *Idem,* Messes du pape Gélase dans le Sacramentaire Léonien, *ibid.* 1945/46, 12-41. — *Pl. Bruylants,* Concordance verbale du Sacram. Léonien, Bruxelles 1945/48. — *P. Borella,* San Leone Magno e il Communicantes, *in*: Ephem. Lit. 1946, 93-101. — *C. Callewaert,* Saint Léon le Grand et les textes du Lèonien, *in*: Sacris erudiri I (1948) 35-164. — *A. Chavasse,* Les messes quadragésimales du Sacramentaire gélasien, *in*: Eph. Lit. 1949, 257-276. — *Idem,* Messes de Pape Vigile (637-555) dans le Sacram. Léonien, *ibid.* 1950, 161-213. — *E. Bourque,* Étude sur les Sacramentaires Romains, I. Les textes primitifs, Città del Vaticano 1950. II. Les textes remaniés, tom. I. Le Gélasien du VIII. siècle, Québec 1952. — *H. Frank,* Zur Geschichte des Messkanons, *in*: AfLw 1950, 114-119. — *A. Stuiber,* Libelli Sacramentorum Romani. Untersuchungen zur Entstehung des sog. Sacramentarium Leonianum, Bonn 1950 (cf. Mohlberg *in*: Eph. Lit. 1950, 83-87). — *C. Coebergh,* Gélase I. auteur principal du soit-disant Sacramentaire Léonien, *in*: Eph. Lit. 1950, 214-237. — *Idem,* S. Gélase I. auteur de plusieurs messes et prières du Sacramentaire Léonien, *ibid.* 1951, 171-187. — *B. Capelle,* Retouches gélasiennes dans le sacramentaire léonien, *in*: Rev. Bén. 1951, 3-14. — *A. Chavasse,* Les plus anciens types du lectionnaire et de l'antiphonaire romaine dans les Messes, *ibid.* 1952, 49-58. — *H. Ashworth,* Gregorian elements in the Gelasian sacramentary, *in*: Eph. Lit. 1953, 9-23. — *Kl. Gamber,* Wege zum Urgregorianum. Erörterung der Grundfragen und Rekonstruktionsversuch, Münster i. W. 1956. — *A. P. Lang,* Leo der Grosse und die Texte des Altgelasianums mit Berücksichtigung des Sacramentarium Leonianum und des Sacramentarium Gregorianum, Kaldenkirchen 1957. — *C. Mohlberg - L. Eizenhöfer - P. Siffrin,* Liber Sacramentorum Romanae Aeclesiae (Sacr. Gelasianum), Roma (Herder) 1960.

Quoad aetatem migrationis populorum. *H. Grisar,* Geschichte Roms. I. Rom Beim Ausgang der antiken Welt, Freiburg i. Br. 1898. — *L. Schmidt,* Geschichte der Wandalen, Leipzig 1901. — *F. Martroye,* L'Occident à l'époque byzantine, Gothes et Vandals, Paris 1904. — *E. F. Gauthier,* Genséric, Paris 1932. — *F. Lot - Cr. Pfister - F. L. Ganshof,* Histoire du moyen-âge, tome I, 1. Les destinées de l'Empire en Occident de 395-768, Paris 1940. — *J. A. Jungmann,* Die Abwehr des germanischen Arianismus und der Umbruch der religiösen Kultur im frühen Mittelalter, *in*: Lit. Erbe 1960, 3-86.

Quoad proprietates liturgiae Romanae antiquae. *E. Bishop,* Liturgica historica, Oxford 1918. — *I. Schuster,* Liber sacramentorum. Note storiche e liturgiche sul Messale Romano, Torino 1929. — *P. Batiffol,* Leçons sur la Messe, 9. ed. Paris 1923, 30-36, 227-230. — *A. Baumstark,* Vom geschichtlichen Werden der Liturgie, Freiburg i. Br. 1923. — *H. Grisar,* op. cit. 1925, 94-115. — *G. Gassner,* Das Selbstzeugnis Gregors des Grossen über seine liturgischen Reformen, *in*: JfLw 1926, 218-223. — *J. P. Kirsch,* Die Stationskirchen des Missale Romanum, Freiburg i. Br. 1926. — *Idem,* L'origine des stations liturgiques du Missel Romain, *in*: Eph. Lit. 1927, 137-150. — *A. Baumstark,* Das Communicantes und seine Heiligenliste, *in*: JfLw 1929, 1-33. — *Idem.* Liturgie comparée, 2. ed. Amay 1940, 4-5, 16-31. — *J. A. Jungmann,* Gewordene Liturgie. Studien und Durchblicke, Innsbruck 1937. — *Idem,* Missarum sollemnia, Eine genetische Erklärung der römischen Messe, 3. ed. Wien 1952, 63-74. ed. 4. 1958. — *Idem,* Der Gottesdienst der Kirche, Innsbruck 1955, 25-37. — *R. Zerfass,* Idee d. röm. Stations feier, Lit. Jb. 1958, 218-229.

F) De liturgia Romana universali.

Liturgia quondam Urbana, saec. VIII-IX. universalis liturgia Occidentis, paucis exceptis territoriis, effecta est. Iam ante hanc aetatem monachi Regulam

Patriarchae Occidentis professi, quoad Missam ritum Romanae ecclesiae sequi coacti sunt, sicque hic ritus primum in regionem longissime distantem, in Angliam pervenit, ibique per saecula exemplar erat pro aliis. Inde a medio saeculo VIII-o in regno Carolingico introductus universalis coepit evadere, sed iam ante hoc tempus imitatus fuit spontanee, uti omnes fere fontes liturgiae Gallicanae demonstrant. Haec liturgia Romana pura antiqua post Gregorium Magnum duos influxus feliciter subiit: Orientalem et Gallicanum.

1. Liturgia Romana sub influxu Orientali.

Uti iam dictum est, inter annos 554-756 Roma Byzantinis subiecta erat. Haec subiectio quidem labente potestate Byzantina semper imminuta est, sed influxus in ipsa Urbe per media spiritualia exercebatur, partim certo per Byzantinam curiam, ut aequilibrium teneatur tali modo cum evanescente potestate politica.

a) Media huius influxus

varia erant. 1°. Praeprimis nominari debet numerus relative conspicuus *Summorum Pontificum* ex Oriente oriundorum. Inde a medio s. VII-o usque ad medium s. VIII. e 19 pontificibus Romanis 12 erant originis orientalis, uti e Libro Pontificali cerni potest. *Elenchus* eorum hic est:

642-649 *Theodorus* « natione Graecus de civitate Hierusolyma ».
678-681 *Agatho* « natione sicula », erat ergo Graeci ritus.
682-683 *Leo II.* « natione Sicula ».
685-686 *Joannes V.* « natione Syrus de provincia Antiochia ».
686-687 *Conon* « oriundus patre Thraceseo educatus, apud Siciliam ».
687-701 *Sergius* « natione Syrus Antiochiae regionis ».
701-705 *Joannes VI.* « natione Graecus ».
705-707 *Joannes VII.* « natione Graecus ».
708 *Sisinnius* « natione Syrus ».
708-715 *Constantinus* « natione Syrus ».
731-741 *Gregorius III.* « natione Syrus ».
741-752 *Zacharias* « natione Graecus ».

2°. Dein influxum exercebant orientalem hac aetate permulta florescentia *monasteria et ecclesiae orientales Romae.* Graecae erant e.gr. basilicae Duodecim apostolorum; monasterium antiquissimum Graecum apud Aquas Salvias, aedificata a victorioso duce Narse; Graeca erat ecclesia Curiae Byzantinae S. Anastasiae, dein ecclesia S. Mariae antiquae in Foro, ubi actio caritativa Curiae exercebatur; ecclesia S. Caesarii, ubi imago asservabatur imperatoris tunc tempore regnantis. Etiam apud has tres ecclesias monasterium erat Graecorum; ingens erat monasterium S. Sabbae, denominatum a sancto fundatore Laurae Hierosolymitanae; centrum spirituale erat « Schola Graeca » apud S. Mariam in Cosmedin (cf. Grisar, Rom beim Ausgang der antiken Welt I, 607-619.). Coetus monachorum et sacerdotum Graecorum in synodis communiter procedebat (Baumstark, Gesch. Werden p. 150.). Conservativismo ingenii Romani vigorique eius spirituali tribuendum est, quod huius influxus non multo maiora vestigia relicta sunt.

b) Vestigia influxus orientalis

deprehenduntur 1°. *in multis textibus,* etsi pervestigatio scientifica nondum absoluta sit. Sic directe e Graeco Menaeo versae sunt antiphonae quaedam,

e.gr. ad Magnificat die 8. sept. (« Nativitas tua... »), responsorium « Adorna thalamum tuum Sion » in die Purificationis; e Tropario Graeco series antiphonarum Circumcisionis et Purificationis; antiphona « Mirabile mysterium » verbotenus e Graeco (Paradoxon mysterion) versa est (A. Baumstark 1936. et H. Frank 1939., infra Litter.). Hoc tempore sumebatur in liturgiam Romanam praeclara antiphona « Sub tuum praesidium confugimus S. Dei genitrix » ex Horologio Mega, quae oratio quidem iam papyro Graeco s. III. inventa est. Etiam qui hodie iam non usurpantur, reperiuntur in antiquo Antiphonario Romano, e.gr. perpulchrae antiphonae Festi Assumptionis Deiparae originis syriacae, ibi assumptae ex homilia Joannis Thessaloniceni (cf. L. Brou 1952, infra Litt.).

2°. Influxus orientalis gratissimus fuit donando nobis *festa amoenissima Beatae Virginis.* Haec festa sunt sec. Librum Pontificalem: (Sergius papa) « constituit, ut diebus Adnuntiationis Domini, Dormitionis et Nativitatis sanctae Dei genitricis semperque Virginis Mariae ac sancti Symeonis, quod Ypapanti Graeci appellant, letania exeat a Sancto Hadriano et ad sanctam Mariam populus occurrat » (ed. Duchesne I, 376.). Haec festa, partim iam ante Sergium († 701.) existentia, hac ordinatione stationem acceperunt, i.e. « *publici iuris* » *sunt facta.* Verisimile est, cum festis abhinc iam « fori » etiam *textus cantionum* Graecarum adsumptos esse. Hoc videtur e Libro Pontificali, animadvertente de Sergio: « Romam veniens sub sanctae memoriae Adeodato pontifice inter clerum Romanae ecclesiae connumeratus est et quia studiosus erat et capax in officio cantilenae, priori cantorum pro doctrina est traditus » (Lib. pont. I, 371.).

3°. Ex aliis festis memoranda sunt *festa S. Crucis* sub eodem Sergio, qui invenit particulam verae Crucis in theca iam prorsus nigra, etsi argentea, in sacristia S. Petri, ideoque constituit, ut « die exaltationis s. Crucis in basilicam Salvatoris, quae appellatur Constantiniana, osculatur ac adoratur » (ib. I, 374.). Etiam Sancti *orientales* coli coeperunt Romae; *Cosmas et Damianus* festum acceperunt, *S. Nicolaus* s. VII-o, ante eius translationem in Italiam; imo sub Paulo I. (757-768.) influxus adeo processit, quod catalogus Sanctorum, quorum reliquiae collocatae sunt in ecclesia ab eo erecta, iam secundum Kalendarium Byzantinum redactus sit (Baumstark, Gesch. Werden 63.).

4°. *In ritu Missae* memoria huius influxus semper manens est *cantus confractorius* panis sancti, nam Sergius Papa « statuit, ut tempore confractionis dominici corporis Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis — a clero et populo decantetur » (Lib. pont. I, 376.). Baumstark merito notat, orientalium indoli accomodatam esse hanc expressionem, qui simplici animo loquebantur de nova mactatione Christi in sacrificio, unde etiam non casu fiebat introductio huius cantus per papam originis syro-graecae (l.c.p. 24 s.). — Aevo hoc orientali influxui patente:

c) Resistentia Romana

facile detegi potest sub *Gregorio II.* (715-731.), qui « natione Romanus, a parva aetate in patriarchio nutritus » erat (Lib. pont. I, 396.). Providentia divina gubernante eo tempore vir Romanus sedebat in cathedra Petri, quando imperator orientalis bellum indixit cultui imaginum, cuique Romanus pontifex scribere ausus est: « Scis sanctae ecclesiae dogmata non imperatorum esse, sed pontificum » (PL 89, 521.). Liturgiam antiquam Romanam fovebat per introductionem Missarum pro feriis hucusque aliturgicis quintis, stationes et textus proprios

ordinans. Ultimam hoc productum ex imminente periculo Longobardico originem ducit. Longobardi enim viam inter Ravennam et Romam intercluserunt, occupando castrum Sutri ab Urbe non multum distans. *Feriae* ergo *quintae Quadragesimae* dies instituti sunt instar rogationum, ut Roma tum a Caesare falsam doctrinam propugnante, tum ab hostibus externis Barbaris liberaretur. In textibus harum Missarum clarissime invenitur hoc: « Liberemur ab hostibus mentis (i.e. haereticis) et corporis » (i.e. Longobardis), ut dicitur Fer. V. post. Dom. II. Confidentes Deo audierunt epistolam (Fer. V. post Cineres): « ...eruam te et civitatem istam et protegam eam, ait Dominus omnipotens ». Revera tempore Gregorii II. precibus his genuinis romanis « praeparabatur per dolores partus Urbis et per supplicationem Sedis apostolicae ortus Status pontificalis » (Grisar, Das Missale etc. p. 14.). Sic et verum fiebat quod cantabatur Fer. V. post Dom. III. Quadr.: « Salus populi ego sum, de quacunque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos. » Gesta Dei per Francos vocari potest ereptio Urbis e potestate Longobardorum Statusque conditus pontificius anno 756., quando Ravenna, urbs capitalis Byzantinorum tradita fuit in Patrimonium S. Petri, simul etiam liturgia Romana liberata est praecise eo momento, quando iamiam in eo fuit, ut interne in orientalem transmutetur (Baumstark p. 62.).

2. Liturgia Romana sub influxu Gallicano.

Iam tractatum est quomodo per introductionem Romanae liturgiae in regno Caroli Magni (768-814.) haec liturgia vastissimis territoriis imposita sit. Per decennia duravit, donec opus susceptum ubique successum habuerit.

a). In opere reformationis liturgicae Carolus Magnus usus est consiliis *B. Alcuini*, monachi Anglici, qui in patria sua antiquissimas purasque traditiones Romanas venerari addiscuit, praefectusque est abbas monasteriis Palatino et Turonensi. Hic vir profunde eruditus simul vere practicus fuit (cf. W. Levison, England and the Continent in the eight century, Oxford 1946., p. 153-160: Charles the Great and Alcuin). Liturgia Gallicana inde ab 786. quidem suppressa revera etiam ulterius partim in usu remansit, in multis vero aliis ecclesiis usi sunt ritu Romano aliquatenus iam mixto; nimirum « *Gelasiano saeculi VIII.* » seu Gelasiano francico, cuius permultae recensiones cognoscuntur. Ex altera parte *Gregorianum* « *Hadrianum* » reapse nimis ieiunum erat: deerant Dominicae post Pentecosten, Missae Sanctorum non-Romanorum, Missae votivae ritus patrii desiderabantur, quae iam assuetae et carae fuerunt, similiter benedictiones episcopales variabiles Missae. Alcuinus ideo inter 801-804. *Supplementum* concinnavit, in quo continebantur Dominicae post Pentecosten, Missae Sanctorum non-Romanorum, Missae votivae et orationes consecrationis sacerdotalis, item collectio benedictionum episcopalium. Supplementum hoc incepit admonitione Alcuini: « *Hucusque* praecedens sacramentorum libellus a beato papa Gregorio constat esse editus » (*Textus* huius Supplementi ed. *Muratori*, Liturgia Romana Vetus, Venetiae 1748., II., 139-240. 272-356. 362-380.). Sic creatum est Sacramentarium Gregorii « *Hadrianum* » *cum Supplemento*, cuius editio optima est *H. A. Wilson*, The Gregorian Sacramentary under Charles the Great, edited from three Mss of the ninth Century, London 1915. Tria enim mss sunt: *Cambrai* 164. Hildoardi episcopi sine Supplemento, hoc etiam Lietzmann in sua editione adhibuit; dein *Vat. Regin.* 337. et *Vat. Ottobon.* 313., haec duo mss cum Supplemento regulari.

b) Modus his procedendi Alcuini necessarius quidem erat, sed latam viam stravit *permixtioni*. Cito enim aderant scriptores, qui omisso monito Alcuini « Hucusque... » totum textum sine commentario describebant; alii autem putantes etiam textum hunc e Sacramentario Gregoriano esse, coeperunt textus inserere in partem primigeniam Sacramentarii.

c) Alii iterum secundum necessitates et exigentias liturgicas ulterius procedentes, textum Sacramentarii Gregoriani « Hadriani » etiam permultis textibus et ritibus e Gallicanis et Gelasianis libris depromptis augebant. Sic ortum est *Gregorianum fusionatum* quoad liturgiam Missae; similiter factum est etiam *quoad alios libros liturgicos*, Gallicana liturgia sic permulta elementa tradidit Romanae, quae ideo vocari solet a recentioribus auctoribus *liturgia Franco-Romana*. A s. IX-o permulti et inter se semper magis differentes codices exarati sunt, tale Gregorianum fusionis *incipientis* est e.gr. Codex Eligii, abbatiae Noviomensis (ed. H. Ménard 1642, reproducta PL 78, 25-240, cum notis uberioribus); fusionis iam *completae* est e.gr. Sacramentarium Fuldense s. X. (ed. G. Richter - A. Schönfelder, Fulda, 1912.; praecipuos fontes cf. M. Righetti, I, 220-1.). Toto *regno Carolingico*, ergo etiam in Germania haec liturgia « fusionata », seu Franco-Romana diffundebatur. Haec liturgia propagata est per missionarios in *Bohemia*, *Polonia*, dein s. XI. in *Hungaria*, ubi libri liturgici e congregatione tunc recente S. Vitonis Virdunensis (St. Vanne), fundata per S. Richardum Virdunensem († 1046.) allati sunt et sic receptus iste novus ordo Missae, qui ineunte s. XI. in Normandia ortus (quem Jungmann « Séez-Gruppe » vocat I, 118; in ed.3.1952. vero « rheinischer Messordo » I, 124.); eadem liturgia transplantata est in *Croatiam* exeunte s. XI., item in *Scandinaviam* s. XI-XII. Sic Romana liturgia universalis evasit, sed suas habuit « variantes ».

Litteratura.

Quoad influxum orientalem. *A. Baumstark*, Liturgia Romana e liturgia dell'Esarcato, Roma 1904. — *H. Leclercq*, Antienne, *in*: DAL I, 2 (1907) col. 2294-2297. — *M. Andrieu*, Les messes des jeudis de carême, *in*: Rev. scienc. rel. 1929, 343-375. — *A. Baumstark*, Byzantinisches in den Weihnachtstexten des römischen Antiphonarius officii, *in*: Or. christ. 1936. 163-187. — *H. Engberding*, Einfluss des Ostens auf die Gestalt der römischen Liturgie, *in*: Ut omnes unum sint. herausgegeben von der Abtei Gerleve, Münster i. W. 1939, 61-89 (cf. AfLw 1952, 357-358). — *H. Frank*, Das Alter der römischen Laudes- und Vesperantiphonen der Weihnachtsoktav und ihrer griechischen Originale, Or. christ. 1939, 14-18. — *L. Brou*, Restes de l'homélie sur la Dormition de l'archevêque Jean de Thessalonique dans le plus ancien antiphonaire connu et le dernier Magnificat de la Vierge, *in*: AfLw 1952, 84-95.

Quoad influxum Gallicanum. *H. Netzer*, L'introduction de la messe Romaine en France, Paris 1910. — *A. Baumstark*, Missale Romanum. Seine Entwicklung, ihre wichtigsten Urkunden, und Probleme, Eindhoven-Nymwegen 1929. — *M. Andrieu*, Remarques sur le classement des sacramentaires, *in*: JfLw 1931, 46-66. — *Th. Klauser*, Die liturgischen Austauschbeziehungen der römischen und fränkisch-deutschen Kirche vom 8. bis zum 11. Jahrhundert. *in*: Hist. Jahrbuch 1933, 169-89. — *M. Righetti*, Storia liturgica I. (1945) 204-256 (Gli antichi libri liturgici latini). — *J. A. Jungmann*, Missarum sollemnia, 3. ed. Wien 1952, I, 98-137. — *P. Bruylants*, Les oraisons du Missel Romain, Texte et histoire Vol. I. Tabulae synopticae fontium Missalis Romani. Vol. II. Orationum textus et usus iuxta fontes, Louvain 1952. (cf. Eph. Lit. 1953, 78-81). — *H. Schmidt*, De permixtione Sanctoralis ac Temporalis in Sacramento Gregoriano Patavino, *in*: Eph. Lit. 1953, 97-107. — *R. Amiet*, Le prologue « Hucusque » et la table des « Capitula » du supplément d'Alcuin au sacramentaire grégorien, *in*: Scriptorium 1953, 177-209. — *A. Chavasse*, Liturgie papale et liturgies presbytériales, *in*: Mélanges Andrieu, Strasbourg 1956, 103-112. — *G. Ellard*, Master Alcuin, liturgist, Chicago 1956. — *H. Ashworth*, Did St. Augustin bring the « Gregorianum » to England? *in*: Eph. Lit. 1958, 39-43. — *K. Gamber*, Sakramentartypen, 1958.

G) De liturgiis Orientalibus.

Omnino quidem necessarium non est, cognoscere etiam typos liturgicos orientales, si respiciatur eorum nexus cum occidentalibus typis, qui seorsim sumpti quoque intelligi possunt. Sed quia etiam liturgiae orientales filiae unius eiusdemque Matris Ecclesiae sunt, haud decens esset nil de iis scire, praesertim aevo nostro, quando tam fervida tentamina uniendi eos quos lamentabilis discessio a Sponsa Christi laceravit, a Sede Petri feliciter initia sumpsere. Pius XI. 1928. enuntiavit de seminariorum latinorum alumnis « ...plerumque *non* ea doctrina sunt instructi, qua certam, in quaestionibus de Orientalium rebus moribusque, ac de legitimis eorundem ritibus in Catholica Ecclesia tam sancte retinendis, sententiam ferre possint ». Hoc autem secundum Sanctum Patrem ideo cavendum est, ne alumni priventur emolumento non tenui, quod « conspicere possint Ecclesiae miram pulchritudinem et in ipsa rituum varietate unitatem splendidiore quodam modo effulgentem. » Ideo simul praescribit Summus Pontifex, ut in singulis theologicis Seminariis unus aliquis habeatur Doctor, « qui una cum disciplina vel historica vel liturgica vel iuris canonici nonnulla de rebus orientalibus saltem elementa tradere valeat » (Rerum Orientalium studiis » 8. sept. 1928., AAS 1928., 284.).

1. De origine variorum typorum Orientalium.

a) Sine dubio vix possumus loqui ante finem s. IV. de quadam liturgia iam perfecte orientali, nam ut iam saepe diximus, « una, apostolica » liturgia vigebat, una quoad delineamenta principalia, libera quoad textus singulos. Differentiae aliquae tamen iam maturo tempore exortae sunt, sic saec. II-o lis de paschate celebrando. Ceterum *vestigia tenuia* tantum deprehendi possunt primis tribus saeculis. Sic cultus *Smyrnae* in Martyrio Polycarpi c. 156, in Actis Pionii presbyteri e s. III. per vestigia cernitur; de usu liturgico *Caesareae* in Cappadocia Firmilianus episcopus huius urbis aliqua profert; orationes et usus liturgicos civitatis suae *Thmuis* in Aegypto, medio s. IV-o Serapionis Euchologion, 1898. repertum cognosci facit. Extant etiam papyri, ut Dêr el Balyzeh, J. Ryland et alii.

b) In his omnibus autem *nondum inveniri potest vera diversitas*, nam etiam libellus Hippolyti, (qui frustra ei abiudicatur ab H. Engberding 1948, quem refutavit Botte 1949, v. Litteraturam) etsi Romae scriptus, etiam in Aegypto in usu erat et versiones Latinas, Copticas, Abyssinicas etc. habet. Diversitas vera tantum Ecclesiae libertate incipiente efformari pedetentim poterat. Quod in Oriente fiebat per sedes patriarchales, quarum liturgia fere « praescripta » evasit per totum territorium, cum maiore obligationis vi quam in Occidente. Has liturgias patriarchales singillatim consideramus.

2. Ritus Hierosolymitanus.

a) Etsi Hierosolyma non antiquissima sit sedes patriarchalis, tamen auctoritatem habuit quam maximam, civitas enim sanctissima censebatur propter passionem Domini ibi peractam, sepulchrumque Eius ibi veneratum. Erant quidem christiani etiam persecutionis tempore in hac civitate, episcopus tamen Aeliae, sicut tunc nominabatur, subiectus erat metropolitae Caesareae Palestinae. Post

313 tamen rapidissime evasit centrum spiritualitatis christianae, postquam urbs et etiam Terra sancta splendidissimis basilicis exornatae sunt. Hierosolymis rotunda ecclesia Constantini, *Anastasis* vocata (serius Ecclesia S. Sepulchri) cum ecclesia *Martyrii* et atrio, ubi sub divo stetit petra Calvariae, in cacumine cum Cruce argentea, peregrinos permultos e toto orbe alliciebat. Similiter ecclesia magnifica ab eodem Constantino constructa in honorem Nativitatis Domini in *Betlehem*, super speluncam, ubi Christus natus est; deinde basilica *Coenaculi*, ubi coena habebatur ultima; item ecclesia « *Eleona* » a S. Helena exstructa super speluncam ubi oravit et docuit Dominus, adhuc e primis temporibus extabant liturgiaeque evolvendae inserviebant. Simili modo etiam basilicae aliae, ut ecclesia in *Monte Olivarum*, loco passionis Domini in horto a Theodosio Magno aedificata (379-395.), ecclesia « *Imbomon* » Ascensionis a domna Pomnia versus 378. constructa, omnes « stationes » erant, ut ritus locales, tantum ibi possibiles exoriantur.

b) Revera ritus Hierosolymitanus iam hoc saec. IV. ortus est. Apud S. *Cyrillum Hierosolymitanum* adhuc vetus liturgia « apostolica », i.e. communis, libera cernitur, eius Catecheses mystagogicae ex anno 348. sunt fons pretiosus cultus antiquorum christianorum. Sed versus finem saeculi, circa 390.-393., vel si credere licet A. Lambert (Rev. Mabillon, 1936. v. Litter.) inter 414-416, certo iam existebat ritus Hierosolymitanus, quem peregrina mulier sanctimonialis, nomine *Aetheria*, vel Egeria, per tres annos observavit et in quantum differens existimatus est, descripsit (textus: Geyer, Itinera Hierosolymitana saec. IV-VIII, Wien 1898 [CSEL 39.] p. 35-101). Sicut Aetheria, quae composuit hanc « Peregrinationem ad loca sancta » (olim etiam Silvia vocabatur), dicit, « omnia fiunt apte diei et loco » ideoque haec liturgia aliquo modo localis, per peregrinos diffundebatur. Sic festa *Armeniae* et systema pericoparum statum repraesentant huius cultus Hierosolymitani e saec. V-o (F. C. Conybeare, Rituale Armenorum p. 507-527), liturgia *Georgica* autem saeculi VII-i (V. Kekelidze detexit hoc 1912.). Festum Purificationis, duae Missae Nativitatis Domini, processio palmarum, adoratio crucis Fer. VI. Pass. et Mort. Domini fere per totum orbem propagata sunt. — Missae ritus et textus autem sine dubio iam ineunte s. V-o existebat, ritu fere eodem, quo in « *Liturgia S. Jacobi* » habetur usurpabaturque per Graeciam, Aegyptum, sed decursu saec. VIII. cedit Byzantinae.

3. Ritus Alexandrinus.

a) Urbs capitalis Aegypti hellenistici, *Alexandria*, iam ineunte s. V. proprium ritum produxit cuius Missa vocatur « *Liturgia S. Marci* ». Propter situationem clausam huius regni liturgia haec alicubi non exercuit influxum sed in toto Aegypto usuvenit, et in Aethiopia ab Alexandria dependente. Haec liturgia habuit epiclesim ante consecrationem, post Sanctus deest Benedictus, et omnes orationes dirigit ad Filium, ut patet, propter Arianismum ex Alexandria oriundum. Liturgia haec Graeca s. XII-o per Byzantinam suffecta est.

b) Etsi « orthodoxi » seu « *melchitae* » (i.e. « regales », ad imperatorem Constantinopolitanum pertinentes) non retinebant hunc ritum originalem, remansit in usu apud *monophysitas* Aegyptios post 451. (Chalcedonense) statim in linguam Aegyptiacam tunc modernam, in Copticam translatus, item in Aethiopia in Aethiopicam et usque adhuc in usu est. Pars horum haereticorum ad fidem

catholicam reversa, hodiedum hac liturgia utitur, nunc iam quoad lectiones et « diaconica » arabice. Hi sunt *Copti uniti* et *Aethiopes* (*Abyssini*) *uniti.*

4. Ritus Antiochenus.

a) Urbs capitalis Syriae hellenisticae erat *Antiochia,* urbs, quae gloriabatur eo, quod ibi primum discipuli Domini christiani vocati sunt. Inde iam a s. III. sedes patriarchalis erat et maximum influxum exercuit. Ritum proprium huius patriarchatus repraesentat liturgia « *Constitutionum Apostolicarum* » (textus: PG 1,555-1156. et *F. X. Funk,* Didascalia et Constitutiones Apost., Paderborn 1905.); dein multa hauriri possunt ex homiliis *S. Joannis Chrysostomi.* Antiochenus ritus, lingua graeca celebratus quam maximi momenti evasit, nam Constantinopolis hunc ritum assumens, paucis mutationibus creavit ritum Byzantinum; item hic ritus plurimum contulit ad originem liturgiarum typi Gallicani.

b) Ritus Antiochenus graecae linguae disparuit, nam locum eius apud « *melchitas* » Byzantinus occupabat, sed versus in idiomata syriaca gravis momenti factus est. Ritus *Syriacus orientalis* ex hoc ritu ortum duxit, cum Nestoriani post sententiam condemnatoriam 431 in Persidem emigrabant, ibique in civitate Nisibis scholae Nestorianae fundamenta iecerunt. Omnes Syri in regno Sassanidarum viventes paulatim Nestoriani effecti sunt, acceptabantque ritum Antiochenum in linguam Aramaicam (Syriacam) versum. (*Textus* editio recens: Anaphorae Syriacae quotquot in codicibus adhuc repertae sunt, editae et latine versae, Romae 1939-40.). Anno 496. « Katholikos » urbis capitalis Persidis, Seleuciae (Ktesiphontos), Akakios, assumpsit titulum «Patriarchae ecclesiae orientalis» et sic peremptorie se disiunxit ab Antiochia. Liturgia eorum est « *Liturgia Nestorii* », quae iure meritoque portat hunc titulum, est enim retractatio (Ueberarbeitung, átdolgozás) nestoriana liturgiae « Chrysostomi » (AfLw 1950, 366.). Quando Arabes Persidem 650. sibi subiugaverunt, Persae Mahometani effecti sunt, vel migravere, Nestoriani syriaci autem religionem exercere potuerunt, exinde vocantur etiam « christiani Persae ». *Medio aevo* magnopere diffundebant religionem christianam Nestorianismo infectam. Sic in India in litore Malabarico ecclesia christiana orta est, quae vocatur «*Christianorum S. Thomae*». Etiam in *Asia Centrali* floruerunt coetus nestoriani; s. XI-o habebant 25 metropolias et usque ad Imperium Sinense pervenerunt, ut inscriptiones in Singanfu demonstrant. Missae forma usitatissima est Liturgia Apostolorum, confecta per doctores *Addai* (Thaddaeus) *et Mar,* in qua desunt verba institutionis Christi; quatuor lectiones valde archaicae sunt (Moses, propheta, apostolus, evangelium). Pars horum nestorianorum unita est Ecclesiae catholicae s. XVII., hi vocantur *Syro-chaldaei,* habentque patriarcham titulo Babyloniae in Mossul residentem. — De christianis Thomaeis iam S. Franciscus Xaverius scripsit 1549, « christiani Thomaei huius regionis accolae sunt, orti ab iis, quos S. Thomas christianis sacris initiavit » (Nilles, Kalendarium II, 648.). Magna pars eorum inde a Synodo Diamperitana (1599.) catholica est, ritus eorum nominatur *Syro-Malabaricus.*

c) Ritus *syriacus occidentalis* posterius ortus ritu orientali Syrorum, conditore Jacobo Baradai seu Burdeana († 578.) episcopo monophysita, qui regnante Justiniano post exstirpationem fere totius hierarchiae monophysitae permultos episcopos clam consecrans, restaurator Monophysitismi habendus est. Itaque ducibus patriarchis Antiochenis, inde a Severo (512.) semper monophysitis, ritu

usi sunt « *Jacobitico* », nuncupato a Jacobo Baradai; ritus hic est Hierosolymitanus receptus ulteriusque evolutus. Ad Liturgiam S. Jacobi Hierosolymitanam adhuc 64 anaphoras a diversis Sanctis denominatas redegerunt. Communitas haec Jacobita valde numerosa erat, plus quam 100 episcopatus sub 10 metropoliis ad eam olim pertinebant. Nunc coetus eorum Jacobitarum, qui a. 1781. catholici facti sunt, vocatur « Ecclesia Antiochena Syrorum », ritus vero eorum *ritus Syrus purus*. Habent patriarcham Antiochenum, residentem in Mardin (Mesopotamia), sex archiepiscopos, 4 episcopos et 30.000 fideles (Righetti, I, 92). — Illi Syri, qui in montibus Libanon et Antilibanon habitant, derivati sunt ab iis « Chalcedonianis », i.e. catholicis, praesertim rusticis, qui monasterium in honorem S. Maronis ab eius discipulis fundatum (saec. V.) ut centrum religiosum habebant et post destructionem (s. X.) eius per Arabes in montes se receperunt. Hi *Syri Maronitae* vocati tenent se semper unitos fuisse cum catholica Ecclesia, quod verum haberi potest, etsi monotheletismum mitigatum per aliquod tempus bona fide quidem secuti sunt. Statim ut Crucigeri apparuerunt, se Romae etiam formaliter subiiecerunt (1181.), in Concilio Florentino (1430.) Maronitae Cypriotae reverserunt. Inde a s. IX. iam habent patriarcham proprium, totus populus catholicus est subiectus patriarchatui « Antiocheno Maronitarum », numerosus (circa 350.000 in patriarchatu, 50.000 alibi, praesertim in America). Ritus eorum vocatur *Syro-maroniticus*, partim arabice celebratur (lectiones, diaconica), sed profundas modificationes Romanas subiit, sicut etiam ritus Malabaricus. Liturgia utuntur S. Jacobi Hierosolymitana; usus Romani sunt: vestes stili Romani, panes azymi, communio sub una specie, confirmatio tantum per episcopum ministrata.

5. Ritus Cappadociae,

hodie quidem non distinguitur *iuridice* ab aliis, tantum evolutione historica, nam ritus proprius huius provinciae a S. Basilio Magno († 379.) ordinatus est. « *Liturgia S. Basilii* » hodieque sic vocata, iure portat nomen eximii Patris, ut recentissimae pervestigationes demonstrarunt, praesertim H. Engberding (1931.), M. Hanssens (III, 577-8) et M. J. Lubatschewskij (1942. vide Litter.), quod iam secus Baumstark anno 1906. coniectura augurabat dicens, « liturgiam Basilii » esse alicuius eximii theologi, arte optima callente graecam linguam, notam individuam prae se ferens (Messe in Morgenland 55-56; sic etiam AfLw 1950, 368.). Hoc venerandum monumentum liturgiae Cappadociensis evasit gravis momenti; in ritu Byzantino in usu erat, at repressa est in Dominicas Quadragesimae, vigilias Nativitatis, Paschatis, Fer. V. in Caena Domini. Ceterum toto territorio rituum orientalium usurpatur, et multo plus aevo remotiore, ut testatur Petrus diaconus anno 512. (Ep. ad Fulgentium, PL 65, 449), quod considerata auctoritate Basilii, ut Patriarchae monachorum Orientis, mirum non est. (Textus editiones: PG 31, 1629-1678; Brightman, Liturgies L, 310-344).

6. Ritus Byzantinus.

Maximi momenti pro ritibus Orientis liturgia Novae Romae, Constantinopolitana seu Byzantina facta est. Constantinus Magnus loco antiqui Byzantii urbem novam capitalem condidit et a se novo nomine « *Constantini Civitatem* » (Konstantinou polis) appellavit. Haec urbs proprias traditiones ergo non potuit habere, usus Cappadocienses et Antiochenses in ea assumpti sunt, propter rationes

perspicuas. Enimvero tum imperatores post Constantinum fere toto saeculo IV. magis Antiochiae residebant, quam Constantinopoli, tum fere omnes episcopi huius temporis ex Antiochia, vel Caesarea Cappadociae oriundi erant (Eudoxius, Gregorius Nazianzenus, Nectarius, Joannes Chrysostomus, Nestorius). Chrysostomi maxima auctoritas eodem tempore, quando Constantinopolis capitalis urbs Imperii Orientalis effecta est ritusque proprii iam evolvi coepere, ultimam manum admovit has duas liturgias Byzantii introducendo. Quoad ritum Missae duae liturgiae vigere coeperunt et usque hodie usurpantur. Prima est « *Liturgia S. Chrysostomi* », quae forma inde a s. VIII-o nota non potest ab eo originem ducere, nam permultas habet interpolationes et adiunctiones (Monogenes, Trisagion, proskomidia, Credo etc.), sed negari non potest influxus S. Chrysostomi (*textus*: ms-i antiquissimi: *E. Brightman* I, 309-352, textus receptus: *B. Montfaucon* 1735, reimpressus PG 63, 901-922, cum versione latina Savilii, quam etiam nos adhibemus). Altera est « *Liturgia S. Basilii* », de qua iam egimus. — Diebus aliturgicis Quadragesimae utuntur « *Liturgia praesanctificatorum* », quae nescitur, cur, nomen portat S. Gregorii Magni (Leiturğia tôn proêgiasmenôn) et nil aliud est, quam ritus sollemnis communionis. Haec liturgia Graece iam attestata est Chronico Paschali anni 645. et Concilio Trullano (692.) et originem ducit ex Antiochia, ubi Severus patriarcha (512-518.) eam induxit ut communicare queant etiam Feriis II. — VI. quadragesimalibus (*J. Ziadé*, Présanctifiés, *in*: Dict. théol. cath. XIII. [1936.] 82 s. Editio: *Brightman* I, 345-352). Harum trium « liturgiarum » primum manuscriptum cognitum in Bibliotheca Vaticana asservatur, *Codex Barberini*, scriptus inter 788-797. — Antequam liturgia Byzantina victoriosam viam intrasset fere totum orbem orientalem occupandi, influxui subiacebat *liturgiae Hierosolymitanae*. Monachi Palaestinenses, iconolatrae, quorum consociati erant monachi Constantinopolitani Magni « Studeion », diffunderunt ritum Hierosolymitanum, imprimis liturgiam Fer. VI. Pass. et Mort. Domini.

Litteratura.

In genere de ritibus Orientalibus: *E. Brightman*, Liturgies Eastern and Western. I. Eastern liturgies (tantum volumen hoc apparuit), Oxford 1896. — *N. Nilles*, Kalendarium manuale utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis, Oeniponte I. 1896. II. 1897. — *A. Baumstark*, Die Messe im Morgenland, Kempten u. München 1906. — *M. Hanssens*, Institutiones liturgicae de rebus orientalibus II. et III. Romae 1930. 1932. — *P. Werhun*, Die orientalischen Riten und kirchlichen Gemeinschaften, *in*: Der christliche Osten, Regensburg 1939, 350-368. — *R. Pilkington*, I riti orientali, spiegazioni liturgiche, Torino 1939. — *P. Kürger - J. Tyciak*, Morgenländisches Christentum, Paderborn 1940, 111-129. — *A. Salaville*, Studia Orientalia liturgico-theologica, Romae 1940. — *M. Righetti*, Storia liturgica I (1945) 85-110. — *Archdale A. King*, The rites of the eastern church, Romae I. 1947., II. 1948. — *R. Jannin*, Églises Orientales et rites orientaux, 4. ed. Paris 1955.

Quoad originem: *H. Engberding*, Das angebliche Dokument römischer Liturgie aus dem Beginn des dritten Jahrhunderts, *in*: Miscellanea C. L. Mohlberg I, Roma 1948, 47-71. — *B. Botte*, L'authenticité de la Tradition apostolique de Saint Hippolyte, *in*: Recherches de la théologie ancienne et médiévale 1949, 177-185 (cf. AfLw 1950, 130).

Quoad Hierosolymam: *F. Cabrol*, Les églises de Jérusalem, la discipline et la liturgie au IV-e siècle, Paris 1895. — *H. Leclercq*, Jérusalem. La liturgie, *in*: DAL VII, 2 (1927) 2374-2392. — *A. Lambert*, Egeria, *in*: Revue Mabillon 1936, 71-94. — Egeria, sœur de Gallia *ib.* 1937, 1-42. — Itinerarium Egeriae vers 414-416 *ib.* 1938, 49-69. — *F. C. Conybeare*, Rituale Armenorum, Oxford 1905, p. 507-527 (festa et systema pericoparum Hierosolymitana). — *V. Kekelidze* russice edidit Kanonarion Hierosolymitanum, Tiflis 1912, translatum et commentatum: *Th. Kluge - A. Baumstark*, Oriens christ. 1915, 201-233. 359-363 et 1916, 223-239.

Quoad Alexandriam: *H. Leclercq*, Alexandrie. Liturgie *in*: DAL I, 1 (1907) 1182-1204.

— De editione textuum: *J. Simon*, L'Euchologie copte-arabe des Abnaa et Kanisa (=filii ecclesiae), *in*: Oriens christ. 1938, 112-117 et etiam Arch. f. Lit. wiss. 1950, 370 p. — *S. A. B. Mercer*, The Ethiopic liturgy, Milwaukee 1915. — *Cl. Kopp*, Glaube u. Sakramente der koptischen Kirche, Rom 1928. — *Radó Polikárp*, Az etióp egyház (=Ecclesia Aethiopica), Pannonhalmi Szemle 1935, 321-327. — *B. Capelle*, L'anaphore de Sérapion. Essai d'exégèse, *in*: Muséon 1946, 424-443.

Quoad Antiochiam: *C. E. Hammond*, The ancient liturgy of Antioch and other liturgical fragments, Oxford 1879. — *A. Gastoué - H. Leclercq*, Antioche, liturgie d', *in*: DAL I, 2 (1907) 2427-2439. — *A. Baumstark*, Die Chrysostomusliturgie und die syrische Liturgie des Nestorios, *in*: Chrysostomika, Romae 1908, 771-857. — *A. Rücker*, Die syrische Jakobos-Anaphora, Münster i. W. 1923. — *Idem*, Das neue syrische Missale, *in*: JfLw 1925, 187-192) de Missali editio per Patr. Rahmani anno 1922). — *R. Roko*, The Syriac liturgy, *in*: The Eastern Church Quarterly 1936, 10-20, 40-49, 87-99, 135-148. — *Idem*, The Maronite liturgy, *ibid.* 1937, 27-37. — *H. W. Codrington*, The Chaldean liturgy, *ibid.* 1937, 79-83, 138-152, 202-209. — *H. Engberding*, Die syrische Anaphora der zwölf Apostel und ihre Paralleltexte, *in*: Oriens christ. 1937, 213-247. — *A. Raes - A. Rücker - H. W. Codrington - I. Hausherr*, Anaphorae Syriacae quotquot in codicibus adhuc repertae sunt cura Pontificii Instituti Stud. Orient., vol. I-IV, Romae 1939-1940. — *A. Raes*, L'étude de la liturgie Syrienne, son état actuel, *in*: Misc. Liturg. K. Mohlberg I. Roma 1948, 333-346.

Quoad Cappadociam: *H. Engberding*, Das eucharistische Hochgebet der Basiliusliturgie, Münster i. W. 1931. (cf. JfLw 1931, 302-304). — *M. J. Lubatschewskij*, Des hl. Basilius liturgischer Kampf gegen den Arianismus. Ein Beitrag zur Textgeschichte der Basiliusliturgie, *in*: ZfkTh 1942, 20-38.

H) De liturgia Byzantina universali.

Eodem fere tempore, ac ritus Romanus antiquus occupare coepit regnum Carolingicum (784-5: Hadrianus mittit Sacr. Gregorianum), tres formulae Missae Byzantinae iam forma hodieque usitata redactae sunt, ac hodie usurpantur (788-797: tempus Codicis Barberini). Sicut Romanus ritus orientali et Gallicano appulsibus ditatus est, sic etiam Byzantinus influxu Hierosolymitano. Perfectio utriusque ritus quoque paene eodem tempore facta est: Romanus anno compactionis Virdunensis (843.) potest qua talis considerari secundum Baumstark, nam hoc tempore habetur iam Gregorianum « fusionatum », i.e. liturgia Francoromana. Haec conventio 843. inita est, qua regnum Carolingicum in Germanicam et Latinam partem divisum est. Eodem fere tempore, anno 842. Constantinopoli celebratum est « festum orthodoxiae » sub imperatrice Theodora, quo bella intestina iconoclastica finem habuerunt. Ritus ergo tum Romanus, tum Byzantinus paratus erat ad magna munera pensaque ineunda. Sicut Roma, ita etiam secunda Roma parata stetit ad praedicandum Evangelium novis gentibus.

1. Expansio liturgiae Byzantinae.

a) Haec expansio potestatis spiritualis Byzantinae *per missiones* facta est saec. IX. — Cyrillus et Methodius iam inter *Chasaros* laborabant in Chersoneso (858.); *Bulgari* ante portas fere Byzantinas ritu orientali favebant c. 867. Pro *Russis* 862. Rurik cum suis Normannis statum fundavit Kioviae, inter has gentes praecipue Byzantini spargebant semen evangelicum, et Russi Byzantinum ritum sequentes patriarchae Constantinopolitano oboediebant (1035: metropoliae Kioviensis fundatio, 1328: translatio in Moscoviam, 1589: fundatio patriarchatus Moscoviti), ergo per septem saecula. Item *Serbi* et *Bulgari* hunc Byzantinum

influxum subeuntes, Byzantina liturgia utebantur et utuntur adhuc, lingua quidem palaeoslavica. Sic ingens territorium Slavorum orientalium et meridionalium directe patriarchato Byzantino subordinatum, ritum sequebatur Byzantinum.

b) Inde a saec. VII. Imperium orientale (Byzantinum) cito permulta territoria amisit ingravescente Araborum seu « Saracenorum » occupatione. Provinciarum amissarum christiani quoad bonam partem erant iam haeretici, monophysitae vel nestoriani, hi invasores Arabes cum gaudio susceperunt et tolerati sunt. Minor pars populationis primigeniae remansit in fide orthodoxa, hi Graeci erant et ubique in territoriis occupatis *Melchitae* vocati proprium ritum retinebant. Byzantini autem diu sperantes, haec territoria se reoccupaturos esse, in hoc « stratu » populationis spem collocabant. Ideo ubique mediis spiritualibus sibi copulare tentabant hos Melchitas, cuius tentaminis medium eximium erat ritus uniformis. Melchitae patriarchatus *Antiocheni* sub Califatu viventes decursu saec. IX-i sua sponte assumpserunt ritum Byzantinum; *Palaestinenses* s. XI-o, ut ostendit systema pericoparum Codicis Geraseni ex 1030. Melchitae *Aegypti* tantum 1203 assumebant liturgiam Byzantinam, cum patriarcha Melchita Alexandriae, Marcus, Constantinopoli liturgiam S. Marci celebravit, patriarcha autem Melchita Antiochenus, ibidem exulans, Theodoros IV. Balsamon eum acriter reprehendens persuasit ad receptionem ritus Byzantini, quod et factum est. Quod linguam attinet, Byzantini concedebant usum linguae vulgaris, sic Melchitae Antiochenae provinciae et Palestinenses Syriace, Aegyptii arabice utuntur liturgia Byzantina.

c) Ritus Byzantinus etiam *territoria longe distantia* attingere potuit. Sic nominandum est regnum *Armenorum,* quod iam s. IV-o a Gregorio Illuminatore fidem acceperat, liturgiam autem ex Antiochia, dein etiam e Hierosolymis, uti vidimus. Biblia et liturgia sub « Katholiko » Isaac Magno (388-439.), qui una cum Mesrop, inventore alphabeti Armeni, laboravit, translata sunt in linguam armenicam. Liturgia duplex Byzantina (S. Chrysostomi et Basilii) devenerunt formae usuales Armenorum. Permultae uniones iam tentatae sunt a saec. XI-XVIII., fere 13, inter eas etiam Concilii Florentini (1439.); inde ab anno 1742. semper habetur patriarcha Armenorum unitorum. — Iberiae in Caucaso habitatores, *Georgii,* per Byzantinos a monophysitismo conversi anno 608. ritum Byzantinum receperunt in linguam Georgicam versum. Etiam e gremio huius populi existunt uniti. — Permulti Graeci vixerunt in *Albania et Italia meridionali* (Apulia, Calabria) et Sicilia, nam iam inde a saeculis ante Christum natum hi Graeci fundabant « Magnam Graeciam ». Post invasionem Arabicam in Oriente quam multi s. VII-o ibi invenerunt refugium, qui ex Orientis partibus extorres advenere. Ritum Byzantinum praesertim fugitivi monachi Graeci diffundebant, e quibus saepius eligebantur episcopi. Post scissionem iconoclasticam (726.) numerus eorum in dies crevit. Anno 968. imperator Nicephorus Phocas in Italia meridionali introductionem ordinavit ritus Byzantini, quod deinde inde a s. XI-i per Normannorum regnum in « duabus Siciliis » retractatum est. Inde tamen usque ad nostra tempora existunt *Italograeci,* qui iure gloriantur, se nunquam fuisse schismaticos. Ceteri enim orthodoxi, qui haereseos labe intacti manserint, tamen tracti sunt in discessionem lamentabilem iam per duo saecula praeparatam anno 1054. schismate pronuntiato per Michaelem Caerularium.

d) Conspectum subiicimus *divisionis rituum Orientalium,* cuius asseclae hodiernis temporibus *uniti* sunt:

1°. *Ritus Alexandrinus*:
Copti in Aegypto et Aethiopes in Abyssinia et Erithrea.

2°. *Ritus Antiochenus*:
Malancari - Maronitae - Syri « antiocheni » (ritus purus).

3°. *Ritus Armenus.*

4°. *Ritus Byzantinus*:
Albani - Bulgari - Graeci - Italograeci - Melchitae - Rumeni - Rutheni - Hungari.

5°. *Ritus Chaldaicus*:
Chaldaei - Malabaritae.

Summa totalis: e 150,000.000 Orientalibus schismatici vel haeretici circa 140,000.000, uniti catholici circa 10,000.000.

2. Descriptio Missae Byzantinae.

Describitur et interpretatur a nobis *Liturgia S. Chrysostomi,* quae quidem primo intuitu haud levis videtur intellectui. Partes eius hae sunt:

a) Proskomidia, i.e. praeparatio oblatorum ante Missam.
b) Enarxis.
c) Pars didactica.
d) Offertorium.
e) Anaphora
f) Communio.
g) Finis Missae.

a) Proskomidia

notari debet secundum evolutionem historicam primigeniam esse *partem didacticam,* quae iam decursu s. VII-i diminuta fuit. Ante hanc partem suscipitur « *enarxis* » (« actus introductorius »), reliquiae Laudum orientalium, i.e. « orthros », apud Syros Orientales Vesperae, quae traditio antiqua debet esse, nam supponit Missam vespere celebratam. In ritu Byzantino et ceteris orientalibus ritibus tantum in Vigilia Epiphaniae et Paschatis dicitur ante Missam « hesperinon » (vesperae). Ante s. VII. iam maior pars offertorii ante Missam posita est, et vocatur *proskomidia.*

1°. *Proskomidia* primo complectitur *praeparationem sacerdotis et diaconi* ad Missam, qui templum ingrediuntur et ter simul adorant ad imagines Salvatoris et Deiparae in iconostasio positas orationem secreto dicentes. Dein vestiuntur vestibus sacris, ad singulas vestes orationes fundendo.

2°. Hanc praeparationem excipit *offertorium* anticipatum. Venientes ad mensam « prothesis », i.e. propositionis, ad mensam sc. aliam ac altare, ibi manus lavant, dicendo: « Lavabo inter innocentes manus meas » etc. Deinde e « prosphora », i.e. oblatione, seu oblato pane fermentato expungit celebrans partem consecrandam, quae vocatur « hagios artos », sanctus panis, dicendo:

« Quia tollitur de terra vita eius, perpetuo, nunc et semper et in saecula saeculorum, amen ». Postea offert hanc prosphorae partem, collocans eam in sancto « disco », i.e. patena, dicens: « Immolatur Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, pro mundi vita et salute ». Diaconus deinde infundit in sanctum calicem vinum et aquam simul, sacerdosque benedicit. Dein tres alias partes prosphorae collocat cum orationibus in disco; dona demum teguntur duobus velis (kalymma), et thurificantur.

3°. Deinde dicitur oratio offertorii (protheseos): « ...Ipse benedic hanc propositionem et suscipe eam in supercaeleste tuum altare... ». Postea *incensantur oblata*, diaconus autem thurificat in circuitu sanctam mensam (altare), sacrarium (i.e. presbyterium et totum templum). Nunc sequitur:

b) **Enarxis,**

1°. est rudimentum Laudum matutinarum, quae adhaeserunt ad initium s. Missae, quod iam Aetheria Hierosolymis observabat: « Postea quam dicti fuerint psalmi et oratio facta fuerit, inde usque ad Anastase cum ymnis deducitur hora lucernae » — haec significant vigilias nocturnas. In Anastase autem dicitur « lucerna », i.e. orthros: « Dicuntur ymni (quod psalmos significat), dicuntur antiphonae aptae diei et loco, fiunt orationes aptae diei et loco. » Orthros statim excipitur ipsa Missa: « Fit oratio et offeret episcopus oblationem et communicant omnes » (Peregrinatio ad loca sancta 39,4; 40,1; 35,2.).

2°. *Enarxis* est residuum huius officii ante Missam: *constans e tribus membris*. Nam tres dicuntur psalmi, i.e. « ymni » sec. Aetheriam, inter ipsos versus psalmi repetitur antiphona, sed tantum 2-3 versus dicuntur, « orationum » locum tenet sec. evolutionem liturgicam orientis prex litanica a diacono praeorata, ad quam populus cum « Kyrie eleison » respondet. *Ter* ergo fiunt haec: **a.** oratio litanica « *ektenia* » vocata; **b.** inter quam sacerdos secreto precatur: est evolutio posterior, nam aliquando *post* precem communem oravit nunc vero ritum breviando sacerdos tantum finem dicit orationis alta voce (« *ekphonesis* »), **c.** dein cantatur psalmus cum antiphona. Sic absolvitur enarxis.

c) **Pars didactica**

incipit 1°. « *parvo introitu* » (« mikra eisodos »): liber Evangeliorum fertur a diacono per portam septentrionalem in templum, sacerdote comitante, candelis accensis; dein consistitur ante « portam regalem » (i.e. mediam) iconostaseos, cantus concomitans variabilis est « *troparion* » et « *kontakion* ». Interea procedunt ad sanctam mensam, sacerdos secreto precatur cum « *ekphonesi* », postea autem concinunt « *Trisagion* »: « Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis! » Sub trino cantu huius cantilenae sacerdos iterum secreto precatur, ekphonesin dicens in fine.

2°. Lectionis *e Veteri Testamento*, quae saec. VII. adhuc aderat, tantum vestigium remansit in admonitione diaconi: « *Sapientia!* » Item remansit cantus lectionem hanc omissam propheticam sequens, « *prokimenon* » vocatum. Eadem admonitio dicitur ante « *apostolum* », i.e. lectionem ex epistolis S. Pauli, post quam triplex Alleluia cantatur. *Evangelium* autem ex ambone cantatur, post datam benedictionem a sacerdote.

3°. Adhuc ad hanc partem pertinet *nunc* « *ektenia* » quae sequitur: **a.** et nihil aliud est, nisi antiquissima « *oratio communis* ». De hac oratione notissima in tota Ecclesia primitiva S. Iustinus martyr circa 155 sic effatur: « Com-

munes preces fusuri et pro nobis ipsis et pro ceteris qui sunt ubique, omnibus intenti animo ut digni habeamur, qui veritate cognita et bona operantes et mandatis obtemperantes inveniamur, ut salutem consequamur aeternam » (I, 65). Hae « preces communes » (koinai euchai, « allgemeines Gebet ») incipiuntur hac « ektenia » : « Dicamus omnes ex tota anima, et ex tota mente dicamus », Kyrie eleison. — **b.** Haec ektenia dein intermittitur, nam postquam pro catechumenis precatum est, *emittuntur catechumeni*, voce archaica: « Ne quis ex catechumenis maneat! » — **c.** Statim prosequitur ektenia, i.e. communis oratio, quae nunc iam vocatur « *oratio fidelium* » (euchê pistôn): « Quotquot fideles, etiam atque etiam in pace Dominum deprecemur! » Quia per dimissionem catechumenorum haec ektenia interrumpitur, videtur esse alia, etsi eadem sit. Pulcherrima prex est haec, in qua oratur pro sacra hac domo (i.e. ecclesia), pro tota urbe, pro regione, pro iis qui cum fide habitant in illis, dein pro navigantibus, iter agentibus, aegrotantibus, laborantibus, captivis, etc. Sic terminatur hac prece communi pars didactica Missae.

d) Offertorium

iam abbreviatum est, nam pars essentialis iam ante Missam absoluta fuit per proskomidiam. Nil aliud ergo faciendum est, nisi sollemni processione adportare sacra oblata e mensa propositionis (« prothesis »).

1°. Haec sollemnis processio vocatur « *magnus introitus* » (megalè eisodos). Incipit cum thurificatione per diaconum facta, qui incenso adolet sanctam mensam, sacrarium, et sacerdotem orantem. Sacra oblata portantur per diaconum, qui super caput suum debet portare sanctum discum — more Orientalium — sacerdos sanctum calicem tollit manu sua, diaconus autem thuribulum tenet manu dextera; pertranseuntes templum orant ambo pro omnibus et deponunt oblata in sacra mensa.

2°. Huius processionis cantus concomitans est « *Cherubikon* » a Iustino II. imperatore praescriptum (565-578.), sed incipitur iam ante processionem. « Qui Cherubim mystice imaginamur et vivificae Trinitatis honori cantum ter sanctum deferimus, seponamus nunc curas omnes saeculares, nam recipimus regem omnium, quem invisibiliter portant angelorum chori. Alleluia! » Spiritualitas enim orientalis iam in oblatis nondum consecratis corpus sanguinemque Christi conspicit, eaque portantes — diaconum et sacerdotem — Cherubis assimilat, super quos « sedet super Cherubim » omnipotens Deus.

3°. Post magnum introitum continuatur « *ektenia* », quae nunc iam *tertia* est pars *eiusdem* precis litanicae, « communem orationem » substituens.

4°. Iam S. Iustinus notat *osculum pacis* post orationes communes: « Invicem osculamus, ubi desivimus precari » (65, 2.). — **a.** Haec pax tantum *rudimenti modo* habetur in ritu Byzantino; sacerdos dicit: « Pax omnibus! », diaconus autem: « Diligamus nos invicem, ut in concordia confiteamur » : « Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Trinitatem consubstantialem et inseparabilem », respondente choro. — **b.** *Osculum* tantum symbolice datur, sacerdos osculatur velum « eileton » vocatum bis et semel altare, diaconus ter stolam; verum osculum in Missa pontificali tantum datur.

5°. Deinde portae clauduntur admonitione diaconi: « Portas! Portas! In sapientia attendamus! » Postea omnes recitant *symbolum Missae* (Credo), ut parati sint ad sacra mysteria mox manifestanda. Sic terminatur pars offertorii et incipit:

e) **Anaphora, i.e. pars sacrificalis Missae,**

in qua consecratio locum habet.

1°. Ut in omnibus ritibus, « praefatione » incipit etiam anaphora, i.e. *dialogo antiquissimo,* sed more orientali aucto: « Gratia D.N.J.Ch-i et dilectio Dei et Patris et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus nobis! » — « Et cum spiritu tuo. » — « Sursum corda habeamus! » — « Habemus ad Dominum! » — « Gratias agamus Domino! » Chorus autem canit: « Dignum et iustum est adorare Patrem et Filium et sanctum Spiritum, Trinitatem consubstantialem et individuam », intra cantum hunc chori sacerdos iam inclinatus secreto dicit « *praefationem* » Byzantinam, quae semper eadem est, et tantum finem cantat « ekphonesi »: « Qui victoriae hymnum canunt, clamant, vociferantur et dicunt », post hoc autem cantatur *Sanctus.*

2°. Inter cantum Sanctus sacerdos iam incipit secreto orationem, quae continet verba Christi, ita ut statim post cantum Sanctus iam alta voce dicit *verba consecrationis,* ad quae chorus « Amen » respondet.

3°. Postea secreto dicit « *anamnesin* »: « Memores igitur salutaris huius mandati et omnium quae pro nobis facta sunt: crucis, sepulchri, triduanae resurrectionis, in caelos ascensionis, a dextris sessionis, secundi et gloriosi adventus » et cantando *subiungit*: « Tua ex tuis tibi offerimus in omnibus et per omnia! » et hoc dicens manibus cancellatis *elevat* panem sanctum in disco et calicem. *Chorus* autem statim cantat: « Te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus, Domine et obsecramus te, Deus noster! »

4°. Durante hoc cantu sacerdos secreto dicit orationem invocationis Sancti Spiritus, i.e. « *epiclesim* », cuius verba essentialia sunt: « Fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui... Quod autem in calice hoc est, pretiosum sanguinem Christi tui » Haec verba proslepsis liturgica sunt, i.e. edicitur, quod iam factum est: transsubstantiatio (cf. De SS. Euch. B. 3.).

5°. Inter cantum chori sacerdos statim incipit secreto *precem deprecativam eucharisticam,* in qua applicatur sacrificium incruentum pro diversis causis, « ut fiat accipientibus in vigilantiam animae, in remissionem peccatorum, in communicationem Spiritus Sancti, in regni caelorum plenitudinem » etc. Dein una hac oratione absolvitur *Memento mortuorum et vivorum,* in qua incipitur a Sanctis, « qui in fide mortui sunt », ekphonesi extollitur « praesertim sanctissima, intemerata, super omnes benedicta, gloriosa domina nostra Deipara et semper virgo Maria », chorus statim canit in eius honorem « *megalynarion* »: « Dignum est certe te beatam praedicare Deiparam... », sacerdos autem continuat suam precem, nunc *pro vivis,* alta voce dicens pro Summo Pontifice, metropolita et pro episcopo commemorationem. Ekphonesi clauditur haec prex: « Et da nobis uno ore et uno corde glorificare et celebrare venerandum et magnificum nomen tuum, Patris et Filii et Spiritus Sancti, nunc et semper et in saecula saeculorum ». Hac *doxologia finali* et « Amen » populi clauditur anaphora.

f) **Communionis pars**

incipit 1°. *benedictione* data a sacerdote: « Et erunt misericordiae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis! » — In liturgia primigenia unica oratio praeparatoria erat ante communionem, quam inclinato capite auscultabant, sed Antiochiae versus 400 iam diaconus precem recitabat lita-

nicam, in qua repetebantur prius dicta in oratione deprecativa eucharistica. Ideo:

2°. diaconus ante portam regalem iconostasii *ekteniam* dicit cum choro alternans preces, sacerdos autem interea dicit secreto orationem praeparatoriam communionis. Hanc excipit:

3°. oratio communis mensae Domini, *Pater noster*, quae ab omnibus canitur, sacerdos vero in fine addit doxologiam: « Quia tuum est regnum et potestas et gloria, Patris et Filii et Spiritus Sancti, nunc et semper et in saecula saeculorum ».

4°. Antiquae orationis unicae praeparatoriae vestigium est *admonitio diaconi*: « Capita vestra Domino inclinate! » Respondetur: « Tibi Domine! » Interea sacerdos duas dicit secreto orationes praeparatorias, inter duas lavat manus. Nunc ipse communionis ritus sequitur, qui incipit consuetudine antiquitate veneranda:

5.° *Sollemni elevatione.* Sacerdos enim auferens velum, profunde se inclinans, elevat corpus Domini super disco et ostendit populo, dicens: « *Sancta sanctis!* » (ta hagia tois hagiois), ad quod respondetur *cantu*: « Unus sanctus, unus dominus, Jesus Christus, in gloriam Dei Patris. Amen. » Haec consuetudo in omnibus liturgiis orientalibus invenitur et vetustissima est: ostenditur Corpus Domini et invitantur omnes ad sumendum cum admonitione, ut digni sint.

6°. Practica praeparatio communionis, i.e. *fractio panis*, in ritu Byzantino tantummodo symbolica est, sicut etiam in ritu Romano. Dum chorus « *koinonikon* » (communionem) cantat, sacerdos dividit sanctum panem et particulam unam immittit e quatuor partibus in calicem, dicens: « Plenitudo fidei Spiritus Sancti ».

7°. *Communio* sacerdotis et diaconi fit post orationem ultimam praeparatoriam, qua inclinato capite et expansis manibus recitata, sumunt Sanctissimum. — *Communio fidelium* fit eo, quod diaconus in sancto ostio stans cum calice dicit: « Cum timore Dei et dilectione accedite! » Cui chorus respondet: « Amen, amen, amen! Benedictus qui venit in nomine Domini. » Dein cochleare accipiunt fideles particulam sancti panis intinctam in sanguinem cum hac formula: « Communicat servus Dei N. pretioso et sancto corpori Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum suorum et in vitam aeternam. Amen. Hoc tetigit labia tua et auferetur iniquitas tua et purgabit peccata tua. »

g) Finis Missae

incipit per translationem sanctarum specierum quae remanserunt in mensam protheseos, ubi sacerdos secreto dicit orationes gratias agentes, interea autem chorus cantat: « Repleantur labia nostra laude tua ut cantemus gloriam tuam... » Diaconus dimittit populum dicens: « In pace procedamus! »; respondetur: « Dominum precemur! ». Sacerdos dein adhuc publicam orationem dicit post ambonem (euchê opisthambônos), qua nomine populi gratias agit, dein benedicit populum et egreditur.

Litteratura.

Quoad ritum universalem Byzantinum: *N. Nilles*, Symbolae ad illustrandam historiam Ecclesiae orientalis in terris Coronae S. Stephani, Oeniponte 1885, I. II. — *A. Fortescue*, The Catholic Encyclopedia IV, 312-320 (Constantinople). — *Idem*, The orthodox Eastern Church, London 1907. — *Idem*, The uniate Eastern Churches. The Byzantine rite in Ita-

ly, Sicily, Siria and Egypt, London 1923. — *Pl. de Meester*, Grecques (liturgies) DAL VI, 22 (1925) 1591-1662. — *Sacra Congregazione Orientale*, Statistica con cenni storici della Gerarchia e dei fedeli di rito orientale, Roma 1932. — *P. Werhun*, Geschichte der Union in Byzanz und Südosteuropa... in ostslawischen Raum, *in*: Der christiche Osten, Regensburg 1939, 294-335. — *C. Gatti - P. C. Korolewskij*, I riti e le chiese orientali, vol. I. Il rito Bizantino e le chiese Bizantine, Genova 1942.

Quoad liturgiam S. Chrysostomi: *A. Baumstark*, Die Messe im Morgenland, Kempten u. München 1906, p. 77-179 (Der Aufbau der morgenländischen Messe). — *Rusznák Miklós*, A keleti Egyház miséi (=Missae Ecclesiae Orientalis), Budapest 1915, 151-234. — *L. Eisenhofer*, Liturgik, II (1932) 41-49. — *F. Mercenier - F.* Paris, La prière des Églises de rite byzantin, Amay I. 1937, II. 1939 (cf. AfLw. 1950, 356.). — *M. Righetti*, Storia liturgica I (1945) 99-107.

Quoad Armenos et Georgios: *A. Catergian*, Die Liturgien bei den Armeniern, Wien 1897. — *G. Aucher*, La versione armena della liturgia di San Giovanni Crisostomo, XPYCOCTOMIKA Roma 1908, p. 359-369. — *H. Leclercq*, Grecques (liturgies) DAL VI, 2, 1605. 1650 (de ritu Armeno). *Ibidem*: 1609. 1650 de ritu Georgico. — *Archdale A. King*, Liturgies of the primatial sees, London 1957.

IV. Tractatus quartus.

Semasiologia sacralis

seu

de Sacramentis in communi.

De signis sacris adhibitis in cultu publico Ecclesiae iam tractatum est. Nunc de iis signis sacris est agendum, quae Christus Dominus instituit, quaeve non solum symbolice significant, sed etiam producunt effectus suos: i.e. de Sacramentis « quae peculiaria instrumenta sunt, quibus superna vita ab hominibus participatur » (MDei n. 3.).

Participatio haec supernae vitae « per collatam operam cuiusque suam in propriam adipiscendam sanctitatem » (MDei n. 1.) fit, cuius collatae operae Sacramenta instrumenta sunt, nam per ea possunt homines attingere vitam supernam, i.e. gratiam habitualem, quae terrestre initium est participationis vitae Dei, consequenda finaliter in caelis. Hanc supernam vitam, aliis verbis, aeternam salutem Christus Dominus meruit nobis, « adsidue precando, seseque devovendo ... usque dum e Cruce pendens semet ipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi » (MDei n. 1.). Hanc veritatem habuit prae oculis S. Thomas, quando post considerationem eorum, quae pertinent ad Verbum incarnatum, consideranda censuit Ecclesiae Sacramenta, quippe quae ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent (III q.60.in.).

Sacramenta enim vim et efficaciam revera ortum habent e mysteriis Verbi incarnati: ex Eius incarnatione, nativitate, vita, cuius « nec una hora sine dolore passionis fuit » (Imit. Christi), tam beata passione et eius glorificatione. Sic verificatum est, quod Martyrologium Romanum in vigilia Nativitatis canit de Christo: « Mundum volens adventu suo piissimo consecrare ». Haec consecratio mundi, inprimis generis humani fit per Deum, qui « ineffabilibus mundum renovat Sacramentis ». Deus haec ineffabilia Sacramenta instituit per Verbum incarnatum, nam Christus *ut Deus* haberi debet Sacramentorum *auctor, ut homo* per passionem suam salutem *meruit* hominibus. Ideo est institutor, dein causa tum meritoria, tum efficiens Sacramentorum, simulque eorum principalis administer, per quae sanctificat homines.

Opus huius sanctificationis, seu consecrationis mundi ergo Christus peragit eo, « ut omnes ad Crucem suam per Sacramenta potissimum ac per Eucharistiae sacrificium accederent, atque adducerentur » (MDei n. 77.). Opus suum sanctificationis Christus humano generi auxiliando continuat « per Ecclesiam suam in qua divina praesentia sua volventibus saeculis perennat, quamque columnam

veritatis ac gratiae dispensatricem constituit » (MDei n. 19.). Recte vocatur ergo Ecclesia « corpus et plenitudo (pleroma) Christi » (Eph 1,23), vel a Bossuet « Christus diffusus » (« L'Église est le Christ répandu »).

Ecclesia autem hanc dispensationem gratiae exercet per ministros. Enimvero « adspectabile et externum Jesu Christi sacerdotium non universali, vel generali ac communi ratione in Ecclesia traditur, sed delectis hominibus impertitur » (MDei n. 41.). Etsi tunc ideo « sacra Liturgia inprimis a sacerdotibus Ecclesiae nomine absolvitur (MDei n. 43), ministri tamen hi « ad altare accedunt, ut ministri Christi, Christo inferiores, superiores autem populo » (MDei n. 83.). « Ad eos igitur omnes convolent, quicunque in Christo vivere cupiunt, nam ab eis solacium, spiritualisque vitae alimenta accipient, ab eis salutare suscipient medicamentum, quo sanati ac confirmati ex vitiorum exitio ac ruina feliciter emergere poterunt » (MDei n. 42.).

Hic est ergo ordo salutis in Novo Testamento: Christus meruit salutem, qua Deus instituit septem fontes supernae vitae Sacramenta, et Ipse iis utitur qua minister principalis, opus suum sanctificandi committens Ecclesiae, quae hoc opus continuans usque ad finem saeculi, hoc per ministros suos exercet.

Iuxta indolem huius partis primae, i.e. Theologiae Sacramentalis fundamentalis, nunc tantum aggredimur quaestiones omnibus Sacramentis communes. Primo ergo declarandum est, quid veniat nomine Sacramentorum, secundo docente Ecclesia cognoscendum, quid e revelatione de existentia talium signorum sciendum, tertio inquirenda est essentia eorum, i.e. tum eorum constitutio metaphysica, tum physica, quarto, quia agere sequitur esse, videndum quonam modo operentur et quales effectus producant, demum quae causae concurrant in eorum operatione. Agitur ergo:

A) De notione signi sacramentalis.
B) De existentia Sacramentorum.
C) De essentia Sacramentorum.
D) De efficientia Sacramentorum.
E) De causis Sacramentorum.

A) De notione signi sacramentalis.

Tractandum est 1) de origine et evolutione termini « Sacramentum », dein consideranda sunt signa sacra Sacramentis Novae Legis similia, et quidem 2) Sacramenta legis naturae, 3) Sacramenta Veteris Legis, dein 4) Sacramenta « minora », i.e. Sacramentalia, ut demum 5) definitionem demus quid sint Sacramenta Novae Legis.

1. De origine et evolutione termini « Sacramentum ».

Vocabulum quibus septem signa sacra a Divino Redemptore instituta nuncupantur in Ecclesia Latina « Sacramentum » est, in Ecclesia Orientali « mysterion », quod etiam in Latina usurpatur. Hi termini iam inde ab initiis christianis usitata fuere, iis denotabant haec septem sacra signa, sed non restringebatur usus vocabulorum horum tantum ad haec septem fontes supernae vitae, sed significationis vis ad quamplurima se extendebat.

a) **Etymon vocabuli « mysterion ».** 1°. Mysterion, quod vocabulum Latini quoque transsumpserunt, *derivatur* a graeco verbo « *myo* », cuius significatio

est « labia comprimere », ita ut non possit loqui (radix « my », cf. sanscriticum « mukas » et latinum « mutus »). Ideo « mysterion » secretum (Geheimnis), secretum cultum, secretam doctrinam significat, saepe autem hoc verbo illae religiones, quae ineunte aevo christiano tam late floruerunt in Imperio Romano, vocatae sunt « religiones mysteriorum ». - 2°. In *versione graeca Veteris Testamenti res secretae* ideo per vocabulum « mysterion » versae sunt, si in textu primigenio vocabula « *raz* » vel « *sor* » legebantur, quae in genere significabant secreta privata, publica et pertinentia ad vitam religiosam. - 3°. *Liber Sapientiae* graece scriptus ter adhibet vocabulum de religionibus mysteriorum (12,5; 14,15. 23), secus de consiliis secretis Dei, occultis qualitatibus entitatis divinae (2,22; 2,24). - 4°. *Paulus* saepissime adhibet vocabulum, significans eo incarnationem (Col 1,27), redemptionem mundi (Eph 1,9), salvationem gentium et Israelis (Rom 11,25; 16,25), loquitur de « mysterio Christi », i.e. de opere eius redemptivo (Eph 3,4 Col 4,3), quod idem est ac « pietatis mysterium », de quo hymnum canit (1 Tim 3,16.). Hoc mysterium Christi vocatur etiam « mysterium evangelii» (Eph 6,19), nam in evangelio contentum est. i.e. apostoli de eo debebant praedicare (Col 1,26), finis kerygmatis eorum erat, ut homines venirent « in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu » (Col 2,2.). Demum loquitur etiam de matrimonio, quod est mysterium, quia coniunctio Christi et Ecclesiae est huius coniunctionis humanae imago et prototypus (« mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia » Eph 5,32.). Atqui hoc loco inter mysteria Christi recensens aliquam institutionem Christi, quod sanctificat, — ut credimus — viam ostendit, *etiam alias* similes institutiones vocabulo « mysterii » connotandi.

b) **Etymon vocabuli « sacramentum ».** 1°. Usu *paganorum Romanorum* « sacramentum » significabat *pecuniam*, quam litigantes in loco sacro vel apud pontificem deposuerunt et qui iudicio vicerat, suum « sacramentum » recepit, victo autem remansit in thesauro Ecclesiae (sic e.gr. Varro). - 2°. Dein « sacramentum » significabat *iusiurandum* militare, quo novi milites se reipublicae et servitio militari sese dedicabant, sic Livius, Frontinus, Cicero, Caesar et alii scriptores latini. 3°. *Aetate Christiana* hoc nomine latine versum est saepe graecum vocabulum « *mysterion* » in textu *Veteris* et etiam *Novi Testamenti*. Cur, explicatur per tertium comparationis naturale: addicti religionibus mysteriorum iusiurandum praestabant, se secretum servaturos de rebus suis sacris. Sic intelliguntur versiones « Veteris Latinae », e.gr. « Sacramentum regis abscondere bonum est » (Tob 12,7), « et nescierunt sacramenta Dei » (Sap 2,22.). At etiam vocabulum « mysterium » saepe *relinquitur* in textu biblico latino, tum Veteris, tum Novi Testamenti. Sic remansit deinde per saecula: Latini adhibebant vocabulum « sacramentum » ubi Graeci « mysterion » dicebant sed saepissime etiam « mysterium » usurpabant in textibus suis latinis. Unum vero videtur excipi: religiones mysteriorum non denotabantur termino « sacramentum ». (Forcellini, Totius latinitatis lexicon V, 289-290. J. de Mayol de Lupé 1940, cf. Litter.).

c) **Patres et scriptores trium priorum saeculorum** promiscue usi sunt terminis « mysterium » et « sacramentum » ad designanda signa a divino Redemptore instituta efficacia gratiae, sed etiam multa alia hoc nomine vocabant. 1°. In genere tum Graeci, tum Latini hoc tempore *de universa religione* christiana loquuntur, ut de quodam « mysterio », sic vocabant veritates revelatas fundamentales, ut etiam usque hodie contingit, mysteriorum nomine, loquentes de

mysterio seu de sacramento SS. Trinitatis, incarnationis, passionis; similiter etiam *institutiones* et *ritus sacros* tali nomine vocitabant. « Totum paschale sacramentum » est argumentum (Inhalt, contenu) festivitatis paschalis, i.e. passio et glorificatio simul sumpta; loquebantur de mysteriis seu sacramentis sacrificii dominici, vel panis et calicis, de sacramento lavacri, sacramento fidei, i.e. professionis fidei in baptismo, symboli, orationis dominicae et multis aliis rebus. 2°. Primus qui monographiam scripsit de baptismo est *Melito* Sardensis tempore Marci Aurelii (161-180) Peri tou loutrou, De balneo, i.e. de baptismate, quae tantum in fragmentis remansit (v. Dölger, Sol salutis p. 342-345.). Primam monographiam completam quae etiam intacta relicta ad nos usque pervenit, scripsit *Tertulliamus* « De baptismo », ubi etiam de confirmatione et Eucharistia clarissime omnes notas essentiales *conceptus* Sacramenti exhibet. « Sacramenta » vocat haec divina instituta, sed adhuc tali nomine insigniuntur apud eum ipse divinus cultus, eius partes, verba, actus, sic vocat quoque incarnationem, passionem, etc., demum sacramenti nomine veniunt etiam facta biblica typi instar servientia pro Ecclesia et eius cultu.

d) **Aetate aurea Patrum,** inde a saeculo IV-o multi scripserunt de mysteriis et Sacramentis. 1°. In Oriente monographiam trium Sacramentorum initiantium, baptismi, confirmationis et Eucharistiae habemus in « Catechesibus mystagogicis » *S. Cyrilli* Hierosolymitani, habitis in ecclesia Anastaseos inter 348-350. - 2°. Apud occidentales *S. Ambrosius* versus 390 scripsit monographiam consimilem « *De mysteriis* ». Aliam autem eius auditores reportaverunt nobis, scripto excipientes sermones oretenus prolatos « *De sacramentis* », qui liber spurius habebatur , nunc autem omnium peritorum consensu eius opus declaratur (G. Morin in JfLw 1928, 86-106 et R. H. Connolly. The De sacramentis a work of St. Ambrose, Downside 1942.). - 3°. Hi et alii semper mysteria et Sacramenta vocant signa efficacia gratiae, etsi adhuc etiam alias res hoc nomine consignent. Sic e.gr. *S. Augustinus,* qui iam clare loquitur *de omnibus Sacramentis,* « omnia enumerat Sacramenta, excepta extrema unctione » (sec. Tanquerey III, 228, at etiam extremam unctionem videtur prae oculis habere, explicans oleum boni Samaritani: « Oleum consolatio spei bonae propter indulgentiam datam ad reconciliationem pacis » (Quaest. evang, 2, 19 PL 44,826.). Abstractione facta etiam *ideam communem* Sacramentorum invenit, dicens: « Signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari » (De catechizand.rudibus 50.). Secus adhuc Augustinus *promiscue* utitur vocabulo Sacramenti ad designanda sacra signa efficacia gratiae et ad alias res, e.gr.: « Sermonem ad altare Dei debemus hodie infantibus, (i.e. recens baptizatis) de sacramento altaris. Tractavimus ad eos de sacramento symboli (i.e. de mysteriis fidei), quod credere debeant, tractavimus de sacramento orationis dominicae, quomodo petant et de sacramentis fontis et baptismi » (Sermo 228,3); ergo eundem terminum bis de veris Sacramentis, bis autem de mysteriis fidei adhibet.

e) **Aetate prima medii aevi** sic remansit haec quaestio. Noverunt septem Sacramenta singillatim, signa a Christo instituta ea habuerunt, sciebant gratiam habitualem per ea conferri vel augeri, tria esse initerabilia propter characterem asserebant omnes. Solummodo *non enumerabant septem distincta* Sacramenta, sed in uno conspectu ea considerabant una cum eorum fonte primigenio: Incarnatione, et etiam signa sacra, quae serius « sacramentalia » nuncupata sunt, in numero Sacramentorum redegerunt, itemque « sacramenta », i.e. secreta

abscondita scrutabantur in sacris Scripturis. *Nondum erat necessarium* septem Sacramenta *stricte dicta seligere* e tota hac summa, quae oeconomiam constituit salutis.

f) Hoc tandem ineunte saeculo XII. evasit necessarium, quando ortum habuerunt **haereses dualisticae,** aevo praegothico: « apostolici », petrobrusiani, pauliciani, praecursores Waldensium, qui *Religionem « internam »* tuentes, aversi a rebus exterioribus negabant Sacramentorum necessitatem. 1°. Ad Sacramenta tunc temporis, sine distinctione sufficiente, *etiam sacramentalia* pertinebant, quae tempore renascentiae Carolingicae (s. VIII-IX.) *valde excreverunt.* Dum aetas antiqua Ecclesiae tantum pauca sacramentalia novit: benedictionem aquae, olei, panis, salis, primitiarum spicae, uvae, fructuum, abbatis, diaconissae, virginum, templi et altaris — aevo memorato multa alia sacramentalia in usum venerunt, et e monasteriis et capitulis late ubique diffusa sunt. Benedictio regis, reginae, novi militis (Rittersegen, lovaggá-avatás), peregrinorum, thalami et novae nuptae, benedictiones in periculis partus, post partum, benedictio « quando puer litteras discit », ad primam tonsionem novae barbae, benedictio domus, agri, putei, balneae, omnium partium monasterii, benedictio animalium, dein contra tempestatem, locustas mures, contra incendium et innumerabiles benedictiones contra morbos varios in infinitum fere creverunt. Fuerunt ideo qui de 12 « Sacramentis » (Petrus Damiani), imo pluribus, usque 100 locuti sunt. Omnia haec iam antesignani Waldensium, dein hi ipsi reiecerunt. Tempus erat ergo uberius excolere doctrinam de Sacramentis. Expolitionis omnis autem fructus est recta terminologia, quae tunc fundamentum sternit futuris temporibus.

g) Haec uberior expolitio et terminologia fixa s. XII-o ortum habuit. 1°. Ut videtur, primus hoc fecit *Hugo a S. Victore,* sic nominatus ab abbatia S. Victoris Lutetiae Parisiorum, ubi canonicus O.S.Aug. erat et in odore sanctitatis 1141 mortuus est. Liber eius est sine dubio *De sacramentis christianae religionis,* ubi etiam de aliis mysteriis fidei loquitur nomine « sacramentorum ». Alius liber « *Summa sententiarum* » fusius tractat de Sacramentis (uterque PL 176), sed recentius aliqui (e.gr. Doronzo p. 46, D.V.d.Eynde 1950, 37-40) in dubium vocabant eius authentiam. Nos quidem etiam hunc librum Hugoni vindicamus, forsitan continentur in hoc opere, sicut manuscriptum aliquod s. XII. dicit « Sententiae magistri Ottonis ex dictis magistri Hugonis » (cf. Cayré II, 456), i.e. eius discipuli. « Summa Sententiarum » enim ordine enumerat inde a baptismo, « quod in Sacramentis Novi Testamenti primum est », sacramentum confirmationis, altaris, poenitentiae, «olei seu extremae unctionis » et « Sacramentum coniugii », clare distinguens « *rem* », i.e. materiam proximam, « ut sunt aqua oleum et similia », « *factum* », i.e. materiam remotam, « ut sunt submersio, insufflatio », demum « *dicta* », « ut est invocatio Trinitatis » (PL 176,118.). Hic liber etsi non Hugo fuisset eius auctor, *ante Sententias Petri Lombardi* prodiit, qui iam ut notum supponit numerum et ordinem Sacramentorum et sua magna auctoritate multum contulit ad diffundendam hanc doctrinam. - 2°. At liber *De Sacramentis* Hugonis scriptus 1135-6 et in dubium nunquam vocatus similiter tantum haec septem Sacramenta tractat et illa *clarissime distinguit ab aliis*: « Illa tamen magis proprie et principaliter sacramenta dicuntur, in quibus virtus est per sanctificationem et effectus per operationem » (c. I, 9,6 PL 176,326 s.). Exordium sumit hoc libro de ordinibus, quippe a quibus Sacramenta oriuntur:

a. « De ecclesiasticis ordinibus » (II,3,1 col.421-433.). b. « De sacramento baptismi » (II,6,1-14 col. 441-460.). c. « De confirmatione » (II,7,1-6 col. 459-462), quam evidenter Sacramentum habet, quaerens, « utrum maius sacramentum sit impositio manuum an baptismus » (col.461), d. « De sacramento corporis et sanguinis Christi » (II,8,1-14 col.461-472.). e. « De extrema unctione », qua tale putat sacramentum; nam quaerit, « utrum iterari possit hoc Sacramentum, cum baptismus, confirmatio et alia Sacramenta (i.e. ordinis) semel suscepta denuo non iterentur » (col.577.). f. De poenitentia, quam comparat baptismo et sumptioni corporis et sanguinis Christi, pergens: « Simili modo existimo hoc dictum: Quorum remiseritis etc. ». g. « Sacramentum coniugii » coniiciens cum baptismo, ostendit mentem suam, matrimonium in eodem ordine esse ac baptismum (col.487).

3°. « Alia sacramenta », i.e. praeter haec septem denominat Hugo « *Sacramenta minora* », inter quae enumerat sacramentalia: « Sunt quaedam sacramenta in Ecclesia, in quibus etsi principaliter salus non constet, tamen salus in eis augetur, in quantum devotio exercetur » (col.471-476.). Merito possumus ergo dicere, eximium theologum, Hugonem a S. Victore primum fuisse, qui septem Sacramenta ab aliis signis sacris clare distinxit et definivit (H. Weisweiler, Wirksamkeit der Sakr. nach Hugo v. St. Viktor, 1932, et D.v.d.Eynde 1950, 32-37).

4°. Terminologia antiqua adhuc s.XII. extra scholas in usu remansit, sic Concilium oecum. Later.III.anno 1179 vetat pecuniam accipere « pro sepulturis et exequiis mortuorum et benedictionibus nubentium seu aliis sacramentis » (Mansi XXII, 221 cap. 7.).

h) Inde autem a Hugone iam communis evasit in scholis restrictio denominationis Sacramentorum ad septem sacra signa a Christo instituta. 1°. Hoc sancitum est summa auctoritate *Petri Lombardi*, qui Libros Sententiarum anno 1152-3 edidit et in eis iam ut notum supponit hanc restrictionem ad septem signa. Sic enim incipit tractationem suam: « Iam ad Sacramenta Novae Legis accedamus, quae sunt: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Unctio extrema, Ordo, Coniugium » (IV.dist.2.c.1-4 PL 192,841.). Iure assignatur qua meritum Lombardi a D.v.d. Eynde (p.45-6), quod *tres* contulit *definitiones* de Sacramentis: latiore sensu dictis: « Sacrae rei signum », et « sacrum signans », demum « invisibilis gratiae visibilis forma »; item quod definivit Sacramentum *stricte dictum*: « Sacramentum proprie dicitur, quod ita signum est gratiae Dei, et invisibilis gratiae forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat. Non ergo significandi tantum gratia Sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi » (ibid.839.). Paucis exceptis omnes deinceps theologi Lombardum sunt secuti, sed iure tamen etiam Hugonis non debemus oblivisci. - 2°. Etiam *Ecclesiae docentis auctoritas* inde a saec.XIII.ineunte semper tali modo loquitur, uti videri potest e professione fidei Durando de Osca et sociis eius Waldensibus praescripta anno 1208 ab Innocentio III. Hic iam Sacramenta tantum illa septem signa vocat eo ordine, ut apud Lombardum enumerantur (Denz. 424.).

2. De Sacramentis legis naturae.

Status quaestionis.

Postquam consideravimus evolutionem terminologiae vocis « Sacramentum », secernenda sunt ab his septem signis sacris alia signa sacra, quae qui-

dem similia sunt Sacramentis stricte dictis, sed non possunt cum eis sub una notione comprehendi. Tres classes constituunt haec signa sacra a Sacramentis stricte dictis seiungenda secundum varios status generis humani. Seponendo statum *naturae purae,* quae sola possibilitas est, in statu naturae elevatae et adhuc *integrae* Sacramenta evidenter non erant necessaria. In statu naturae elevatae iam *lapsae* distinguuntur, ut probe scitur tres periodi. Status *legis naturae,* dein status *legis scriptae,* seu Vetus Testamentum, demum status *naturae restitutae,* seu Novum Testamentum. In statu legis naturae existebant Sacramenta naturae, in statu legis scriptae dabantur Sacramenta Veteris Legis, in statu naturae restitutae habentur praeter Sacramenta stricte dicta Sacramenta minora seu Sacramentalia. De singulis speciatim agendum est, incipiendo cum Sacramentis legis naturae, de quibus profertur:

THESIS. In statu legis naturae existebat (1) remedium naturae, (2) forsitan etiam alia Sacramenta improprie dicta.

1. pars est sententia communis, quae sine temeritate vix negari possit propter consensum Patrum et theologorum. 2. pars est probabilior.

Probatur I. pars.

a) Aevo ab Adam usque Moysen habebatur aliquod « remedium naturae », quo adhibito parvuli post consummatam redemptionem vitam aeternam ingredi potuerunt. De qua re S. *Augustinus*: « Nec ideo tamen credendum est et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa, Scriptura latere voluit » (C. Julian.5,11 PL 44,809.). S. *Gregorius Magnus* talem protulit sententiam: « Quod vero apud nos valet aqua baptismalis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex stirpe Abrahae prodierant, mysterium circumicisionis » (Moral. 4,3 PL 75,635.). Videtur, quod Gregorius tenuit, ut etiam alii, etiam « remedium naturae » cum circumicisione apud alias gentes perseverasse. - 2°. S. *Beda Venerabilis* († 735) talia dicit parem sententiam Gregorio Magno habens: « Nam qui vel ante tempora circumcisionis, vel etiam post datam circumcisionem ex ceteris gentibus exstitere fideles, ut exemplar patientiae Job, et amici liberique illius, sive victimis bestiarum se suosque ab originali peccato seu certe sola fide salvabant » (In Lucam 1,8.). - 3°. Quidam, ut Zubizarreta (IV, 36) in vanum allegant ad probationem remedii naturae Innocentium III.: « Absit, ut universi parvuli pereant... quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem », nam incisum sic incipit: « Asserunt parvulis inutiliter baptisma conferri.... », ergo Innocentius III. de paedobaptismo loquitur ad Ymbertum archiepiscopum anno 1201. (Denz. 410).

b) *Ratione* sic probat Card. Franzelin thesim. Populus Dei sub Christo capite tunc constituebatur, cum prima promissio Redemptoris futuri Gen. 3,15 data fuit. Qui actu inserebantur huic populo Dei sine dubio iustificationem intuitu futurae satisfactionis et futurorum meritorum Christi venturi consecuti sunt. Dum adulti per proprios actus inserebantur populo Dei, infantes tantum per actus adultorum inseri potuerunt. Infantes non possunt eximi, nam volun-

tas Dei salvifica universalis omnes homines complectitur, consequitur ergo omni tempore parata fuisse remedia sufficientia a parte Dei, ut a peccato liberarentur (De Sacramentis in genere p.17-32.). *Suarez* consensum extollit theologorum: « Tam in lege naturae, quam Moysis omnes infantes relictos fuisse sine remedio originali peccati, atque adeo omnes, qui mortui sunt ante usum rationis, damnatos fuisse, impium est sentire et contra communem Ecclesiae traditionem et sensum » (De Sacr. in genere disp. X.sect.1.). Franzelin adiungit, « tum *pro aliis nationibus*, tum pro foeminis Israeliticis, quibus positiva lex divina nullum signum peculiare determinabat, ipsum *sacramentum legis naturae porro perseverabat* » (p.32.).

Probatur II. pars.

a) S. *Thomas* de talibus aliis « Sacramentis » legis naturae loquitur extra remedium naturae pro infantibus: « Ante legem scriptam erant quaedam *Sacramenta necessitatis*, sicut illud fidei Sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati, et similiter *poenitentia*, quae ordinabatur ad deletionem actualis » (In IV.Sent. dist.I.qu.1.a.2. qu.3. ad 2.). Sec. *Salmanticenses* haec poenitentia erat « consistens aut in signis externis doloris, aut in generali et confusa quadam peccatorum confessione, aut in sacrificio ad eorum deletionem ordinato » (De Sacramentis in communi disp. 3, 334.).

b) Quod *sacrificia* erant in statu legis naturae, clare probat s. liturgia, loquens de sacrificio pueri iusti Abel, patriarchae nostri Abrahae, et de sacrificio sancto, immaculata hostia, quam Deo obtulit summus sacerdos Melchisedech, « quod fuit ante legem, magis assimilatur sacramento novae legis in materia, in quantum scilicet obtulit panem et vinum » (III. q.61. a.3. ad 3.).

c) Etiam de *ordine* loquitur in statu legis naturae: « Sacerdotium etiam erat ante legem apud colentes Deum secundum humanam determinationem, qui hanc dignitatem primogenitis attribuebant » (I-II.q.103. a.1. ad 3.).

d) *De institutione* et determinatione tantum *generali* sapienter notat *Zubizarreta*: « Quia citra divinam institutionem signa sensibilia non potuerunt habere vim significandi sanctitatem et iustitiam hominis », ideo certe a Deo instituta fuerunt. « Quia tamen proportionata erant statui obscuritati illius temporis, non erant a Deo determinata nisi vago modo et in genere » (IV,37.).

3. De Sacramentis Veteris Legis.

Protestantes apparenter extollebant Sacramenta Veteris Legis etquidem ideo, ut momentum ac vis Sacramentorum Novae Legis minuerent. Ideo statuitur:

THESIS. Vetus Testamentum habebat Sacramenta a Sacramentis Novae Legis non solum ritibus, sed etiam significatione differentia. De fide.

a) **Vox Ecclesiae.**

Florentinum (Decr. pro Iacobitis): « Docet legalia Veteris Testamenti seu Mosaicae Legis quae dividuntur in caeremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta... Domino N. Jesu Christo adveniente cessasse » (Denz.712.). *Decr. pro Armenis*: « Quae multum

a Sacramentis antiquae legis differunt, illa enim non causabant gratiam, sed eam solam per passionem Christi dandam essere figurabant, haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt » (Denz. 695.). *Tridentinum* sess.VII.can.2: « S.q.d., ea ipsa Novae Legis Sacramenta a sacramentis Antiquae Legis non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae, et alii ritus externi: a.s. » (Denz.845.). Canon directe contra effatum Calvini directus est.

b) Species Sacramentorum Veteris Legis.

Secundum elucubrationem thomisticam numerus sat magnus Sacramentorum Veteris Legis reduci possunt in tres classes cum bina subdivisione, quae habetur per id, quod populus a sacerdotibus secernitur. Tres classes sunt hae: « In istis Sacramentis Veteris Legis quaedam pertinebant communiter ad totum populum, quaedam autem specialiter ad ministros. Et circa utrosque tria erant necessaria ».

1°. « Quorum *primum* est in statu *colendi Deum* et haec... quantum ad omnes fiebat per circumcisionem... quantum ad sacerdotes, per sacerdotum consecrationem ».

2°. « *Secundo* requirebatur *usus eorum* quae pertinebant ad cultum divinum, et sic quantum ad populum erat esus paschalis convivii, ad quem nullus incircumcisus admittebatur... quantum ad sacerdotes, oblatio victimarum et esus panum propositionis ».

3°. « *Tertio* requirebatur *remotio* eorum, per quae aliqui *impediebantur* a cultu divino, scilicet, immunditiarum, et sic quantum ad populum erant institutae quaedam purificationes a quibusdam exterioribus immunditiis et etiam expiationes a peccatis, quantum vero ad sacerdotes et levitas: erat instituta ablutio manuum et pedum et rasio pilorum » (I-II q.102. a.5.).

4°. Sic habetur in Sacramentis Veteris Legis typus baptismi, poenitentiae et ordinis. Cur non inveniantur *omnia Sacramenta* Novae Legis analogice in Veteri Testamento, S. Thomas sic declarat: « Sacramento *confirmationis*, quod est Sacramentum *plenitudinis gratiae*, non potest respondere in Veteri Lege aliquod Sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis... Similiter autem Sacramento *extremae unctionis*, quod est quaedam immediata praeparatio *ad introitum gloriae*, cuius aditus nondum patebat in Veteri Lege, pretio nondum soluto. *Matrimonium* autem fuit quidem in Veteri Lege prout erat in officium naturae, non autem prout est Sacramentum *coniunctionis Christi et Ecclesiae*, quae nondum erat facta. Unde et in Veteri Lege dabatur libellus repudii, quod est contra Sacramenti rationem » (I-II q.102.a.5. ad 3.).

c) Efficacia Sacramentorum Veteris Legis.

1°. Non solum ritibus, quod per se patet, differebant a Sacramentis Novi Testamenti, sed etiam significatione. Haec enim significant et efficiunt gratiam, illa autem Veteris Legis tantum significabant gratiam *per futuram passionem Christi* dandam. Ut S. Augustinus dicit: « Si decernimus duo Testamenta, Vetus et Novum, non sunt eadem Sacramenta. Sacramenta Novae Legis dant salutem, Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt salvatorem » (In Ps. 73,2 PL 36, 930.). Ideoque iure dicitur, quod Sacramenta Veteris Legis « non habebant in

se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem », ut Novae Legis certo certius habent (III q.62.a.6.).

2°. Tamen errasset, qui diceret, Sacramenta Veteris Legis gratiam non contulisse, quod tamen alio modo fiebat, quam in Sacramentis Novae Legis. S. Thomas clarissime edicit hanc doctrinam quoad circumcisionem: « In circumcisione *conferebatur gratia quantum ad omnes gratiae effectus* ». Qualem gratiam intelligat et quales effectus, enuntiat ibidem: « Peccatum *originale* remittebatur... per gratiam... quae conferebatur etiam quantum ad effectum *positivum*, qui est facere dignum *vita aeterna*... dabatur facultas pueris suo tempore perveniendi ad gloriam... adulti quando circumcidebantur, consequebantur remissionem non solum originalis peccati, sed etiam *actualium peccatorum* ». Deinde *modum efficientiae declarat*: « Aliter tamen, quam in baptismo. Nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet, inquantum est instrumentum passionis Christi iam perfectae, in circumcisione autem conferebatur gratia *non ex virtute circumcisionis*, sed ex virtute fidei *passionis Christi*. » (III q.70. a.4. in corp. et ad 5.). Dici potest, per analogiam etiam alia Sacramenta Veteris Legis tali modo operasse.

3°. *Aliis verbis*: Sacramenta Veteris Legis *ex opere operato* conferebant iustitiam *tantum legalem*, in hoc Sacramenta Veteris Legis causae instrumentalis partem gerebant, per hanc iustitiam legalem significabatur aggregatio ad populum Dei, quae vel dabatur (circumcisio), vel restituebatur (mundationes etc.). *Ex opere operantis* autem conferebatur iustitia interna, i.e. gratia sanctificans, *per fidem nempe* in futurum Redemptorem, cuius adventum populus Dei expectabat. *Apud infantes* haec fides per parentes praestita est « et *velut translata* in infantem susceptum inter membra populi fidelis » (Franzelin p.30.). *Causa efficiens* iustificationis ergo Deus erat, *meritoria* futura passio Christi, causa *dispositiva*: fides, qua applicabantur futura merita passionis Christi, causa *instrumentalis* Sacramenta V.L. *non* erant iustificationis, i.e. sanctitatis internae, sed *solum legalis*, i.e. aggregationis in populum Dei. Facilius tamen erat quam si circumcisionem non suscepisset, quia haec Deo occasionem praebuit ampliores gratias actuales circumciso dandi. Iure allegatur a H. Weisweiler (Scholastik 1952,336) quoad modum efficientiae Sacramentorum Veteris Legis Hugo Victorinus: « Passio Salvatoris quae primo loco Sacramenta gratiae ad effectum salutis sanctificat, *mediantibus istis* etiam illa prioris temporis Sacramenta sanctificabat, ut eadem salus esset » (PL 176,343.).

4. De Sacramentis « minoribus » Novae Legis, i.e. de Sacramentalibus.

Definitio.

« Sacramentalia sunt res aut actiones, quibus Ecclesia in aliquam Sacramentorum imitationem uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales » (CIC can.1144.).

a) Natura sacramentalium.

Sunt *res*, ut e.gr. aqua benedicta, oleum catechumenorum, aut *actiones*, quae rem vel personam consecrant, aut actiones tantum, ut exorcismi. Constant e materia et forma, ut Sacramenta. - 2°. *Ad imitationem Sacramentorum* sunt instituta, quod duo dicit. « Ipse ritus quodammodo Sacramentis assimilatur, — ut

ad analogiam Sacramentorum spiritualem quendam effectum, gratia sanctificante inferiorem, producant » (Van Noort I, 120-122.). - 3°. Ecclesia solet uti eis, et quidem *vel* institutionem Christi imitata, nam pedum lotio, benedictio hominum et puerorum, aegrotorum, usus panis, salivae, olei a Domino incoepta sunt, — *vel* maxima ex parte a sola Ecclesia ordinata sunt. Usque ad Tridentinum haec institutio ab episcopis facta est, directe, vel indirecte per concessionem quandam, saepe tolerantiae speciem gerentis, — inde a Tridentino haec institutio Apostolicae Sedi reservata est.

b) **Divisio sacramentalium.**

Vario modo dividuntur ab auctoribus, optima videtur classificatio CIC. (can.1148.§.2. et 1151.). Sic discerni possunt:

1°. *Exorcismi*, i.e. sacramentalia, quae « applicantur hominibus ad repellendam ab iis potestatem daemonis, creaturis irrationalibus, ne diabolus iis abutatur ad nocendum hominibus » (Van Noort 1.c.).

2°. *Benedictiones invocativae*, i.e. sacramentalia, quae « applicantur *hominibus*, ut aliquod *munus* a Deo consequantur, creaturis *irrationalibus*, ut earum *usus prosit* ad salutem corporis et animae » (Van Noort 1.c.). Tales sunt quoad *homines*: benedictio novae nuptae, benedictio mulieris post partum, benedictiones infirmorum, puerorum, S. Blasii. Quoad *creaturas irrationales*: benedictiones novae domus, domus scholaris, equorum, stabuli (« Almsegen » in Tyrolia et Helvetia), maris (in Britannia minore), navis, currus ferrei, vel aërei, segetum, alimentorum in Pascha, vini, etc.

3°. *Benedictiones constitutivae*, quibus persona vel res *subtrahitur* a profano usu et aliquo modo Deo offertur. Tales sunt benedictiones novae ecclesiae, crucis, imaginum sanctarum, indumentorum sacerdotalium, campanae, ciborii (aliter « tabernaculi »), dein quoad personas: tonsura, ordines minores.

4°. *Consecrationes*, i.e. benedictiones constitutivae, si ritualis subtractio a profano usu modo sollemniore fit *et* ita vocetur ab Ecclesia *et* tantum ab episcopis fieri possunt. Quoad *res* sic sunt consecrationes calicis, patenae, altaris, ecclesiae, campanae, quoad *personas*: subdiaconi, virginum, abbatis; etiam professio sollemnis religiosa quodam modo consecratio est. S. Thomas loquitur de « consecratione, quae ex institutione apostolorum adhibetur in professione certae regulae », utique solum de « voto, quo aliquis totaliter se subiicit divino ministerio seu famulatui » (II-II q.88.a.7. corp. et ad 2.).

c) **Effectus sacramentalium.**

1°. *Collatio gratiae actualis* ad rite obeunda *munera*, e.gr. subdiaconi, clerici minoris, regis, abbatis, coniugum, dein *ad opera salutaria*, ut puta peregrinationis, itineris bene et secundum voluntatem Dei peragendi, — ad melius capessendas *virtutes*, *e.gr.* in benedictione domorum in die Tpiphaniae: « ...ut sit in ea sanitas, castitas, victoriae virtus, humilitas, bonitas et mansuetudo, plenitudo legis et gratiarum actio » (Rit.Rom.Tit.IX.c.3,6.).

2°. *Remissio peccatorum venialium*, « quatenus excitant motum contritionis, aut retractationem peccati saltem implicite continent vel satisfactionem »

(Merkelbach III, n. 109). Sic aspersio aquae benedictae, recitatio « Confiteor », impositio cinerum.

3°. *Repulsio diaboli,* qui Deo permittente, hominibus *mala physica,* ut aegritudines et alia inferre potest, dein mala *moralia,* tentationibus vexando animas, imo etiam corpora obsidendo (daemoniaci obsessi). Huc pertinent imprimis exorcismi, dein usus aquae benedictae, benedictiones apotropaeicae (apotrepo = avertere), quando e.gr. precamur, ut « effugiat ex hoc loco omnis nequitia daemonum » (Rit.Rom. benedictio adulti aegrotantis Tit.IX.c.4,7.).

4°. *Consecutio boni temporalis,* eo, quod Dei providentia specialiter operatur: hominem a malis *futuris,* ut a malo gutturis praeservans, vel *a praesentibus* eripiens, eum e.gr. sanans, sic aqua S. Vincentii Ferrerii benedicitur, « ut aegrotum sanet, consolidet infirmum » (R.Rom. Tit. IX.c.11,46), vel donans ei *bonum successum,* v.gr. susceptae navigationis, itineris aërei, fertilitatem, animalium sanitatem et sic porro.

d) **Personae sacrales sacramentalium.**

Ministri.

1°. « **Consecrationes** nemo qui charactere episcopali careat, *valide* peragere potest, nisi vel iure, vel apostolico indulto id ei permittatur » (can.1147,§.1.). Sine charactere episcopali possunt *Cardinales* ubique locorum peragere consecrationes ecclesiarum, itidem benedictiones, consecrationes altarium, sacrae supellectilis, Abbatum aliasve similes, excepta oleorum sacrorum consecratione (can239 §.1. nr.20.). Sed praescriptum can.1157. etiam ab eis observandum est, quod « non obstante quolibet privilegio, nemo potest locum sacrum consecrare vel benedicere sine Ordinarii consensu », quod videtur ad validitatem requiri (« nemo potest »). *Vicarii et praefecti apostolici* « etiam ii, qui charactere episcopali careant, possunt intra territorii sui fines ac perdurante munere, omnes benedictiones Episcopis reservatas, una pontificali excepta impertiri (intelligitur benedictio sollemnis pontificalis), calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consecrare » (can. 294.§.2.). Plus possunt eis *Abbates vel praelati nullius,* quippe qui « si charactere episcopali non sit ornatus et benedictionem, si eam recipere debet, receperit, praeter alia munera quae in can.294§.2. describuntur potest quoque ecclesias et altaria immobilia consecrare » (can.323.§.2.), quod ergo vicarius vel praefectus apostolicus non potest.

2°. « **Benedictiones** autem impertire potest quilibet *presbyter,* exceptis iis, quae Romano Pontifici aut Episcopis aliisve reservantur » (can.1147.§.2.). *Reservantur: Romano Pontifici*: benedictio palliorum et Agnus Dei. *Episcopis*: benedictiones ecclesiarum et benedictio sollemnis campanae. *Aliis*: *parochis* benedictio nuptialis et domorum Sabbato Sancto, non ergo benedictio novae domus. *Religiosis*: propriae benedictiones ordinis, ut e.gr. SS.Rosarii, scapularis etc. « Benedictio reservata sine necessaria licentia, illicita est, sed valida » (can. cit.§.3.), an graviter vel leviter, dependet a causis excusantibus.

3°. « **Exorcizandi** licentia ab Ordinario concedatur tantummodo sacerdoti » (can. 1151 § 2.).

Subiectum.

Can. 1149: « Benedictiones dari quoque possunt *catechumenis*, imo nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam *acatholicis* ad obtinendum lumen fidei, vel una cum illo, corporis sanitatem ». Talis *prohibitio* intercedit in matrimoniis inter partem catholicam et acatholicam quoad benedictionem nuptialem, nam omnes sacri ritus prohibentur, sed Ordinarius potest concedere « aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione » (can. 1102. § 2.). « *Exorcismi* fieri possunt ... etiam in acatholicos vel excommunicatos » (can.1152.).

e) **Ritus sacri Sacramentalium.**

Principium fundamentale edicitur can.1148.§.2.: « Consecrationes ac benedictiones sive constitutivae sive invocativae invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta ». Ad formulam ab Ecclesia praescriptam videtur etiam lingua liturgica pertinere, si ergo totum sacramentale lingua vulgari tantum administraretur, invalidum esset, si non habetur licentia.

1°. Quoad *modum ministrandi sacramentalia* dicendum est: Sacerdos semper *stando* et *aperto capite* benedicit, omnia voce *clara*, non submissa recitare debet, graviter, non festinanter, ad aedificationem et non scandalum fidelium. Propter reverentiam in altare ne ponat obiecta minus decentia, ideo *in mensa* aliqua prope altare posita benedicentur rami, candelae, a fortiore esculenta in pascha, vinum in festo S. Joannis evangelistae etc. *Initio* semper dicit: « Adiutorium nostrum in nomine Domini », nisi aliter notetur. *In fine aspergit* aqua benedicta, si praescriptum sit, similiter tunc tantum *thurificat*, nihil dicens. *Vestitus* eius est: *saltem* superpelliceum et stola, potest ergo etiam pluviale adhibere, ad maiorem sollemnitatem.

2°. Quoad *colorem* praescriptum notandum est principium generale: «in omni benedictione extra Missam sacerdos saltem superpelliceo et stola coloris *tempori convenientis* utatur, nisi aliter notetur » (Rit.Rom. tit.IX.c.1,6.).

Nisi aliter notetur: a. Color *albus*: in processionibus theophoricis, in benedictione primarii lapidis, ecclesiae, coemeterii, et etiam in reconciliatione eorum, dein in benedictione mulieris post partum, et nuptiali.

b. Color *ruber*: pro sollemni benedictione Crucis, in benedictione S. Blasii contra malum gutturis.

c. *Color violaceus*: pro benedictione aquae benedictae, sed in distributione diebus dominicis adhibendus est color diei, « item color violaceus adhibetur, quamvis non expresse notetur, in omnibus benedictionibus, quae indolem poenitentialem habent, vel quibus Ecclesia variis necessitatibus succurrere et diaboli fraudes atque aggressus repellere studet » (Gatterer, Praxis celebrandi p.221.).

d. *Color niger*: in exequiis defunctorum adultorum, in parvulorum autem albus adhibendus est.

e. *Color Sanctis conveniens*, si benedictio aliqua in honorem Sanctorum fit. E.gr. benedictio et impositio scapularis, sacri numismatis (médaille miraculeuse), cincturae B. Mariae Virginis, vel cingulorum in honorem S. Thomae

Aquinatis, scapularis in honorem S. Joseph, Ecclesiae patroni colore albo; aquae in honorem S. Petri martyris, cinguli in honorem S. Philumenae martyris et virginis rubro colore facienda est etc. Similiter in translatione reliquiarum adhibetur color conveniens Sancto: rubeus, si martyr sit, albus, si confessor, virgo, etc.

3°. *Quaedam notanda* pro aliquibus sacramentalibus in *specie*.

a. *Benedictio sacerdotalis* manu data extra Missam, sive in functionibus liturgicis, sive separatim sola hoc modo fit. *Actio*: signatio crucis, quam praecedit iunctio manuum. Haec tripliciter fieri potest: simplici iunctione manuum quam statim sequitur benedictio — vel elevatis oculis extendendo elevandoque manus fit iunctio earum, sic e.gr. post communionem ministratam extra Missam — vel post iunctionem extendendo bracchia, manusque super personam (moraliter vel physice) imponendo. *Formula*: « Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii † et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. Amen. », nisi alia praescribatur. *Concionator* in Missa sollemni a *celebrante sacerdote* benedici *potest* genuflexus: « Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties verba sancta sua. In nomine Patris et + Filii et Spiritus Sancti Amen. » *Ab episcopo* inter Missam pontificalem benedici *debet*, etiam si canonicus sit (CRit 4208.).

b. Benedictio apostolica post exercitia spiritualia ab iis qui habent privilegium, fit cum praedicta formula, sed cum Crucifixo, unico signo Crucis (Rit. Rom.Tit.IX.c.10,2.).

c. Cruces parvae non benedicuntur cum formula « benedictionis crucis », sed formula benedictionis imaginum (CRit d.3534. ad IV.).

d. Benedictio mulieris post partum fieri potest « a quocunque sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacunque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto Superiore ecclesiae » (Tit.VIII.c.6,5.).

e. Benedictio *vexillorum* fieri potest non solum pro vexillis et insignibus associationis ecclesiasticae, sed etiam profanae, dummodo « non pertineant ad societates religioni catholicae manifeste contrarias, nec reprobata sint harum statuta, neque ipsa insignia seu vexilla aliquod emblema de se vetitum ac reprobatum prae se ferant » (CRit 4390.). S.C.Officii autem exclusit cuiusvis partem civium politicam, respondendo 20.mart.1947: « An vexilla cuiusvis partis civium (partito politico) benedicere liceat. Negative ».

f) Vis et momentum Sacramentalium.

Hodernis temporibus cum instauratione vitae christianae etiam apostolatus liturgicus incrementa capiens, late diffuseque propagavit sacramentalia, quae praesertim in civitatibus multorum regnorum fere iam obsoleta erant, dum ruri in plurimis regnis adhuc in usu saltem partiali sunt. Cognoscere et aestimare debemus momentum eorum, quia ab Ecclesia non sine causa instituto sunt, nec nostro aevo etiam multis novis numerus eorum auctus est. Considerandum est ergo, ut melius intelligamus momentum hoc sacramentalium:

1°. *Sensus symbolicus*, quem Ecclesia semper fovebat, etsi medium aevum aequo plus utebatur symbolismo, inde ab Amalario Metensi. Postquam doctores medii aevi in suis elucubrationibus officii divini omnia, etiam minutissima tan-

tum symbolice interpretati sunt, aetas rationalismi saec.XVIII. symbolismo nauseans terga vertit. Sic perventum est ad explicationes liturgicas, quae omnem sensum symbolicum excluderunt, ut Claudius de Vert eodem saeculo etiam candelarum et thuris usum solum ad depellendam caliginem et malum odorem declaravit (cf.F.Cabrol, Les origines liturgiques, Paris 1906, 42-44.). Frigidus et insipidus sensus rationalismi saeculo XIX. in finem vergente sensim mutatus est; ut etiam in poesi scholae « symbolisticae », sic etiam intellectui sensus symbolorum paulatim patefactus est. Symbola naturalia — aqua, sal, oleum, thus, ignis, lux etc. — iterum melius comprehendebantur, ut signa naturalia vitae supernaturalis. Nunc iam iterum optime intelligimus symbolismum, quem Ecclesia etiam praeter haec symbola naturalia in omnibus rebus apprehendit. Pro Ecclesia etenim symbola evadunt etiam ipsae res, quas benedicendo sanctificat, et sic per considerationem rerum corporalium animos fidelium ad contemplationem rerum caelestium erigit. E.gr. quando benedicendo machinam extinctivam orat, ut « in cordibus nostris extinguantur faces vitiorum et ab ignibus liberemur aeternis » (Rit.Rom.Tit.IX.c.8,11), vel si benedicendo viam et currus ferreos precatur, « ut dum famuli tui velociter properant in via, in lege tua ambulantes, et viam mandatorum tuorum currentes, ad caelestem patriam feliciter pervenire valeant » (Tit.IX.c.8,7.).

2°. Ut plene intelligatur sensus sacramentalium, requiritur illa contemplatio *theocentrica mundi,* quam christiana religio supponit. Hac luce conspicitur relatio illa transcendentalis, qua creaturae Creatori coniunguntur: creatura rationalis in seipsa imaginem detegens Dei, in creaturis autem irrationalibus vestigia Altissimi conspiciens, centrum totius mundi Deum reputat. Huius creaturae Conditor, qui omnia propter semetipsum operatus est, « cuncta huius mundi elementa in usum humani generis destinavit » (Rit.Rom.). Omnia nobis serviunt, nostra sunt, et nos utimur eis ad consequendum finem ultimum; media ergo sunt finis optimi et ideo aliquo modo etiam ipsa optima, sancta, si non abutimur eis. Cunctas ergo creaturas benedicit Ecclesia, ut circa fideles suos omnia sanctificet.*Locum,* ubi vivunt, laborant et operantur, non solum loca sacra benedictione sua munit, eos dedicans recto usui: non solum locos operae agriculturae, agros, vineas, alpes, pascua camposque, silvas et segetes, sed etiam alios: domos, scholas, sedes fabricarum officinas typographicas, vias ferreas, telegraphum, texturam et permultas alias, scriptoria ephemeridum, archivos et bibliothecas. Omnia *quibus utimur,* benedicit Ecclesia: semina, uvas, spicas, omnes novos fructus, poma et alimenta hominis: carnes, ova, panes, butyrum et caseum, laridum, oleum, vinum, et cerevisiam. Benedicit *instrumenta generis humani, viventia,* animalia nempe: equos, pecora et armenta, instrumenta minora et maiora *alia*: ignem et rogum, currus et vehicula, fornacem calcariam et fornacem fusoriam (Schmelzofen, fonderie, kohó), naves et machinam aëreo itineri destinatam.

3°. *Ratio theologica* est consideranda, quod Ecclesia accepit a Domino potestatem benedicendi omnia: « Ut quaecunque benedixerit, benedicantur, et quaecunque sanctificaverit, sanctificentur ». Potestatem sanctificandi primario per Sacramenta exequitur Ecclesia, secundario autem per sacramentalia, quae semper existebant, etiam antiquissimo tempore, etsi multo minore numero. Sic valent, quae S. Thomas de Sacramentis dicit etiam aliquo modo de sacramentalibus (III q.60.a.3.). Etiam sacramentalia sunt signa *rememorativa* passionis

Christi; usus e.gr. aquae benedictae in memoriam revocat baptismi gratiam, qua consepulti sumus Christo, ut in novitate vitae ambulemus. Sunt signa *demonstrativa*, Deus nempe audit suam Ecclesiam, et ex opere operantis Ecclesiae producit effectus. Sunt demum signa *prognostica*, nam per multa sacramentalia ostenditur nobis caelestis Jerusalem, cuius etiam post Sacramenta ipsa sacramentalia pignora sunt.

5. Definitio Sacramentorum Christi.

Postquam consideravimus, quae signa sacra *non sint* Sacramenta Christi: nempe legis naturae, Veteris Legis et sacramentalia Novae Legis, definiendum est, *quid sint* Sacramenta Christi. a) S. *Thomas* succincte definiens Sacramentum, dicit: « Proprie dicitur Sacramentum secundum quod nunc de Sacramentis loquimur... *signum rei sacrae in quantum est sanctificans homines* » (III q.60. a.2.). Haec definitio etsi brevis sit, omnia *in nucleo* continet, quae necessaria sunt ad notionem Sacramenti Christi. Est. enim « *signum* », non debet necessario dici: « *sensibile* », nam signum est res sensibus obvia. « *Rei sacrae* » est signum, i.e. ut saepe affirmat idem Doctor Communis, « gratiae communiter dictae », seu habitualis, in quo includitur ordinatio Dei, nam solus Deus potest dare gratiam .Non est opus dicere, quod « *homini viatori* » sit institutum (Scotus), nam hoc pronum est. « *In quantum est sanctificans homines* »: qui subintelligitur, quod significando etiam *efficit* rem sacram, ut Thomas hoc saepenumero dixit, affirmans Sacramenta esse causas (e.gr. III q.62.a.1. ad 1: « Sacramenta Novae Legis simul sunt causae et signa, et inde est, quod sicut communiter dicitur, efficiunt, quod figurant »). Tamen Sacramenti accuratior definitio necessaria evasit, quando Novatores in ea quam maximum impetum fecere.

b) Bona haberi potest definitio *Catechismi Tridentini*: « Sacramentum est res sensibus subiecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et iustitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet » (pars II.1,6.). Haec definitio a S. Bellarmino laudatur, quod « pulcherrima est, cum *et* brevissima sit, *et* tamen comprehendit octo illa capita, quae ad naturam Sacramenti pertinere diximus » (Controversia VIII.gen.I,11.).

Haec *octo capita* sunt sec. S. Bellarminum (ibid.c.9):

1°. Quod signum est. 2°. Quod signum sensibile est. 3°. Quod signum voluntarium, sive datum, non naturale est. 4°. Quod « habent analogiam cum re, sed indeterminatam et confusam, ut magis apta sint ad significandum... nisi determinentur ab aliquo ». 5°. Quod signa sunt rei sacrae. 6°. Quod signum « ita significat, ut quae tunc fiat, dum Sacramentum adhibetur ». 7°. Quod Sacramentum sit causa instrumentalis sanctificationis. 8°. Quod signum sacramentale « sit caeremonia religiosa stata et sollemnis ».

Haec octo capita reduci possunt ad tria. Nam Sacramentum Novae Legis requiritur, ut

1°. *Sit signum*, ergo sensibile (Bellarm.nr.2.) et quidem rei sacrae, i.e. gratiae (Bellarm. nr. 5.), et debet esse signum « voluntarium », seu ut nunc magis dicitur, arbitrarium, nam supernaturalem rem naturaliter nihil potest significare (Bellarm.nr.3.).

2°. Debet esse *institutum a Deo*, a Christo nempe ut Deo, nam gratiam dare solus Deus potest. Huc pertinent ergo nr.4. et 8. Bellarmini: institutor potest tantum determinare magis aptam significationem, (nr.4.) et caeremonia debet esse stata et sollemnis (nr.8.), quia secus non esset signum determinatum.

3°. Sacramentum est tunc tantum, si *signum efficax* est gratiae, non est ergo signum speculativum, sed practicum: sanctificationem significat, dum adhibetur (Bellarmin.nr.6.) et est vera causa instrumentalis gratiae (nr.7.).

c) Ideo pro fidelibus optime congruit definitio *Catechismi Catholici* pro adultis, nam clare comprehendit supra numerata tria capita: « Sacramentum Novae Legis est signum sensibile, a Jesu Christo institutum, ad gratiam significandam, eamque Sacramentum digne suscipientibus conferendam » (quaest. 325.).

SANCTIFICATIO MUNDI PER:

I. SACRAMENTA LEGIS NATURAE

etiam durante Lege et ante legem scriptam	1. Remedium naturae 2. Poenitentia 3. Oblationes 4. Ordo.

II. SACRAMENTA VETERIS LEGIS

Quoad:	*Quantum ad omnes*:	*Quantum ad sacerdotes*:
Statum colendi Deum:	Circumcisio.	Consecratio sacerdotum.
Usum rerum ad cultum Dei:	Agnus paschalis.	Victimae, panes propositionis.
Purificationem ab immunditiis et peccatis:	Ritus legales purificationis. Expiationes et sacrificia. Ablutiones, rasio pilorum.	Eadem pro sacerdotibus.

III. SACRAMENTA « MINORA » NOVAE LEGIS (SACRAMENTALIA)

Quoad:	*Quantum ad homines*:	*Quantum ad creaturas irrationales*:
Repulsionem daemonis:	Exorcismi personales.	Exorcismi reales.
Consecutionem muneris:	Benedictiones invocativae personales.	Benedictiones invocativae reales.
Subtractionem a profano usu:	Benedictiones constitutivae personales. Consecrationes personales.	Benedictiones constitutivae reales. Consecrationes reales.

IV. SACRAMENTA SEPTEM NOVAE LEGIS

Litteratura.

Quoad notionem Sacramenti: *Gröne*, Sacramentum oder Begriff und Bedeutung von Sacramentum bis zur Scholastik, 1853. — *J. de Ghellinck - E. de Backer - J. Poukens - G. Lebracqz*, Pour l'histoire du mot Sacramentum. I. Les anteniceens, Louvain 1924. — *J. Huhn*, Die Bedeutung des Wortes Sacramentum bei dem Kirchenvater Ambrosius, Fulda, 1928. — *O. Casel*, Zum Worte Sacramentum, *in*: JfLw 1928, 225-232. — *J. de Mayol de Lupé*, Sens du mot Sacramentum, *in*: Rev. des Étud. lat. 1940, 29-34. — *A. Kolping*, Sacramentum Tertullianeum, I. Untersuchungen über die Anfänge des christl. Gebrauches des Vokabel Sacramentum, Münster i.W.1948. — *O. Casel*, Zur Kultsprache des hl. Paulus, *in*:

AfLw 1950, 1-64. — *D. van den Eynde,* Les définitions des Sacrements pendant la première période de la théologie scolastique (1050-1240), Rome 1950. — *Chr. Mohrmann,* Sacramentum dans les plus anciens texts chrétiens, *in*: First Internation. Conference of patristic studies, Oxford 1951. — *E. Masure,* Le signe, Paris 1954.

Quoad Sacramenta Legis naturae. *Card. Franzelin,* Tract. de Sacramentis in genere, 5.ed. 1910, 19-32. — *V. Zubizarreta,* Theol. dogm. scholast. ad mentem S. Thomae, IV.3.ed. Bilbao 1939, 35-40. — *H. Weisweiler,* Hugos v. St. Victor « Dialogus de Sacramentis legis naturalis et scriptae » als frühscholastisches Quellenwerk, *in*: Misc. G. Mercati, II. 1946, 179-219. — *E. Doronzo,* De Sacr. in genere, Milwaukee 1946, 233-262, 496-508.

Quoad Sacramenta Veteris Legis. *S. Bellarminus,* Controv. gener. VIII. De Sacramentis in genere l.I,12 et l.II,12-17. — *P. Schmalzl,* Die Sacramente des Alten Testaments im allgemeinen nach der Lehre des hl. Thomas dargestellt, Eichstätt 1883. — *P. Schanz,* Die Lehre von den hl. Sakramenten der kath. Kirche 1893, 55-65. — *L. Billot,* De Ecclesiae Sacramentis, 5.ed. Romae 1914, I,146-158. — *A. Landgraf,* Die Gnadenökonomie des Alten Bundes nach der Lehre der Frühscholastik, *in*: ZfkTh 1933, 215-253. — *J. Daniélou,* Sacramentum Futuri. Études sur les origines de la typologie biblique, Paris 1950.

Quoad Sacramentalia. *G. Catalani,* Rit. Rom. Benedicti XIV. perpetuis commentariis exornatum, I.II. Padova 1760. — *F. Probst,* Die kirchlichen Benediktionen u. ihre Verwaltung, Tübingen 1857. — *F. Schmied,* Die Sakramentalien der kath. Kirche, Brixen 1896. — *V. Arendt,* De Sacramentalibus disquisitio scholastico-dogmatica, 2.ed. Romae 1900. — *A. Franz,* Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter, Freiburg i.Br. I.II. 1909, 1912. — *M. Gatterer,* Praxis celebrandi, Oeniponte 1926. — *A. C. Gasquet,* The Sacramentals, London 1928. — *N. Jansen,* Segnungen d. Kirche, ed.2. Kevelaer 1949. — *M. Righetti,* Storia lit. IV. 1953, 351-420.

B) De existentia Sacramentorum.

Transeuntes ad probationem existentiae Sacramentorum, in memoriam revocandum est, quod Billot dicit: « Nec in Scripturis sacris, nec in scriptis veterum Patrum, Sacramenta omnia in globo, sub uno numero, unoque catalogo comprehensa reperiuntur » (1, 20.). Tamen indubie probari potest ex usu Ecclesiae, septem esse Sacramenta, agendum ergo 1. est de existentia septem Sacramentorum, dein 2. de divisione Sacramentorum respectu pastorali.

1. De existentia septem Sacramentorum.

De hac quaestione statuitur:

THESIS. Sacramenta Novae Legis nec plura, nec pauciora sunt, quam septem. De fide.

a) **Vox Ecclesiae.**

Tridentin. sess. VII. can. 1: « Si q.d., Sacramenta Novae Legis... esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Paenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum: a.s. » (Denz. 844.).

b) **Adversarii.**

huius theseos simul adversantur etiam sequentibus, quae docentur ab Ecclesia quoad essentiam, effectum institutionemque Sacramentorum. — 1°. Primi veri nominis adversarii exsurrexerunt saec. XII-o *Petrobrusiani,* dein *Waldenses* et *Albigenses,* i.e. haeretici dualistici, de quibus uberius cf. inferius (De Eccl. sacrificante B. 2.b). Quod Sacramenta attinet, arbitrario modo ea reiecerunt, quod occasionem dedit hoc saeculo expoliendi doctrinam de Sacramentis (v.

supra A.1.f). Quatuor nova « Sacramenta » condiderunt ad imitationem Sacramentorum christianorum. Loco baptismi habuerunt « consolamentum », quod nihil aliud fuit nisi manuum impositio, per quam putabant omnino purificari; tales qui hoc « Sacramentum » susceperunt, « perfectos », « puros » (katharos) vocabant, fere omnes ad vitae finem dilataverunt huiusmodi susceptionem. Benedictione panis voluerunt substituere Eucharistiam, poenitentiam publica confessione surrogabant, ordinis Sacramentum vero per quadruplicem hierarchiam (diaconus, filius minor, filius maior, episcopus).

2°. Post eos tempore schismatis Occidentalis *Ioannes Wiclefus* doctrinam suam aperte protulit contra Ecclesiam. Iratus, qua magister Oxoniensis, religiosis mendicantibus primas cathedras occupantibus, itidem sacerdotibus et praelatis divitibus, ideas societatem et Ecclesiae ordinem hierarchicum subvertentes praedicavit, etiam per suos sacerdotes pauperes, quos misit « evangelizare ». Principium eius de Ecclesia invisibili et de praedestinatione absoluta, item eius infestus « anticlericalismus » non bene componi potuerunt cum fide Sacramentorum, praeprimis, quia docuit, si episcopus vel sacerdos existat in statu peccati mortalis, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat (cf. damnationem eius 1418., Denz. 584.). Sacramenta ergo nunquam potuissent secure suscipi, si talis doctrina vera esset, non possunt ergo esse vere necessaria. Eti hoc formaliter non dixit, vago tamen modo asseruit etiam laicos posse Sacramenta ministrare: « Concedendum videtur, quod laici conficiunt, imo, quod consecrant, sicut beata Caecilia domum suam ecclesiam consecravit » (Trialogus 4,10, cf. L. Schwane, Dogmengesch. der mittleren Zeit, II,507.). Wiclefi assecla *Jo.Hus,* doctor Pragensis, simili modo sensit de Sacramentis; damnata est in specie eius sententia, quod laicis bonis et devotis christianis confiteri possunt (Denz. 670.).

3°. Sacramentorum veri et infesti adversarii extiterunt *Novatores.* Partim *numerum* eorum sunt aggressi, tantum duo retinuerunt: baptismum et coenam dominicam, Lutherus usque 1523 etiam poenitentiam; partim autem *doctrina* eorum sacramentaria toto coelo *alia erat,* quam Ecclesiae. *Lutherus* hoc aperte enuntiavit iam 1521.: « Sacramenta non sua sed *fidei virtute* faciunt, quod faciunt, sine qua nihil prorsus faciunt» (De captivit. Babylon.) Ibidem: «Omnia Sacramenta *ad fidem alendam* sunt instituta ». Et adhuc acriore modo: « Error enim est Sacramenta novae legis differre a Sacramentis veteris legis penes efficaciam significationis... *Nec verum esse potest* (!) Sacramentis *inesse vim efficacem iustificationis,* seu esse signa efficacia gratiae, haec enim omnia dicuntur *in iacturam fidei.* » — Similiter *Melanchton*: « Apparet, quam nihil Sacramenta sint, nisi fidei exercendae mnémosyna » (memorialia) et alibi: « Fidei excitandae gratia signa sunt proposita » (Loci theologici, cf. J. A. Möhler, Symbolik 11. ed. 1924, p. 259.). — *Carlostadius,* collega Lutheri ab eo Wittenberga expulsus, adeo processit, ut diceret, Sacramenta solum *notas esse professionis* (Berufszeichen), ut christianos a Judaeis et paganis discernerent, sicut e.gr. toga distinguebat ab aliis, religiosos viros habitus etc. Contra hanc sententiam dirigitur *Confessio Augustana,* retinens tamen errorem Lutheri: « Sacramenta instituta sunt, non modo ut sint notae professionis inter homines, sed magis ut sint signa et testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam et confirmandam fidem in his qui eis utuntur » (I, 13.).

4°. *Zwinglius* adhuc minus retinet, nam dixit Sacramenta esse signa non divinae gratiae, nec testimonia Dei, sed testimonia et *signa* solum *erga Ecclesiam*, quae certior fit per susceptionem sacramenti, quod eius fideles credunt. — *Calvinus* autem talem dat definitionem: « Sacramentum externum est symbolum, quo benevolentiae erga nos suae promissionis conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostrae imbecillitatem, et nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo et angelis, quam apud homines testamur » (Institutio relig. christ. IV,14,1.).

5°. Nostris temporibus *Modernistae* falso opinabantur de Sacramentis, praesertim institutionem divinam et numerum constantem negantes, uti cerni potest e Syllabo Sancti Pii X: « Opiniones de *origine Sacramentorum*, quibus Patres Tridentini imbuti erant, quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis, quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent » (Prop. 39. Denz. 2039.).

c) **Probatio theseos,**

ut iam dictum est, synthetice non potest fieri e S. Scriptura et Traditione, quod Patres attinet. *Inductive* vero optime probatur, singillatim quoad septem Sacramenta: haec omnia, nulla autem alia possunt probari e Scriptura et Traditione patristica. Haec probatio fiet in tractatione Sacramentorum in specie.

Interim theologi solent inde a Bellarmino *argumentum praescriptionis* proferre (Controv. VIII.II,25), quod dein uberius expolierunt. — 1°. Ante Novatores Ecclesia *iam per quatuor saltem saecula* distincte *septem* Sacramenta professa est, quod nemo negare potest. *Atqui* si pauciora aut plura essent Sacramenta, Ecclesia perniciosissime errasset. Si etenim *pauciora* essent vera Sacramenta, ut Novatores asserebant, Ecclesia per tantum tempus superstitiose et magna cum deceptione pro Sacramentis habuisset talia, quae non sunt Sacramenta. — Si *plura* essent Sacramenta, quam septem, Ecclesia per tantum tempus impie contempsisset vera Dei Sacramenta. Utrumque impossibile est, non enim esset Ecclesia columna et firmamentum veritatis.

2°. Argumentum *dilatari* potest: Non solum Ecclesia Occidentalis, sed etiam *Orientales* ecclesiae, etsi partim in haeresim, partim autem in schisma lapsae, haec septem eadem Sacramenta habebant et retinent. Etsi non eodem nomine omnes alios ritus excludente comprehenduntur: haec septem censentur propria Sacramenta. — **a.** Quod haereticos attinet, *Monophysitae et Nestoriani* inde ab annis 431. et 451. ab Ecclesia divulsi, eadem habent Sacramenta, ac Ecclesia occidentalis. — **b.** Idem cerni potest penes *Ecclesiam Byzantinam*, quae una cum gentibus sibi subiectis anno 1054. in schismam abiens tamen septem habet Sacramenta. — **c.** Hanc sententiam retinuerunt etiam *adversus tentamina protestantica*, quibus ad negationem septem Sacramentorum seducere conabantur ecclesias orientales. Sic anno 1576. Jeremias patriarcha (schismaticus, ut patet) Constantinopolitanus a *Martino Crusio et Jacobo Andreae* professoribus Tubingensibus interrogatus, candide fassus est: « Ex sanctis septem oecumenicis synodis et ex sententia s. doctorum interpretumque divinitus inspiratae Scripturae, quos Catholica Christi Ecclesia unanimi consensu recipit... dicimus septem esse divina mysteria: baptismum scilicet etc. » — **d.** Successor huius patriarchae, *Cyrillus Lucaris*, qui in Germania et Litvania versatus,

influxum protestanticum passus est, *duo tantum Sacramenta* esse agnovit, anno 1625. e sede depulsus et in synodis (1638. et 1642.) sollemniter anathematizatus est. — e. Ideo fides septem Sacramentorum explicite in librum symbolicum Ecclesiae orientalis suscepta est: anno 1643. nempe edidit *Petrus Mogilas*, metropolita Kioviensis « Orthodoxam confessionem fidei » (Orthodoxa homologia tês pisteôs tês katholikês kai apostolikês ekklêsias tês anatolikês), cui quatuor patriarchae Orientis schismatici subscripserunt. — f. Etiam saeculo elapso sic factum est; Veteres Catholici enim cum Protestantibus *conventum coegerunt Bonnae anno 1874.*, cui etiam Russi aderant. Horum nomine *Janyšek*, rector Academiae Theologicae Petropolitanae proposuit quod omnes acciperent professionem Nicaenam, septem concilia et septem Sacramenta. *Doellinger*, fundator sectae Vetero-Catholicae, obiecit, septem Sacramenta non comprehendi in doctrina septem conciliorum, cui Janišek respondit septem Sacramenta inveniri in usu utriusque Ecclesiae et in scriptis Patrum, qui, etsi ea non numerent, tamen singillatim omnia septem agnoscunt.

3°. *Conclusio est ergo deducenda*: prorsus impossibile est, quod ecclesiae *orientales post discessum* doctrinam et usum septem Sacramentorum a Sede Petri acciperent. Etenim tum haeretici, tum schismatici tam *conservatores* erant paternarum traditionum orientalium, ut ne minimum quidem « Latinum » usum acceptare voluerunt, v.gr. barbae tonsionem, cantici alleluia omissionem in Quadragesima. Ergo usus et doctrina septem Sacramentorum iam ante discessum in possessione eorum fuit. — Recte solet citari Tertulliani celebre effatum: « Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum » (De praescriptione 28. PL 2, 40.).

d) **Rationes theologicae.**

de convenientia necessitatis Sacramentorum afferuntur a S. Thoma (III q.61.a.1.), Sacramenta « sunt necessaria ad humanam salutem » propter quatuor rationes.

1°. « *Ex conditione humanae naturae*, cuius proprium est, ut *per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur.* » — Reapse e.gr. *anima*, aliquid immateriale, potest *cognosci* ex eius operationibus spiritualibus circa sensibilia: ex abstractione, iudicio, libera determinatione. Deus autem voluit, ut *etiam status supernaturalis* animae per sensibilia *cognosci* possit, quae realitatem invisibilem per metaphoram expressam (e.gr. quod anima « munda » est a sordibus peccatorum) *et* symbolice significant *et* etiam efficiunt.

2°. « Ratio sumenda est *ex statu hominis, qui peccando* se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi paritur morbus ». — Revera, primi homines per affectum inordinatum: ut essent sicut dii, corporalibus rebus, esui sc. fructus arboris scientiae boni et mali se subdiderunt, uti in plurimis peccatis fit. Morbus hic, i.e. peccatum, partus est per aliquod corporale, ideo « *ibi ... ubi* » debet *curatio* adhiberi: i.e. *per corporales res*, quae sunt sensibus subiectae. « Nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset, corporalibus deditus » — dicit S. Thomas.

3°. « Ratio sumenda est *ex studio actionis humanae*, quae praecipue circa corporalia versatur ». — Vere *praecipua activitas* hominis *circa corporalia* versatur: cotidiana vita panem producendo, artes exercendo, imo etiam maior pars cultus Dei per corporalia fit: per formulas et actiones sacrales. — « Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis ». Aliis verbis: *si* vita *naturalis* praecipue circa corporalia versatur, *etiam* vita *supernaturalis* convenienter per instrumenta corporalia exercetur, nam gratia non destruit, sed supponit naturam.

4°. Ratio inclusa indicatur a Doctore Communi: « Per exercitia corporalia in Sacramentis (homo) salubriter exercetur *ad evitanda superstitiosa exercitia*, quae consistunt in cultu daemonum ». — Reapse in cultibus paganis — in quibus secundum doctrinam Patrum diabolus operatur — similia exercitia corporalia habentur naturae humanae accomodatae, ut mundationes, lustrationes, sacrificia cruenta animantium et hominum.

Scholion. Convenientia numeri septenarii.

Haec convenientia per duplicem convenientiam illustratur a S. Thoma (III q.65.a.1.).

1°. Comparatio instituitur inter vitam *corporalem et spiritualem*. *Quantum* « *ad personam propriam* » homo debet *nasci*, ut sit, loco huius in spirituali vita est baptismus. Dein in vita corporali recens natus adhuc *crescendo augeri* debet ad perfectam quantitatem et virtutem: loco huius in spirituali vita est confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur. Item in vita corporali opus est *nutritione*, ut conservetur vita et robur: in spirituali vita haec nutritio per Eucharistiam datur. « Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet et corporaliter et spiritualiter impassibilem vitam » — dicit Aquinas. « Sed quia homo incurrit interdum et corporalem *infirmitatem* et spiritualem, sc. peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate », — haec autem fit per « sanationem quae sanitatem restituit et loco huius in spirituali vita est poenitentia. » — Tum contra *peccati reliquias*, tum contra infirmitatem habetur extrema unctio. — Deinde homo respici potest quantum « ad totam *communitatem societatis* in qua vivit », ordo sic habetur « contra *dissolutionem multitudinis* », sc. credentium in Deum; matrimonium autem « contra *defectum* multitudinis qui per mortem accidit. » Et sic patet Sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur *contra defectum peccati*:

1. Baptismus	contra	carentiam vitae spiritualis.
2. Confirmatio	»	infirmitatem in nuper natis.
3. Eucharistia	»	labilitatem ad peccandum.
4. Poenitentia	»	peccatum actuale.
5. Extrema unctio	»	reliquias peccatorum.
6. Ordo	»	dissolutionem multitudinis (quae est sequela peccati).
7. Matrimonium	»	defectum multitudinis per mortem (quae est sequela peccati originalis).

2°. Comparatio instituitur « per quamdam *adaptationem ad virtutes* », theologicas nempe et morales, et sic habetur septenarius:

1.	Virtuti theologicae	fidei	respondet	baptismus
2.	» »	spei	»	extrema unctio
3.	» »	caritatis	»	Eucharistia
4.	Virtuti morali	prudentiae	»	ordo
5.	» »	iustitiae	»	poenitentia
6.	» »	temperantiae	»	matrimonium
7.	» »	fortitudini	»	confirmatio

2. Sacramentorum divisio respectu pastorali.

a) Dividi possunt Sacramenta inquantum primario *in bonum commune* sunt ordinata: Ordo et matrimonium, dein inquantum in *bonum singulorum* sunt primario ordinata: reliqua Sacramenta. — *Secundario,* ut patet, etiam Sacramenta in bonum commune ordinata singulis prosunt, et in bonum singulorum utiles sunt communitati.

b) *Initerabilia* Sacramenta, quae sc. statum constantem conferunt subiecto, imprimendo characterem indelebilem: baptismus, confirmatio, ordo. Dein sunt Sacramenta *iterabilia,* quae sc. statum non conferunt, sed processum transeuntem efficiunt: reliqua Sacramenta characterem non dantes. Iure possumus dicere esse Sacramenta *relative initerabilia,* sc. ad tempus: Extrema unctio non potest iterari manente eadem infirmitate, matrimonium durante vita conpartis. Tria Sacramenta characterem imprimentia tunc vocari debent Sacramenta *absolute initerabilia* (Doronzo p. 329.). Ratio initerabilitatis invenitur in charactere sacramentali, quod primus iuxta A. Landgraf Petrus Cantor Magister Parisiensis clare docuit (Div. Thom. 1951., 274.).

c) Sacramenta *mortuorum* (non moribundorum) ea vocantur quae *per se ad primam* gratiam conferendam instituta sunt. Haec divisio fit secundum statum supernaturalem suscipientium: in quantum subiectum spiritualiter «mortuum» sit, sc. in peccato mortali existens, vel « vivens », i.e. in statu gratiae habitualis. — Dein habentur Sacramenta *vivorum,* quae *per se ad secundam gratiam,* i.e. gratiae habitualis incrementum conferendum instituta sunt. Sacramenta mortuorum sunt: Baptismus et poenitentia, Sacramenta vivorum reliqua. — *Per se* conferunt vel primam vel secundam gratiam, *per accidens* enim Sacramenta mortuorum possunt secundam gratiam conferre, si quis iam ante susceptionem horum iustificatus sit. *Simili modo* Sacramenta vivorum *per accidens* possunt primam gratiam conferre si suscipiens bona fide ea suscipit, putans nempe se esse in statu gratiae, vel nesciens talem statum requiri ad susceptionem Sacramenti, modo habeat attritionem.

d) Sacramenta *necessaria,* quae sc. vel necessitate *medii* requiruntur: Baptismus nempe, ordo et poenitentia, primum omnibus hominibus, secundum Ecclesiae, tertium autem iis, qui post baptismum in mortale lapsi sunt, — vel necessitate *praecepti*: quae est Eucharistia. -- Dein habentur Sacramenta per se *non necessaria*: reliqua quatuor Sacramenta. Per accidens extrema unctio necessaria potest esse, si aliquis sensibus destitutus et tantum attritus esset.

e) Sacramenta *in re* et *in voto,* si nempe Sacramentum revera suscipitur, vel si eius tantum desiderium (votum) habetur, explicitum vel implicitum, sic potest aliquis salvari per votum baptismi.

f) Divisio potest fieri secundum id, quod non totus cumulus Sacramentorum dividitur respectu aliquo, sed singula Sacramenta. Sic possunt Sacramenta esse *invalida,* ubi tantum signum sacramentale ponitur, sine « re » Sacramenti, i.e. eius effectu. — Possunt esse singula Sacramenta *valida,* quod bifario modo fieri potest. Sacramentum enim potest esse validum, sed *informe,* seu infructuosum, quando nempe aliquis valide suscepit Sacramentum, sed propter obicem, i.e. defectum dispositionis, gratiam nondum consecutus est. Sacramentum informe potest esse *culpabiliter* informe, vel *inculpabiliter,* secundum quod sc. defectus dispositionis culpabilis est vel non. — Sacramentum dein potest esse validum et *formatum,* si nempe statim effectum suum producit. — Omnia Sacramenta possunt esse invalida, et omnia valida; informia probabiliter omnia excepto Sacramento Eucharistiae et Poenitentiae. Informe enim, i.e. validum, tunc potest esse Sacramentum, si reviviscere potest (de quo inferius C.2. Scholion),, Eucharistia autem non dicitur revivisci, si durante praesentia sacramentali aliquis dolendo de peccatis, gratiam consequeretur, tunc enim adhuc adest Sacramentum. Ex alio respectu tamen posset dici, hoc casu esse Sacramentum informe et formatum evasisse; lis est tantum de verbo.

Litteratura.

Hoc loco recensemus opera utiliora, quae de Sacramentis agunt collective sumpta et ad sequentes quaestiones quoque semper consuli possunt.

De Sacramentis in genere. *J. B. Card. Franzelin,* Tract. de Sacramentis in genere, 5.ed. Romae 1910. — *J. Müller,* De Sacramentis in genere, Oeniponte 1915. — *B. Geyer,* Die Siebenzahl der Sakr. in ihrer histor. Entwicklung, *in*: Theol. u. Glaube 1918, 325-348. — *E. Dhanis,* Quelques anciennes formules septenaires des sacrements, *in*: Rev. d'hist. ecclés. 1930, 574-608, 916-950 et 1931, 5-26. — *E. Doronzo,* Tract. dogmaticus de Sacramentis in genere, Milwauke 1946. — *H. Lennerz,* De Sacramentis Novae Legis in genere, 3.ed. Romae 1950. — *D. van den Eynde,* Les définitions des Sacrements pendant la première période de la théologie scolastique, Rome 1950. — *A. Landgraf,* Beiträge der Frühscholastik zur Terminologie der allgemeinen Sakramentenlehre, *in*: Div. Thomas 1951, 3-34. — *Idem*: Zur Frage von der Wiederholbarkeit der Sakramente, *ibid.* 1951, 257-283. — *H. Weisweiler,* Sakrament als Symbol und Teilhabe. Der Einfluss des Ps. - Dionysios auf die allgemeine Sakramentenlehre Hugos von St. Viktor, *in*: Scholastik 1952, 321-343.

De Sacramentis in genere et specie. *S. Robertus Bellarminus,* Controversiarum libri, VIII. De Sacramentis in genere, ed. J. Fèvre, Paris 1870, Tom. III,323-509. In specie: Controv. IX. - ibid. III, 511-618 et Tom. IV-V. — *C. R. Billuart,* Summa S. Thomae hodiernis academiarum moribus accomodata, Leodii 1746-1751, nova ed. Parisiis 1904, Tom. VIII-X. — *H. Scheeben,* Die Mysterien des Christentums, Freiburg i. Br. 1865, nova ed. 1925, p. 443-576. — *F. Probst,* Sakramente und Sakramentalien in den ersten drei christlichen Jahrhunderten, Tübingen 1872. — *P. Schanz,* Die Lehre von den hl. Sakramenten der kath. Kirche, Freiburg i.B.1893. — *G. B. Tepe,* De Sacramentis in genere et specie (Institutiones Theolog. IV.), Paris 1896. — *Ch. Pesch,* De Sacramentis (Praelectiones dogmat. VI.VII.), Friburgi Br. 1909. — *H. Mazzella,* Tract. de Sacramentis (Praelectiones scholastico-dogmat. IV.), Romae 1910. — *L. Billot,* De Ecclesiae Sacramentis, Romae I.5.ed. 1914, II.4.ed. 1908. — *N. Gihr,* Die hl. Sakramente der kath. Kirche, I-II. 3.ed. Freiburg i.B.1918.1921. — *E. Hugon,* De Sacramentis in communi et speciali (Tract. dogmatici III.), Paris 1927. — *Van Noort,* Tractatus de Sacramentis, Hilversum I.1927, II.1930. — *A. M. Schembri,* De Sacramentis, Taurini-Romae I.1929, II.1931. — *A. Villien,* Les sacrements, histoire et liturgie, Paris 1931. — *A. H. Card. Lépicier,* De Sacramentis (Institut. Theologiae speculativae III.), Taurini-Romae 1932. — *Fr. Diekamp - A. M. Hoffmann* (traductor) De Sacramentis (Theol. Dogmaticae Manuale IV.), Paris 1934. — *A. Schütz,* Summarium Theol. Dogmat. Budapest 1935, 2.ed. tract. VII. p.393-494), op.hung.2.ed.II, 363-639. — *Joh. Pinsk,* Die sakramentale Welt, Freiburg i.B.1938. — *Ad. Tanquerey,* De Sacramentis (Synopsis Theol. Dogm. III.), ed.24. Paris 1938, p.206-750. — *V. Zubizarreta,* De Sacramentis (Theol. dogmatico-scholastica ad mentem S. Thomae IV.), ed.3. Bilbao 1939. — *M. Schmaus,* Die Lehre von den Sakramenten (Kath. Dogmatik III, 2.), München 1941; edit. 5.B. IV,1, 1957. —

Ans. Stolz, De Sacramentis (Manuale Theol. Dogmaticae VI.) Friburgi Brisg. 1943 (Cf. Arch. f. Lit. wiss. 1950, 146-154.). — *H. de Lubac*, Katholizismus als Gemeinschaft, (versio e lingua Gallica), Einsiedeln 1943, p. 74-99. — *M. Daffara*, De Sacramentis et Novissimis, Torino (Marietti) 1944. — *A. Piolanti*, Coll. Theologica Romana, De Sacramentis Torino (Marietti) 1946. — *L. Molien*, Liturgie des Sacrements, Paris 1947. — *L. Lercher*, De Sacramentis in genere, De baptismo et confirmatione. De Eucharistia (Institut. Theol. Dogm. IV,2, Pars prior) ed.3. Oeniponte 1948. — De paenitentia et Unctione infirmorum. De Ordine et Matrimonio. De Sacramentalibus (IV,2. Pars altera) 1950. — *E. Biser*, D. Christusgeheimnis d. Sakramente, Heidelberg 1950. — *O. Cullmann*, Les Sacrements dans l'évangile johannique, la vie de Jésus et le culte de l'Église primitive, Paris 1951. — *E. Walter*, Sakrament und christliches Leben, 3.ed. Fr.i.Br. 1951. — *A. M. Landgraf*, Beiträge der Frühscholastik zur Terminologie der allgemeine Sakramentenlehre, Regensburg 1954. — Initiation théologique, t. IV. Les Sacrements, Paris 1954. — *M. Premm*, Allgemeine Sakramentenlehre, Taufe, Firmung, Eucharistie, (Kath. Glaubenskunde III,1.), Wien 1954. — *E. Walter*, Sources d'eau vive. Les richesses du septenaire des sacrements, Mulhouse 1955. — *B. Leeming*, Principles of sacramental theology, London 1956. — *G. Van Roo*, De Sacramentis in genere, Romae 1957. — *M. M. Philipon*, Die Sakramente im Leben des Christen, Freiburg i.Br. 1958. — *F. Ceuppens*, De Sacramentis (Theol. bibl. V.), Torino 1959.

Quoad adversariorum doctrinam. In genere: *Joh. Kunze*, Symbolik. Konfessions - und Sektenkunde, Leipzig 1922. — *J. A. Möhler*, Symbolik, od. Darstellung der dogm. Gegensätze der Katholiken u. Protestanten. ed.11-12, Regensburg 1924. — **Quoad mediaevales:** *J. Schwane*, Dogmengeschichte der mittleren Zeit (Dogmengesch. II.), Freiburg i.B. 1882. — *J. Döllinger*, Beiträge zur Sektengeschichte des Mittelalters 1890, II., 197-198, 280,370-373.— *R. Seeberg*, Dogmengesch. des Mittelalters (Lehrb. d. Dogmengesch. III.), Leipzig 1913, 304-309. — *P. Belperron*, La croisade contre les albigeois et l'union du Languedoc à la France, Paris 1948. — *D. Roché*, Études manichéennes et l'amour spirituel, Argues (Aude) 1952. — *K. B. Mc Farlane*, John Wycliffe and the Beginnings of English Nonconformity, London 1952. — *Arno Borst*, Die Katharer (Schrifttum der Mon-Germ. Hist. 12.), Stuttgart 1953. — *E. W. Mac Donald*, The Beguines and Beguards in Medieval Culture, New Brunswick (New Jersey) 1954. — **Quoad Protestantes:** *H. A. Daniel*, Codex liturgicus ecclesiae Lutheranae, Lipsiae 1848. — *Idem*: Codex liturgicus ecclesiae Reformatae atque Anglicanae, Lipsiae 1851. — *J. T. Müller*, Die Symbolischen Bücher der evangelisch-lutheranischen Kirche, Gütersloh 1912. — *E. F. Karl Müller*, Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche, Leipzig 1903. — **Quoad Orientales:** *E. Maltzew*, Die Sakramente der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes, Berlin 1898. — *M. Jugie*, Theol. dogmatica christianorum orientalium ab Ecclesia dissidentium, I-V. Paris 1926-1935. — *Th. Spacil*, Doctrina theologiae Orientis separati de Sacramentis in genere, Romae 1932. — *Cl. Kopp*, Glaube u. Sakramente der koptischen Kirche, Rom 1932. — *W. de Vries*, Sakramententheologie bei den syrischen Monophysiten, Rom 1940. — *Idem*, Sakramententheologie bei den Nestorianern, Rom 1947. — *N. Ladomérszky*, Theol. Orient. Roma 1953, 181-289.

Quoad doctrinam Ecclesiae: *J. Pelella*, Canones et decreta Conc. Tridentini, Neapoli 1859. — *S. Merkle*, *Concilium Tridentinum*. Diariorum, actorum, epistularum, tractatuum nova collectio. Tom. III. et VIII. Friburg. Br. 1931. — Enc. Mediator Dei, *in*: AAS 1947, 521-600. — *Denzinger-BannwartUmberg-C. Rahner*, Enchiridium Symbolorum, ed.28. augmentata, Barcelona 1952. — *Catechismi*: Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos, Tornaci 1890. — Idem textus cum alia divisione et nomine: Catechismus Romanus, 4.ed. Ratisbonae 1907. — Catechismus Catholicus, cura et studio P. Cardin. Gasparri concinnatus, ed.5. Romae 1931. — *L. Kruse*, Der Sakr. begriff d. Konz. v. Trient u. d. heutige Sakr. theol., *in*: Theol. Glaube 1955, 401-412.

Respectu pastorali: *A. de Smed*, Tractatus dogmatico-moralis de Sacramentis, ed.2. Brugis 1925. — *Mihályfi Ákos*, Az emberek megszentelése (Sanctificatio hominum), Budapest 1926. — *D. Prümmer*, Manuale Theol. Moralis, vol. III. 4.ed. Frib. Brisg. 1929. — *Kühár Flóris*, Az örök élet forrása a hét szentségben (Fons vitae aeternae in septem Sacramentis), Budapest 1931. — *A. Vermeersch - J. Creusen*, Theol. Moralis, vol. III. 4.ed. Romae 1948. — *B. Merkelbach*, Summa Theol. Moralis, vol. III. 8.ed. Desclée de Brouwer 1949. — *J. Aertnys-C. A. Damen*, Theol. Moralis sec. doctrinam S. Alfonsi de Ligorio, vol. II. ed.16. Marietti 1950. — *M. Conte a Coronata*, De Sacramentis tractatus canonicus, vol. I. 2.ed. Romae 1951. — *J. Fanfani*, Manuale theor.-practicum Theol. Moralis, vol. IV. Romae 1951. — *O. Schöllig*, Verwaltung der hl. Sakramente unter pastoralen Gesichtspunkten, 4.ed. Herder 1952. — *H. Noldin - A. Schmitt - G. Heinzel*, Summa Theol. Moralis, vol. III. 30.ed. Barcelona 1954. — *St. Sipos - L. Gálos*, Enchiridion iuris canonici, 7.ed. Romae 1960, p. 365-547.

C) De essentia sacramentorum.

Status quaestionis.

Inquirendum nunc est in essentiam Sacramentorum. Primo quidem videndum est, ad qualem speciem signorum Sacramenta pertineant, deinde consideranda est eorum compositio. Totum signum sacramentale in se spectatum adhuc aliquid determinabile est: requiritur enim *significatio a Deo* ordinata et *ad effectum perducta*, i.e. relatio signi sacramentalis et rei signatae. Haec compositio a quibusdam theologis vocatur *compositio metaphysica*, i.e. e partibus metaphysicis, non realiter, sed ratione distinctis constans. In hac indagatione consideratur signum sacramentale seorsim sumptum ut adhuc determinandum per ordinationem Dei, qui ordinat hoc signum, ut effectum consequatur. Sic v.gr. Esseni, sectarii incolentes Chirbet Qumran, imo ipse Joannes Baptista baptismatibus suis significabant (ablutione et verbis) purificationem, quin eam revera per signum hoc consequerentur. — Dein tertio consideranda est *compositio physica* Sacramentorum, i.e. compositio eorum e partibus physicis realiter distinctis, et quia de essentia agitur: e materia et forma. Agendum ergo est: 1. De natura signi sacramentalis. — 2. De compositione metaphysica Sacramentorum. — 3. De compositione physica Sacramentorum.

1. De natura signi sacramentalis.

a) **Signum ut conceptus genericus** definitur: « res vel repraesentatio, ex cuius notitia devenitur in cognitionem alterius, quasi discurrendo» (A. Horváth).

1°. *Res* aliqua potest esse signum, sicut vexillum, vestigia animalis, lavatio e.gr. Pilati etc.

2°. *Repraesentatio* (Darstellung, ábrázolás) quoque potest esse signum, i.e. « manifestatio ratione similitudinis ». Signum est repraesentatio *indirecta*, i.e. instrumentum alicuius principalis agentis, quo intentionem suam manifestare vult. Sic principalis agens sono tintinnabuli intentionem suam manifestat, quae varia potest esse.

3°. *Notitia* huius signi necessaria est, secus non intelligitur. Sic vocabula soni materiales intelligibiles, si non cognoscatur quid sit eorum ratio formalis, i.e. significatio, quae varia esse potest secundum variam intentionem loquentium. Sic e.gr. sonus eiusdem vocabuli « alma » Hebraice « virginem », Latine « piam » (matrem etc.), Hungarice « pomum » significat.

4°. Per signum devenitur in cognitionem alterius *discurrendo*, i.e. eundo per cogitationem, quid vult repraesentare signum. *Quasi* discurrendo, i.e. non cogitatione stricte discursiva.

b) Signa autem sec. eundem auctorem sic *dividuntur*.

1°. *Quoad agentem principalem*:

signum { naturale (cuius auctor est natura), seu manifestativum
arbitrarium (cuius auctor est agens intelligens) seu conventionale

Signum vero arbitrarium ulterius potest esse:
pure conventionale, si sola voluntate pendet, ex beneplacito, si directe a voluntate pendet, ex consuetudine
mixtum seu symbolicum, si nexus habetur inter signum et signatum a voluntate, sed cum fundamento in re.

2°. *Quoad intentionem agentis*:

signum { speculativum (quo solum intentio manifestatur) seu theoreticum
practicum (quo intentionem etiam exequitur).

3°. *Quoad relationem signi ad tempus*:

signum { demonstrativum (significans rem praesentem)
prognosticum (significans rem futuram)
rememorativum (significans rem praeteritam).

c) Applicando has species signorum, Sacramentis haec conveniunt:

1°. Sunt *signa arbitraria divina mixta,* i.e. signa cuius auctor agens intelligens ipse Deus debet esse. Ut S. Thomas dicit, determinare, quo signo sit utendum, pertinet ad significantem. Quia autem Deus per res sensibiles spiritualia dona significat, debet esse divina determinatione institutum, quae res assumantur ad significationem in aliquo Sacramento (III q.60.a.5.).

2°. Sunt *signa practica,* i.e. intentionem agentis etiam executioni dant. « Duplici modo gratia est in Sacramentis, uno modo sicut in signis, nam... Sacramentum est signum gratiae, alio modo, sicut in causa, nam... Sacramentum est instrumentalis gratiae causa » (III.q.62.a.3.).

3°. Sunt quoad relationem signi ad tempus, simul *signa triplicia,* ut S. Thomas pulchre demonstrat: « Sacramentum proprie dicitur, quod ordinatur ad nostram sanctificationem. In qua (sc. sanctificatione) tria possunt considerari: videlicet (1) *causa* sanctificationis nostrae, quae est passio Christi, et (2) *forma* nostrae sanctificationis, quae consistit in gratia et virtutibus, et (3) ultimus *finis* sanctificationis nostrae, qui est vita aeterna. Et haec omnia per Sacramenta significantur. Unde Sacramentum est (1) *et* signum *rememorativum* eius quod praecessit, sc. passionis Christi, (2) *et demonstrativum* eius, quod in nobis efficitur per Christi passionem, sc. gratiae, (3) *et prognosticum,* i.e. praenuntiativum futurae gloriae ». Doctor Angelicus adiicit, quod propter hanc triplicem significationem Sacramentum non est signum ambiguum, nam « quando significat multa secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum, sed certum » (III. q.60. a.3. ad 1.).

2. **De compositione seu structura quasi-metaphysica Sacramentorum.**

N. B. - Articulus hic plenius intelligitur, si confertur cum iis, quae inferius qu. D), art. 2) de modo efficientiae Sacramentorum et art. 3) de effectibus Sacramentorum dicuntur.

a) In constitutionem Sacramentorum metaphysicam inquirentes, relationem signi et significati, i.e. effectus, quae est gratia consideramus. Veteres theologi, nempe scholastici inde a saec. XII. inter Sacramentum, i.e. « signum tantum » et inter significatum, i.e. « rem tantum » assumebant etiam aliquod intermedium, i.e. « rem et sacramentum ». Primus videtur *Hugo a S. Victore* fuisse († 1141.) qui hoc termino usus est (De Sacramentis 1.II.8,7 PL 176,466-7.), dein etiam *Stephanus de Belgiaco,* episcopus Augustodunensis († 1140.) in libro De sacramento altaris (PL 172,1295.), quam terminologiam etiam Magister Petrus Lombardus assumpsit, sicque communis evasit. *L. Billot* iure dicit, quod « de re et sacramento admodum pauca habent moderni, *vix* tamen in praesenti materia *aliquid* reperies, quod *maius momentum* habet, et magis necessariam lucem afferat plerisque obscuritatibus passim inibi occurrentibus » (I, 113.).

b) *Qui ergo hoc sit,* videndum est. Sacramenta componuntur: 1°. illo elemento quod est « *Sacramentum tantum* », i.e. significans et non significatum,

aliis verbis: *Sacramentum physice compositum,* constans e materia et forma, seu signum sacramentale, quod hoc respectu vocatur etiam « *ritus exterior* », utique intellecta etiam ministri intentione « faciendi quod facit Ecclesia ». « Sacramentum tantum » nullo modo est « res » sacra, i.e. effectus, signum est, quod demonstrat hanc rem, ideoque ab ea distinguitur, ergo signum est, non autem gratia. Bene notandum tamen est, quod iuxta dogma Ecclesiae in hoc « Sacramento tantum » iam « continetur » gratia; habetur ergo illa distinctio *rationis,* quae ad compositionem metaphysicam requiritur. Omnia uno eodemque fiunt: quando plene positum est signum sacramentale (respective eius essentia plene posita est), statim consequitur subiectum Sacramenti effectum. Momenta singula subsequentia ratione distinguuntur, etsi character et gratia realiter in *essendo* distinguantur, eodem momento *quoad consecutionem* impertiuntur. *Exceptio* adest, si « fictio » seu obex habetur: gratiam tunc tantum consequitur, si obex recedat. Ideo dicimus hanc compositionem non esse simpliciter seu stricte, sed « *quasi* » metaphysicam.

2°. In Sacramentis invenitur etiam « *res tantum* », i.e. significatum et non significans (cf. III.q.66.a.1.), quae est effectus Sacramenti, i.e. gratia. « Res tantum » non est sacramentum, seu *signum,* quia signum *natura* sua aliquid sensibile est, gratia autem natura sua *non potest subiici sensibus, nec sensibilis evadit* per signum sacramentale, quod signum peragi potest etiam sine quovis effectu, si nempe Sacramentum propter obicem invalidum esset.

3°. In Sacramentis habetur adhuc « *res et sacramentum* », i.e. aliquid intermedium, quod simul significatur *et* significat, ergo est simul *res* significata *et signum* rei ulterioris. « Res et sacramentum » est ergo « *res* », i.e. effectus « sacramenti tantum », quia significatur et efficitur per hoc Sacramentum exterius, dein e sua parte vicissim est etiam *sacramentum,* i.e. signum, nam significat et efficit ulteriorem rem, i. e. gratiam. « Res et sacramentum » apprehenditur *per distinctionem* non realem, sed *rationis ratiocinatae cum fundamento in re;* hac distinctione etenim distinguuntur momenta seu instantia, quae cum invicem se habent in ratione prius et posterius.

4°. *Quid sit* haec distinctio « res et sacramentum », respondendum est, quod secundum propugnantes causalitatem moralem vel intentionalem Sacramentorum est solus titulus iuris gratiam exigens. Ut *Hugon,* hanc quaestionem dilucide explanans, declarat, est utique *etiam* talis titulus, sed tamen non est ens mere morale, « sed est *in ipso aliquid physicum,* nempe res, quae ritu externo *significatur et aliquatenus producitur* ». In Sacramentis *initerabilibus* « res et sacramentum » est ipse character, qui est « *res,* nempe significatum, quod a ritu sensibili efficitur, est *sacramentum,* nempe signum ulterioris gratiae, quia characteri adnecti debet gratia, ad pium et sanctum characteris exercitium » (Hugon III,90-91.).

5°. Sed etiam in *Sacramentis iterabilibus* est aliquid physicum, quod omnino evidens est in *Eucharistia,* de qua primi scholastici, Hugo nempe a S. Victore et Stephanus de Belgiaco solum locuti sunt, nam in hoc Sacramento augustissimo « res et sacramentum » est corpus et sanguis Domini: *res* signi sacramentalis per id producta et ulterius « *Sacramentum* » est, ut cibus significans gratiam qua nutrimur. In *Poenitentia* est « res et sacramentum » poenitentia interior, in *Extrema Unctione* sanatio mentis et corporis, in *Matrimonio* vinculum coniugale, nam facit copulatum esse, sicut Christus cum Ecclesia.

6°. *Quomodo* « res et sacramentum » sit quaedam res physica varie explicatur. Iuxta *Gonetum* Sacramenta non imprimentia characterem possunt tamen physice causare gratiam, quia instrumenta sunt *Dei*, qui ubique praesens supplet sive simultatem loci sive temporis. Iuxta *Joannem a S. Thoma* impressio relinquitur a Sacramentis non imprimentibus characterem in voluntate suscipientis; iuxta *Marin-Sola* « res et sacramentum » est quaedam modificatio characteris baptismalis. « Quae omnia magis ingeniositatis quam veritatis speciem prae se ferre videntur », dicit Doronzo (p. 331. et 210-211.).

In concreto habitudo horum trium momentorum illustratur Tabella sequenti, qua intelligi potest compositio metaphysica singulorum Sacramentorum.

TABELLA
de structura Sacramentorum.

SACRAMENTUM sec. physicam compositionem	SACRAMENTUM secundum metaphysicam compositionem		
Nomen:	Sacramentum tantum:	Res et sacramentum:	Res tantum:
BAPTISMUS	Ablutio verbis determinata	Character, i.e. incorporatum seu renatum esse in Christo	Iustificatio
CONFIRMATIO	Chrismatio verbis informata	Character, i.e. militem seu adultum esse Christi	Perfectio gratiae confortantis
EUCHARISTIA	Consecratio materiae verbis Christi + Ordinatio ad sumptionem	Corpus et sanguis Domini, i.e. refectum esse	Augmentum gratiae, pignus vitae aeternae
POENITENTIA	Actus poenitentis cum absolutione	Poenitentia interior, i.e. solutum esse a peccatis	Actuatio gratiae sanctificantis
EXTREMA UNCTIO	Unctio sensuum cum oratione fidei	Sanatio mentis et corporis, i.e. unctum esse medicinali unctione	Deletio reliquiarum peccati, confortatio
ORDO	Impositio manuum verbis informata	Character, i.e. ordinatum esse, participem fieri potestatis sacerdotalis Christi	Gratia ad digne ministranda mysteria Christi
MATRIMONIUM	Consensus verbis prolatus	Vinculum coniugale, i.e. copulatum esse, sicut Christus et Ecclesia	Unio copulatorum sanctificata per gratiam

Scholion. De reviviscentia Sacramentorum.

1°. Sacramentorum reviviscentia, quando valida, sed informia sunt, praecise hac doctrina, quam tradidimus, illuminatur. Sacramenta reviviscere, quae *characterem imprimunt, ultro omnes concedunt.* In theoria causalitatis physicae Sacramentorum dicitur non intelligi quomodo reviviscant cetera Sacramenta. Sacramentum enim iam non existit quando reviviscit, ergo si tamen reviviscit, hoc ideo fit, quia Sacramenta tantum moralem vel intentionalem causalitatem exercent, ius vel intentio autem permanet, — opinantur harum theoriarum fautores. At revera non est difficultas, cur etiam causalitate physica supposita, Sacramenta non reviviscerent. « *Res et sacramentum* » est enim aliquid *physicum*: *res, quae physice effecta est.* Sic in *Extrema Unctione* est sanatio mentis et corporis, seu unctum esse medicinaliter, in *Matrimonio* est vinculum coniugale seu copulatum esse, sicut Christus cum Ecclesia. Simulac obex removeatur, haec *res* (sanatio, vinculum coniugale) ulteriorem significationem exserit et suscipiens particeps fit « rei tantum », i.e. gratiae. Extrema Unctio et Matrimonium ergo reviviscunt, obice sublato. *Quid de reliquis duobus* Sacramentis?

2°. *Eucharistia* tunc tantum reviviscit, si corpus et sanguis Domini ut sumpta a communicante permanent, haec enim *praesentia requiritur*, ut aliquis legitime « refectus esse » dici possit, secus enim, si indispositus sit, « iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini ». Unde etiam sequitur, si obex inculpabilis est, e.gr. non recordatur peccati mortalis, attritus tamen accedit, tunc particeps fit gratiae, sed tunc non agitur de reviviscentia. Si autem *adhuc durante praesentia, contritionem eliciat,* qui culpabiliter cum obice suscepit Sacramentum, consequeretur gratiam. Recte Billuart afferens aliam rationem: « Alias sequeretur, quod qui toto vitae tempore innumeras communiones indignas fecisset, fieret in fine vitae sanctissimus, si vere poeniteret, quod est absurdum » (De baptismo diss.4.art.2.).

3°. Quod *Poenitentiam* attinet, clarum videtur cur non possit reviviscere, si quis cum obice accedat. *Obex* enim est *defectus dispositionis* vel physicae vel moralis, *in hoc casu* autem *dispositio*, nempe actus poenitentis *constituunt materiam Poenitentiae proximam* (contritio, confessio, satisfactio), si ergo non est dispositus, non habet contritionem, et ideo in hoc casu nullum Sacramentum fit, quia deest materia requisita, tantum *pars* materiae, confessio et satisfactio praestita est. — Casus, quem Card. Lépicier affert, quod aliquis cum « fictione materiali », sed tamen « ob defectum sufficientis contritionis ficte » accedens, « recedente fictione iustificabitur, cum se clavibus Ecclesiae sufficienter subiiceret », non valet de *vera* « fictione », seu obice; dein probari deberet, sufficere, si quis clavibus subiicit Ecclesiae peccata.

4°. Optimi antesignani theologiae moralis hodierni docent, Eucharistiam et poenitentiam non reviviscere. Alii quaestionem apertam relinquunt, sed omnes consentiunt in eo, quod cetera quinque Sacramenta reviviscunt.

3. De compositione seu structura quasi-physica Sacramentorum.

Hucusque de constitutione quasi-metaphysica agebatur Sacramentorum, nunc autem consideranda venit quaestio de *compositione physica* Sacramentorum, i.e. quod Sacramenta componuntur e signis determinandis (« rebus ») per signa determinantia (« verba »). Est tantum lis de verbo, num haec constitutio

signi sacramentalis vera et realis sit (quod negabant Bellarminus, Lugo), vel si realis sit, num sit physica vel moralis, et ideo optime vocari potest quasi-physica.

« *Res* » nunc latius sumitur: potest enim esse sonus articulatus, qui mentis conceptum significat, hoc est « *verbum* », (ut confessio in Poenitentia, verba consensus in Matrimonio), potest esse *elementum naturale*, ut aqua, oleum vel etiam *actio* aliqua sensibilis facta *circa haec* elementa naturalia, ut ablutio, unctio, *vel* etiam actio sensibilis *sine* elementis naturalibus, ut manuum impositio; haec omnia vocantur « res ». — *Hae res in ratione significandi*, intellectae sive ut elementa naturalia, sive ut actiones sensibiles circa, vel sine illis: sunt adhuc *proxime determinandae*, nam per se *varia possent significare*, aqua e.gr. ablutionem propter suam humiditatem, vel refrigerium propter suam frigiditatem. In ratione significandi « *verba* » *sunt determinantia*, i.e. iis edicitur, quid proxime, hic et nunc, « res » significent.

Sensu philosophiae Aristotelico-Thomisticae ergo « res » possunt considerari materia signi sacramentalis, « verba » autem forma huius signi. Statuenda ergo est:

THESIS. Signum sacramentale quasi-physice componitur (1) rebus et verbis, (2) quae analogice relationem habent materiae et formae.

Thesis est theologice certa, quia ab Ecclesia non directe definita.

I. pars: Signum sacramentale componitur rebus et verbis.

a) **Vox Ecclesiae.**

Decr. pro Armenis Conc. Florentini (1439.22.nov). « Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet *rebus* tamquam materia, *verbis* tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum » (Denz. 695.).

b) **Scriptura Sacra**

probatur thesis, nam Christus ecclesiam « sanctificat mundans lavacro aquae *in verbo vitae* » (Eph. 5,26.). Quoad *confirmationem* Petrus et Joannes in Samaria « oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum... tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum » (Act 8,15.). Quoad *Eucharistiam*: « Et accepto pane... dedit eis dicens: Hoc est corpus meum » (Lc 22.19.). *Extremam Unctionem* ministrant presbyteri: « Et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini » (Jac 5,14.).

c) **Traditione**

luculenter demonstratur Sacramenta e rebus et verbis constare. Sic *Tertullianus* loquens de Confirmatione, dicit: « Dehic manus imponitur per benedictionem, advocans et invitans Spiritum Sanctum » (De bapt. 8. Pd 1,1211.). — *S. Ambrosius*: « Panis iste panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi » (De sacr. 4,4,14. PL 16,439.). — Ex *Augustino* omnes auctores citant locum classicum: « Detrahe verbum et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum... Unde ista tanta virtus aquae ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? » (In Jo. 80,3. PL 35,1840.).

d) **Rationes theologicae**

optime inveniuntur apud *Thomam*: Sacramenta enim *tripliciter* « *considerari* possunt et quolibet modo congruit eis, quod verba rebus sensibilibus adiungantur. *Primo* enim considerari possunt ex parte *causae sanctificantis,* quae est Verbum incarnatum, cui Sacramentum quadammodo *conformatur hoc,* quod *rei* sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio incarnationis carni sensibili est verbum Dei unitum. *Secundo* possunt Sacramenta considerari *ex parte hominis,* qui sanctificatur, qui componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quae per rem visibilem corpus tangit, et per verbum *ab anima creditur... Tertio* possunt considerari ex parte ipsius *significationis sacramentalis...* Ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinarentur,» et tunc affert exemplum aquae, supra iam citatum (III q.60.a.6.).

II. pars: Verba et res se analogice habent ut materia et forma.

a) **Vox Ecclesiae.**

Martinus V. Bulla « Inter cunctas » (Interrog. Wicliffitis proponendae): « Utrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia Sacramenta » (Denz. 672.).

Decr. pro Armenis superius allegatum.

Trident. sess XIV. de poenit. c.2: (Denz. 895.) de differentia loquens inter Baptismum et Poenitentiam, primo loco enumerat, « quod materia et forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime distent ». Materia et forma ergo constituunt Sacramenta. Sensus huius enuntiationis confirmatur *Catechismo Tridentino*: Duo sunt ex quibus Sacramentum conficitur, quorum alterum materiae rationem habet, atque elementum dicitur, alterum formae vim, et verbum communi appellatione appellatur » (P.II.c.1.1,15.).

b) **Scriptura**

de hac re philosophica ut patet, nihil dicit, sed neque e **Traditione potest** aliquid erui, etsi aliquando Patres de forma Sacramenti loquantur, e.gr. Augustinus: « Quid de ipsa forma sacramenti loquar? » — sed intelligunt totum ritum administrationis (v. Franzelin p. 37.). Sed multo magis invocari potest:

c) **Consensus theologorum.**

Inde a saec. XII-o, ut recentiores indagationes ostendunt (Van den Eynde 1951-52 et Landgraf Beiträge d. Frühscholastik 1954., cf. Litter.), quod terminis « materia et forma » scholastici primi iam usi sunt, sed nondum sensu aristotelico, i.e. sensu stricti hylemorphismi; Albertus Magnus iam hoc sensu terminis his usus est (cf. H. Jorissen 1958. in Litter.). Certum autem est, quod hucusque *primus* invenitur *B. Alanus de Insulis O. Cist* († 1202), qui iam cognovit et usus est philosophia Aristotelica, et hos terminos indubie usitabat: « *Materia* dicitur de substantia sacramenti: ad hoc enim ut ibi fiat transsubstantiatio, oportet, ut ibi sit panis factus de frumento et vinum. *Forma* etiam verborum, ut illa forma verborum, quam Christus instituit dicens: Hoc est corpus meum. Hic est calix etc. » (Regulae theolog. CIX. PL 210,679.). Alanus de Insulis (Lille) non

frustra vocabatur doctor « universalis » et « magnus », auctoritate eius factum esse videtur, quod inde a s. XIII. communis facta est terminologia materiae et formae. A. Landgraf iure quidem putat s. XII-o neminem adhuc usum esse his terminis sensu Aristotelico, quod tamen opinamur de B. Alano. — Inde per septem saecula omnes theologi adhibebant hanc terminologiam, quod iam supponit, eam non posse falsam esse.

d) **Rationes theologicas**

huius terminos adhibendi bene comprehendit Card. Franzelin: E concursu materiae et formae *unum quid* efficitur, distinctum ab utraque — dein materia est *indeterminata* ad multas formas possibiles, forma autem est determinans — demum forma « ut perficiens accedit et velut *elevans materiam* ad esse nobilius absolvit totum compositum ». *Atqui* haec omnia contingunt in signo sacramentali: e.gr. ablutione et verbis unum quid, sc. Sacramentum Baptismi efficitur — dein usus aquae multa dicere potest, quid significet autem edicitur determinatione formae — demum forma elevat ablutionem ad esse sacramentale (p. 37.).

Sedulo tamen notandum, terminologiam hanc tantum *analogice* usurpatam esse et haberi ideo difficultates apud Poenitentiam, praesertim vero apud Matrimonium, ut suis locis dicetur.

4. Normae pastorales quoad materiam et formam.

a) **Materia**

distinguitur praeprimis in materiam *remotam,* quae est ipsa res, et *in proximam,* quae est usus huius rei (aqua et ablutio, oleum et unctio). — *Forma* autem potest esse secundum vim verborum *deprecativa, indicativa,* vel *optativa. Utraque* distinguitur in materiam et formam *substantialem,* seu essentialem, quae ad validitatem requiruntur; et *accidentalem,* si substantia a Christo instituta non mutetur, sed tantum qualitates eius. *E.gr.* panis debet esse triticeus, sed accidentale est, num sine vel cum sale, sine vel cum fermento confectus sit. Sic etiam in forma substantiale est id, quod a Domino institutum est, accidentale, si mutatione facta formae, verba tamen eundem sensum retineant. Praesertim quoad formam multae variationes accidentales habentur secundum varios typos liturgicos et temporum mutationes.

b) **Normae pro materia et forma simul.**

1°. *Certa validitas* requiritur. — **a.** *Principium* est, si agatur *de valore Sacramentorum,* non licet uti opinione probabili, sed *standum est pro sententia tutiore.* Nam agitur de gravissimis rebus: tum de valore Sacramenti, et animarum damno, forsitan irreparabili, tum de irreverentia, quam committeremus Sacramenta periculo frustrationis exponendo. Ideo materiam vel formam non certo validam adhibere est peccatum grave sacrilegii. *In casu* tamen *necessitatis* valet principium: *Sacramenta propter homines.* Ideo si quis ex inadvertentia secum oleum catechumenorum sumpserit, moribundo iam sub limine constituto potest ministrare Extremam Unctionem, si secus sine hoc Sacramento decederet. In casibus similibus *conditio* apponenda est: « Si valet ». — **b.** Huc pertinent *mutationes accidentales* in usu materiae et formae. Si aliquis e.gr. ad viaticum ministrandum uteretur pane fermentato, hoc nec invalidum, nec illicitum esset.

Mutationes formae ab eo dependent, in quantum *remaneat significatio* a Christo intenta. Sic parvae mutationes formae quoque: « Ego te baptizo », vel « te ego baptizo », vel vitiosa pronuntiatio (hoc est cochpus meum) non offendunt. *Ab intentione* ministri quoque multum dependet. Si habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, tunc revera mutatio non est substantialis. *Vetus exemplum*, quod iam ante saecula afferebatur, est, si quis baptizet in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti *et* B.V. Mariae, forma esset valida, si ex inopportuna devotione tantum apposita esset, sed graviter illicita; invalida autem, si putaret, quod etiam B. Maria Virgo ad baptismum necessario requiratur.

2°. *Unitas moralis* est necessaria inter materiam et formam, sufficitque ad validitatem et habetur, si secundum communem aestimationem hominum, forma determinat hanc certam materiam quin dubium haberi possit. — **a.** *Simultaneitas totalis physica* ergo non necessario requiritur. *Differentia* intercedit *inter varia Sacramenta. Poenitentia et Matrimonium* retinent unitatem moralem post aliquot horas, imo post aliquot dies. Poenitentia enim est *tribunal misericordiae*, ideo aliquis confessus peccata absolvi potest post tempus aliquod, modo confessarius status animae poenitentis in confuso recordetur. Matrimonium est *contractus* et ideo una pars potest — per se loquendo — dare consensum, alter vero serius, modo primus consensus alterius contrahentis moraliter perduret, quod fit, si non retractetur. — In confectione *Eucharistiae* certum est unionem debere haberi physicam; pronomina enim demonstrativa « hoc » et « hic » ostendunt materiam praesentem. — **b.** Quoad *cetera Sacramenta* tenenda est sententia *pro praxi tutior*. Etenim, etsi sunt, qui opinentur sufficere, si forma immediate post applicationem materiae, vel immediate ante proferatur, administrationemque Sacramenti in casu validam esse, tamen recte monet Merkelbach: « Cum in Sacramentis, sententia solum probabili cum periculo nullitatis uti, sit regulariter illicitum », standum est pro sententia, quae tenet *simultaneitatem physicam partialem*, i.e. quod *forma* proferri *inchoetur* saltem *antequam materia desistatur applicari* et vice versa, nam « ceteroquin a Rituali praescribitur ac proinde requiritur saltem ad liceitatem; quodsi Sacramentum aliter fuerit ministratum, *repetatur sub* conditione ». (III, n. 14.). Revera existunt decisiones S. *Officii* et S. Cong. de disciplina Sacramentorum, quae baptismum iterandum esse declarabant sub conditione, si completa ablutione tantum forma prolata sit (S. Off. 2. maii 1858.). — **c.** Sed unitas moralis habetur, si adest *unitas liturgica*, quod inde a Const. Apost. « Sacramenti Ordinis » evidenter apparet. Materia enim presbyteratus est prima manuum impositio; forma vero non est oratio immediate sequens inter manuum extensionem (seu impositionem secundam), sed verba quaedam praefationis consecratoriae postea sequentis.

3°. *Unitas personalis* adest inter materiam et formam, si ab eodem ministro sint applicatae. Ratio est, quod constitutio Sacramenti hoc secumfert, nam componitur e materia et forma signum Sacramenti, ideo ab eodem debet fieri, ut unitas adsit. — Sed *si Sacramentum e partibus constet*, tunc possibile est et etiam aliquando fit vel fiebat, ut *plures ministri subsequentes* conficiant sacramentum. Sic e.gr. si sacerdos *post consecrationem panis* deficeret, alius debet consecrare vinum, etsi non ieiunus, nam consecratio unius speciei est valida et in casu supposito etiam necessaria propter sacrificium complendum. Tempore medii aevi et nunc etiam sec. quosdam ritus orientales plures *sacerdotes successive ungentes* valide et licite administrant unctionis Sacramentum.

c) **Normae quoad formam sacramentalem.**

Forma sacramentalis debet esse:

1°. *Vocalis* et quidem non tantum organis locutionis efformata, sc. labiis et lingua etc., quod etiam in recitatione officii divini requiritur. Sed debet habere rationem signi, ideo aliquo modo intelligi quoque debet, nam recitatio formae tantum labiorum motu, sicut in breviarii recitatione, aliis nihil diceret, et materia non esset determinata. Forma ergo Sacramentorum audibili modo debet proferri, secus exponeretur Sacramentum periculo nullitatis. « Audibili modo », i.e. si per se audiri possit, etiam si forsitan sonus organi, vel cantus populi supprimat vocem ministri, forma audiri possit, ergo valida est.

2°. *Sine interruptione* debet forma proferri, sc. sine tali, quae mutaret sensum formae eo, quod iam non potuisset intelligi. Distinguendum est interruptio *syllabarum*, quae facile reddere potest formam inintelligibilem, et ideo invalidam (afferri solet exemplum: « Hoc est cor — nunc tussitaret vel sternutaret longius, dein diceret: — pus meum »). Interruptio *vocabulorum* iam non est adeo periculosa, si e.gr. diceret: « Ego te absolvo » et videret poenitentem discedere velle et revocaret eum, potest hoc facere et statim continuare: « a peccatis tuis ». Pro praxi non magni momenti sunt hae res, nam per se patet, actiones sacramentales nos debere peragere magna cum reverentia, ideoque omnia vitare vituperia vel mandata intra functiones sacras. Secus *melius est*, si dubium habetur, formam *de novo incipere*, si propter qualemcunque causam interrupta fuerit.

3°. *Sine repetitione* tamen debet forma proferri, ergo non potest sine causa repeti, si iam semel integre prolata sit, nam frustrare Sacramentum esset irreverentia gravis erga Deum. Praesertim scrupulosi sunt monendi, ne haec repetitio inanis fiat, imprimis in consecratione. Nam etsi aliquis e fragilitate humana consecrando inadvertens esset, consecratio valida esset, et etiam sine peccato, supposito, quod haec inadvertentia sine culpa acciderit; ergo sine causa sufficienti repeteretur forma consecrationis. — Similiter semper praesumendum est, sacerdotem verbis formae velle dare rectum sensum, sicuti Ecclesia intelligit, e.gr. in consecratione calicis verbum « hic » non sumi ut adverbium (sc. « hoc loco ») sed ut demonstrativum (« hic sc. calix »). Propter hoc ergo vanum esset repetere formam. — Syllabarum vel singulorum verborum repetitio etiam inanis et cavenda est.

Litteratura.

Quoad signum. *A. M. Horvát,* Tractat. philosophici aristotelico-thomistici, Budapest 1949, 214-220. — *G. Söhngen,* Symbolik und Wirklichkeit im Kultmysterium, 2.ed. 1940. — *E. Masure,* Le signe. Psychologie, histoire, mystère, Paris 1954.

Quoad compositionem metaphysicam Sacramentorum. *E. Hugon,* De Sacramentis, Paris 1927, 89-93. — *L. Billot,* De Sacramentis Ecclesiae, ed.5. Roma, I (1914), 104-115. — *F. Marin-Sola,* Proponitur nova solutio ad conciliandam causalitatem physicam Sacramentorum cum eorum reviviscentia, *in*: Div. Thomas 1925, 49-63. — *A. Haynal,* De reviviscentia Sacramentorum fictione recedente, *in*: Angelicum 1927, 51.293.382.

Quoad compositionem quasi-physicam. *J. B. Franzelin,* De Sacramentis in genere, ed.5., 33-51. — *J. Müller,* De Sacramentis in genere, 2.ed. Oeniponte 1915, 73-92. — *L. Lercher,* De mysterio Christi in sua plenitudine perenni, Pars prior (Inst. theol. dogm. IV. 2) ed.3. Oeniponte 1948, 22-27. — *D. Van den Eynde,* The Theory of the Composition of the Sacraments in Early Scholasticism (1125-1240), *in*: Franciscan. Studies 1951, 1-20, 1952, 1-26. —

C. Murray, The Composition of the « Commentarium in IV Sententiarum » of St. Albert the Great, *ibid.* 1956, 177-201. — *H. Jorissen,* Materie und Form der Sakramente im Verständnis Alberts des Grossen, *in:* ZfkTh 1958, 267-315. — *J. de Vries,* Sachproblematik der Materie und Form, *in:* Scholast. 1958, 481-505.

D) De efficientia Sacramentorum.

De notione signi sacramentalis, de existentia Sacramentorum et de essentia pensum absolventes, agendum nunc est de efficientia signorum sacrorum a Christo institutorum. Primo inquiritur 1) virtus obiectiva Sacramentorum, deinde 2) modus efficientiae, i.e. causalitas Sacramentorum, demum 3) considerantur effectus communes Sacramentorum.

1. De virtute obiectiva Sacramentorum.

Status quaestionis.

Qualis vis, virtus inest Sacramentis a Deo iis indita, pervestigandum est; signa sunt etenim, quae non solum significant, sed etiam efficiunt, quod significant. Virtus haec obiectiva inde iam a s. XII-XIII. pervestigata est et terminologiam nacta est specialem. *Petrus Pictaviensis* († 1205) celebris magister Parisinus, successor Petri Lombardi, — uti hucusque putabatur, — primus adhibuit terminum quoad Sacramenta « opus operatum » et « opus operans », nunc magis dictum « opus operantis », in Sententiis suis: « Similiter (minister) meretur baptizatione, ut baptizatio dicitur actio illius, qui baptizat, quae est aliud opus quam baptismus, quia est opus operans, sed baptismus est opus operatum, ut ita liceat loqui » (Sent. 1.5.p.5.c.6.). A. Landgraf ostendit, Petrum hunc terminum hausisse a coaetaneis suis et quidem a « Glossa Ps. Pictaviensi », cuius textum e tribus codicibus publici iuris fecit (in: Div. Thom. 1951.,220.). Inde invaluit usus horum terminorum usque ad hodiernum diem.

Opus operatum (« dingliche Leistung, » dologi teljesitmény) clarissime definitur ab enc. Mediator Dei: « Externi Sacramentorum ritus efficacitas ». — *Opus operantis* ibidem definitur: « Eorum benemerens actus, qui Sacramenta impertiunt vel suscipiunt » (MDei n.36. « Persönliche Leistung », személyi teljesitmény).

Praeterea sancitur etiam alia denominatio a quibusdam theologis iam usitata: *Opus operantis Ecclesiae,* « si actionem illam consideramus intaminatae Jesu Christi Sponsae, qua eadem *precibus* sacrisque *caeremoniis* Eucharisticum adornat Sacrificium et Sacramenta, vel si de *Sacramentalibus* ac de *ceteris ritibus* agitur, quae ab Ecclesiastica instituta sunt hierarchia, tum efficacitas habetur potius ex opere operantis Ecclesiae, quatenus ea sancta est atque arctissime cum suo Capite coniuncta operatur » (MDei n.27.).

Sacramenta ergo operantur virtute a Deo indita per se ipsa, ut causae instrumentales: hic est sensus theseos statuendae. Unum tantum obstat operationi Sacramentorum quod vocatur « *obex* » (Hinderniss, akadály), vel *fictio.* Obex ergo est obstaculum efficientiae Sacramenti et potest esse indispositio moralis, quominus Sacramentum producat gratiam et vocatur *obex gratiae.* Aliud quid est indispositio physica, quominus aliquis suscipere possit Sacramentum, sic e.gr. mulier Ordinem, non baptizatus alia Sacramenta, sanus Extremam Unctionem. Ut patet, nunc tantum de obice gratiae agitur, nam

obex Sacramenti revera sensu stricto non est obex, sed ineptitudo. — His praemissis statuitur thesis:

THESIS. Sacramenta ex opere operato semper causant gratiam, obice non obstante. De fide.

a) **Vox Ecclesiae.**

Trident. sess. VII. de Sacr. in genere, can. 5: « S.q.d., haec Sacramenta, propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit » (Denz. nr. 848.). — *Can. 6*: « S.q.d., Sacramenta Novae Legis *non continere* gratiam, quam significant, aut *gratiam ipsam* non ponentibus obicem *non conferre*, quasi *signa* tantum *externa* acceptae per fidem gratiae vel iustitiae et notae quaedam christianae *professionis*, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus: a. s. » (Denz. 849.). — *Can. 7*: « S.q.d., non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta *semper et omnibus, quantum est ex parte Dei*, etiam si rite eam suscipiant, sed aliquando et aliquibus: a.s. » (Denz. 850.). — *Can 8*: « S.q.d., per ipsa Novae Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed *solam fidem* divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere: a.s » (Denz. 851.).

b) **Adversarii,**

uti iam supra vidimus, sunt omnes Novatores et Modernistae. Can 5. et 8. directe contra effata Lutheri diriguntur, can. 6. contra Melanchton et Karlstadt, can. 7. contra art. 5. Confessionis Augustanae. In specie *Apologia Confessionis* huius invehitur contra doctrinam de opere operato: « ...quod Sacramenta non ponenti obicem conferunt gratiam ex opere operato sine bono motu interiori. Haec simpliciter iudaica opinio est sentire, quod per caeremoniam iustificemur sine bono motu cordis, i.e. sine fide » (Ad art. 13.). — *Calvinus* quoque iratus est contra doctrinam traditionalem de Sacramentis, affirmans, papistas putare « *Spiritum Sanctum* vices suas *resignasse* externis symbolis » (Instit. relig. christ. 4,14,17.). Immo ipse primus dixit *adagium* dein per temporum decursum toties iteratum, quod catholici « fingunt, subesse *vim magicam* Sacramentis, quae sit extra fidem efficax » (Antidotum Con. Tridentini ad sess. VII. can. 5.). Praeeunte *Harnack* moderni Protestantes similia opinantur.

c) **S. Scriptura**

tamen clare loquitur de re nostra, etsi, ut patet, sine terminologia scholastica. Effectum enim Sacramentorum, gratiam, Scriptura, sine ambiguitate directe etiam Sacramentis ipsis tribuit, quod apparet *ex ablativis causae* adhibitis et *praepositionibus* item *nexum causalem indicantibus* in textibus S. Scripturae. Sic e.gr. « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei », dixit Jesus Nicodemo (Jo 3,5.). Spiritus Sanctus et aqua ergo eandem praepositionem accipiunt, atqui Spiritus Sanctus sine dubio causa est renascentiae hominis, ergo etiam aqua. Similiter loquitur *Paulus* de eodem themate: « Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti » (Tit 3,5.). Tale quid etiam dixit de Sacramento Ordinis alteri suo discipulo: « Admoneo te, ut resuscites gratiam, quae in te est per impositionem manuum mearum » (2. Tim 1,6.).

d) **Traditio**

probat thesim nostram (praeter permulta testimonia numero sequenti afferenda) *per praxim continuam* Ecclesiae. Sic enim statim *refutatur Novatorum* insulsa opinio, quod ad Sacramenta secundum catholicos non esset necessaria *fides,* nam ingens multitudo *librorum liturgicorum,* tunc temporis penitus ignotorum, ostendit, semper et ubique in usu fuisse *professionem fidei* a catechumenis in actu ipsius baptismatis. — Dein praxis *paedobaptismi* inde — uti videbimus inferius — a primis Ecclesiae temporibus ostendit persuasionem Ecclesiae effectum Sacramentorum non ex actibus subiecti suscipientis, qui utpote infantes ad hoc incapaces fuerunt, pendere, sed e virtute obiectiva Sacramentorum. Infantes enim tempore Ecclesiae primaevae Sacramenta susceperunt baptismi, confirmationis et Eucharistiae.

e) **Rationibus theologicis**

quoque fulciri potest thesis nostra. 1°. Si Sacramenta per fidei excitationem tantum iustificarent hominem, *tunc homines* possent instituere Sacramenta, uti Ecclesia revera sacramentalia condidit. *Atqui* certum est, Sacramenta Novi Testamenti necessario *a Deo* instituta esse, ergo Sacramenta non per excitationem fidei, sed virtute quadam obiectiva agunt. — 2°. Si Sacramenta tantum *mediate* sanctificarent, i.e. per excitationem *fidei*: cur tamen poterunt retinere ipsi Novatores baptismum parvulorum? — 3°. Si haec doctrina protestantica vera esset, cur applicant etiam ipsi *singulis hominibus* Sacramenta? Nam sufficeret, imo etiam melius esset unum tantum magno cum apparatu baptizare, ceteri aspicientes quoque possent aedificari et fidem in seipsis excitare. Sic autem administratio individualis Sacramentorum, uti semper in usu fuit, demonstrat luce clarius Sacramenta virtute obiectiva operari. (Vide has et alias rationes uberius apud Bellarminum, Controversia VIII. de Sacramentis in genere, 1.2.,c.8., in ed. J. Fèvre III. Paris 1870., p. 439-441.).

2. De modo efficientiae seu causalitatis Sacramentorum.

Status quaestionis.

Definitum, proin revelatum est, ut vidimus, Sacramenta causare gratiam, esse ergo causas. Quaerendum nunc est, quomodo possint res corporales, ut aqua, oleum etc. spiritualem effectum producere. Notandum est, impossibile esse, hanc quaestionem secundum totam suam profunditatem perspicere, ut praesertim Graeci monent de modo efficientiae Sacramentorum loquentes, e.gr. Nicolaus de Ochrida: Sacramenta ideo vocantur mysteria, « quia unumquodque in se mysticam et admirabilem Dei operationem continet. Nucleus proprius uniuscuiusque e tali divino et mystico influxu consistit... Nescimus, quo modo Spiritus Sanctus in mysterio operetur, sed scimus eum in hoc et per hoc mysterium operari » (cit. per M. Schmaus, Kath. Dogm. IV, 1 (1957) p. 74.).

Breviter in memoriam revocantur conceptus philosophici huc pertinentes, nempe quae sint *formae dynamicae.* (A. Horváth, Div. Thom. 1951,450-456.).

Prima est 1°. *occasio,* i.e. factum, cuius intuitu causa operatur, e.gr. peccatum grave remorsum conscientiae causat, et sic est quod peccator confiteri vult: peccatum et remorsus occasio erant Sacramenti.

2°. *Conditio* vera est conditio « sine qua non », « quae nullo modo causalitatem dicit, sed *requisitum* seu *dispositionem* tantum ad hoc, ut causa causalitatem suam exercere possit » (Gredt II,146.). Conditio ergo removet difficultates, *facilitat operationem principii agentis,* sed effectum non producit. Sic machinae oleo ungi et perfundi debent, secus non possunt operari; ligna ut possint comburi, debent esse sicca: nec oleum, nec siccitas est causa, sed conditio operationis.

3°. *Signum* quid sit, iam vidimus. Signum *plus est,* quam occasio et conditio, nam agentem ad actionem incitat, tamen non per ipsum influit in effectum actionis, sed in agentem dirigitur. Causa ergo *non* potest *signum* haberi, nam causa esse dat effectui. Etsi ergo aliquoties loquantur de « *causa* » *logica,* i.e. de signo, quod in cognitionem ducit alicuius rei (vestigia animalis, « indicia » peccati), vel de « *causa* » *morali,* i.e. de signo, quo conspecto agens operari incipit (tessera ingressus: biglietto, Eintrittskarte, belépöjegy; preces intercessionis ad liberandum aliquem etc.), hae non sunt verae causae, sed tantum signa. Etiam causa moralis potest esse principalis, sic si regina petat regem, ut veniam impunitatemque donaret alicui, reginae amabilitas seu dignitas eius moralis movet regem ad condonandum; si signa adhibeantur caritatis (oscula, amplexus) adest causalitas moralis instrumentalis. Talis « causalitas » moralis instrumentalis evidenter adest in ratione signi, sed etiam « causa » moralis principalis non est vera causa: effectus enim (condonatio) positive non ab amabilitate reginae producitur, sed per actum regis.

4°. Ideo vera causa est principium positivum a quo aliquid secundum dependentiam in esse procedit: aliquid non esset, si causa haec non esset. E quadruplici causa nunc solum consideranda venit causa *efficiens,* quae dividitur in causam principalem et instrumentalem. Causa efficiens *principalis,* seu agens principalis, in Sacramentis est Deus, qui utique eosdem effectus etiam sine Sacramentis producere potest. In hoc tamen ordine salutis sanctificationem vult producere per Sacramenta, quae se habent ut causae efficientes *instrumentales.* Instrumentum potest esse *separatum,* ut baculus, et *coniunctum,* per quod movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manus. « Principalis autem causa efficiens gratiae est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum, Sacramentum autem sicut instrumentum separatum » (III q.62.a.5.). Instrumentum sive separatum, sive coniunctum potest esse *mechanicum,* i.e. corpus localiter motum ab altera, sicut malleus, serra, machina-Roentgen, etc.; dein *naturale,* i.e. virtus naturalis per altiorem virtutem mota ad perfectius operandum, sicut vires chemicae in organismo assimilant cibos; demum instrumentum *supernaturale,* quod a Deo movetur praeter ordinem naturae ad effectus supernaturales producendos (Gredt II, 168). Ut patet, huc pertinent Sacramenta, quae agunt ut instrumenta separata supernaturalia, sed verae causae efficientes. Ideo iure statuitur, efficientiam eorum esse causalitatem physicam:

THESIS. Sacramenta effectus suos producunt ut instrumenta, et quidem causalitate physica.

Thesis est probabilior, quantum ad causalitatem physicam.

a) **Adversarii:**

1°. Veri et principales sunt *Protestantes,* qui tantum *notas professionis* vi-

dent in Sacramentis, ut Karlstadt, Zwingli, quod reducitur ad « causam » *logicam*, causalitatis ergo nec vestigium in hac opinione inveniri potest. Sententia *Lutheri*, quod Sacramenta ad fidem nutriendam instituta sint, quod Deus occasione eorum dat per fidem iustificationem: est « *occasionalismus* » in vita supernaturali, sicut Occasionalistae in vita naturali docebant creaturas nil agere, sed esse dumtaxat occasiones, quarum intuitu Deus producit effectus (sic Malebranche † 1715.)

2°. Asseclae *causalitatis conditionalis*, ut erant aliqui veteres iuxta S.Thomam asserentes, quod Sacramenta « non sint causa gratiae aliquid operando, sed quia Deus, Sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur, et ponunt exemplum de illo qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex regis ordinatione, non quod denarius ille aliquid operetur ad habendam praedictae pecuniae quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas regis » (III q.62. a.1.). *S. Bonaventura* satis probabilem dixit opinionem, « quod in Sacramentis *non sit causalitas*, nec virtus aliqua, nec effectiva, nec dispositiva ad gratiam quae sit qualitas vel proprietas aliqua absoluta, sed per quandam *assistentiam* » (In IV.d.1.q.4.). Etiam *Duns* Scotus talem videtur sententiam amplexisse: « (Deus) disposuit universaliter et de hoc ecclesiam certificavit, quod suscipienti tale Sacramentum ipse conferret effectum signatum » (In IV.d.1.q.5.). Similiter *Richardus* a Mediavilla (Middleton) et *Nominalistae*, ut Guli.Occam, Gabr. Biel. Haec sententia nil aliud est nisi *degradatio* Sacramentorum ad merum statum conditionis sine qua non, quod causalitatem veram excludit et ideo post Tridentinum iam defendi non potest.

3°. Assertores *causalitatis moralis* Sacramentorum, praeeunte celebri *Melchiore Cano O.P.*, qui primus eam sub hac nomenclatura defendit: «(Sacramenta gratiam) continere, inquam, non ut causa naturalis, sed *moralis*... Et sicut crumena (Beute, purse, erszény) pecuniam administrans redemptionem confert, Sacramentum confert gratiam pretium sanguinis applicans (Relectio de Sacramentis in genere p. 4.). Post eum *Vasquez S. J.* summopere invehitur in doctrinam causalitatis physicae, expoliens theoriam Cani, dicens: « Multo melius hanc naturam instrumenti moralis explicabimus... per modum impetrationis, nisi quod Sacramentorum impetratio nullo merito ministri, sed solo verbo promissionis Dei nititur» (In III.p.S.Thomae dsp.132.c.5.). Auctoritas *Card. Lugo* (†1660) valde fulcivit hanc theoriam: « Sacramenta Novae Legis sunt causae morales, quia ipsa *habent vim movendi Deum*, sunt enim actiones et operationes ipsius Christi » (De Sacr. in genere disp.4. sect.4.). *Plerique molinistae* hanc sententiam Cani sequuntur, ut v.gr. Card.Franzelin (p. 126-144), Reinhold, Ch.Pesch, J. Müller etc. At, uti vidimus, « causa » moralis tantum nomen commune habet cum causa, et pertinet ad rationem signi, cuius intuitu agens principalis operatur.

4°. Adversatur thesi nostrae etiam *Lud.Billot* (I,78-85 et 116-143), eumque sequentes Van Noort et Lehmkuhl, Stufler, Gierens, Lercher, statuentes *causalitatem intentionalem*. « Virtus per quam Sacramenta operantur est *titulus exigens* et appelans *gratiam*. Opinamur autem, virtutem hanc *non esse physicam*, sed potius *intentionalem*, adaequatum sui principium habens in institutione Christi » (p.134.). Sacramenta ergo sec. suam opinionem causae sunt efficientes, *non tamen immediate* causant gratiam, sed solum *dispositive*. Quod quidem aliis verbis idem est, quam causalitas moralis: tenenda enim videtur

vera causalitas, quae *immediate* attingit gratiam, *etsi instrumentaliter*, i.e. revera aqua, oleum, manuum impositio verbis informata sunt causae efficientes instrumentales gratiae.

b) **Vox Ecclesiae**

quoad thesim nostram peremptorie invocari non potest, agitur enim de sententia iuxta nostram opinionem probabiliorem. Iure tamen, ut putamus, potest provocari *ad modum loquendi Magisterii ecclesiastici*, ut facit Hugon (III, 70-73), cui adstipulatur Doronzo (182.).

1°. Revera Sacramenta asseruntur *continere* gratiam (Trident.sess.VII.can. 6.), quod in causalitate morali vix contingit, nam quadrupliciter continetur aliquid in alio: ut accidens in subiecto, ut contentum in continente (vinum in lagena), ut signatum in signo et ut effectus in causa. Duo priores modi ut patet in re sacramentali inveniri non possunt, tertius modus habetur praecise in causalitate morali, sed tunc solummodo metaphorice possumus loqui de vera causalitate, quartus modus solus salvat causalitatis rationem. Sacramenta enim sunt instrumenta, quibus transeunter confertur virtus gratiam causandi, tunc instrumentaliter quidem, sed vere sunt causae gratiae.

2°. Dein dicitur Sacramenta *conferre gratiam* non ponentibus obicem, et quidem *gratiam, quam significant* (Trident.ibid.); in causalitate vero morali hoc minus verificatur, melius enim diceretur Deum conferre gratiam quam Sacramenta significant, quia movent Deum ad conferendam gratiam. Quam verum hoc sit, plene conspicitur, si consideratur *modus loquendi* Ecclesiae, *si causalitatem moralem vult inculcare.* Quod fit in doctrina de efficientia Sacrificii Missae: « ...huius quippe *oblatione placatus, Dominus* gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit » (Trid. sess.XXII.c.2.). Nullo ergo modo dicitur Missam conferre gratiam, dimittere peccata, hoc fit *per Deum*, qui oblatione huius sacrificii placatur: moraliter ergo movetur.

3°. Iterum melius intelliguntur verba Ecclesiae in *doctrina de Sacramento Poenitentiae* « absolutionem sacramentalem esse actum iudicialem, non nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti » (sess. XIV. can. 9), ad quae apposite dicit praelaudatus Hugon: « Cum absolutio poenitentis sit infusio gratiae, oportet ut sacerdos per seipsum infundat gratiam. Si vero sit instrumentum morale dumtaxat, *non* est sensu pleno *iudex*, qui per seipsum absolvit, gratiam per seipsum infundendo, *sed orator supplex*, qui Deum rogat, ut gratia infundatur » (p. 72.).

4°. Item iuxta Tridentinum « *per sacram ordinationem datur* Spiritus Sanctus », non ergo « frustra episcopus dicit: Accipe Spiritum Sanctum » (sess. XXIII. can.4), quod melius intelligitur in causalitate physica.

c) **S. Scriptura**

tunc intelligitur secundum sensum obvium, si causalitas physica supponitur. Sic enim intelligitur plene, quod Scriptura dicit, hominem « ex aqua » renasci etc., ut superius (praecedenti nr.1.c.). dictum est.

d) **Traditionis**

testimonia sine difficultate de causalitate vere physica Sacramentorum possunt facillime intelligi.

1°. *Tertullianus* e.gr. candide affirmat: « Omnes aquae, de pristina originis praerogativa sacramentum sanctificationis consequuntur invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de caelis et aquis superest, sanctificans eas de semetipso et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt » (de bapt.4.PL 1, 1204.). Quomodo hoc aliter intelligi potest, nisi de vera physica operatione aquae baptismalis? Aqua est instrumentum verum physicum sec. Tertullianum, nam aqua « combibit » vim sanctificandi. Similiter *de aliis Sacramentis* quoque: « Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut et anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu inluminetur, caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima Deo saginetur » (De carnis resurr. 8.CSEL 47, 36 s.).

2°. *Cyprianus* de proprio suo baptismate dicit: « Postquam *undae genitalis auxilio* superioris aevi labe detersa in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infudit » (Ep.1.ad Donatum.).

3°. *Afrahat Persa* inter 336-345 scripsit: « Ex homine autem, qui *Spiritum ex aqua receptum* contristavit, egreditur Spiritus » (Demonstrationes 6,14 PSyr 1,291.).

4°. *S.Basilius Magnus* affirmat: « *In aqua est gratia,* non quidem e natura aquae, sed propter adventum (parousia) Spiritus » (De Spir.Sancto 15,35; PG 32,129.). Basilius haec exercitia spiritualia dedit anno 375; post sex annos *S. Ambrosius* latine repetit idem testimonium: « Si qua *in aqua gratia*, non ex natura aquae, sed ex praesentia Spiritus Sancti » (De Spir.Sancto 1,6, 77 PL 116,723.).

5°. *S.Cyrillus Alexandrinus* circa 428 dicit in suo Commentario ad Joannem: « Per Spiritus Sancti operationem aqua sensibilis transmutatur in divinam quandam et ineffabilem virtutem » (theia tis kai aporrhêtos dynamis, in Jo 2,1 PG 73, 244.).

e) **S. Liturgia**

autem argumentum validissimum suppeditat, praesertim in materia Sacramentorum. Sicuti effata Patrum, ita etiam textus et formulae liturgicae sensu obvio sumptae causalitati physicae correspondent, ut pauca testimonia statim demonstrant.

1°. *Gelasianum* primigenium (s. VI.) in consecratione *fontis* sic precatur: « Omnipotens sempiterne Deus, hoc baptisterium caelesti visitatione sanctifica, ut quoscunque fons iste lavaturus est, trina *ablutione purgati*, indulgentiam omnium delictorum tuo munere consequantur » (Wilson p.142.). Purgatio ergo sequela est trinae ablutionis, nil aliud itaque nisi effectus physice secutus per lavationem fontis, i.e. causalitas physica. Ad consecrationem *chrismatis* sic orandum est: « *Creaturam chrismatis* in sacramentum perfectae salutis vitaeque *confirmes,* ut *sanctificatione* unctionis infusa, corruptione primae nativitatis absorpta, sanctum uniuscuiusque templum acceptabilis vitae innocens

odor redolescat » (Wilson p.69.). In consecratione *olei* autem sic precatur: « Huius *creaturae* pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris, et ei Sancti Spiritus *immiscere virtutem* per potentiam Christi tui » (Wilson p.71.). Atqui oleo dare, « immiscere » virtutem divinam, quid est aliud, nisi efficacitas physica Sacramenti?

2°. Liturgia Antiochena in *Constit. Apostolicis* circa 400 descripta clare tribuit efficaciam materiae confirmationis, graece « *myron* » vocatae: « Domine, Deus, sine origine et sine domino, tu fac nunc, ut *hoc myron efficax fiat* in baptizato » (myron dos energes ginesthai, VII, 44,2, Quasten IV,194.).

3°. *Testamentum D.N.J.Chi* oleum consecrans (saec. V.) sic orat: « Mitte *super hoc oleum*, quod est typus pinguedinis tuae, complementum tuae beneficae commiserationis, ut *liberet* laborantes, *sanet* aegrotantes, et *sanctificet redeuntes*, cum ad fidem tuam accedunt, quoniam tu es fortis et gloriosus in saecula saeculorum » (Quasten 1,66.). Materia ergo est complementum, seu instrumentum virtutis divinae (« ... quoniam *tu* es fortis ... »), sed *ipsa* quoque operatur: liberat, sanat, sanctificat.

4°. *Liber Ordinum* mozarabicus (s.VII.) in benedictione olei facta in festo SS.Cosmae et Damiani similiter talia dicit: « *Condi* (würzen, épicer, füszerezni) *hoc unguentum*, Domine, aromatibus sanctitatis, unde omnes languidi medelam *percipiant sanitatis*, ut omnes qui ex hoc fuerint peruncti, *veniam* delictis, *gratiam* tuae piatatis et medicinam percipiant sanitatis » (Férotin, Le Liber Ordinum MEL V,71.).

5°. *Rituale* autem *Ambrosianum* ecclesiae S.Laurentioli Mediolanensis directe apostrophat et appellat oleum ad operandum: « *Operare creatura olei* in nomine Patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti: ut non lateat hic spiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum huius hominis » (J.Kern, De extr. unctione p.149.).

f) **Theologi**

quidem quoad unanimem consensum allegari non possunt, sed viri optimae notae concurrunt in affirmanda causalitate physica Sacramentorum. Sic ante omnes certo *Thomistae* hanc profitentur thesim ducem habentes *Thomam Aquinatem* de quo frustra asseritur, ipsum non tenere causalitatis physicae doctrinam. Verum quidem est, *nomen* causalitatis physicae tantum a *Caietano* invectum esse saec. XVI., tamen Doctorem Communem hanc docuisse, certum est. Hoc non solum textus eius demonstrant, sed etiam pervestigator sedulus huius quaestionis, *Reinhold*, etsi ipse causalitatem moralem amplectatur, candida obiectivitate fatetur et ostendit, S.Thomam physicam esse professam causalitatem (op. infra cit. p.136-141.). Maximi theologi Societatis Jesu quoque hanc secuti sunt opinionem, praesertim S.Bellarminus et Suarez.

g) **Loco rationum theologicarum**

explicamus causalitatis Sacramentorum naturam ad mentem S. Thomae, e quo simul elucere putamus Aquinatem veram naturalem, i.e. physicam causalitatem supposuisse.

1°. *E natura causae instrumentalis*: Distinguendum est inter agentem principalem et eius instrumentum. a. *Agens principalis* agit per virtutem suae for-

mae, sic si principaliter agat: ignis calefacit *suo* calore, aqua abluit sordes corporis *sua* humiditate, machina scriptoria *sua* forma continet litteras describendas. Tali modo gratiam causare *solus Deus* potest, quia « gratia nihil est aliud, quam quaedam participata similitudo divinae naturae », ergo etiam Sacramenta gratiam non per virtutem suae formae causant. « Causa enim instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed *solum per motum* quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis. Et hoc modo Sacramenta novae legis gratiam causant: adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam » (III. q. 62. a. 1.). — **b.** Etsi *non virtute* suae formae agat instrumentum, tamen *vera causa efficiens* est: sic *machina* scriptoria sua forma continet litteras quidem, sed virtute principalis agentis scribit textum intelligibilem, secus ac si puer ludens scriberet cum ea. Liber *Isaiae* pulchritudines litterarias a scriptore suo habet, qui in hoc est instrumentum inspirationis divinae, quod autem veritates revelatas scriptura sua inerranter dicit, habet e forma principalis agentis, i.e. Dei inspirantis. *Liber* tamen *iure* vocatur Isaiae, nam causa fuit, etsi instrumentalis eiusdem libri. Sic etiam *aqua* per virtutem suae formae abluit, oleum ungit, per virtutem vero transeuntem divinam eis communicatam significant spiritualem ablutionem et roborationem et etiam efficiunt. « Et sec. hoc Sacramenta novae legis *simul sunt causae et signa*... ordinantur ad aliquid sacrum, non solum per modum signi, sed etiam per modum causae » — dicit Doctor Communis ad 1. — E natura ergo causae instrumentalis probe sequitur etiam Sacramenta per modum causae agere.

2°. *E correlatione actionis instrumentalis cum actione agentis principalis* sic arguitur: Instrumentum *duas* habet *actiones*: unam sec. *propriam formam* (securis scindit ratione suae acuitatis), alteram *communicatam* a principali agente (securis lectum facit per artem agentis). *Atqui* hae *duae* actiones *formam unicam* efficiunt (fit lectus) per actionem principalis agentis et etiam in hac actione participat instrumentum, nam « non perficit instrumentalem actionem nisi exercendo actionem *propriam*: *scindendo* enim facit lectum ». Sic est etiam penes Sacramenta, « ponendo quod Sacramentum est instrumentalis causa gratiae, necesse est simul ponere quod *in Sacramento* sit quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum ». Ideo sequitur de Sacramentis: « Per *propriam* operationem quam exercent *circa corpus*, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute *divina* circa *animam*, sicut aqua baptismatis abluendo *corpus sec. propriam* virtutem: abluit *animam*, inquantum est instrumentum virtutis *divinae* » (III.q.62.a.1. ad 2. — a. 4.corp. — a.1. ad 2.). **Sane perspicuum est in hoc** modo causalitatis agi de vera causa efficiente, etsi instrumentali.

3°. *E comparatione virtutis principalis agentis cum virtute instrumentali* ab agente communicata. Argumentum hoc adumbratur III q.62. a.4. ubi de illa virtute agitur instrumenti, quae ab agente principali ei communicatur et quae in principali agente « habet permanens et completum esse in natura, virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud et incompletum». Sed hae virtutes (principalis agentis et instrumenti virtus communicata transiens) *debent* sec. Aquinatem *comparari* « sicut comparatur instrumentum ad

agens principale » (*Comparare* hoc sensu derivatur non a « *parare* », sed a « par » et sensum habet: in eodem ordinem ponere, adsimilare). *Atqui* si haec comparatio fieri debet, tunc *Deus* certo *physice producit gratiam, ergo* etiam *eius instrumenta,* i.e. Sacramenta, debent in ordine physico et non intentionali, neque moraliter, sed instrumentaliter quidem, verumtamen physice gratiam causare.

Epilogus ad causalitatem Sacramentorum.

Perscrutata causalitate Sacramentorum, quaeri potest, cur tanta et tot tentamina nata sunt ad rem tam impermeabilem acumine intellectus enodandam? Ut perspiciatur huius facti ratio, sedulo monendum est, quaestionem inde solum a saec.XVI-XVII. animos agitasse, quando certamina mentium christianam societatem dilaceraverunt. Si quis attente perlegerit controversistas huius temporis, praesertim *S.Robertum Bellarminum,* apologetarum principem (cf. Controvers.VIII. de Sacr. in genere, 1.2, c.2. et 11.), videbit, quaestionem ideo tam aestuoso impetu pervestigatam fuisse, quia veritas Sacramentorum nebulis obiectionum et calumniarum eousque inauditarum obfuscata fuit. Tempora enim fuerunt illa, quando gloriola quasi novae detectionis insignita sunt talia effata, ut: « Baptismus neminem iustificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus, haec enim iustificat » (De captiv. Babyl.), vel: « Nos dicimus nec Novi nec Veteris Testamenti sacramenta, sed solam fidem iustificasse ». Sic *Lutherus; Melanchton* autem eo fere tempore, anno 1522. asseruit, quod « non iustificant signa, ut apostolus ait, circumcisio nihil est, — ita baptismus nihil est, participatio mensae Domini nihil est, sed testes sunt kai sphragides divinae voluntatis erga te ». *Calvinus* autem dixit: «Fixum maneat, non esse alias Sacramentorum, quam verbi Dei partes: quae sunt offerre nobis ac proponere Christum, et in eo caelestis gratiae thesauros » (Instit.IV,14,17.). Asseclas autem ibidem admonet, non esse « latentem aliquam virtutem Sacramentis annexam affixamque esse, quo ipsa per se Spiritus Sancti gratiam conferat ». *Zwinglius* vero peremptorie enuntiavit: « Fieri non potest, ut Sacramenta, res crassae et materiales, ad animam penetrent, igitur non purgant sordes peccati, quae in anima resident » (De vera et falsa religione, Cap.de Sacramentis.).

Ad haec omnia respondere debebant veritatis catholicae assertores, praesertim quia uno ore clamitabant omnes Novatores id, quod *Chemnitzius* dixit, inintelligibile esse, quid sit ista virtus in Sacramentis, quomodo adveniat, quando desinat esset etc. Sic sunt natae theoriae causalitatis Sacramentorum, quae nunc fortasse non omnibus videntur pertractationem mereri. Sed aliquando utilissimae et prorsus necessariae erant, nam conscientiam excitabant catholicam possibile esse veritati revelatae de Sacramentis obsequio rationabili adhaerere.

Nunc elapsis quatuor fere saeculis post lamentabilem illam innovationem, Protestantes hodierni filii prodigi instar ad domum paternam redire cupientes, innovare conantur vitam sacramentalem, sicque testes evadunt veritatis caelitus revelatae. Nos autem tuto adhaeremus sententiae antiquae de causalitate physica, optime scientes, in Sacramentis, utpote mysteriis a Deo donatis, penitus omnia intelligere nunquam esse possibile, dum adhuc in hoc mortalitatis corpore in terra peregrinamur.

3. De effectibus communibus Sacramentorum.

Agendum nunc est de effectibus, quos Sacramenta producunt. Tres effectuum species distinguuntur: I) primus est gratia sanctificans per ea producta vel aucta, II) dein gratia specialis, quae sacramentalis vocatur, III) demum tria Sacramenta signaculum producunt, quod character nuncupatur, cuius, IV) natura et effectus describuntur. De his tribus effectibus singillatim tractandum est.

I) De gratia sanctificante per Sacramenta producta.

Agitur in hac parte de gratia sanctificante seu gratum faciente, a S. Thoma vocata gratia « communi », i.e. gratia, quae est habitus essentiam animae perficiens eo quod animam facit participem naturae divinae. Vocatur *gratia prima*, si primo infunditur animae; hic processus nominatur iustificatio. Vocatur *gratia secunda*, si iam adest in anima hic habitus divinus, sed augetur. Per « *comitatum* » *gratiae* habitualis intelligitur summa eorum habituum, qui quodammodo a praecedente habitu, i.e. gratia, emanant; distinguuntur in virtutes theologicas et morales et in septem dona Spiritus Sancti. Quando de gratia prima et secunda. i.e. de gratiae augmento loquimur, *simul intelligenda sunt* et virtutes et dona, quae simul conferuntur cum gratia sanctificante simulque augentur cum ea. His praemissis statuitur:

THESIS. Sacramenta Novae Legis conferunt gratiam sanctificantem primam vel secundam cum toto suo comitatu. De fide.

a) **Vox Ecclesiae**

in hac re iam cognita est, nam retulimus doctrinam ecclesiasticam de virtute obiectiva Sacramentorum. Quod Sacrosancta Synodus Tridentina citatis definitionibus sub « gratia » gratiam sanctificantem intelligit, pronum est *e Prooemio sess. VII.* ubi clare enuntiatur: « Per quae (sc. Sacramenta) omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur »: iustitia autem quae incipit et augeri potest, *habitus est*, ergo evidenter gratia sanctificans.

b) **E S. Scriptura**

thesis *per inductionem* potest probari, nam Scriptura nunquam loquitur de septem Sacramentis simul sumptis. Haec probatio ab auctoribus plerumque non instituitur: gratiae sanctificantis collatio enim supponitur, uti etiam S. Thomas tantum obiter commemorat hunc effectum Sacramentorum primarium (« Gratia sacramentalis addit *super* gratiam communiter dictam et super virtutes et dona quoddam divinum auxilium » III q.62. a.2.).

1°. *Quoad baptismum*: *Mc 16,16*: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit » (sôthêsetai). Hic tribuitur vis salvationis, i.e. perveniendi ad Dei visionem Baptismo, *at* sine gratia sanctificante nemo potest pervenire in regnum Dei, Baptismus ergo gratiam tribuit, i.e. iustificat.

2°. *Quoad Confirmationem*: *Act 8,18*: « Cum vidisset Simon (magus) quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus Sanctus ». Hoc loco

evidenter loquitur Scriptura de talibus qui iam baptizati sunt. « Spiritum accipere » significat gratiae habitualis infusionem, nam missio seu datio Spiritus Sancti non est nisi per infusionem gratiae gratum facientis (vide: I q.43.a. 3.). Cum autem de baptizatis agitur, collatio gratiae secundae, i.e. augmentum intelligi debet.

3°. *Quoad Eucharistiam*: *1 Cor 10,17*: « Unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus ». Participare de uno pane eucharistico *causa* ponitur unius corporis mystici Christi (hoi *gar pantes*: omnes *enim* ex uno pane participamus). Hoc autem tunc tantum fit, si panis ille supersubstantialis sustentat et alit corpus mysticum, quod tantum per gratiam, et quidem secundam fieri potest (Bellarmin, Controv.VIII.de Sacr.-is in genere, 1.2,c.3.).

4°. *Quoad Poenitentiam*: *Jo 20,23*: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis » (an tinôn aphiête); *omnium* prorsus peccatorum reatus remitti potest per Apostolos eorumque successores, *sed* peccatum mortale tantum per infusionem gratiae deletur, ergo Poenitentiae Sacramentum servit ad infusionem gratiae, per se primae.

5°. *Quoad Extremam Unctionem*: *Jac 5,15*: « Et oratio fidei salvabit (sôsei) infirmum ». Quod intelligitur de forma Sacramenti, materia enim proxima et remota textu hoc iam memorata est. Effectus ergo huius signi sacramentalis est, quod infirmum salvat=sôsei, i.e. « sôon »=« sanum » facit. *Sed* non potest mera sanitas *corporalis* intelligi, nam tunc omnes suscipientes Unctionem nunquam morerentur, ergo etiam sanitas *spiritualis* debet intelligi, quod est gratia sanctificans ad aeternam vitam nos praesentans.

6°. *Quoad Ordinem*: *2 Tim 1,6*: « Resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum ». Gratia Dei, « charisma Theou », nil aliud potest esse, nisi gratia habitualis, nam supponitur aliquod permanens, quia tantum ista « *resuscitari* », rectius vertendo « flatu excitari », sicut scintilla solet excitari (anazôpyrein), potest. Quod revera de tali gratia *habituali agitur*, concludi potest e sequentibus verbis: « Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis », *atqui* « virtus » (dynamis) est fortitudo, « dilectio » (agapê) est caritas, « sobrietas » (sôphronismos) est temperantia, i.e. virtutes gratiam habitualem comitantes.

7°. *Quoad Matrimonium*: *Eph 5,24-25*: « Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus; viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam ». Ex his verbis elucet, quod obligationes coniugum (subiectio et dilectio) imago sunt coniunctionis Christi cum Ecclesia. *Sed* huius coniunctionis principium est gratia sanctificans, *ergo* etiam obligationis coniugum per Sacramentum matrimonii contractae.

c) **E Traditione**

quoque per inductionem fit probatio, Sacramenta gratiam habitualem conferre.

1°. *Quoad Baptismum* superfluum foret testimonia adducere, (vide ea superius, de modo efficientiae Sacramentorum 2.d.).

2°. *Quoad Confirmationem S.Cyrillus Hierosolymitanus* dicit: « Dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur» (Cat.mystagogica 3,3 PG 33,1089.).

3°. *Quoad Eucharistiam*: *Clemens Alexandrinus* in Paidagogo suo paulo post 195 scripto enuntiat clarissime: « Eucharistia (est)... laudabilis et praeclara gratia (charis), cuius qui secundum fidem efficiuntur participes, sanctificantur et corpore et anima » (2,2,19 PG 8,409.). *S.Ephraem Syrus* autem sic loquitur: « Una particula e micis eius milia milium sanctificare valet, et sufficit ut vitam praebeat omnibus, qui manducant eam » (Serm.in hebd.sanc. RI n. 707.). *Atqui* evidens est « sanctificationem » et « vitam » ultimo de aeterna vita intelligi debere, cuius semen et principium est gratia habitualis.

4°. *Quoad Poenitentiam*: *Gelasianum primigenium* clare indicat restitutionem gratiae primae his verbis: « Nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, unde eiectus fuerat, mereatur introire... ingressus cubiculum regis, in ipsius aula benedicat nomen gloriae tuae semper » (Gelas. I.XXXIX, Wilson p. 66.).

5°. *Quoad Extremam Unctionem*: *Euchologion Graecum* dicit oleum precationis (euchelaion) « oleum regenerationis, quo uncti formidabiles sunt hostibus et splendent sine macula et ruga in splendoribus Sanctorum » (Euchologion to mega, Romae 1837, 189 s.). Similiter *Ordo* quidam antiquus affirmat, quod oleum est « humani pectoris antrum emundans vitiis, et super candorem efficiens nivis » (J.Kern, De extrema unctione p.87), quae de gratia habituali dicuntur.

6°. *Quoad Ordinem*: allegari potest *S.Gregorius Nyssenus*, dicens: « Vis verbi sacerdotem purum et reverendum (semnon kai timion) efficit » (In sancta lumina PG 46, 581.).

7°. *Quoad Matrimonium*: citatur locus classicus *Origenis*: « Deus iungit duos in unum iugum (syzeuxas)... et quia Deus iugavit eos, ideo gratia (charisma) est in coniugatis a Deo » (In Mt 14,16 PG 13, 1229.).

Scholion I. De comitatu gratiae.

1°. Sacramenta dant vel perficiunt, augent hunc comitatum gratiae, nam — ut Doctor communis dicit — « sicut *ab essentia animae* fluunt *eius potentiae, ita* a gratia fluunt quaedam *perfectiones* ad potentias animae, quae dicuntur *virtutes* et dona, quibus potentiae perficiuntur in ordine ad suos actus» (III q.62.a.2.). Quod fusius interpretatum sic intelligi debet. Iustificatio i.e. prima gratia elevat naturam humanam versus altitudines mirandas: homo enim iustificatus per gratiam habitualem *vivit vitam Dei, eam* participando, quantum creatura potest. Sicut antea meram duxit vitam terrestrem, sic nunc etiam corpus eius participat hanc vitam divinam, sicut Ignatius Antiochenus scribit, quod «omnia in Christo Jesu agit » (Eph 8.). Vita naturalis hominis iustificati evadit e « vita carnali » (kata sarka) *vita « pneumatica »*, i.e. « spiritualis », sic nuncupata a Spiritu Sancto inhabitante. — 2°. Nunc autem vita haec nova *novos quoque actus* habet, qui *possibiles* fiunt *per potentias animae elevatas*, quod fit per virtutes theologicas et morales infusas, item per dona S.Spiritus. Sed sicut vita nova, i.e. deificata, non potest exterius dignosci a vita carnali, i.e. nondum elevata, sic etiam actus huius vitae novae perfecti per virtu-

tes etc. infusas seu perfecte et expedite acceptas, non diiudicantur ab actibus vitae praeteritae exterius. Etiam supernaturaliter credens *intellectu* apprehendit Deum, *sed sicut ipse Deus* hoc facit: desiderium habet et confidentiam in Eo, caritate Eum amplectitur, sed Dei caritas etc. operatur in his actibus, sic, quod hominis potentiae cooperantur cum Deo (cf. J. Pinsk, Die sakramentale Welt p. 54-56.).

Scholion II. De collatione gratiae per se et per accidens in Sacramentis.

1°. *Prima gratia,* i.e. iustificatio, datur *per se* in Sacramentis « *mortuorum* », quia spiritualiter mortuis, sc. viventibus in statu aversionis a Deo, ministrantur sec. ordinationem Dei primariam. Duo e Sacramentis pertinent huc: Baptismus et Poenitentia. *Per accidens* fieri potest, quod haec Sacramenta iam inveniant iustitiam, i.e. gratiam habitualem, tunc augent tantum gratiam.

2°. *Secunda gratia* datur *per se* per cetera Sacramenta, instituta ad augmentum gratiae habitualis, quae proin debent in statu gratiae suscipi. Ideo a theologis nuncupantur « Sacramenta vivorum » sensu vitae supernaturalis. Secundum communem doctrinam *per accidens* etiam haec Sacramenta possunt producere gratiam primam. *Praesupponitur* ad hoc: *attritio* saltem aliquando *habita* et *non retractata* per novum peccatum mortale, dein *bona fides* suscipientis. In hoc casu producunt gratiam primam, i.e. iustificant per accidens suscipientem, ut S.Thomas docet: « Si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum » (*de confirmatione* III q.72.a.7. ad 2.). *De Eucharistia* vero sic: « Perceptum ab eo (sacramentum), qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet, forte enim non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis » (III q.79.a.3.). Hoc ante Tridentinum possibile erat, quando nondum requirebatur e praescriptione legis ecclesiasticae confessio peccati mortalis ante communionem; casus *etiam nunc* possibilis est, si quis celebrare deberet et non haberet copiam confessarii, vel si *oblitus* esset peccati mortalis, vel si invalide absolutus esset. De *Extrema Unctione* omnes tenent eam per accidens remittere peccatum mortale, nam ad remissionem peccatorum instituta est (Suppl. q.30. a.1.). *Ratio,* cur haec infusio gratiae per accidens fiat in Sacramentis vivorum, est, quod sec. doctrinam Ecclesiae (Trid. sess.VII.can.6.et 7.). Sacramenta *non ponentibus* obicem *gratiam conferunt. Atqui* non ponit obicem gratiae, qui bona fide accedit, nam obex supponit reatum culpae, qui iam non existit, nam homo non est affectus erga peccatum. Ideo quoque Sacramenta vivorum per accidens gratiam infundunt, quia *nec aliud* aliquid obstat huic: non status peccatoris, quod sc. caret gratia, hoc enim est mera privatio in tali casu, atqui privatio formae non obstat susceptioni formae (cfr. Müller, De sacr. in genere p. 241.).

Scholion III. De mensura gratiae.

Mensura quoque seu quantitas, ut sic loquamur, gratiae quodam modo considerari solet a theologis. 1°. Potest sermo esse *de mensura subiectiva* gratiae, quae est sec. Tridentinum *duplex.* « Iustitiam in nobis recipientes, u-

nusquisque secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult et sec. propriam uniuscuiusque dispositionem et cooperationem » describit *Synodus* (Sess. VI.cap.7. Denz.799.). *Ratio proxima* ergo mensurae subiectivae gratiae est *dispositio et cooperatio* suscipientis, terminologia scholastica: *opus operantis.* In vase ampliore plus infundi potest, corde dilatato ergo currenda est via mandatorum Dei, quia cor dilatatum plus gratiae recipere potest. Sic iam locuti sunt Patres, ut v.gr. *Cyrillus Hierosolymitanus*: « *Munda vas tuum* ut gratiam capiat abundantiorem, remissio enim peccatorum ex aequo datur omnibus, communicatio vero Spiritus Sancti sec. proportionem cuiusque fidei conceditur. Si parum laboraveris, parum accipies » (Cat.1,5 PG 33,377.). *Ratio ultima* et profundissima gratiae acceptae in Sacramentis est voluntas Spiritus Sancti, ut Concilium enuntiavit, « ex qua fit, ut alii prae aliis sint melius dispositi, i.e. magis susceptibiles efficaciae Sacramenti » (Billot 1,99.).

2°. *Mensura obiectiva* gratiae dependet ab ipsis Sacramentis, aliis verbis vocari potest *dignitas Sacramentorum.* De fide est, quod Sacramenta nequaquam sunt « inter se paria et nulla ratione sit aliud alio dignius » (Trid. sess. VII.can.3. Denz.846.). Sed si non sunt paria, et existunt Sacramenta, quae digniora sunt; tunc Sacramentum *dignius* digniorem i.e. *qualitative et quantitative maiorem* gratiam debet producere, nam dignior causa digniorem nanciscitur effectum. Unum tantum certum est, *Eucharistiam* esse dignissimum Sacramentum, ideo « Sanctissimum » vocatur, et « Sacrosanctum Sacramentum ». Ratio est, quod non solum gratiam continet, sicuti cetera Sacramenta, sed et gratiae Auctorem (III q.65.a.3.). Quod cetera Sacramenta attinet, nondum pervestigatum est, quale sit dignius ceteris.

II) De gratia cuique Sacramento speciali.

Gratia communiter dicta, i.e. sanctificans, unicuique Sacramento convenit eademque est omnibus Sacramentis. Haec gratia « sacramentalis » vocatur, etsi etiam gratia communiter dicta per Sacramenta detur, sed ideo specificatur sic, quia agitur de gratia cuique Sacramento propria et ab alia gratia alius Sacramenti aliquomodo differente.

THESIS. Sacramenta Novae Legis gratiam cuique Sacramento specialem, vocatam sacramentalem conferunt. Theologice certum.

a) **Vox Ecclesiae**

Decretum ad Armenos: « Horum quinque prima ad spiritualem uniuscuiusque hominis in seipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiae reginem multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter *renascimur;* per Confirmationem augemur in gratia et *roboramur* in fide; renati autem et roborati *nutrimur* divino Eucharistiae alimonio » (Denz.695), et sic porro per alia Sacramenta. Ex quo sequitur, *singula* Sacramenta *specialem gratiam* conferre, quae illis tantum convenit.

b) **Scriptura et Traditio**

nunc nondum audienda sunt, nam Scriptura et Patres fere eo absolvunt suam tractationem de Sacramentis singulis, quod *enumerent speciales has gra-*

tias cuique Sacramento convenientes. Has omnes etiam nos sacramentales gratias singillatim in tractatione singulorum considerabimus. Nunc restat agere de:

c) Natura ontologica gratiae sacramentalis

Falsum esset dicere, quod gratia sacramentalis esset *ipsa gratia* habitualis *et nil aliud.* 1°. Certissime est quoddam *additamentum,* ut S.Thomas dicit: « Gratia sacramentalis *addit super gratiam* communiter dictam *et* super virtutes *et* dona quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum et donorum » (III q.62.a.2. corp.). Immo adiungit ibid. ad 3.: « Ratio sacramentalis gratiae se habet ad gratiam communiter dictam, sicut *ratio speciei ad genus.* Unde sicut non aequivoce dicitur animal communiter dictum et pro homine sumptum, ita non aequivoce dicitur gratia communiter sumpta et gratia sacramentalis ». Ex quo sequitur hanc non esse tantum ipsam gratiam habitualem et nil aliud.

2°. Sed insuper sequitur etiam, quod gratia sacramentalis *non est habitus* aliquis *specialis,* sicut gratia sanctificans, ut quidam putant. Enimvero non requiritur *habitus* distinctus, nam gratia sanctificans cum comitatu suo operari potest omnes effectus cuique Sacramento proprio.

3°. Alii ideo dicebant gratiam sacramentalem esse solum *ius ad gratias actuales* suo tempore dandas, cuiusque Sacramenti fini correspondentes, attamen haec sententia nimis extenuaret momentum gratiae actualis et recideret in theoriam causalitatis moralis Sacramentorum, quam sententiam asseclae huius theoriae revera tenent.

4°. Ideo melius dicitur gratiam sacramentalem addere gratiae habituali cum suo comitatu *principium aliquod immanens et permanens,* in quo fundatur ius ad gratias actuales cuique Sacramento necessarias. « Principium » hoc autem nihil aliud est, quam *vigor specialis, modalitas* nempe *particularis* gratiae sanctificantis, virtutum et donorum. Sic *e.gr.* in Sacramento Ordinis caritas et prudentia per Baptismum infusae evadunt caritas et prudentia sacerdotalis et pastoralis, modificati his habitibus, et hi dant ius ad gratias actuales in vita sacerdotali necessarias, simulque crescunt. Ut *Garrigou-Lagrange* dicit, caritas sacerdotalis et prudentia pastoralis parochi de Ars erant multo maiores in fine suae vitae, quam in die suae ordinationis (La grâce propre du directeur spirituel dans l'exercice de son ministère, *in:* Problemi attuali della direzione spirituale, Romae 1950, 117-137; ceterum Thomas, De verit. q.27.a.5. ad 12., Doronzo 222, Tanquerey III,270, Billot 1,95-98.). Sic distingui possunt tales vigores speciales, i.e. modalitates penes singula Sacramenta, de quibus agitur in tractatu de singulis Sacramentis.

III) De charactere Sacramentorum.

Status quaestionis.

Aliud est nomen aliud conceptus alicuius rei. Conceptus « characteris » sacramentalis inveniri potest in fontibus revelationis, quin peculiari *hoc* nomine insignitus esset, immo nomine simili « sphragis » = signaculum, vocaba-

tur e.gr. ipse Baptismus. Sed hoc ideo factum est, quia probe noverunt maiores nostri, Sacramento hoc aliquid indelebile fieri in anima, huic facto gaudebant, id admirabant Deumque glorificabant, similitudines ad factum hoc illustrandum sumentes militiae Christi, gregis Christi, etsi non cogitabant de natura ontologica huius « signaculi ». Quod demum inceptum est, quando lis exardescebat, num Baptismus iterari debeat ab haereticis administratus, tunc tandem conscientia characteris sacramentalis simulque terminus eius technicus « character » elaboratus est.

Character *definitur* vario modo, optima videtur, quae e verbis S.Thomae contexta habetur: Character est signaculum indelebile, i.e. participatio sacerdotii Christi in fidelibus eius, quod est in anima, sicut virtus quaedam instrumentalis, quo deputantur homines ad cultum Dei secundum ritum christianae religionis (cf. III q.63. a.3.5.2.).

Etymon huius vocabuli derivatur a graeco « charassô », sculpere, « character » ideo est aliquod sculptum signum. Hoc vocabulo denominabatur *nota* pecoribus *inusta,* vel militibus *signum militare* notis seu virgulis compunctum (Tetowierung), signum inustum fronti *servorum* fugitivorum «F», imo etiam imago *nummis* pecuniae impressa. His praemissis statuitur:

THESIS. Sacramenta Baptismi, Confirmationis et Ordinis characterem imprimunt animae. De fide.

a) **Vox Ecclesiae**

Tridentin. sess. VII. de Sacramentis in genere *can.* 9: « S.q.d., in tribus Sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: anathema sit! » (Denz.852.)

b) **Adversarii:**

iam *Wicleffus* s. XIV. affirmavit characterem nec Scriptura, nec ratione probari posse. *Reformatores* veram efficaciam ex opere operato Sacramentis denegantes uno ore existentiam cuiuscunque characteris infitiabantur. *Calvinus* e.gr. dixit characteris doctrinam prodiisse ex officina monachorum indoctorum, *Chemnitzius* asserebat hanc doctrinam per Innocentium III. inventam esse.

c) **Scriptura Sacra**

indubie « saltem *semina* totius doctrinae distinctius et *abundantius* deinde expositae *in traditione* et *in explicatione* per charisma doctoratus catholici » continet (Franzelin p.160-161.). *Locus classicus solum unicus* habetur, alii enim textus tantum in luce huius testimonii sufficienter intelligi possunt: *2 Cor 1,21*: « Qui unxit nos: Deus (est), qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris ». *Tres effectus* enumerantur initiationis in religionem Christi, de qua sermo est, et hi sunt: 1°. Deus unxit nos (*chrisas*), quo collatio gratiae per Sacramenta Baptismi et Confirmationis intelligitur, 2°. Deus « *etiam* signavit nos » (ho *kai* sphragisamenos hêmas), quo intelligitur sigilli (*sphragis*) alicuius impressio, 3°. idem Deus *pignus dedit* (arrabôn dous) Spiritus Sancti, qui inhabitat in iustificatis per Baptismum. Graecum arrabôn derivatur e vocabulo hebraico « erabôn », quod significat tum « auctoramentum » (Vorschuss,

déboursé, elöleg) iis datum qui servitio militari mancipati sunt, tum pignus (Unterpfand, zálog) i.e. promissionis confirmationem per aliquod donum. Utraque significatio vocis verificatur: Spiritus Sanctus etenim in iustificatis habitaculum assumens, tum auctoramentum est aeternae vitaem tum pignus, nam fideiussor (Bürge, warranter, kezes) est nos pervenire illuc. *Atqui* hi tres effectus evidenter distinguuntur per tria verba (chrisas — sphragisamenos — dous); sicque distinguuntur: gratia habitualis (chrisma) — sigilli impressio (sphragis) quae per particulam « kai » = « etiam » contradistinguitur a gratia — demum « arrabôn » i.e. inhabitatio Spiritus Sancti. Signatio ergo etsi in correlatione sit cum «unctione », tamen per textum Paulinum quoddam distinctum, et unctionem consequens habetur. Huius textus expositione intelligi possunt textus *Eph 1,13 s.*: « In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius », item *ibid.4,30*: « Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis », in illum desideratum diem, qui nescit occasum, qui expectat nos in patria, ubi redemptio demum perfecta erit.

d) **Traditio**

sine dubio cognoscit et saepe loquitur de hac veritate, quin scholastico modo penitus intelligere valuisset internam naturam huius effectus, praesertim celebrando magnitudinem baptismi; *F.J. Dölger* eximio in libro: « Sphragis » multa exponit hac de re, unde videre possumus, quod sensu stricto multi textus ab auctoribus citati de charactere distincto nondum habent conscientiam ideoque in vanum adducuntur ut testes characteris, nam quid sit, non dicunt.

1°. *Duobus primis saeculis* vocabula « *sphragis* » et « *sphragizein* » adhibentur tum a christianis, tum a paganis ad significandas actiones sacras, praesertim initiativas. *In cultibus paganis* vocabulum corporalem signationem notis compunctam, vel inustione factam significabat; dein sensu latiore etiam susceptionem alicuius in communitatem culticam (« endgültige Aufnahme in die Kultgemeinschaft » Dölger p. 169.). Hoc sensu etiam *scriptores christiani* utebantur vocabulo « sphragis », praesertim Baptismum intelligentes. Sic *Epistola Barnabae* s. II. dicit de populo Veteris Testamenti, quod circumcisus sit in signaculum (eis sphragida) foederis, quando autem Vetus Lex abolita fuit, « foedus dilectissimi Jesu in corda nostra insigillatum est » (enkatasphragisthê 9,6-4,8.). Eodem saeculo *Acta Thomae* de baptismo loquuntur, ubi Siphor Baptismum talibus verbis petit: « Peto, ut accipiamus nos signaculum (tên sphragida) a te, ut veri Dei adoratores (latrai) efficiamur, et inter agnus et oves eius numeremur » (c. 131, Dölger p. 106.).

2°. *Saec. III. S. Cyprianus* christianum baptizatum sic alloquitur: « Tu tantum, quem iam spiritualibus castris caelestis militia signavit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam » (Ad Donat. c. 15.); ubi observandum est, quod « signare » terminus technicus antiquus erat pro militibus, quorum fronti signum Caesaris, vel exercitus insignitum est: ergo etiam christiani tale quid accipiunt, ut patet, tantum spiritualiter.

3°. *Saec. IV-o* iam omnino usitata est denominatio baptismi, ut « sphragis ». S. *Eusebius* Constantinum Caesarem sic allegat moribundum: « Hora est iam,

ut accipiamus signaculum, quod immortalem facit, hora, ut possideamus salvatricem consignationem » (sotêrion sphragismatos, Vita Constant. 4,62.). — Eodem fere tempore, annis 347-8 S. *Cyrillus Hierosolymitanus* sic effatur: « Post fidem accipimus signaculum spirituale (pneumatikê sphragis), circumcisi per Spiritum Sanctum per baptismum » (Cat. 5,6.). Baptismus ergo simile signum profert in anima (pneumatikê), sicut circumcisio in corpore Iudaeorum. — *Gregorius Nazianzenus* vocat baptismum « signaculum, ut observationem (syntêrêsin), et denominationis signum » (Or. 40. in s. baptism. PG 36, 361.). — S. *Joannes Chrysostomus* iterum aliquid concretum intelligit sub vocabulo « sphragis ». « Obsignati sunt (esphragistêsan) Israelitae, sed circumcisione sicut etiam pecora et alia animalia irrationabilia, nos etiam obsignati sumus, sed ut filii Spiritu » (In Eph. hom. 2 PG 62.18.). Alio sermone Baptismum signationi militari comparans, recognoscit eius indelebilitatem: « Obsignatus es; sicut enim militibus sigillum, ita et fidelibus Spiritus imponitur, ut etiam si desertor fugias, omnibus cognoscibilis fias » (In 2 Cor., hom. 3,7 PG 61,417.).

4°. S. *Augustinus* fuit primus distincte et clare loquens de hoc signaculo, quem *characterem* vocat, quod aliud nomen est sphragidis. Multoties profert sanctus Doctor hanc doctrinam de charactere, affirmans semper, remanere in baptizato aliquid indelebile, quod est consecratio, similiter etiam in sacerdote: et haec qualitas distincta est gratia. *Locus classicus* per Card. Seripandum († 1563. Tridenti) etiam Patribus Tridentinis prolatus est: « Christiani baptismi sacramentum etiam apud haereticos valet et sufficit ad consecrationem, quamvis ad vitae aeternae participationem non sufficiat, quae consecratio reum quidem facit haereticum extra Domini gregem habere characterem, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum similiter consecrandum » (Ep. 98,5 PL 33, 362.). — Alibi Augustinus clarissime distinguit inter gratiam habitualem (« charitatem ») et characterem: « Ecce accepit sacramentum nativitatis homo baptizatus, sacramentum habet et magnum sacramentum, divinum, sanctum, ineffabile... Attendat tamen in cor, videat, si habet charitatem... Si autem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur » (In 1 Jo. tract. 5,6 PL 35, 2015.).

5°. *Praxis autem Ecclesiae* supponit characterem, nam etiam aevo antiquo nunquam iteranda censuit haec tria Sacramenta, inquantum iteratio locum habuit, *falsa suppositione nitebatur*, quod sc. haeretici non possunt valide ministrare Sacramenta, et ideo *primo* putabant baptismum conferre. Rationis instar autem semper tantum profertur, non licere « *Christum super Christum imponere* », frustrare Sacramenta, i.e. supponunt aliquid indelebile, remanens, quod est character.

e) Ratione

probatur a S. Thoma character sic: « Sacramenta Novae Legis *ad duo* ordinantur, videlicet *ad remedium* contra peccata, et ad *perficiendum animam* in his, quae pertinent ad cultum Dei secundum ritum christianae vitae. Quicunque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari, sicut milites, qui adscribebantur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per Sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens

ad cultum Dei, consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur » (III q.63. a.1.).

IV) De natura et effectu characteris.

De hac re tractantes, optime per partes suas considerari potest definitio S. Thomae, initio data de chacactere (Citatur III q.63.).

a) Character est « **signaculum** », « *quo aliquis insignitur ut* ordinandus in aliquem (ulteriorem, dicit pluries) finem: sicut charactere insignitur denarius ad usum commutationum et milites insigniuntur charactere, quasi ad militiam deputati » (art. 3.). — Sed nunc quaeritur quid sit sec. *naturam suam ontologicam* ille character. 1°. Non sufficit dicere, characterem esse *relationem* et quidem *rationis*, uti *Durandus* († 1333) putavit. Relatio enim non est absolute in subiecto, sed tantum relative, ideo relatio non potest vocari « signaculum », nec potest de ea dici, quod « imprimitur » (Trid.) in anima, relatio enim non imprimitur. Relatio quaedam (coniugum, fratrum, alumnorum Seminarii) potest quidem signaculo exprimi, quod significat relationem (e.gr. annulus, vestis rubicundus Seminariorum), sed praecise hoc signaculum *non* est relatio. — Similitudo fratrum iam est signaculum relationis realis fraternitatis, vel eius quod gemelli sunt. — 2°. Nec sufficeret relationem *realem* supponere qua naturam ontologicam characteris: relatio enim realis supponit *fundamentum* in re, si autem character esset relatio realis, non posset eius fundamentum inveniri, nam *gratia* non est fundamentum characteris, potest enim esse character etiam in iis qui carent gratia; *signum* sacramentale item non potest esse fundamentum, nam transiens est, character autem manet. — 3°. Character ergo est *aliquid plus*: *animae* imprimitur, proin debet esse *accidens*, quod inest in subiecto, ergo vel quantitas vel qualitas. Ut patet: *qualitas*. Si qualitas est, quaeritur num sit *habitus*, ut Suarez putavit, sed minus recte, nam habitus (ut species qualitatis, non ut habitus praedicamentalis, cf. Gredt I, 150. 163 s.) disponit subiectum aut ad bene, aut ad male habendum in seipso, sed character ad utrumque se habet, utuntur eo quidam bene, alii male. — 4°. Ideo melius dicitur character qualitatis species, quae *potentia* vocatur, haec sententia arridet S. *Thomae*: « Character importat quandam *potentiam spiritualem*, ordinatam ad ea, quae sunt divini cultus » (art. 2.), est ergo potentia seu facultas ministerialis aliquid agendi vel accipiendi et quidem aliquid ad cultum Dei pertinentis.

b) Character est *signaculum* **indelebile,** cuius ratio est sec. S. Thomam: « *Sacerdotium Christi est aeternum...* et inde est, quod omnis sanctificatio, quae fit per sacerdotium eius, est perpetua, re consecrata manente » (art. 5.). Ex quo sequitur, characterem non solum *in hac vita* indelebilem esse, quod de fide est, sed etiam *in vita aeterna*, nam « res consecrata » est anima, quae semper permanet. Ideo recte tenetur cum permultis theologis, characteris aeternitatem esse non solum e voluntate Dei, sed e natura intrinseca characteris. Nam rationi allatae a Thoma — quod nempe principali potentiae (sacerdotio Christi) adiuncta est potentia ministerialis (character) — addi potest, quod *neque ex alia causa* corrumpi possit character: nam *nec anima* corrumpitur, *nec mala dispositio* expellit eum, quia cum gratia vel etiam sine gratia existere potest in hac vita, ut certum est, ergo etiam in altera vita; non requirit enim character statum gratiae.

c) Character est **participatio sacerdotii Christi** sec. definitionem Thomisticam, quo declaratur *natura theologica* characteris, qui « est participatio sacerdotii Christi in fidelibus eius... ita, ut ei configurentur in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu Sacramentorum, et eorum quae pertinent ad cultum divinum » (art. 5.). *Ad difficultatem,* quod *per omnia* Sacramenta Novae Legis fit aliquis *particeps sacerdotii Christi,* respondetur cum S. Thoma: fit particeps sacerdotii Christi, in quantum percipit aliquem *effectum* huius sacerdotii: *conc.,* in quantum deputatur ad agendum vel recipiendum aliquid quod pertineat ad *cultum* sacerdotii Christi: *nego,* nam hoc tantum in tribus Sacramentis contingit (cf. art. 6. ad 1.).

d) Character **est in anima** sec. definitionem Thomae; quomodo hoc intelligendum est, est *quaestio de subiecto,* cui proxime inhaeret character. — 1°. Tridentinum et SS. Patres simpliciter loquuntur de anima, ut subiecto characterem portante, quin tamen hoc necessario de *essentia animae* intelligant, ut quidam putant (Bellarminus, Vasquez, Suarez, de Lugo etc.). Rationem affert *S. Thomas* dicendo, quod « character est quoddam signaculum... ad suscipiendum vel aliis tradendum ea, quae sunt divini *cultus.* Divinus autem cultus in quibusdam *actibus* consistit. Ad actus autem *proprie ordinantur potentiae* animae, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subiecto in essentia animae, sed in eius potentia » (art. 4.). Tamen etiam in sententia S. Thomae merito dici potest, ut et revera dicit, quod charactere « *anima insignitur* » (ibid. l. c.), nam « essentia animae est subiectum potentiae naturalis, quae ex principiis essendi procedit... Unde sicut essentia animae, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter vivit, ita potentia naturalis animae perficitur per spiritualem potentiam, quae est character » (art. 4. ad 2.). — 2°. Alia quaestio exsurgit, *qualis potentia* animae subiectum sit characteris. Sec. Scotistas est *voluntas,* sec. Thomam autem *intellectus.* Rationem sic dat huius sententiae: « Character ordinatur ad ea, quae sunt divini *cultus,* qui quidem est quaedam *fidei protestatio per exteriora signa.* Et ideo oportet, quod character sit in cognitiva potentia animae, in qua est fides » (art. 4. ad 3.). Quaestio tota non est magni momenti, nam etiam si character alicui potentiae, sive intellectui, sive voluntati inhaereat, tamen rectissime dicitur animae inhaerere, sicuti etiam communiter dicitur, virtutes caritatis et fidei infusas esse *animae,* etsi proxime fides intellectum, caritas voluntatem attingat.

e) Character est in anima, sicut *quaedam* **virtus instrumentalis,** est ergo 1°. *potentia spiritualis instrumentalis,* nam, ut Aquinas dicit, « habere sacramenti characterem competit ministris Dei, minister autem habet se per modum instrumenti, ut Philosophus dicit... » (art. 2. corp.). « Nam eadem ratio est ministri et instrumenti, utriusque enim actio exterius exhibetur, sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus » (q. 64. a.1.). — 2°. Merito affirmat E. Boularand (Nouv. Rev. théol. 1950., 261-273.) in charactere nudā *potentiā adhuc plus inveniri.* Christus enim facit hominem acceptabilem Deo, similitudinem manifestans cum Filio Dei, nosque sanctificando nobisque communicando quandam *dignitatem sanctam.* Quae dignitas distinguitur connectiturque potentiae supradictae, sicut in Christo gratia unionis et gratia unionis et gratia gratum faciens. a. Potentia ergo characteris *baptismalis* nos

configurat unitque Regi Christo, inquantum est Caput Corporis mystici, signumque sic fit nostrae dignitatis christianae, subiectumque nos efficiens Sacramentorum disponit ad vitam participandam Dei-Hominis. — **b.** Potentia characteris *Confirmationis,* immediate nos configurat unitque Christo *Prophetae,* testi fideli veritatis, signumque fit nostrae dignitatis ad « martyrium », i.e. testimonii reddendi nos capaces efformat, ad pugnamque spiritualem nos idoneos reddit. — **c.** Potentia demum characteris *Ordinis* immediate configurat fidelem Christo, in sua functione sublimissima Mediatoris, hoc est *sacerdotali,* per dignitatemque his tributam unit cum Deo in actu supremi divini cultus.

f) Charactere « **deputantur homines ad cultum Dei** sec. ritum christianae religionis », quibus Aquinas declarat *effectum characteris*: « Deputatur quisque fidelis ad recipiendum vel tradendum aliis ea, quae pertinent ad cultum Dei, et ad hoc proprie deputat character sacramentalis » (q.63. a.3.). Non omnia Sacramenta imprimunt characterem, tantum ea, quibus « deputantur homines ad cultum Dei secundum ritum christianae religionis » (art. 2.), quod tribus modis fieri potest sec. Thomam: « *Pertinet* autem aliquod Sacramentum ad divinum cultum *tripliciter*: uno modo per modum ipsius actionis — alio modo per modum agentis — tertio modo per modum recipientis » (art. 6.). — 1°. Per modum *ipsius actionis Eucharistia* ad divinum cultum ordinata est, sed non deputat homines ad hunc cultum, nam exercet hoc cultum *consecrando,* i.e. Missam celebrando. Haec actio autem terminatur non in hominem, sed in materiam panis et vini, proin non imprimit characterem ulli hominum. Eucharistiae *sumptio* item est actus cultus divini, sed *non deputat* hominem « ad aliquod ulterius agendum vel recipiendum in Sacramentis, cum potius sit finis et consummatio omnium Sacramentorum » (art. 6.). — 2°. Manent ergo *tria Sacramenta* characterem imprimentia et quidem Sacramentum deputatum ad cultum divinum « *per modum agentis* », quod est Sacramentum *Ordinis,* per hoc enim Sacramentum « deputentur homines ad Sacramenta aliis tradenda ». — 3°. *Per modum recipientis* ad divinum cultum deputatum est Baptismus et Confirmatio. *Baptismate* enim bono characterem accepit, i.e. potentiam spiritualem « recipiendi alia Sacramenta, unde Baptismus dicitur esse ianua omnium Sacramentorum » (ib. art. 6.). Quoad *Confirmationem* autem « datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras praeter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accepit homo potestatem ad ea agenda, quae ad propriam pertinent salutem, prout sc. *sec. seipsum* vivit, sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quae pertinent *ad pugnam spiritualem,* contra hostes fidei, sicut patet exemplo apostolorum, qui... egressi non verebantur publico fidem fateri etiam coram inimicis fidei christianae » (III. q.72. a.5.). Inculcandus tamen est *modus proprius* et peculiaris iuxta quem unusquisque character subiectum configurat Christo Mediatori, ut iure monet E. Boularand (Nouv. Rev. théol. 1950., 274.). Character enim baptismalis assimilat immediate Christo Capiti, Confirmationis Christo Prophetae et Regi, Ordinis autem character Christo Summo Sacerdoti. — Recte etiam extolluntur partes Spiritus Sancti hucusque aliquatenus neglectae: characteres antequam potentiae evadunt, ontologice sunt etiam quaedam specialis captio possessionis animae per Spiritum Sanctum, in statu autem esse haec possessio permanens constituit titulum exigitivum gratiarum (sic a. 1958. F. Vandenbroucke, cf. Litter.).

Litteratura.

Quoad virtutem obiectivam Sacramentorum. *Bellarminus,* Controv. VIII. gen., l. II, c.1-11. (ed. J. Fèvre II, 419-451, de opere operato). — *C. Schäzler,* Die Lehre von der Wirksamkeit der Sakramente ex opere operato, München 1860. — *H. Weisweiler,* Die Wirksamkeit der Sakramente nach Hugo von Saint Victor Freiburg i.Br. 1932. — *H. D. Simonin - G. Meersseman,* De Sacramentorum efficientia apud theologos ord. praedicatorum, Romae 1936. — *A. Landgraf,* Die Einführung des Begriffpaares opus operans und opus operatum in die Theologie, *in*: Divus Thomas 1951, 211-223.

Quoad causalitatem: *J. Bucceroni,* Commentarius de Sacramentorum causalitate, Paris 1884. — *G. Reinhold,* Die Streitfrage über die physische oder moralische Wirksamkeit der Sakramente, 2.ed. Mergentheim 1899. — *E. Hugon,* La causalité instrumentale en théologie, Paris 1907. — *J. Stufler,* Bemerkungen zur Lehre des hl. Thomas über die virtus instrumentalis, ZfkTh 1918, 719-762. — *H. Lennerz,* Das Konzil vno Trient und die theologischen Schulmeinungen, *in*: Scholastik 1929, 38-53. — *W. Lampen,* De causalitate Sacramentorum iuxta scholam Franciscanam, Bonn 1930. — *M. Gierens,* Zur Lehre des hl. Thomas über die Kausalität der Sakramente, *in*: Scholastik 1934, 321-345. — *H. D. Simonin - G. Meerssemann,* De Sacramentorum efficientia apud theologos Ordinis Praedicatorum, Romae 1936. — *A. Horvát,* Synthesis theologiae fundamentalis, Budapest 1948, 148-153. 160-162. — *H. Lennerz,* De Sacramentis Novae Legis in genere, 3.ed. Romae 1950, 215-271. — *A. Mitterer,* Grundformen der Ursächlichkeit, *in*: Scholastik 1950, 184-208. — *A. Horváth,* Das objektive Erkenntnislicht. Sein Wesen, seine Arten und Betätigungsweise, *in*: Divus Thomas 1951, 429-456.

Quoad effectus: *De Bellevue,* La grâce sacramentelle ou effets propres des divers Sacrements, Paris 1900. — *F. Brommer,* Die Lehre von den sakramentalen Charakter in der Scholastik, bis Thomas von Aquin inklusive, Paderborn 1908. — *F. Gillmann,* Der sakramentale Charakter bei den Glossatoren, *in*: Katholik 1910, I, 306-313; II, 215-218. — *F. J. Dölger,* Sphragis. Eine altchr. Taufbezeichnung in ihren Beziehungen zur profanen u. religiösen Kultur des Altertums, Paderborn 1911. — *B. Durst,* De characteribus sacramentalibus, *in*: Xenia Thomistica 1925, 541. — *C. Crowley,* A defense of the common thomistic teaching on the Sacramental Grace, Romae 1947. — *R. Brassarola,* La natura della grazia sacramentale nella dottrina di San Tommaso, Grottaferrata 1949. — *D. Bertetto,* La grazia sacramentale, *in*: Salesianum 1949, 396-413. — *J. Staudinger,* Heiliges Priestertum, Einsiedeln-Zürich-Köln 1950, 21-37 (« Der Mensch als Priester » agit de tribus characteribus. — *Ephrem Boularand,* Caractère sacerdotale et mystère du Christ, *in*: Nouv. Rev. théol. 1950, 252-274. — *J. Boulanger,* De gratia sacramenti in sensu stricto, Malzéville 1952. — *Ch. Schleck,* On Sacramental Grace, *in*: Rev. d'Université d'Ottawa 1954, 227-251. — *Idem,* St. Thomas on the Nature of Sacramental Grace, *in*: Thomist 1955, 1-30. 242-278.— *R. R. Masterton,* Sacramental Graces: Modes of sanctifying grace, *in*: Thomist 1955, 311-372. — *N. M. Häring,* Character, Signum und Signaculum, *in*: Scholastik 1955, 481-512, 1956, 41-69. 182-212. — *B. Leeming,* Principles of Sacramental Theology, London 1956, de causalitate 281-381, de effectibus communibus 3-279. — *V. Heynck,* Zum Problem der sakramentalen Gnade in der Scholastik, *ibid.* 1957, 777-860. — *J. Kaup,* Das Wesen des sakramentalen Charakters nach Petrus Joannes Olivi und Petrus de Trabibus, *ibid.* 1957, 806-824. — *J. Galot,* La nature du caractère sacramentel, Bruges 1957. — *F. Vandenbroucke,* Esprit Saint et structure ecclésiale selon la liturgie, *in*: Quest. lit. paroiss. 1958, 115-131. — *G. Flórez,* Sobre la gracia sacram., Rev. Espan. Teol. 1959, 39-60.

E) De causa Sacramentorum.

Hucusque agebatur de ipsissimis Sacramentis: quod *sint, quid* sint (existentia, essentia), quod *causae* sint et quid *producant.* Nunc ultimo agendum est de causa Sacramentorum et quidem sec. methodum Aquinatis, qui qu.64. tum de institutore Sacramentorum, tum de ministris eorum agit. Nos adhuc subiectum Sacramentorum adiicimus, nam aliquali modo etiam suscipiens causa dici potest, qua Sacramenti effectus producitur, sensu, ut patet, latiore tantum. Agendum ergo est 1) de potestate auctoritatis in Sacramentis, dein 2) de potestate excellentiae, i.e. ministerio principali, necnon 3) de ministerio secundario generali

Sacramentorum, item 4) de ministerio speciali Sacramentorum, demum 5) de subiecto Sacramentorum.

1. De potestate auctoritatis in Sacramentis.

Status quaestionis.

Potestas auctoritatis intelligitur sec. Thomam potestas instituendi Sacramenta, quae potestas soli Deo competit, ut argumenta demonstrabunt. Quando tamen sequendo veritatem voce Ecclesiae expressam, dicitur Christum instituisse Sacramenta, hoc sic debet intelligi, quod instituit ea in quantum *Deus,* ergo una cum Patre et Spiritu Sancto. — Etiam ut homo est causa Sacramentorum et quidem vi unionis hypostaticae. Nam est *causa meritoria* Sacramentorum per beatam passionem suam: omnis enim gratia in statu naturae lapsae datur e meritis et satisfactione Christi; dein est etiam *causa instrumentalis* Sacramentorum, ut eorum minister principalis: operatur enim ut homo efficienter instrumentaliter ad interiores effectus Sacramentorum, nam assumpta humanitas hypostatice unita Verbo Dei est instrumentum coniunctum in Sacramentis. Sit ergo:

THESIS. Christus, in quantum Deus, instituit Sacramenta immediate potestate auctoritatis. De fide.

a) **Vox Ecclesiae**

Trident. sess. VII. de Sacramentis in genere can. 1.: « S.q.d., Sacramenta Novae Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta... a.s. » (Denz. 844.). — *Professio fidei Tridentina* (Denz. 996.): « Profiteor quoque septem esse vere et proprie Novae Legis Sacramenta, a Jesu Christo Domino nostro instituta ». — Quod *immediate* instituit, fuit mens Concilii, nam *mediata* institutio nunquam vocatur simpliciter « institutio », est enim *permissio potestatis inferiori subiectae auctoritati;* sic Ecclesiae commissum fuit instituere *sacramentalia, tempora sacra* etc. quae ideo non dicuntur simpliciter a Christo instituta. Definitio huius immedietatis propter veteres scholasticos fuit omissa.

b) **Adversarii**

sunt 1°. memorati veteres venerandi scholastici doctores, quando adhuc elimari coepit doctrina de Sacramentis: et quidem *Petrus Lombardus* affirmans: « Hoc sacramentum unctionis *infirmorum* ab apostolis institutum legitur » (L.4, d.23.). — Item *Alexander Halensis* qui de sacramento *Confirmationis* asseruit id « institutum fuisse Spiritus Sancti instinctu in concilio Meldensi, quantum ad formam verborum et materiam elementorum, cui etiam Spiritus Sanctus contulit virtutem sanctificando » (Summa theol. IV. q.9.m.1.). Etiam *S. Bonaventura* dubitanter adhaesit huic sententiae Magistri et professori suo Alexandro Halensi, de confirmatione emim dicit: « Potest dici *et melius* ut credo, quod illud Sacramentum Christus nec dispensavit, nec instituit, quia post ascensionem eius decebat apostolos confirmari et Spiritum eis ad robur dari » (In IV.d.7. a.1.q.1.). — 2°. *Protestantes* liberales et *Modernistae* eos sequentes non tenent iam Christum Sacramenta instituisse, ut eorum doctrina reassumpta damnatur a Sancto Pio X: « Sacramenta ortum habuerunt ex eo, quod apostoli eorumque

successores *ideam* aliquam et *intentionem* Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, *interpretati sunt* » (Decr. « Lamentabili » 1907. prop. 40. Denz. 2040.). — 3°. Adversantur deinde institutioni divinae Sacramentorum asseclae *scholae historicae religionis* (Religionsgeschichtliche Schule), praesertim *R. Reitzenstein, W. Bousset,* eorumque pedissequus, deplorandus apostata *A. Loisy* (Les mystères paiens et le mystère chrétien 1932), dein *C. Clemen* (Einfluss der Mysterienreligion auf das älteste Christentum), *A. Dietrich* (Mithrasliturgie), qui plus minusve putant, Sacramenta ortum duxisse e mysteriis paganis (cf. hac de *L. Allevi,* I misteri pagani e i sacramenti cristiani, *in*: Problemi e orientamenti di teol. domm. II. Milano 1957, 757-793).

c) **Scriptura Sacra**

singillatim probantur Sacramenta per Christum instituta esse; secus autem in genere tantum per conclusionem theologicam hoc probari potest. 1°. *Hebr. 4, 11-5,10* edicitur Testamenti Novi *summum pontificem* esse Jesum, filium Dei, qui penetravit caelos (4,14), qui compati potest infirmitatibus nostris (4,15), qui « factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae » (5,9), appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech (5,10). *Sed* pontificis est *sacra ordinare,* ideo etiam Christo convenit potissima sacra Novi Testamenti: sacrificium Missae et Sacramenta ordinare. — 2°. *1 Cor 3,11*: « *Fundamentum* aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus »; quo edicitur, aliam Ecclesiam neminem posse fundare. *Atqui* si haec Ecclesia a Christo fundata est, *essentialia* eius *elementa* Ipse debuit determinare. *Sed* elementa huius Ecclesiae omnino essentialia praecise sunt Sacramenta, nam certum est, quod S. Thomas dicit, « *per Sacramenta,* quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse *fabricata Ecclesia* ». (III. q.64. a.2. ad 3.).

d) **Traditione**

imprimis *indirecte* probatur thesis, nam apud SS. Patres 1°. *nusquam invenitur* sententia veterum Scholosticorum citatorum, aliquod Sacramentum non per Christum institutum esse; dein 2°. docent verba sacramentalia esse *verba* Domini Jesu; 3°. demum declarant *Sacramenta* esse *Christi,* non vero Apostolorum (Franzelin p. 190.). Ceterum etiam aliquoties aperte declaratur veritas per se patens supposita, e.gr.: « Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De caelo ista Sacramenta venerunt », dicit S. *Ambrosius* (De Sacr. 4,4 PL 16,458); item *Augustinus*: « Ab ipsa Dei sapientia, homine assumpto (i.e. Christo Deo-homine) a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quae societatem christiani populi continerent » (De vera religione 33, PL 34,136).

e) **Rationes**

tres afferuntur a S. Thoma. 1°. *Ex operatione immediata principalis agentis*: hoc modo enim « solus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti, quia solus Deus illabitur animae, in qua Sacramenti effectus existit, non autem potest aliquid immediate operari, *ubi non est* » (III. q.64. a.1.). Christus *autem* ut homo, non est praesens in Sacramentis, quidquid vellent asseclae modernae theoriae « mysterii », tantum per effectum, excepto Sacramento altaris; *ergo* Christus in quantum Deus et non uti homo instituit Sacramenta.

2°. *Ex effectu Sacramentorum* sic arguitur: « Quia *gratia,* quae est interior Sacramenti effectus, est a solo Deo, ut in secunda parte dictum est (I-II, q.112. a.1.); *character* etiam qui est interior Sacramentorum quorumdam effectus, est virtus instrumentalis, quae manat a principali agente, quod est Deus. Secundo autem modo homo potest operari ad interiorem effectum Sacramenti, in quantum operatur per modum ministri. Nam eadem ratio est ministri et instrumenti: utriusque enim actio exterius exhibetur, sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus » (ibid.). Sic ergo tum *effectus primarius* communis Sacramentorum omnium, tum *effectus particularis* trium Sacramentorum *a solo Deo* potest exoriri, ergo Christus in quantum Deus instituit Sacramenta.

3°. Idem sequitur e consideratione *virtutis sacramentalis*: « Instrumentum habet virtutem a principali agente. *Agens* autem respectu Sacramenti est *duplex*, sc. *instituens* Sacramentum, et *utens* Sacramento instituto, applicando sc. eum ad inducendum effectum. *Virtus* autem Sacramenti *non* potest esse *ab eo, qui utitur* Sacramento, quia non operatur nisi per modum *ministerii.* Unde relinquitur, quod virtus Sacramenti sit ab eo, qui instituit Sacramentum. Cum igitur virtus Sacramenti sit a solo Deo, consequens est, quod solus Deus sit Sacramentorum institutor » (art. 2.).

f) De modo institutionis Sacramentorum.

1° De fide certum est, quod Christus Dominus instituit Sacramenta et quidem, si vera intelligatur institutio, immediate per seipsum, non per Apostolos, vel alios eorum successores. Quod *immediate* instituit, saltem *theologice certum* est, etsi videtur hanc immediatam institutionem Patribus Tridentinis magis placuisse. At quoad institutionem *immediatam* theologi posttridentini distinguunt etiam inter institutionem *in genere* et *in specie.* a. *In genere* instituisset Dominus Sacramenta, si tantum *finem* Sacramenti declarasset, et *Ecclesiae* reliquisset electionem *signi,* i.e. materiae aptae ad significandam talem gratiam et etiam verba. - b. *In specie* determinasset Sacramenta, si etiam *ipsum signum,* i.e. *talem* materiam et talem formam praescripsisset. *Priorem* sententiam tenebant Card. de Lugo, Salmanticenses, Wirceburgenses, Billot, Hurter, Van Noort, De Smedt, D'Alès, Tanquerey, Lennerz, Galtier, Umberg, etc., *secundae* adhaeserunt sequentes Suarezium S. Alphonsus Ligorius, Benedictus XIV, de Augustinis, Tepe, Card. Franzelin, Card. Lépicier, J. Müller, Pesch, Diekamp, Lercher, Doronzo etc. Utraque sententia argumenta affert e Scriptura et Traditione; sed statim videtur neutra esse convincentia.

2°. *Quae certa sunt,* in sequentibus proponuntur:

a. Certum est *Baptismum* et *Eucharistiam in specie* instituta esse, hoc enim patet e Scriptura.

b. Si etiam in specie cetera Sacramenta instituisset Dominus, hoc non fecit sic, ut *materiam* remotam *sec. qualitates* accidentales determinasset, quia hoc *neque quoad Eucharistiam* fecit; quod usus Ecclesiae differens Occidentalis et Orientalis demonstrat (panes azymi et fermentati).

c. Certum haberi etiam debet, quod Dominus *formam* sacramentalem non determinavit sec. « materialem sonum verborum..., sed *sec. significationem* pro

diversitate Sacramentorum, vel distinctam, vel saltem in confuso », ut dicit Franzelin (p.49.). Hoc enim clare ostendit *historia liturgiae,* hac in re peremptoria, nam certum est formas Sacramentorum sec. formam grammaticalem (num deprecativa, indicativa) saeculorum decursu multoties variasse et praesertim sec. typos liturgicos alias esse etiam nunc. Sic Confirmationis forma usitatissima orientalis est: « Sphragis dôreas Pneumatos hagiou », in Ecclesia Latina autem: « Signo te signo crucis etc. ».

d. Certum est, Ecclesiam hanc quaestionem *nondum dirimisse,* etsi inde a Constitutione Apostolica « *Sacramentum ordinis* » (30.nov.1947.) videri potest, quod *magis ad genericam* institutionem inclinet. Haec enim Constitutio peremptorie praescribit, instrumentorum traditionem non esse *in posterum* necessariam ad validitatem, et etiam verba in individuo consignat, quae *formam* constituant Ordinis triplicis, quae in novissima editione Pontificalis Romani maioribus typis impressa sunt, et non cantari, sed recitari debent. Tamen, ut optimus commentator huius Constitutionis, *F. Hürth* putat (Constitutio Ap. de sacris ordinibus, textus et commentarius cum appendice, Romae 1948, p. 13.18.). Ecclesia *neque his* factis *voluit* quaestionem theologicam *dirimere,* nam Constitutio dicit de traditione instrumentorum, « quod si ex Ecclesiae voluntate et praescripto eadem aliquando fuerit necessaria ad valorem quoque, omnes norunt Ecclesiam quod statuit etiam mutare et abrogare valere » (verba Constitutionis nr.3.). Ex quo sequitur: *si* Ecclesia talem potestatem non haberet, tunc instrumentorum traditio essentialis *nunquam* fuit, quia certum est hunc ritum per saecula non fuisse in usu et in Oriente nunquam; Ecclesiam autem in re tali errare non potuisse.

e. Ex hac Constitutione etiam videtur *verba Tridentini non obstare* sententiae de generica institutione, verba nempe: « Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia,* ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati... magis expedire iudicaret » (Sess. XXI. cap. 2. Denz. 931.). Quae enim exposita sunt, ut *facta* vel praeteriti, vel nostri temporis, ad substantiam nullo in casu pertinere possunt, nam ut semel iam dictum est, Ecclesia in tali usu inerrantia gaudet.

Quinque his capitibus utraque sententia convenit et sic proprie non multum refert, num — semper exceptis Baptismate et SS. Eucharistia — sermo fiat de institutione Sacramentorum in genere vel in specie. *Pro praxi* notandum est, *semper sequendas esse praescriptiones Ecclesiae* quoad Sacramentorum administrationem, tunc enim certissime non errabimus.

2. De potestate excellentiae in Sacramentis.

Potestas excellentiae vocatur a S. Thoma factum, quod Christus Dominus in Sacramentis operatur etiam *ut homo* et quidem a) *meritorie,* nam passio eius, quae competit Ei sec. humanam naturam, causa est nostrae iustificationis; b) *effective* per modum *instrumenti,* in quantum *humanitas* est eius *divinitatis instrumentum* per unionem hypostaticam *coniunctum.* « Et ideo Christus in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in Sacramentis, in quantum homo, habet potestatem excellentiae » (III, q.64.a.3). Potestas haec dicitur *simplex* ministerialis, si solum importat ius eligendi *signum* sacramentale, hanc etiam Ecclesia posset habere; et dicitur ministerialis potestas *excellentiae,* si insuper tria addantur (sic recte Doronzo p. 382).

In tribus ergo consistit haec potestas *ministerii principalis, seu excellentiae.* a) In Sacramentis operatur *meritum* et *virtus passionis* Christi; *ideo* dicitur, quod consepulti sumus Christo in Baptismo, sanguine eius irrigamur, lavamur hoc sanguine et mundi efficimur; baptismus vocatur a S. Aphraate « sacramentum baptismi passionis mortis eius » (Demonstrationes 12,10 PSyr 1,398).

b) Ad potestatem excellentiae Christi pertinet, quod *in eius nomine Sacramenta sanctificant.* Virtus enim passionis Christi copulatur nobis per *fidem,* fidem autem profitemur per invocationem *nominis* Christi, ergo passio, per quam sanctificamur in Sacramentis, nomine Christi sanctificat. *Ideo dicitur* in Scriptura *Baptismus* collatus « nomine Christi », non quasi in Eius nomine solo conferretur, sed quia sanctificationem habet in eius nomine. Ideo recte dicitur Christum *poenitentem* absolvere; *Eucharistia* est sec. S. Cyprianum « dominicae passionis et nostrae redemptionis sacramentum » (Ep. 63,11).

c) Ad potestatem excellentiae hoc quoque referendum est, quod Christus potuit effectum Sacramentorum *etiam sine exteriore Sacramento largiri,* nam *effectus* dependet a causa, non vero causa ab effectu, quae etiam sine Sacramento potest effectum conferre. Exempla habentur in vita terrestri Christi: sic remisit peccata mulieri peccatrici, paralytico in lecto, latroni dextro etc. (Cf. III, q. 64. a.3).

Consideranda ergo est *magnitudo huius facti* dogmatici. Christus Dominus non reliquit thesaurum gratiae reconditum in sanctissimis Sacramentis, sed ipse vult esse dispensator principalis huius thesauri. SS. Trinitas, sicut in institutione, ita etiam in operatione Sacramentorum simul operatur: Pater caelestis voluntatem salvificam universalem communicans Filio, qui eam « in Spiritu Sancto » executioni mandat per Sacramenta. Ideo potest vocari Spiritus Sanctus « digitus Dei », est enim manus invisibilis, per quam Christus homines attingit et in suum opus redemptivum coniungit. Manus visibilis autem Christi est Ecclesiae qua ut organo visibili Dominus utitur in administratione Sacramentorum. (Cf. Schmaus Kath. Dogm. IV, 1 (1957) 81-82).

3. De ministerio secundario generali Sacramentorum.

Status quaestionis.

Uti vidimus, Christus ut Deus instituit Sacramenta, potestate auctoritatis, ut homo autem potestate excellentiae est eorum *minister principalis.* Sed quia *sedet ad dextram* Patris, ideo in terris inapprehensibilis est, instituens ergo et ministrare volens signa visibilia sanctitatis, indiget opera ministerii secundarii. *Executionem* ergo actionis sacramentalis *commisit Sponsae suae* incontaminatae, sanctae Matri Ecclesiae, quae *est ministra secundaria* Sacramentorum, et quidem *generalis.* Ministerium Ecclesiae est generale: *extensive,* non sine intentione faciendi quod facit Ecclesia, nemo potest Sacramentum administrare; *intensive* eo sensu quod Ecclesiae est infallibiliter *conservare* Sacramenta per decisiones dogmaticas sapientesque leges; dein pertinet ad eam *exornatio* Sacramentorum quae fit per ritus et caeremonias, quibus essentia a Christo instituta circumdatur; item in Ecclesiae potestate est: *indirecta perfectio* Sacramentorum (Doronzo p. 426). Sic Matrimonii, ut est contractus, validitatem indirecte irritare potest, sicut et absolutionem dependentem facit a collatione iurisdictionis; potestatem remotam ad Confirmationem non faciendo proximam,

potest hoc Sacramentum invalidum reddere; immo potestatem habet quibusdam rebus vel verbis auferre vel conferre capacitatem, ut sint materia et forma a Christo instituta (sic inde ab anno 1947-8. quoad Sacramentum Ordinis). Demum Ecclesia *administra* quoque est Sacramentorum utique *mediate* per ministros ab ipsa designatos. Ecclesia intelligitur, per se patet, unica vera Ecclesia Christi, quae sub praesidio Romani Pontificis firmata est supra firmam petram. Si potestas ministerialis Christi-Hominis vocari potuit potestas excellentiae, vocari potest Ecclesiae potestas ministerialis secundaria generalis: *potestas dispensandi generalis.* Huius potestatis *sequela* est, quod Sacramentum *commissione tantum Ecclesiae* ministrari potest: Ecclesia enim indiget ministris secundariis specialibus, qui ut ministri Ecclesiae funguntur Sacramenta administrando. Non tamen negligenda videtur consideratio partis Ecclesiae, ideo statuitur:

THESIS. Ecclesia est ministra secundaria generalis Sacramentorum. De fide quoad contentum.

a) **Vox Ecclesiae**

E *doctrina Tridentina* clare sequitur, Ecclesiam esse ministram secundarium generalem, nam saepe dicitur *Ecclesia conferre Sacramenta. Eucharistiam* « Salvator noster *in Ecclesia sua* tamquam *symbolum reliquit* eius unitatis et caritatis » (Sess. XIII. prooem. J. Pelella, Canones et decreta Conc. Trident. Neapoli 1859. p. 63). Dein Christus « in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae, Ecclesiae visibile... relinqueret sacrificium » (sess. XXII. cap. 1. Denz. 938.). — « In honorem et memoriam Sanctorum nonnullas *Missas Ecclesia celebrare* consuevit » (sess. XXII. cap. 3. Denz. 941.). — « *Ecclesia utitur unctione in* sacra *ordinatione* » (sess. XXIII. can. 5. Denz. 965.), ubi supponitur, Ecclesiam Sacramentum Ordinis conferre. — « *Ecclesia* servat *confessionem* omnium peccatorum » (sess. XIV. can. 8. Denz. 918.). — *Claves datae* sunt *Ecclesiae* ad solvendum et etiam ad ligandum (sess. XIV. de poen. can. 15. Denz. 925.) — Concilium memorat « Extremae Unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia » (sess. XIV. de extr. unct. can. 3. Denz. 928., cf. adhuc cap. 3. Denz. 910.).

b) **Scriptura Sacra**

probat thesim 1°. *1 Cor 15, 25-28*: « Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus eius... Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus ». Hic textus enuntiat finem Christi: i.e. *totalem Dei dominationem*, quae perfectio est regni Dei, quando inimici omnes devicti et peccatum ac etiam mors destructa erunt. Haec tantum *negativa* dominatio erit Dei, etiam *positive* dominabitur: boni fideles se subiicient Deo eiusque dominationi et sic erunt « gens sancta et populus acquisitionis » (1 Petr 2,9). Finis ultimus Christi ergo est negativa et positiva sanctificatio mundi et sic fiet « Deus omnia in omnibus ». *Atqui* hanc eandem finem Jesus tradidit Ecclesiae suae, *ergo* ipsa est quae sanctificat homines et quidem in ordine salutis Novi Testamenti per Sacramenta. — 2°. Utique ut *ministra* agit Ecclesia, quae constituta est a Christo ut « oikonomos mysteriôn », i.e. « dispensator mysteriorum Dei » (*1 Cor*

4,1), verbotenus oikonomos est administrator domus, qui omnia procurat et administrat, hoc in casu « mysteria », i.e. inter alia etiam Sacramenta.

c) **Traditio**

sacra uno ore considerat Ecclesiam ut administram Sacramentorum; pul cherrima habentur testimonia. 1°. Sic S. *Ambrosius* de S. Communione dicit: « Ecclesia hortatur filios suos, hortatur proximos, ut ad sacramenta concurrant, dicens (sc. Ecclesia): « Edite proximi mei, bibite et inebriamini, fratres mei » (De myster. 9,58). *Idem* Ambrosius comparans Baptismum cum miraculosis sanationibus piscinae Probaticae, exclamat: « Quanto maior est gratia Ecclesiae, in qua omnes sanantur, quicunque descendunt! » (De sacr. 2,5).

2°. S. *Augustinus* baptismum dicit *uterum Ecclesiae*: « Ecce uterus matris Ecclesiae, ecce ut te pariat, atque in lucem fidei producat, laborat in gemitu suo » (Sermo 216., 7 PL 38,1080.). *Eodem* sermone hanc parentelam Ecclesiae in Sacramentis perficit: « Pater Deus est, mater Ecclesia. Longe aliter ab his generabimini, quam ab illis (sc. carnalibus genitoribus) geniti fueratis » (ibid. cap. 8, col. 1081.). *Idem* Augustinus interpretans pro populo Ps. 101. loquitur de Sacramento Poenitentiae, dicit: « Merito per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest, suscitari autem ipse mortuus nonnisi intus clamante Domino potest » (Enarr. in Ps.101.,p.II. PL 37,1306.).

3°. S. *Xystus III.* papa (432-440.) scripsit poëma ut inscriptionem Baptisterii Lateranensis, quae hodie adhuc legi potest: « Virgineo foetu Genitrix Ecclesia natos | Quos spiritante Deo concipit, amne parit » (Quasten p. 142.). — Haec comparatio communis erat Ecclesiae antiquae, sic e.gr. in *Gelasiano* saec. VII. iam legitur praefatio consecrationis fontis baptismatis, quae usque hodie usitatur: « Respice, Domine, in faciem Ecclesiae tuae et multiplica in ea generationes tuas... » (Wilson p. 85.).

4°. *Isaac de Stella*, abbas O. Cist († 1160) clarissime loquitur de ministerio Ecclesiae in Sacramentis: « Nihil potest Ecclesia sine Christo dimittere, nihil vult Christus sine Ecclesia dimittere... Omnia potest Christus omnipotens: baptizare, Eucharistiam consecrare, ordinare, peccata dimittere, et similia: sed nihil vult humilis et fidelis Sponsus sine Sponsa... Noli ergo caput corpori subtrahere, ut nusquam sit totus Christus, neque enim totus Christus sine Ecclesia usquam, sicut tota Ecclesia sine Christo nusquam. Totus enim et integer Christus: Caput *et* corpus » (Sermo 11. PL 194, 1729.). (Cit. per H. de Lubac, Katholizismus als Gemeinschaft, Einsiedeln 1943., 79. Anm. 15.).

d) **Ratione**

sic probatur thesis. Deus potuisset actionem sanctificatricem sibi immediate reservare et immediate, individualiter exercere. Sed non hanc viam elegit, ut ideam S. Thomae sequens M. d'Herbigny exponit. Nam 1°. *e parte Dei* magis convenit quod hanc actionem sanctificatricem per Ecclesiam exerceat, nam actio Dei immediata nequit cognosci publice, nisi *per miraculum*: hoc autem non potest esse ordo consuetus, quia tunc iam non esset miraculum.

2°. *E parte hominis*, cuius naturae minus satisfieret immediata et mere interna sanctificatio, nam homo est ens sociale et sensibile, hoc modo autem

cogeretur *ad individualismum* et egoismum, imo faveret audacioribus et superbis, noceret autem humilibus et anxiosis.

3°. *E parte Ecclesiae*: institutio enim eius fere superflua esset, eius *finis* ad sanctificationem hominum valde restrictus, si essentialis sanctificatio immediate a Deo dependeret, excluso Ecclesiae ministerio. (Cf. Theologica de Ecclesia I,199.).

Corollarium.

Sequela ministerii generalis Ecclesiae est 1°. quod *extra Ecclesiam nullum est Sacramentum.* Non potest obiici, quod *schismatici* inquantum apostolicam habent successionem, *valide possunt* ordinare, conficere Eucharistiam, vel *etiam haeretici* eodem supposito, *nam* hoc tantum fit, si minister habet *intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Christi,* etsi falso putet, hanc non esse Ecclesiam catholicam. Talis minister est in oculis Ecclesiae *minister illegitimus* et eius « actio sacramentalis non elevatur instrumentaliter, nisi inquantum procedit ab intendente facere quod facit illa Ecclesia, cuius vera sunt Sacramenta » (Billot I,185.). Sic autem Sacramenta *possunt esse valida* in schismate vel haeresi, sed baptizatus vel confirmatus *non habet baptismum* etc. *schismaticum,* protestantem, Anglicanum etc. sed *catholicum,* ideo non potest iterari, excepto dubio de validitate propter defectum materiae vel formae, vel rectae intentionis. « *Baptismate* enim accipit unusquisque characterem christianitatis, christianitas autem tota est in Catholica, quae sola est exercitus Christi, dum sectae qua tales non sunt nisi desertorum et rebellium congregationes » (Billot I,187). Sacramentum *poenitentiae invalidum* est propter *defectum iurisdictionis,* excepto mortis periculo, quando omnes, etiam schismatici et haeretici possunt valide absolvere. *Billot* putat, quod « forte tamen dici posset, *Ecclesiam supplere* in quibusdam regionibus, ubi adest communis error, sc. bona fides, et titulus coloratus ex parte sacerdotum » (I,183.).

2°. *Sequela altera* ministerii generalis Ecclesiae circa Sacramenta est, quod ex hac « auctoritate dispensandi » Ecclesiae derivatur potestas ministrorum, qui ideo *dependent a potestate Ecclesiae* et ideo *valide* ministrant vel invalide, legitime seu licite vel illegitime seu illicite. *Validitas* ministrandi est quod Sacramentum simpliciter fit, *legitimitas* seu *liceitas* ministrandi consistit in eo, quod fit *secundum debitum ordinem.* Ideo hae conditiones adhuc considerandae sunt speciatim. *Valida administratio* habetur, si ex parte ministri omnia requisita habentur, ut Sacramenta effectus suos consequi possint: *quoad validitatem* Ecclesia *conditiones* potest statuere (e.gr. penes administrationem Confirmationis per presbyterum, forma Tridentina matrimonii, usus olei consecrati etc.). *Legitima,* seu licita administratio habetur, si insuper observatur debitus ordo: sc. praescriptiones Ecclesiae (leges cultuales) et leges naturae (morales).

4. De ministerio secundario speciali circa Sacramenta.

Quia Ecclesia per ministros eius administrat Sacramenta, potestas a Christo largita ministris Sacramentorum ab Ecclesia dependet, ut vidimus. Nunc ergo inquirendum est, quae sunt conditiones I. validae, et quae II. legitimae seu licitae administrationis, demum traduntur III. normae de obligatione administrandi Sacramenta.

I. Valida administratio Sacramentorum.

Ut valida sint Sacramenta requiritur, ut minister sit a) homo viator, b) habeat potestatem requisitam et c) intentionem rectam, cuius d) tractatur notio et divisio, demum e) qualis saltem requiratur.

a) Homo viator

potest tantum esse Sacramentorum administer, quod theologice certum est. 1°. Etenim homines prae oculis habuit, cum baptizandi praeceptum dedit remittendique peccata, dein facere in Eius commemorationem, quod factum est in coena novissima. *Traditio* quoque similiter loquitur: e.gr. Chrysostomus: « Qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea, quae in caelis sunt dispensanda, commissi sunt, potestatemque acceperunt quam neque angelis, neque archangelis dedit Deus » (De sacerdotio 3,5 PG 48.643.). *Rationem* affert S. Thomas: « Tota virtus Sacramentorum a passione Christi derivatur, quae est Christi secundum quod homo, cui in natura *conformantur homines,* non autem angeli,... ideo ad homines pertinet, dispensare Sacramenta et in eis ministrare, non autem ad angelos » (III, q.64. a.7.). — 2°. De *angelis* ideo loquitur Doctor Angelicus, quia medio aevo, forsitan nimis credulo, verae putabantur legendae de angelis templa consecrantibus — quod quidem non fuisset administratio Sacramenti — vel historiuncula de S. *Amphilochio,* qui cum in deserto fuisset, episcopis deficientibus, consecratus est episcopus, quam consecrationem ceteri episcopi ratam habuerunt. Exemplum hoc, iam a Bellarmino pertractatum, ceterum nihil probat. Nam verum est *possibilitatem* adesse posse, quod angelus Sacramenta ministraret: Deus enim, qui sine Sacramento potest dare gratiam, potest etiam Sacramenti dispensationem *non homini commitere* ut Thomas dicit. Sed sicut *revera* in hoc ordine salutis gratiam tantum per Sacramenta dat, vel respectu ad ea, sic etiam verisimilius est, non accidisse casum extraordinarium, quod angelis concessisset ministrationem Sacramenti. — 3°. Similiter etiam paululum otiosum est inquirere, num homo qui certo mortuus fuerit, et *resuscitatus,* debeante iterum Baptismum recipere, vel reordinari, ut christianus esset, vel functiones sacerdotales pergere possit peragere, quia certo non deberet hoc fieri: Baptismi enim effectus perdurat per aevum, simul etiam character, i.e. potestas sacerdotalis. Non ergo « apparens » phantasma, sed vere resuscitatus posset iterum celebrare.

b) De potestate requisita.

THESIS. Ad validam Sacramentorum administrationem necessaria est potestas requisita. De fide.

1°. Vox Ecclesiae.

Trident. sess. VII. de Sacr. in genere can. 10: «S.q.d., christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandi habere potestatem: a.s. » (Denz. 853.). Item *Sess.* XXIII.*cap.*4: « Quod si quis omnes christianos promiscue Novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes inter se pari potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere » (Denz. 960.).

2°. **Adversarii**

a. *Lutheri* asseclarumque eius doctrina ab initio fuit, quod Sacramenta per se omnes christiani possunt ministrare; quae doctrina fundatur in falsa elatione sacerdotii universalis christianorum. Luther iam *primis suis thesibus*, quae damnata sunt per Leonem X. 1520, affirmavit, Sacramenta ministrare «ubi non est sacerdos, aeque potest quilibet christianus, etiam si mulier, aut puer esset» (art. 13. Denz.753.) Iam anno 1521 proposuit sententiam, quae verbotenus damnata fuit a Tridentino: « Quicunque se christianum esse cognoverit, omnes nos aequaliter esse sacerdotes, hoc est eamdem in verbo et Sacramento quocunque habere potestatem, verum non licere quemquam hac ipsa uti, nisi consensu communitatis, vel vocatione maioris » (De captiv. Babyl. De ordine). *De universali sacerdotio* sic effatus est: « Sacerdos in Novo Testamento non fit, sed nascitur, non ordinatur, sed creatur, *nascitur* autem in baptismo, suntque *prorsus omnes* christiani sacerdotes » (Lib. ad Pragenses 1523.). Nimia hostilitate ductus ad absurdum pervenit, dicens 1534: « Ego non dicam, quod Papistae dicunt, nullum angelorum, nec Mariam ipsam quidem consecrare posse. Sed econtra dico, si *diabolus ipse* veniret, et ego postea resciscerem, diabolum baptizasse, celebrasse Missam et absolvisse a peccatis... tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideo non esse inefficacia » (De missa privata). **b.** *Calvinus* et primi eius discipuli *non sunt* adversarii, nam antesignanus eorum tenuit, « in verbi Sacramentorumque administratione » christianos omnes esse pares neminem sanum (!) fateri posse, omnesque ministros e singulari mandato Christi indigere ordinatione (Antidotum Trid. s. VII. c. 10). - **c.** Aevo nostro qui dam *catholici* haberi debent adversarii sanae doctrinae, qui « populum autumant vera perfrui sacerdotali potestate, sacerdotem autem solum agere ex delegato a communitate munere » (MDei n.82.).

3°. **E S. Scriptura**

ad probationem afferri possunt et quidem iure, textus mandata Domini ad Sacramenta ministranda continentes, sed adversarii semper excipiunt, hos textus interpretandos esse de omnibus discipulis Christi. At existit textus scripturisticus, qui hanc retorsionem non patitur. Sic e.gr. *Eph 4,11 s.*: « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi ». Quibus verbis adumbratur, esse *diversa* munera, inter quae recensetur officium *pastoris* et doctoris qui ad fideles in sanctitate *perficiendos* (pros tên katartismon, i.e. perficiendum, tôn hagiôn), et quidem « in opus ministerii » (eis ergon diakonias) destinati sunt, aliis verbis ad erudiendos fideles sanctos, i,e, baptizatos, *ad cultum Dei*, dein *ad aedificium* Corporis Christi construendum « eis oikodomên », quod sine gratia sanctificante impossibile est, in Nova Lege autem per Sacramenta datur: ergo hi pastores et doctores (*poimenes kai didaskaloi*) debent Sacramentorum administri esse. Quod luce clarius patet, si Novum Testamentum in luce consideratur:

4°. **Traditionis.**

Sic iam saeculo primo exeunte *S.Clemens* papa lucide exponit, ad Missae celebrationem et Sacramentorum administrationem peculiarem et tripartitam

potestatem necessariam esse, cum dicit: « Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt » (Ad Cor 40,1 PG 1,288.). *Tertullianus* versus 200 haereticos reprehendit, quod penes eos « alius hodie episcopus, cras laicus, nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt » (De praescriptione haereticorum 41. PL 2,56), quod supponit hoc in catholica Ecclesia inauditum quid fuisse. *S. Gregorius Nyssenus* de sacerdote sic loquitur: « Cum heri et antea unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur praeceptor, praeses, doctor pietatis, latentis, latentium mysteriorum initians » (In s. lumina anno 383. PG 46, 581): ergo « *mysteria lanthanonta* », secreta mysteria, i.e. Sacramenta indigent speciali praesule, qui « mystagôgês », introductor, initians vocabatur.

Scholion. De sacerdotio universali christianorum.

Quae sit vera et orthodoxa doctrina, debemus ad tramitem « Mediator Dei » tenere. 1°. *Verum est* negarique non potest, quod « *generali titulo* christiani in Mystico Corpore membra efficiuntur Christi Sacerdotis, et charactere qui eorum in animo quasi insculpitur, ad cultum divinum deputantur, atque adeo ipsius Christi sacerdotium pro sua conditione participant » (n. 87.). Veritas haec revelata edicitur *Scriptura,* cum *S.Petrus* fideles baptizatos sic alloquitur: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (1 Pet 2,9), ubi « regale sacerdotium » (basileion hierateuma) nil aliud significare potest, nisi aliqualem participationem in sacerdotio Summi regis, i.e. Christi. Per se patet, agi *de aliquali* participatione, sicut etiam idem S.Petrus divinae consortes naturae nos fieri docet, ut clarum est, pro nostra conditione et possibilitate.

2°. Ceterum Ecclesia *non vult, ut haec veritas sileatur. S.Liturgia* nempe hanc veritatem enuntiat: « Eucharistici sacrificii ritus atque preces haud minus clare significant atque ostendunt victimae oblationem *una cum populo* a sacerdotibus fieri. Non solum enim post panis et vini oblationem sacrorum administer ad populum conversus significanter dicit: *Orate fratres,* ut meum ac vestrum sacrificium... sed praeterea supplicationes, quibus Deo divina offertur hostia, *plurali numero* plerumque eduntur, in iisdemque non semel indicatum est, *populum* etiam hoc augustum *participare* sacrificium, quatenus idem *offerentem.* Haec enim v.gr. habentur: Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt... Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae,... Nos servi tui, sed et plebs tua sancta offerimus praeclarae maiestati tuae de tuis donis et datis... » (MDei n. 86.).

3°. Post testimonium S.Liturgiae etiam *rationes* afferuntur ab eadem Encyclica, « cur christiani omnes, praesertim qui altari adsunt, offerre dicantur», cuius ratio remota est, quod « haud raro contingit ut christifideles, sacris assistentes ritibus, suas preces cum sacerdotis precibus alternis vocibus conserant», item « quia nonnunquam — quod antiquitus eveniebat crebrius — administris altaris panem vinumque *offerunt* » (n.89.). *Ratio intima* autem assignatur a SS. Patre tantum, postquam declaravit, sacerdotem celebrantem *solum* perficere illam immolationem, qua consecrationis verbis prolatis, Christus in statu victimae super altare praesens redditur », hoc sacerdos facit « prout *personam Christi sustinet,* non vero prout christifidelium personam gerit » (n.91.) *Sed*

quando sacerdos iam victimam *post consecrationem* « Deo Patri qua oblationem defert ad gloriam SS.Trinitatis et in bonum totius Ecclesiae, hanc restricti nominis oblationem christifideles *suo modo* duplicique ratione participant » (ibid). Ut S. Pater dicit: **a.** « non tantum per sacerdotis manus », sed **b.** « etiam *una cum ipso* quodammodo sacrificium offerunt, qua quidem participatione *populi quoque oblatio* ad ipsum liturgicum refertur cultum ».

c) **De recta intentione ministrandi.**

THESIS. Ad validam Sacramentorum administrationem requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia. De fide.

1°. **Vox Ecclesiae.**

Trident. sess. VII. De Sacr. in genere cann.: «S.q.d., in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia: a.s. » (Denz.854); hac terminologia iuxta A.Landgraf iam usus est Guil. Praepositinus, cancellarius Parisinus († 1210; cf. Div.Thom. 1951,28.).

2°. **Adversarii.**

Reformatores negabant intentionis necessitatem.

a. Sic *Lutherus* iam art. 12. damnato per Leonem X. affirmavit, « si sacerdos non serio, *sed ioco* absolveret, si tamen credat se esse absolutum, verissime est absolutus » (Denz. 752.). Simili modo opinabatur *Calvinus*: « Sacrosanctae Christi institutioni tantum defero, ut si *Epicureus* quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi coenam ex Christi mandato, et sec. regulam ab eo datam, rituque legitimo administret, non dubitarem panem, et calicem illius manu porrecta vera mihi esse corporis et sanguinis Christi pignora » (Antidotum s. VII. c. 11.).

b. E catholicis adversatur aliquatenus thesi *Lancellottus Politi*, nomine humanistico *Ambrosius Catharinus*, episcopus O.P. († 1553), qui affirmabat meram externam intentionem sufficere, i.e. faciendi simpliciter actum externum quem facit Ecclesia; etsi non serio, sed ficte, vel ioco fecisset, Sacramentum validum esset. Saeculis XVII-XVIII. multi theologi, praesertim Galli, secuti sunt sententiam Catharini, ut *Salmeron, Arnauld, Pasqualigo, Natalis Alexander*. Ratio eorum erat certitudinem obiectivam prorsus *independentem* reddere ab intentione interna, proin incognoscibili ministri et quietos facere fideles, sed tali hypothesi, quae cum Tridentino vix componi potest et in revera « magisticam » conceptionem Sacramentorum incidit.

3°. **Probatione**

thesis speciali non indiget, est enim sequela facti, quod Christus Ecclesiam constituit Sacramentorum ministram secundariam generalem, et sic ministri speciales seu « inferiores » ab Ecclesia dependent.

d) **Notio et divisio intentionis.**

Attentio est actus intellectus, *intentio vero* de qua agitur, *voluntatis, qua aliquid agere vel omittere volumus.*

Distinguitur (1) sec. se, (2) sec. obiectum, (3) sec. modum. 1°. *Secundum se* seu relate ad actum habetur intentio **a.** *actualis, quae et nunc adest et in actum influit et reflexe non advertitur;* sic e.gr. si aliquis recordatur se nunc consecrare et habet etiam voluntatem eo momento. - **b.** *Intentio virtualis* est ea, quae *adest, in actum influit, sed reflexe non advertitur,* si e.gr. quis ante Missam habet voluntatem se etiam pyxidem (ciborium) consecrare velle, sed durante Missa iam non cogitans de re rite dicit sacra verba. - **c.** Intentio *habitualis* habetur, si aliquando *habita est et nunquam retractata, sed nunc non adest, neque influit in actum,* sic si quis intentionem excitat, se semper velle consecrare omnia quae in altari consecrabilia sunt et erunt. - **d.** Intentio *interpretativa* vocatur intentio, quae *adesset, si in mentem veniret;* sic quando quis heri habuit intentionem celebrandi pro defuncta Livia, altera die autem accepit stipendium pro omnibus defunctis: tunc ea intentio praevalet, quam vult, quando recordatur se duas distinctas habuisse intentiones distincto tempore.

2°. *Secundum obiectum* distinguitur intentio **a.** *externa,* de qua Ambr. Catharinus, quae nil aliud est, nisi externa apparentia sine voluntate faciendi quod facit Ecclesia, — et *interna,* quae *volens totam significationem* Sacramenti, ritum *sacrum* vult peragere, seu facere id quod *Christus* instituit, seu quod *Ecclesia* facit, seu quod in genere *christiani* faciunt. Non obstat num aliquis hoc credat, vel non, sic etiam paganus potest baptizare, si internam habet intentionem. - **b.** Dein huc pertinet intentio *explicita,* si obiectum *in se ipso* intenditur — *implicita,* si *in alio obiecto* expresse cognito et volito continetur et sic mediate intenditur. Sic qui vult catholice mori, implicite habet intentionem suscipiendi Extremam Unctionem. - **c.** Demum distinguitur inter intentionem *determinatam* et *indeterminatam,* prout obiectum certum et definitum, aut vagum et incertum est et intenditur.

3°. *Secundum modum* habetur intentio **a.** *absoluta,* si voluntas independenter a quocunque eventu, vel circumstantia attingit obiectum suum. - **b.** *Condicionata* vocatur, si haec independentia deest, et terminatio voluntatis in obiectum dependet a conditione aliqua. Ideo potest esse intentio conditionata *de praesenti* (« si vivis »), *de praeterito* (« si iam restituisti »), et *de futuro* (« si parochus non advenerit, ego te baptizo »).

e) **Qualis saltem requiratur intentio?**

Intentio *faciendi quod facit Ecclesia* debet esse: 1°. *Interna,* externa enim non est vera intentio. Debet esse *saltem virtualis;* actualis est optima, sed semper actualem habere psychologice impossibile esset, ergo non potest ad valorem Sacramenti requisita esse. *Habitualis non* sufficit, *tantum in suscipiente,* nam dormiens, amens, ebrius, narcotizatus potest eam habere, sed clarum est non posse esse eum administrum. Quod attinet Matrimonium, quia suscipientes simul etiam administri sint, requiritur in hoc Sacramento intentio virtualis. 2°. Dein debet esse *determinata* quoad certas personas et materiam: non potest e.gr. absolvi catervae alicuius pars dimidia, vel duo seu tres ex illa, potest autem tota caterva. Si ex inadvertentia post consecrationem videt sacerdos, se duas hostias consecrasse et unam tantum advertisse, una est consecrata, similiter, si *in* vel *extra* corporale iacet alia hostia. — 3°. Intentio *conditionata* debet esse *de praesenti vel de praeterito,* et interdum etiam praescribitur, ne frustretur valor Sacramenti, sic e.gr. si iam mortuus est, sed vita latens adhuc su-

spicatur, absolvi et ungi debet cum conditione « si vivis ». Conditio *de futuro* invalidum reddit actum sacramentalem, nam hic actus non potest effectum suum producere, si suspensus sit per conditionem de futuro. *Matrimonium potest* validum exstare, quia natura contractus non excludit etiam conditionem de futuro. Ideo penes matrimonium possibile est conditio de futuro. Si haec conditio de futuro sit *contra matrimonii substantiam*, e.gr. exclusio totalis prolis, illud reddit invalidum; si sit de futura *licita* (v.gr. tecum nubo, si revera tale officium habes in tua patria), valorem matrimonii suspendit. Si sit de futuro *necessaria*, vel *impossibilis* vel *turpis*, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adiecta habeatur. (CIC can.1092.).

Scholion. De intentione cum errore coniuncta in administratione Sacramentorum.

Iuxta Can. 104: « Error actum irritum reddit, si versetur circa id, quod constituit substantiam actus vel recidat in conditionem sine qua non; secus actus valet, nisi aliud iure caveatur » Error versatur circa determinationem: puta, si quis opinatur se baptizare filiam talis viri et est alterius, imo, si non femina, sed masculus esset, baptismus validus est, nam esse feminam vel masculum non pertinet ad substantiam actus. Si sacerdos baptizans faceret conditionem, se nunc tantum masculum baptizare velle, tunc baptismus propter conditionem insipientem invalidus esset. Similiter iudicandum si quis absolveret Petrum, quem putat Paulum, vel puerum quem putat puellam. Error ergo circa qualitatem personae non reddit actum invalidum, nisi minister « intentionem alligaret personae determinatae; in matrimonio tamen error personae est substantialis, quia persona est ipsum *obiectum* contractus » (Merkelbach III.n. 81,3.b., cf. adhuc: Noldin III.n.23, Aertnys-Damen II.n.8,3.).

II. Legitima seu licita Sacramentorum administratio

In abstracto quid sit, iam vidimus. In concreto requiruntur quinque: a) status gratiae, item b) attentio, dein c) observatio legum cultualium, item d) licentia Ecclesiae, demum e) immunitas ministri.

a) De statu gratiae.

Sancta sancte administranda sunt, nam Christi nomine agit administer Sacramentorum, ideo sacrilegium esset Sacramenta sine *statu gratiae* administrare. Haec tamen ad legitimitatem, proinde ad liceitatem spectant, non ad validitatem, ideo statuitur:

THESIS. Fides et sanctitas ministri (1) non requiritur ad validitatem (2) sed ad liceitatem. De fide.

I. pars probatur: non ad validitatem.

1°. Vox Ecclesiae.

A *Conc. Constantiensi* damnata fuit haec propositio 4. maii 1415: « Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non

conficit, non baptizat » (Denz. 584.). *Tridentinum sess. VII. can. 12*: «S.q.d., ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum: a.s. » (Denz.855.).

2°. **Adversarii.**

Ecclesiae praxi eousque vigenti **a.** primo contrarii existebant *rebaptizantes*, sub ducatu *Agrippini* episcopi Carthaginensis in Synodo anno 215 ibi habita, decretantes Baptismum a haereticis collatum iterandum esse, utpote invalidum. Bona fide egerunt, nolentes incidere in haeresim, sed plures episcopi Africani restiterunt provocantes ad usum Ecclesiae. Successor celebris in sede Carthaginensi, S. *Cyprianus* iterum tres synodos convocans, annis 255-256 cum episcopis Numidiae, Mauretaniae et Africae decretum tulit: Baptismum haereticorum non valere, ideo reiterandum esse. Hanc sententiam *S.Stephanus* Romanus episcopus reprobavit, quin assertores eius excommunicaverit, dicens: « Nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in poenitentiam » (Fragm. epist. Stephani in ep. 74. Cypriani, Denz.46.). *Firmilianus*, episcopus Caesareae in Asia Minore in Synodo Iconii habita adhaesit sententiae falsae Africanorum. Lis de novo exarsit saec. IV. *Donatistis* eandem sententiam reassumentibus, contra quos S.Augustinus felici successu dimicavit.

b. Aevo praegothico (s.XII.) praecursores haeresis dualisticae, vocati etiam « *apostolici* » sec. testimonium S. Bernardi negabant ministros malos valide posse Sacramenta conferre, quem errorem *Waldenses* et *Albigenses* suum fecerunt, affirmantes potius bonis laicis tradendam esse Sacramentorum administrationem, quam relinquendum penes malos sacerdotes. *Wicleffus* iam adeo exaggeravit hunc errorem, ut diceret etiam ea Sacramenta invalida esse, quae nunc adhuc bonus, sed futurus malus sacerdos administret.

c. *Protestantes* non sunt adversarii hac in re, nam, uti vidimus, *Lutherus* etiam Sacramenta a diabolo ministrata valida habet, *Calvinus* autem in Antidoto Conc. Trid. ad citatum canonem nil aliud scribit, nisi « Amen » (Bellarmin. Controv. VIII.1.1,25.).

3°. **Sacra Scriptura.**

sine dubio non vult explicite probare, non requiri fidem et gratiam sanctificantem in ministro ad validitatem, sed principia affert, e quibus hoc concludi potest. Nam Scriptura apertissime dicit, *gratias gratis datas* possibiles esse in subiecto, qui gratiam habitualem non possidet, *sed* Sacramentorum administratio et confectio est potestas, quae gratia gratis data haberi debet, *ergo* Sacramentorum administratio simul esse potest cum carentia gratiae habitualis. Sequentes textus adhiberi solent:

a. *Mt 7, 22 s*: « Multi dicent mihi in illa die (sc. iudicii): Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis (homologêsô): Quia nunquam novi vos, discedite a me qui operamini iniquitatem! » *Atqui* virtutes (dynameis) facere, i.e. miracula patrare etc. est gratia gratis data, tamen reprobantur propter defectum gratiae habitualis.

b. *1 Cor 13,2*: « Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero: nihil sum ». His effatis gratiae gratis datae *extraordinariae* signantur, quippe quae simul existere possunt cum carentia gratiae habitualis, a fortiore sic est, si agatur de gratiis gratis datis ordinariis, i.e. potestate ministrandi Sacramenta.

4°. **Traditio.**

a. Iam *S.Gregorius Nazianzenus* comparat duobus annulis, quibus signatorio utuntur, qui portant effigiem regis: nil refert, num unus annulus aureus, alter ferreus tantum sit, nam si cerae imprimantur, uterque annulus eandem imaginem regis imprimit (Or.40 is bapt. PG 36, 396.).

b. *S. Augustinus* aperte dicit: « Quos baptizavit Judas, Christus baptizavit, quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si Baptismus Christi erat, Christus baptizavit » (In Jo. Tract. 5,18 PL 35,1424.).

c. *Nicolaus I.* eandem doctrinam exponit ad Bulgaros anno 866: « Non potest aliquis quantumcumque pollutus sit, Sacramenta divina polluere, quae purgatoria cunctarum remedia contagionum existunt. Non potest solis radius per cloacas et latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere » (Resp. ad consulta Bulgarorum c.71.).

5°. **Ratione**

quoque demonstrari potest Sacramenta non dependere a fide et sanctitate ministri. a. Primo arguitur ex eo, quod minister causa *instrumentalis* est, in qua nil aliud requiritur, nisi ut aptum sit instrumentum ad transeunter accipiendam virtutem principalis agentis, haec autem est potestas requisita. Dispositio subiectiva ministri (fides, gratiae status) ad validitatem non requiritur, sicut nil refert, num « corpus medici, quod est instrumentum animae habentis artem, sit sanum vel infirmum et sicut *quod fistula*, per quam transit aqua, sit argentea, vel plumbea; unde ministri Ecclesiae possunt Sacramenta conferre, etiamsi sint mali » (III q.65. a.5.). - b. secunto arguitur *ex absurditate* eius, si valor Sacramentorum dependeret a dispositione subiectiva ministrorum, quia tum Sacramenta saepe *invalida* essent; tum quia de hac re *nemo securus* esse posset; tum demum quia lugubres *sequelas* hoc haberet, e.gr. si quis tali modo invalide baptizatus episcopus factus esset omnesque eius confirmationes, ordinationes etc. invalidae essent.

II. pars probatur: Ad liceitatem requiritur status gratiae.

Etsi administratio invalida non est deficiente gratia in ministro, est peccatum sacrilegii realis. Recte ergo monet Ecclesia: « Illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat, nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis Ministris eorum effectus impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes, in aeternae mortis reatum incurrunt » (Rit. Rom.Tit.I.nr.4.).

1°. *Obligatio ministri* quoad statum gratiae gravis est, sed *de extensione eius* disputatur. *Certum est*: graviter peccare (1) ministrum *consecratum*, si (2) *sollemniter*, i.e. toto ritu praescripto servato extra casum necessitatis (3) *conficit* Sacramentum. Ergo qui sollemniter baptizat, confirmat, celebrat, absolvit, ungit, sacros ordines impertitur, certo graviter peccat, si minister in sacris constitutus sit. *Ad (1)*: De ulteriore extensione disputatur: num *laicus*, ergo non minister sacer, peccet, Baptismum conferens, vel Matrimonium contrahens cuius minister est; probabiliter teneri potest, tantum ministrum *sacrum* peccare, quia ipse tantum ut minister ad hoc consecratus agit, laicum non, sic *S.Thomas* et *Suarez* asseclaeque eorum, dum *S.Ligorius* putat etiam laicum peccare, quia obligatio status gratiae etiam a sanctitate Sacramentorum derivatur. Quoad *Matrimonium* notandum, etsi non peccent ut ministri huius Sacramenti contrahentes, peccarent graviter ut *suscipientes*. *Ad (2)* dicendum, quod iuxta sententiam mitiorem tunc graviter peccat minister consecratus, si *sollemniter* administrat Sacramentum, sententia severior S.Ligorii autem tenet, quod secus quoque peccat. *Ad (3)*: tantum ille minister peccat, qui *conficit* Sacramentum, non autem, qui S.Communionem *distribuit, vel tangit* Eucharistiam, sive immediate sive mediate (pyxidem, ostensorium): quae sententia mitior placet Cardinali *de Lugo, Vasquez, Lehmkuhl, Génicot. Noldin*, dum theologi maiores, ut *S.Thomas, Suárez, Ligorius* affirmant eum probabilius peccare, quia proxime cooperatur ad sanctificationem suscipientis Sacramentum.

2°. *In praxi quid faciendum* sit quae **a.** *sententia amplectanda sit*, solvi potest *consilio sapienti* Noldin-Schmitt-Heinzel: « Cum non sit statuendum grave peccatum, nisi de eo certo constet, » dein cum « non agatur de valore, sed solum de honestate actionis, licet uti *probabilitate* circa honestatem actionis » (n.30), si ergo desit una e tribus supradictis conditionibus graviter non peccat. - **b.** Quomodo debeat *procurari status gratiae*: quoad celebrationem certo per confessionem, ut Tridentinum praescripsit: « Ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur absque praemissa sacramentali confessione » celebret, vel Communionem sumat (Sess.XIII.cap.7. Denz. 880), quam legem CIC verbotenus transsumpsit (can.807. et 856.). Secundum eandem legem, si *urgeat* obligatio celebrandi, simulque non adsit *copia* confessarii, contritione perfecta praemissa est celebrandum. - **c.** Quoad *cetera Sacramenta* valet, quod Ecclesia dicit: « Sacerdos, si sit peccati mortalis sibi conscius, (quod absit) ad Sacramentorum administrationem ne audeat accedere, nisi prius *corde poeniteat*, sed si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, *convenit* confiteri » (Rit.Rom. tit.I.n.4.).

b) **Attentio**

quoque debita requiritur ad liceitatem. Plurimi auctores quidem attentionem ad validitatem requirunt, sed externam tantum. Attentio enim est *advertentia intellectus ad id quod agitur*, i.e. ad Sacramentum conficiendum. 1°. Potest esse *externa*, quae habetur, si *absit quaevis actio externa* attentionem internam impossibilem reddens. Talis esset, si aliquis semper mandata daret, intente audiret collocutionem sese immiscendo, manuum labore intricato occuparetur, *at* haec omnia possibilia sunt in recitatione divini officii, in praxi autem vix quidem in administratione Sacramentorum. — 2°. Ideo sub attentione tantum attentionem *internam* intelligimus, quam theologi solum ad liceitatem

requirunt, est enim advertentia mentis *reflexa* ad actionem sacramentalem, haec autem non requiritur ad validitatem. Si carentia attentionis internae *voluntaria* est, peccatum leve committitur, sed si ponendo substantiam Sacramentorum fieret, v.gr. in consecratione, propter periculum frustrationis grave esset.

c) **Observatio legum cultualium:**

quoque necessaria est ad liceitatem actionis sacramentalis. Ut patet hic solum de rubricis *accidentalibus* agitur, quae non tangunt substantiam Sacramentorum, nam rubricae essentiales ad validitatem requiruntur. Leges cultuales et inter eas rubricae praeceptivae in genere *sub gravi* obligant, canon 733. § 1. praecipit: « Serventur ritus et caeremoniae, quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur ». (De his cf. superius plura De Euchologia C.2.d. 1°.-3°.).

d) **Licentia Ecclesiae**

quoque opus est in administratione Sacramentorum, quae ius est Ecclesiae, non autem singularum personarum. Ideo: 1°. *Curatores animarum* i.e. Ordinarius, parochus et cooperatores in suo territorio habent ius administrandi Sacramenta, sec. praescriptiones iuris canonici. Extra territorium illicite vel invalide agerent sec. speciales praescriptiones inferius tractandas. Invalide: si non haberet iurisdictionem, vel assistat matrimonio, etsi hōc non conficit Sacramentum. — 2°. *Alii sacerdotes* sive saeculares, sive regulares — extra casum necessitatis praesumpta licentia — non possunt ministrare *Sacramenta parocho reservata*: « Baptismum conferre sollemniter, Eucharistiam publice ad infirmos deferre, atque in periculo mortis constitutos extrema unctione roborare » (can.462.). Etiam ad confessiones excipiendas sacerdos non curatus illius ecclesiae parochi vel rectoris licentia saltem rationabiliter praesumpta indiget.

e) **Immunitas ministri**

demum requisita est in ministro Sacramentorum, sc. a censuris (excommunicatio, interdictum, suspensio) et ab irregularitate. Pro praxi de ministris dicendum est:

1°. *Graviter illicite, sed valide* administrat Sacramenta minister **a.** *excommunicatus,* « Prohibetur excommunicatus licite Sacramenta et sacramentalia conficere et ministrare » (can. 2261. § 1). - **b.** Irretitus *suspensione,* « quae *vetat administrationem* Sacramentorum et sacramentalium » (can.2284. de his « servatur praescriptum can.2261 »). quae suspensiones sunt: (1) « Suspensio *ab officio* simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum potestatis ordinis et iurisdictionis » (can.2279.§.1.) - (2) Suspensio « *a divinis* » quae vetat « omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem, sive per privilegium obtinet » (can.2279.§.2. nr.2., sic e.gr. confirmandi privilegium pro abbate vel praelato nullius). - (3) Suspensiones « ab ordinibus, a sacris ordinibus, a certo et definito ordine exercendo, a certo et definito ordine conferendo ab ordine pontificali » (can. 2279. § 2. nr. 3. 4. 5. 6. et 8.). - **c.** Irretitus *suspensione,* quae « *prohibet actum iurisdictionis* in foro seu interno seu externo », *si* lata *non* sit sententia condemmatoria vel declaratoria (cf.can. 2284: « secus est illicitus tantum »). Suspensiones huius speciei sunt sequentes:

(1) « Suspensio ab officio » (can. 2279. § 1, cf. supra b. 1.). - (2) Suspensio « a iurisdictione generatim vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae tam delegatae » (can.2279.§.2.nr.1.). - (3) Suspensio « a certo et *definito ministerio*, e.gr. audiendi confessiones,, vel officio, e.gr. cum cura animarum, omnem actum eiusdem ministerii vel officii » (ib.7.).

2°. *Valide et etiam licite* conferunt Sacramenta hi ministri enumerati, *si fideles* ex qualibet *iusta causa* ab iis hoc *petant*, « maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi » (can.2261.§.2. idem de suspensis supra enumeratis sec. can.2284.). **a.** Hae *iustae causate* sunt sec. S. Alphonsum: si urgeat praeceptum confessionis vel communionis — si ex dilatione susceptionis immineat periculum peccati — si alias permanere deberet in peccato mortali — si indulgentias vellet lucrari — si velit Missam applicare pro defuncto — si alias diu carere deberet communione vel perito directore (Theol. Mor. l. VI. nr. 89.). - **b.** Hae *iustae causae* non possunt invocari in sequentibus casibus: (1) Si minister sit excommunicatus *vitandus*, vel excommunicatus *post* sententiam condemnatoriam vel declaratoriam (can. 2261. § 3.). - (2) Si minister suspensus sit censura suspensionis quae prohibet actum iurisdictionis (v. supra 1°. c.). In hoc casu « actus est invalidus, e.gr. absolutio sacramentalis, *si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut* superior expresse declarat se ipsam iurisdictionis potestatem revocare » (can.2284.). - (3) *Etiam* in his duobus casibus *licita*: « Fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem, ad normam can.882.2252, tum etiam si alii desint ministri, cetera Sacramenta et sacramentalia » (can.2261.§.3.).

3°. *Quoad ministros irregulares*: « Sacramentum pariter validum est, etiam Poenitentia, quia irregularis non privatur iurisdictione, sed solum licentia exercendi ordinem susceptum; administratio autem graviter illicita est, nisi gravi damno excusetur » (Noldin - Schmitt - Heinzel n. 33,5. b.). Pro dispensatione Ordinarius adeundus est, in casibus occultis urgentioribus confessarius potest dispensare ab irregularitate ex occulto delicto proveniente, excepto homicidio et procuratione abortus (can.990.).

III. Normae pastorales de obligatione administrandi Sacramenta

De administratione recta Sacramentorum septem regulae possunt colligi, quae sequentes sunt.

I. regula. *Curatores animarum sub gravi ex iustitia tenentur Sacramenta ministrare fidelibus suis rationabiliter petentibus.*

a) Regula haec *divino iure* mandatur, sec. Trident.: « Praecepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissum est, oves suas ... Sacramentorum administratione pascere » (sess.XXIII.cap.1), quod etiam ex institutione Sacramentorum sequitur, e.gr. « Euntes in mundum universum docete... baptizate... » Ecclesia *sua lege* inculcavit praeceptum divinum: « Debet parochus... administrare Sacramenta fidelibus, quoties legitime petant » (can.467.§.1.).

b) Praeceptum hoc exoritur 1°. *ex iustitia*, nam fideles « laici ius habent recipiendi a clero, ad normam ecclesiasticae disciplinae, spiritualia bona et potissimum adiumenta ad salutem necessaria » (can.682), *atqui* tali iuri indubio

respondet a parte ministri obligatio ex iustitia. Hoc pronum est, nam *contractus* obligat curatorem animarum (episcopum, parochum, cooperatores, rectores ecclesiae) conclusus cum *Ecclesia,* talia munia, imprimis ministrandi Sacramenta, obeundi; ideo enim acceperunt ordinationem et officium. *Quasicontractus* intercedit etiam inter *fideles et parochum*: fideles dant honestam sustentationem, curatore animarum procurat bona spiritualia. — 2°. Hic contractus per se *sub gravi* obligat, quia de rebus gravissimis agitur: de aeterna salute per Sacramenta adipiscenda. Haec obligatio ex iustitia tantum obligat « parochos aliosque, quibus cura animarum *vi muneris est demandata* » (can. 892. « gravi iustitiae obligatione tenetur ». — 3°. Fidelibus *suis,* i.e. subditis suis debent ex iustitia Sacramenta ministrare, alios tantum e caritate (« fidelium sibi commissorum » can. 892. § 1.).

c) Quoties *rationabiliter petunt,* ut de confessione can. citatus dicit («Quoties ii audiri rationabiliter petant »), de aliis Sacramentis autem can.467 (« quoties legitime petant »). *Quid hoc significet,* declaratur ab auctorbus. 1°. « Qui *irrationabiliter* vel tempore inopportuno petenti denegat Sacramenta, qui e.gr. scrupolosos, vel devotulas non semper audit, quoties se sistunt, non peccat. Qui *una alterave vice* denegat Sacramenta ei, qui *non* versatur in necessitate spirituali, leviter tantum peccat, quia damnum facile reparari potest. *Graviter peccat,* qui *etsi semel* tantum, recusat petenti ex necessitate vel praecepto. Qui saepius se difficilem et morosum praebet in administratione Sacramentorum, graviter peccat, quia fideles a Sacramentis suscipiendis hac sua agendi ratione deterret» (Noldin-Schmitt-Heinzel n. 34,1.b.c.). — 2°. Petitio haec rationabilis censenda est etiam tunc, si administratio Sacramentorum involveret *sanitatis vel vitae periculum evidens,* nam « bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis », exemplum secutus Pastoris et Episcopi animarum nostrarum. Ideo Apostolica Sedes declaravit *minimum,* quod sub gravi tenetur curator animarum observare: *Sacramenta* nempe *necessaria* ministrare. S. Congr. *Concilii* etenim declaravit, tempore pestis — quo nomine etiam alii morbi contagiosi, immo et impetus aërei intelligi debent, eaedem enim sunt conditiones — parochum teneri ministrare duo Sacramenta ad salutem necessaria, nempe, Baptismum et Poenitentiam, per se vel per suos vicarios, neque licere ei recedere a parochia, etsi relinqueret vicarium idoneum (decr. 12. oct. 1576.). Hoc minimum est praeceptum, ad quod etiam adiungere debemus Extremam Unctionem pro illis, qui sensibus destituti sunt. Bonus pastor autem etiam viaticum administrat, praesertim hodierno tempore, quando iam contagionis causae clare patent, et facilius, quam ante quatuor saecula amoveri possunt.

d) « *Petitionem supponere* » aliquatenus sapit praeteritum, quando populus adhuc inde ab infantia et in familia sua catholice educatus est. Hodiernis temporibus in permultis regionibus sane pauci delegarent petitionem pro Sacramentis, quae fere neque cognoscunt. Ideo sacerdotibus nostri saeculi suadendum est multo plus iis facere, quae stricte praescripta sunt: Pastoris Boni pium sequantur exemplum, qui relinquens nonagintanovem oves in deserto, vadit ad illam (Lc 15,4) quae perierat, donec inveniat illam. Sic ergo se gerat, ultro offerens *omni die* confessionis occasionem, nunquam impatientis speciem prae se ferens, nec propter temporis ineptitudinem, nec propter psychica detrimenta experta, et aegrotos *sua sponte* crebro visitans.

II. regula. « *Urgente necessitate omnes confessarii obligatione tenentur ex caritate confessiones fidelium audiendi, et in mortis periculo omnes sacerdotes* » (can.892.§.2.).

a) Sancta Mater Ecclesia hic principium suum prodit, quod ceteris paribus valet quoque *de aliis* Sacramentis. *Semper* supponitur *curatos* pastores *deficere* in casu aliquo concreto. Quod necessitatem attinet, auctores distinguunt: 1°. In *necessitate communi* debent occurrere ex caritate sub levi, si sine incommodo possunt. 2°. *In gravi necessitate* tenentur sub gravi, non tamen cum valde magno incommodo. 3°. In *extrema necessitate* autem, cui aequiparatur *necessitas gravis communis,* etiam vitam periclitando tenentur succurrere: **a.** *Extrema* habetur necessitas, si infantes decederent sine Baptismo; in tali versantur haeretici et schismatici in mortis periculo; dein etiam peccatores ignorantes suum statum et modum contritionis perfectae eliciendi. — **b.** Necessitas *gravis communis* habetur, si multi simul sint moribundi, seu in periculo mortis, nam certo certius inter multos plurimi sunt, qui in extrema necessitate spirituali versantur. Ideo tali in casu etiam sacerdotes non curati tenentur cum periculo vitae succurrere.

III. regula. *Peccatori publico deneganda sunt Sacramenta. Rituale Romanum* enim praescribit: « Arcendi sunt (ab Eucharistia) publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestoque infames, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint » (Tit. V,c.1,9.). a) *Infames* sunt infamia facti, « quando quis ob patratum delictum, vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit » (can.2293.§.3.). Sic haberi debet peccator publicus, qui in statu peccati mortalis habitualiter vivit multis hoc cognoscentibus, (in matrimonio mere civili, invalido, concubinatu, munus vel occupationem exercens immorale, ut meretricium, in odio publice noto, qui sodalis est societatum ab Ecclesia vetitarum). b) Haec regula *non* valet de Poenitentia, nam omnes qui dispositi iudicantur, absolvi debent, utique postquam scandalum reparaverint, vel saltem serio promiserint (concubinatum dimittendi, matrimonium invalidum suspendendi etc.). c) Ad Sacramentum *Matrimonii* e gravi causa admittendi sunt etiam haeretici et publici peccatores (can. 1102 et 1066.).

IV. regula. *Peccatori occulto deneganda sunt Sacramenta, si ea occulte petat. Can. 855. § 2.*: « Occultos vero peccatores, si *occulte* petant et eos non emendatos agnoverit, minister repellat », excipitur casus, si indignitatem *solum e confessione* cognovisset. « Non autem (sc. repellat occultos peccatores), si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat ». Hoc praesertim valet de S.Communione. Sacramentum *Ordinis* autem etiam indigno occulto deneganda est. sec. Thomam (Suppl. q. 36 a. 4. ad 3) et S. Alphonsum Ligorium (l.VI,n.52.).

V. regula. *Acatholicis deneganda sunt Sacramenta. Can.731.§.2.*: « Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis et schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerit », e qua regula excipi potest articulus mortis, de quo. cf. tractatum de Extr. Unct. D.1.a.2°.

VI. regula. *Simulatio Sacramentorum semper illicita est.* Simulatio Sacramentorum est *actio sacramentalis* ad apparentiam rite posita, sed *e voluntate*

ministri *ob defectum* aliquem *occultum invalida.* Sic invalida potest esse actio sacramentalis ob defectum intentionis in ministro, si tali modo pronuntiaret verba absolutionis; vel si tantum aqua celebraret, vel aceto, vel vino arte facto; vel si omitteret verba consecrationis, elevationem autem perageret; si adhiberet oleum non olivarum, nec consecratum etc. Haec simulatio *nunquam* permissa est, Ecclesia enim sententiam: « Urgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi » proscripsit (B. Innocent XI. Denz. 1179.). Nunquam licet ergo hostiam non consecratem dare etiam consentienti, nec celebrare sine consecratione, vel sine intentione consecrandi, nam hoc peccatum gravius esset ipsa consecratione vel communione sacrilege peracta.

VII. regula. *Dissimulatio Sacramentorum e causa proportionate gravi licita est.* Dissimulatio Sacramentorum definitur actio *consimilis* actioni sacramentali *ad celandam* negationem Sacramenti. Sic licet poenitentem, qui absolvi non potuit, *cum sola benedictione* dimittere, ne circumstantes videant, eum non fuisse absolutum. Similiter si *poenitens* adeat confessionale benedictionem tantum petiturus, quod expresse can.521.§.1. permittit, dicens confessario extraordinario « omnes religiosae se sistere debere, saltem benedictionem recepturae », ergo a fortiore etiam aliis hoc licitum est. Licitum est verba dicens distributionis praterire aliquem indispositum, non porrigens ei Eucharistiam et similia.

5. De subiecto Sacramentorum ut causa suscipiente

In ministro requisita est potestas et intentio, in suscipiente Sacramentorum est correspondenter capacitas requisita et intentio suscipiendi, ut Sacramenta *valide* ministrentur. *Ad legitimam* susceptionem requiritur attentio et dispositio necessaria. Agendum ergo a) de validitate susceptionis, b) de legitimitate seu liceitate susceptionis Sacramentorum.

a) De valida susceptione Sacramentorum.

1°. *Capacitas requisita* est primo necessaria ad validam susceptionem Sacramentorum. **a.** Capacitas incipit eo, quod solus homo *viator* est subiectum capax Sacramentorum. - **b.** Quod singula attinet Sacramenta, Baptismi capax est omnis homo viator. Confirmationis capax est baptizatus, item pro Eucharistia. Pro Poenitentia capax est baptizatus, qui peccata habet, pro Extrema Unctione baptizatus, qui peccavit et propter morbum in periculo est mortis. Pro Ordine capax est masculus baptizatus, pro Matrimonio baptizati mas et femina, usum habentes rationis.

2° *Intentio requisita* est varia sec. diversa Sacramenta.

a. *Intentio virtualis* requiritur ad *Poenitentiam* et ad *Matrimonium* ob internam constitutionem horum Sacramentorum. Poenitentiae enim quasi-materia consistit in actibus poenitentis, *atqui* actus humanus requirit saltem intentionem virtualem. Sine his actibus Sacramentum hoc non haberet materiam, cui forma, absolutio applicari possit. Quod *Matrimonium* attinet, intentio virtualis necessaria est, nam ministri eius sunt ipsi contrahentes, sed in *ministro* requiritur intentio virtualis.

b. *Intentio habitualis et EXPLICITA* requiritur in *adulto* ad susceptionem *ordinis,* quia nullus adultus contrahere potest sine sua expressa voluntate, i.e. explicite, non in alia contenta, tam graves obligationes.

c. *Intentio habitualis IMPLICITA* requiritur *ad cetera* Sacramenta, quoad *adultos,* i.e. qui usum rationis habent. Haec intentio habitualis non intelligitur talis, quae revera non sit, debet esse *vera,* i.e. positiva voluntate debet Sacramentum intendi. Sufficit, ut hoc *implicite* fiat: i.e. si vult christianus esse et sensibus destitutus est, Baptismum et Confirmationem valide accipit. Qui catholice vult mori, in hac voluntate inclusum habet votum Extremae Unctionis, sensibus destitutus ergo valide eam accipit. « Eo ipse quod christiane vixerunt, vel quamvis peccantes, non recesserunt a religione christiana, habuerunt voluntatem adhibendi media a Deo ordinata ad vitam religiose agendam et praesertim finiendam » (Noldin-Schmitt-Heinzel n. 41, 5 a.). Quaestio est, num etiam sensibus destitutus *acatholicus* vel *infidelis* possit talem habere intentionem, nempe habitualem *implicitam* et hanc sufficere ad valorem Sacramenti. In documentis ecclesiasticis semper supponitur talem debere habere voluntatem Sacramenti, i.e. intentionem *expressam,* etsi habitualem. Sic frustra baptizarentur Nigritae dormientes sopore lethali, qui non cogitabant de baptismate, sed aliquo modo vellent salvi fieri. S. *Officium* declaravit de Mahumetanis moribundis et sensibus iam destitutis « si ante dederint signa velle baptizari, vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eandem dispositionem ostenderint, baptizare posse sub conditione, quatenus tamen missionarius cunctis rerum adiunctis inspectis, ita prudenter iudicaverit » (Decr.30.mart.1898.).

d. *Intentione suppleta* per Christum et Ecclesiam Sacramenta *Baptismi, Confirmationis, Eucharistiae* et *Ordinis valide* suscipiunt *infantes et perpetuo amentes,* i.e. qui usum rationis nunquam habuerunt, qui infantibus aequiparandi sunt. *Debent* suscipere Baptismum, *possunt* Confirmationem, in Ecclesia Orientali semper licite, in Occidentali solum apud Hispanos et morbo periculum mortis secum ferente. Nunc illicitum est eis Eucharistiam suscipere, quod aevo antiquae Ecclesiae in usu, proin licitum erat. *Semper* illicitum erat infantibus Ordinem suscipere. Ordinatis in infantia, quando 16-um aetatis annum obtigerint, datur optio si volunt vitae sacerdotalis obligationem observare, possunt munea exercere, si noluerint, possunt laicorum more vivere et etiam ad nuptias convolare (Benedictus XIV. «Ego quamvis » 4.maii 1745.).

b) De legitima seu licita Sacramentorum susceptione.

1°. *Attentio* in suscipiente tantum ad liceitatem requiritur, voluntaria etiam distractio veniale non excedit.

2°. *Dispositio requisita* est. **a.** in Sacramentis mortuorum *attritio,* **b.** in Sacramentis vivorum: *status gratiae,* procurandus similiter ac in ministris saltem per contritionem caritate perfectam, quoad Eucharistiam per absolutionem sacramentalem. **c.** Sine hac dispositione requisita suscipere Sacramentum est grave sacrilegium reale, quod sacrilegium maius est quam peccatum sacrilege Sacramenta ministrantis, qui Sancta non tractat sancte, suscipiens autem indigne ea fructu privat, i.e. frustrat, quod maius peccatum haberi debet.

TABELLA
de causis Sacramentorum

I. *Potestate auctoritatis* : Christus ut Deus (una cum Patre et Spiritu Sancto)

II. *Potestate excellentiae* : Christus ut homo { ut causa meritoria / ut causa instrum. princip.

III. *Potestate participata* : Ecclesia (minist. secund. generalis)

IV. *Potestate commissa* : Ministri ab Ecclesia constituti secundarii speciales:

A) *VALIDE ministrantes*:

1. Homo viator.
2. Potestate praeditus.
3. Intentio
   - sec. se: { actualis / *virtualis* / habitualis } (requiritur)
   - sec. obiect. { externa / interna } { implicita / explicita } { determinata / indeterminata }
   - sec. modum: { absoluta / conditionata { de praesenti / de praeterito / de futuro }

B) *LEGITIME (licite) ministrantes*:

1. Status gratiae: { non: ad validitatem / ad liceitatem, *si*: { minister consecratus, / sollemniter, / conficit.
2. Attentio: { externa: ad validitatem / interna { sub gravi ad essentialia / sub levi ceterum
3. Observatio legum cultualium { essentialium: ad validitatem / accidentalium: ad liceitatem:
   praeceptivarum: in genere gravi, — directivarum
4. Licentia: { curatores animarum: ordinarie / alii ministri: per commissionem
5. Immunitas: { a censuris { excommunicatus / suspensus } { valide, etiam licite, / si petantur iuste. / ab irregularitate

V. *Potestate suscipientis*:

A) *VALIDE suscipientes*:

1. Capacitas requisita.
2. Intentio: { habitualis explicita: ad ordinem in adulto / habitualis implicita: ad cetera Sacramenta

B) *LEGITIME (licite) suscipientes*:

1. Attentio.
2. Dispositio { in Sacramentis mortuorum: attritio / in Sacramentis vivorum: status gratiae

Litteratura.

Quoad potestatem auctoritatis: *J. B. Allo,* L'Évangile en face du syncrétisme païen, Paris 1910. — *F. Cumont,* Les religions orientales dans le paganisme romain, 4.ed. Bruxelles 1929. — *K. Prümm,* Religionsgeschichtliches Handbuch für den Raum der altchristlichen Umwelt, 1943; impressio anastatica 1954.

Quoad potestatem excellentiae: *J. B. Umberg,* Die Bedeutung des tridentinischen « salva illorum substantia », *in*: ZfkTh 1924, 161-195.

Quoad ministerium secundarium generale: *F. Schmid,* Die Gewalt der Kirche bezüglich der Sakramente, *in*: ZfkTh 1908, 43-54. 254-288. — *M. d'Herbigny,* Theologica de Ecclesia, ed.2. Paris I. 1920. — *H. de Lubac,* Katholizismus als Gemeinschaft, Einsiedeln 1943.

Quoad ministerium speciale Sacramentorum: *Ambr. Catharinus,* De necessaria intentione in perficiendis Sacramentis, Romae 1552. — *F. Morgott,* Der Spender der hl. Sakramente nach der Lehre des hl. Thomas, Freiburg 1886. — *Fr. Gillmann,* Ueber die Notwendigkeit der Intention auf Seiten des Spenders und Empfängers der Sakramente nach der Anschauung der Frühscholastik, Mainz 1916. — *F. Schäfer,* Die Verwaltung und Spendung der Sakramente nach dem Codex Iuris Canonici, Paderborn 1921. — *A. Landgraf,* Beiträge der Frühscholastik z. Terminologie der allgemeinen Sakramentenlehre, *in*: Div. Thom. 1951, 4-34; de intentione p. 9-34. — *L. Renwart,* Intention du ministre et validité des sacrements, *in*: Nouv. Rev. théol. 1955, 800-821; réflexions du H. Bouessé *ibid.* 1067-1074, remarques du L. Renwart *ibid.* 1075-1077; Bouessé *ib.* 1958, 722-725.

Quoad controversiam rebaptizantium: *Joh. Ernst,* Die Ketzertaufangelegenheit in der altchristl. Kirche nach Cyprian, Mainz 1901. — *Idem,* Papst Stephan und der Ketzertaufstreit, Mainz 1905. — *A. Ehrhard,* Die Kirche der Märtyrer, München 1932, p. 338-344. — *A. Fliche - V. Martin,* Histoire de l'Église II.1935, 199-209. — *A. Ehrhard,* Die griechische und die lateinische Kirche, Bonn 1937, 179-189 (quoad Donatistas). — *E. Doronzo,* De Sacramentis in genere, Milwauke, 1946, 471-490. — *H. Lennerz,* De Sacramentis Novae Legis in genere, 3.ed. Romae 1950, 107-126.

Quoad subiectum Sacramentorum: *P. Schanz,* Die Lehre von den hl. Sakramenten 1893, 187-191. — *L. Billot,* De Ecclesiae Sacramentis, I. 5.ed. Romae 1914, 204-207. — *J. Müller,* De Sacramentis in genere, 2.ed. Oeniponte 1915, 435-447. — *B. Merkelbach,* Summa Th. Moralis III, ed.8., 1949, n. 91-96. — *J. Aertnys - C. A. Damen,* Theologia Moralis, ed.18. 1950, n. 28-37. — *L. J. Fanfani,* Manuale theor-pract. Theologiae Moralis 1951, p. 24-29. — *H. Noldin - A. Schmitt - G. Heinzel,* Theologia Moralis III. ed. 30. 1954, n. 40-43. — *B. Leeming,* Principles of Sacramental Theology, London 1956, 433-550. — *H. Schillebeeckx,* Die Sakramente als Organe der Gottbegegnung, *in*: Fragen der Theol. heute, Einsiedeln 1957, 379-401. — *J. Feine,* Die Sakramente in der Heilsgeschichte, *in*: Anima 1957, 321-328.

PARS SPECIALIS

I. Tractatus primus.

De Ecclesia Sacrificante.

Primus tractatus Liturgiae seu Theologiae sacramentalis specialis agit de Ecclesia sacrificante, id est de SS. Missae sacrificio. Ingredientes sublimissimum ex omnibus tractatum reverentiam exhibemus Divinitati e profundis misericordiae suae thesaurum nobis pandenti sacrificii sacrosancti. Missa enim est « christianae religionis caput ac veluti centrum ... sacrae liturgiae veluti res maxima » (MDei n.65.).

Tractatum denominavimus titulo *Ecclesiae* sacrificantis, ne in oblivionem deducatur veritas de partibus Ecclesiae in oblatione sacrificii incruenti, etsi huius principalis offerens procul dubio Christus esse creditur. Sacrificium Ecclesiae a recentioribus iure merito in maiorem lucem ponitur (De la Taille, praecipue J. A. Jungmann, Missarum sollemnia 1, 238-256 et Vom Sinn der Messe als Opfer der Gemeinschaft, 1954, 7-29, dein F. X. Arnold et L. Eizenhöfer in: Die Messe in der Glaubensverkündigung 1950, 114-161 et 79-107, demum R. Schulte, Die Messe als Opfer der Kirche, 1959). Quod quidem recte factum esse ostenditur a s. liturgia quae praecise oblationem ecclesiasticam extollit, et quidem *primario* respiciens semper partem quandam Ecclesiae concretam quae *hic et nunc hoc* sacrificium praesens offert, *secundario* tantum universalem Ecclesiam, semper supponendo quidem, sed multo rarius exprimendo oblationem Christi, Summi Pontificis. Magisterium Ecclesiae revera clare enuntiat sacrificium Missae esse etiam sacrificium Ecclesiae. Christus etenim iuxta Tridentinum « dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile sicut hominum natura exigit, reliquit sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur », — item « novum instituit pascha se ipsum ab Ecclesia immolandum in memoriam transitus sui », cuius oblationis minister principalis est Christus, sed « offerens sacerdotum ministerio » (sess.XXII.c.1.2. Denz. 938. 940.).

S.Scriptura Veteris Legis praesagiebat sacrificium aevi Messianici, terminis utens sacrificalibus evidenterque supponens ministerium sacerdotale, oblationem itaque Ecclesiae (Mal 1,10-11). Hanc oblationem iuxta S. Scripturam Novae Legis Dominus Jesus condens in coena novissima, eam renovare iussit Apostolis eorumve successoribus in sui memoriam. SS.Patres quoque uno ore affirmabant sacrificium Missae ab Ecclesia quoque offerri, sic e.gr.S.Irenaeus: « Hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori suo » (Adv.haer. IV, 18,4), dein S. Augustinus: « ...quotidianum voluit esse sacrificium, quae (Ec-

clesia) cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre » (De civit.Dei 10,16.).

Sacrificatio ecclesiastica in eo invenitur, quod Ecclesia precibus et ritibus circumdat, praeparat sacrificium, et etiam in eo, quod veluti sacrificium initiale offert fructus laboris manuum fidelium suorum: panem et vinum, quae simul etiam sustentacula vitae sunt. Sacrificium hoc initiale Deus accipit et per verba consecratoria Salvatoris id transmutat in sacrificium completum et proprie dictum. Partes Ecclesiae etiam heic evidenter apparent: verba enim consecrationis proferuntur quidem a ministro « in persona Christi », sed talis minister per Ecclesiam est designatus, consecratus et ad hanc actionem delegatus, qui demum labia sua nomine Ecclesiae Christo-Pontifici quadammodo commodavit. Ecclesia demum consecratione peracta, sanctum sacrificium etiam in sua persona offert aeterno Patri, Deo vivo et vero.

Ecclesiae ergo, humani generis arca salutis, navis vitae, gubernante Petri successore, secumportat hunc thesaurum ad finem usque saeculi. Audiatur vox ipsius Ecclesiae de hoc thesauro: « Si quid est in rebus humanis plane divinum, quod nobis superni cives invidere possent, id certe est sacrosanctum Missae sacrificium, cuius beneficio fit, ut homines quadam anticipatione possideant in terris caelum, dum ante oculos habent et manibus contrectant ipsum caeli terraeque Conditorem » (Urbanus VIII. 2. sept. 1634.).

Agere ergo debemus in hanc gravissimam causam convertendo animos, tractationi huic aliquantisper diutius immorando (cf. MDei n. 65.), sequentes evolvendo fusius quaestiones:

A) De notione sacrificii Missae.
B) De existentia sacrificii Missae.
C) De essentia sacrificii Missae.
D) De efficientia sacrificii Missae.
E) De evolutione et historia ritus Missae.
F) De legibus cultualibus Missae.
G) De ritibus sacrificii Missae.

A) De notione sacrificii Missae

Agendum est 1. de definitione sacrificii in genere, deinde 2. applicanda est haec definitio interim ad sacrificium Missae, demum videri debent 3. denominationes variae sacrificii Missae.

1. De definitione sacrificii in genere

Sacrificium, thysia est in genere aliquid sacrum facere (sacrificium), *thyein* significat fumare (rauchen), vel fumigare (räuchern), et ideo sensu secundo « immolare », vel « occidere ». Usurpatur sensu latiore et sensu stricto.

a) **Sensu latiore** seu in metaphorica, aliter analogica acceptione sacrificii: citari solet *definitio* classica S. *Augustini*: « Sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societete inhaereamus Deo » (De civ. Dei 10,6 PL 41,283.). Tali sensu loquitur S. Scriptura de *mortificatione* corporis: « Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, Deo placentem » (Rom 12,1.).

Beneficentia quoque sacrificii nomine vocatur: « Beneficentiae et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus » (Heb 13,16.).

Poenitentia quoque sacrificii nomine honoratur: « Sacrificium Deo spiritus contribulatus » (Ps 50,10.).

Oratio etiam iure vocatur tali sensu sacrificium: « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum » (Ps 140,2.).

b) **Sensu stricto** sacrificium *varias* habuit *definitiones*, nam theologi posttridentini multi necessarium putabant aliquo modo destructionem in definitionem intrudere, quam essentialem existimabant in notione sacrificii. In hac re inter multos consensus viget. Sic e. gr. molinista *Hurter*: « Oblatio Deo facta rei substantialis et sensibilis per eiusdem realem vel moraliter aequivalentem destructionem seu immutationem, legitime instituta ad agnoscendam Dei maiestatem » (Theol. dogm. comp. III,387.). Simili modo thomista *Zubizarreta*: « Oblatio rei sensibilis per realem vel aequivalentem eius destructionem legitime Deo facta, ad testandum supremum Dei dominium in omnes res » (Theol. dogm.-schol. IV,264.).

c) **Recta definitio** *sensu stricto* forsan videtur, quae non inducit aliquod elementum disputatum et datur a S. Thoma:

« *Sacrificium est quidam specialis actus qui in divinam reverentiam fit, quando circa res Deo oblatas aliquid fit* » (definitio contexta est e duobus locis: II-II q. 85. a. 3. in corp. et ibid. ad 3.).

2. Applicatio definitionis ad sacrificium Missae

a) Sacrificium Missae est **quidam specialis actus.** 1°. Actus specificatur *per intentionem*, sec. Aquinatem: « Sacrificium exterius... (quo) Deo aliquid exterius offertur in protestationem divinae subiectionis » (II-II. q. 85. a. 4.). Revera *historia religionum* hoc detegit in *omni* actione sacrificante, homines per sacrificium velle seipsos offerre divinitati, quod fit per *substitutionem*. Sic etiam aberrationes explicari, non quidem ratae haberi possunt, quando aliquem eorum immolaverunt, ut e.gr. Achaz primogenitum offerebat *Moloch*, cuius fornax ardens ingentis oris speciem gerens serviebat ad immolandum filium, vel quando *Indi* (hindu) sacrificium vernale per occisionem virginis offerebant, eius corporis partes sepeliendo in quatuor angulis agri, vel antiqui Mexicani, *Azteci*, captivorum corda excidentes, offerebant numini. Immolatio animalium est sacrificium vices gerens immolationis hominis.

2°. *Intentio* haec sacrificalis seipsum offerendi *in protestationem divinae subiectionis* essentialis est, ut Scriptura demonstrat: « Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso?... Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo » (Mich 6,6-8.). Praesertim Ps 49. loquitur de sacrificio Deo accepto: « Non de sacrificiis tuis te reprehendo, nam holocausta tua coram me sunt semper, non accipiam de domo tua vitulum, neque de gregibus tuis hircos... Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua et invoca me in die angustiae: liberabo te et honorabis me » (Ps 49,8-15.). — Etiam *in Christi sacrificio* haec subiectio erat essentialis, quando « assistens pontifex futurorum bonorum... per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa » (Heb 9,11 s.) et in hoc

actu essentiale erat, quod « humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ». Recte *Schütz*: « Pretium sacrificii omnium excellentissimi, crucis inquam, in eo potissimum ab apostolo cernitur, quod Christus erat obediens usque ad mortem crucis » (Summarium p. 447).

3°. Intentio haec sacrificalis in protestationem divinae subiectionis constituit sacrificium internum, est ergo de essentia sacrificii, ut Thomas docet (II-II. q. 85. a. 1. « hoc autem pertinet ad rationem sacrificii »). A veritate ergo longe aberrant, qui ad rationem sacrificii *synaxim eucharisticam*, seu communionem perducunt, quae quidem pars integrans est sacrificii, sed non constituit *essentialem* partem sacrificii, nec haberi potest ut *culmen* totius celebrationis.

4°. Sic erravit 1905 episcopus (Milevitanus) *James Bellord*, docens ad sacrificii conceptum essentialem et primigenium pertinere non oblationem, multo minus destructionem (quod et nos profitemur), sed sacrificium constitui in *epulo* sacro, i.e. convivio hominum cum Divinitate (The banquet-theory, cf. inf. Litter.!) Bellord ad historiam religionum provocat, sed frustra: nam in religione primitivorum gentium habetur solum *oblatio* primitiarum, in sacrificio Cain et Abel nullum vestigium invenitur epuli. — Ideo *Mediator Dei*: « Ex veritatis igitur itinere aberrant qui... captiose asseverent heic agi non de sacrificio solummodo communitatis, atque s. synaxim ponant, communiter actam, quasi totius celebrationis culmen » (nr. 113.).

b) Sacrificium Missae **fit in divinam reverentiam,** hic est finis *qui*, dum actus specificatus per intentionem subiectionis est finis *quo* hic finis *qui* attingitur. S. Thomas hoc sic explicat: « Oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum. Significat autem sacrificium quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima seipsam offert Deo in sacrificio, sicut principio suae creationis et sicut fini suae beatificationis » (l. c. a. 2.). Deo offerimur ut principio nos creanti, ut causae nostri essendi, dein ut fini nostrae beatitudinis; sic fit Deus Alpha et Omega.

Agnoscentes Eum esse principium et finem, per sacrificium Ei reverentiam exhibemus. S. Thomas hoc explicat per comparationem factam inter sacrificia Veteris Legis cum sacrificio Novae Legis: « Quia ex figurato sumitur ratio figurae, ideo rationes sacrificiorum figuralium Veteris Legis sumendae sunt ex vero sacrificio Christi... Inter omnia sacrificia *holocaustum* erat praecipuum, quia totum comburebatur in honorem Dei, et nihil ex eo comedebatur. Secundum vero locum in sanctitate tenebat hostia *pro peccato*, quia comedebatur solum in atrio a sacerdotibus in ipsa die sacrificii. Tertium vero gradum tenebant hostiae pacificae *pro gratiarum actione*, quae comedebantur ipso die, sed ubique in Hierusalem. Quartum vero locum tenebant hostiae pacificae *ex voto*, quarum carnes poterant etiam in crastino comedi. Et est ratio huius ordinis, quia maxime obligatur homo Deo propter eius *maiestatem*, secundo propter *offensam* commissam, tertio propter *beneficia* iam *suscepta*, quarto propter beneficia *sperata* » (I-II q. 102. a. 3. in corp. *et* ad 10.). *Atqui* si in sacrificio Missae, cuius sacrificia Veteris Legis tantum figurae erant, Dei maiestas agnoscitur, placatur offensa, gratiae aguntur et beneficia petuntur: Deo reverentia quam maxima exhibetur. *Ergo* Missae summopere convenit nota haec sacrificii. Ut Mediator Dei dicit: « Novae Legis sacrificium supremum illud obsequium significat, quo ipse principalis offerens, qui Christus est, et una cum eo et per eum omnia eius mystica membra *debito Deum honore* prosequantur ac venerentur » (nr. 92.).

c) In sacrificio Missae habetur **res Deo oblata** et quidem perfectissima: « Victima est divinus nempe Redemptor, secundum humanam naturam suam et in corporis sanguinisque sui veritate » (MD n. 69).

1°. Res i.e. haec victima Deo oblata *ideo est perfectissima,* quia — a. oblatio Christi utpote *substitutio* oblationis nosmetipsius *perfectissima* est, eandem enim naturam habet, ac nos, excepto peccato et ideo primogenitus est inter multos fratres, optime ergo nostri vice fungi potest, — b. autem ideo quia Victima augustissima per unionem hypostaticam *substantialiter sancta* est, ergo Deo perfectissime placet.

2°. Christus ut « res Deo oblata » in sacrificio Missae *materia* est. *Forma eius interna* est finis *quo,* i.e. intentio semet subiiciendi Deo, et simul etiam finis *qui,* i.e. reverentia Deo exhibita. *Forma externa* sacrificii Missae est actio sacrificalis, nam « exterius sacrificium repraesentatio est interioris veri sacrificii, secundum quod mens humana seipsum Deo offert » (C. Gent. III, 20,9). Notandum est, hic agi de sacrificii Missae constitutione metaphysica, nam constitutio physice spectata, i.e. confectio (Herrichtung, elkészítés) Eucharistiae materiam habet panem et vinum, formam vero verba transmutantia Salvatoris.

Schemate hoc illustratur constitutio metaphysica:



Remanet ergo actio sacrificalis, quando:

d) etiam in Missae sacrificio **circa res Deo oblatas aliquid fit.** « Oblatio enim directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat, sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos nihil fit. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur », i.e. sacrificium dici potest oblatio, haec enim latius patet, ac sacrificium, oblatio autem non potest dici sacrificium (II-II q. 85. a. 3. ad 3.).

Haec actio qua aliquid fit circa Christum oblatum, est « vera ac propria sacrificatio, qua quidem per *incruentam immolationem* Summus Sacerdos id agit, quod iam in Cruce fecit, semetipsum aeterno Patri hostiam offerens acceptissimam », ut Mediator Dei dicit (n. 67.). — Alia quaestio est, num illa

incruenta immolatio necessario includat aliqualem destructionem, ut multi theologi posttridentini putant, de qua re agitur inferius.

e) Optime ergo verbis Tridentini (contextis e sess. XXII. cap. 1. et 2. et can. 1.) **sacrificium Missae definitur:** « Missa est verum ac proprium sacrificium, quo cruentum illud sacrificium semel in Cruce peractum repraesentatur, in quo idem ille Christus continetur et incruente immolatur, idem nunc offerens est sacerdotum ministerio corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri, sola offerendi ratione diversa ».

3. Variae denominationes sacrificii Missae

Sacrificium Missae saeculorum decursu variissimis nominibus appellabatur. Quaedam nomina desumebantur *e parte aliqua conspicua* Missae, alia autem *cauto sermone* cum quadam reservatione tantum e longinquo denominabant Missam, iterum sunt nomina *congregationem* (Versammlung, gyülekezet) populi respicientia (cf. uberius cl. Jungmann).

a) **Nomina e parte conspicua desumpta** (denominationes synecdoches) sunt sequentes.

1°. « *Klasis tou artou* », fractio panis, in Actibus apostolorum; nam etiam Dominus « fregit panem » unum, ut distribuere possit eum discipulis. Etiam in hoc nomine subintelligebatur sacramentalis actus, cf. Pauli effatum: « Panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est? (1. Cor 10,16.).

2°. « *Kyriakon deipnon* », « coena Dominica » iuxta Pauli appellationem (1. Cor 11,20.), primario respicit participationem, de qua in hoc contextu agit. Eius denominatione abutebantur Protestantes, affirmantes, Missam esse tantum participationem corporis et sanguinis Domini, quam « coenam sacram », vel « coenam Domini » (Abendmahl, Urvacsora) vocitabant.

3°. « *Eucharistia* » inde iam a saeculo I. exeunte, sumpta a gratiarum actione, graece « eucharistia », quam iam aliquo modo Dominus adhibuit, et intra quam consecrabatur a primordiis Ecclesiae panis et vinum.

4°. « *Sacrificium* » evasit nomen usitatissimum in Africa christiana, ut videri potest penes Cyprianum et Augustinum. Vox correspondens graeca iam a II. saeculo occurrit (thysia).

5°. « *Oblatio* » nomen est usitatissimum in Ecclesia Latina, usque ad s. VI. — Aetheria Aquitanica semper sic appellat Missam; « missa » apud eam semper significat finem alicuius actionis sacrae. Terminus correspondens graecus « prosphora » in Oriente tantum per breve tempus usurpabatur.

6°. « *Kurbônô* », i.e. « donum » vocatur Missa penes Syros tum Orientales, tum Occidentales.

b) Alia nomina Missae orta sunt **e quadam verecundia sacrali,** qua nolumus res sanctas suo nomine appellare, sed cauto sermone tantum quasi e longinquo. Talia nomina sunt:

1°. « *Kurôbhô* », « ingressus » nimirum ad Deum, nomen usitatum Missae apud Syros occidentales.

2°. « *Sacrum* »: vetus denominatio, quae dein etiam in lingua neolatina in usu venit (sacrum litare, accipere tot sacra). Aliqui Semitae quoque hoc vocabulo designant Missam. Graecum « *hagiasmos* » assumptum est a Coptis, « *keddashe* » penes Aethiopes, « *takdish* » apud Arabes usurpatur.

3°. « *Dominicum* » saeculis III-IV. valde usitata appellatio fuit in Africa et etiam Romae. Complendum est « dominicum sacramentum » vel mysterium.

4°. « *Leiturgia* », opus publicum, nomen est Graecum, quae inde a s. IV. usque hodie pro Missa in Oriente Graeco in usu est. Sensu consimili loquuntur etiam de « *hierourgia* », i.e. sacro opere, aliquoties de « *mystagogia* », i.e. introductione in mysteria. — Etiam in Ecclesia Latina tale nomen in usu fuit, nam Missa vocatur etiam « *officium* », sicuti psalmodia quoque, imo et id, quod nos nunc liturgiam vocamus, i.e. totus cultus publicus. Im medio aevo multae Missae in codicibus inscriptum habebant: « officium », inde penes Germanos remansit usque hodie nomen missae cantatae « Amt », missae sollemnis autem « officium summum »: « Hochamt ».

5°. « *Actio* » quoque appellabatur Missa, celebrare autem « agere », quo nomine executionem sacrae actionis intelligebant; S. Ambrosius e.gr. saepe sic loquitur de Missa. Nomen « actionis » posterius tantum ad Missam sacrificalem constringebatur, sic intelligitur, quid sit « canon actionis »: regulae Missae sacrificalis peragendae. — Aliquoties medio aevo Missa etiam « *agenda* » vocabatur, celebrare autem dicebant: « agere agendam ».

c) Nomina Missae demum desumebantur etiam **a congregatione populi.** Talia nomina sunt:

1°. « *Collecta* », i.e. forma vulgaris latina vocabuli « collectio » quae transeunter tantum in usu erat. — Graeci autem longius utebantur vocabulo eodem Graeco « *synaxis* », usque dum vox « leiturgia » id ex usu submovit. Humanistae aevo litterarum renascentium vocabulum « synaxin » adamantes, id ad significandam s. communionem et Eucharistiam usurpabant, quod etiam in documentis ecclesiasticis adhuc usuvenit.

2°. « *Missa* », vocabulum in Ecclesia Latina victor, in omnibus fere linguis modernis quoque usitatum vario modo interpretatum est. C. M. Kaufmann, archaelogus putabat, id derivari e « mesa » forma vulgari « mensae » sc. altaris. — F. Böhmer 1943 ostendit, « missam patellam » (Opferteller, áldozati tál) vocatam esse penes Romanos paganos pateram, in qua cibos ad sepulchra defunctorum offerebant, sed inde, ut periti opinantur, non potest derivari nomen christianum. — Missa dein revera significabat « missionem », i.e. « *dimissionem* », cuius forma vulgaris « missa » est (cf. Ascensio-Ascensa, collectio-collecta etc.). Media latinitate sic vocabant dimissionem post audientias regales, vel dimissionem populi post aliquam functionem publicam. Hanc significationem subesse nomini victori Missae, hodie omnes concedunt; J. A. Jungmann autem ostendit, etiam huic nomini subesse significationem sacralem (Zur Bedeutungsgeschichte des Wortes Missa, *in*: ZfkTh 1940., 26-37.). Sic vocabant etenim dimissionem catechumenorum ante Missam sacrificalem, et etiam dimissionem populi finita actione sacra. Jungmann recte provocat ad id, quod utraque dimissio coniuncta erat cum benedictione aliqua sollemni, ergo etiam vocabulum « missa » in se continet hoc momentum sacrum benedictionis, a qua dein per

synecdochen *totam actionem* sic vocabant, sicut Germani devotionem pomeridianam « benedictionem » (Segen) vocant a benedictione sacramentali in fine huius devotionis data, dum Galli easdem devotiones « salutationem » (salut) vocant propter antiphonam B. Mariae Virginis in ea cantatam, Hungari autem « litaniam » (letenye, litánia) nuncupant devotiones propter litanias in eisdem recitatas. Vocabulum « missa » etiam *pro officio chori* in usu erat (« missae nocturnae, vespertinae, matutinae » ad designandos nocturnos, Laudes, Vesperas). Inde a fine s. V-i in toto Occidente praevalere coepit nomen « Missae », quam Gregorius Magnus libenter vocavit « Missarum sollemnia ».

Litteratura.

A. Vacant, Hist. de la conception du sacrifice de la Messe dans l'Église latine, Lyon 1894. — *Fr. Renz*, Geschichte des Messopferbegriffs, Freiburg 1901-2, duo tomi. — *M. Lepin*, L'idée du sacrifice de la Messe, Paris 1926. — *G. L. Bauer*, Das heilige Messopfer im Lichte der Grundsätze des Hl. Thomas über das Opfer, *in*: Div. Thomas 1950, 5-31. — *J. A. Jungmann*, Namen der Messe, *in*: Missarum sollemnia 3.ed. Wien 1952, p. 225-233. — *A. Pagliaro*, Da « Missa est » a Missa « Messa », *in*: Atti dell'Accademia dei Lincei 1955, 104-135. — *A. Coppo*, Una nuova ipotesi sull'origine di « Missa », *in*: Eph. Lit. 1957, 225-267.

B) De existentia sacrificii Missae

Agitur de veritate dogmatica quam semper profitebatur antiquitas christiana, de qua statuitur:

THESIS. In Missa offertur Deo verum ac proprium sacrificium. De fide.

1. Vox Ecclesiae

a) **Ecclesia docens**

tribus vicibus temporum proposuit doctrinam suam traditionalem de existentia sacrificii Missae: s. XII-XV. contra haereses dualisticas, dein praesertim contra Novatores in Conc. Tridentino, demum contra errores Modernistarum et aliorum nostro tempore.

Innocentius III. Professio fidei Waldensibus praescripta a. 1208: « Sacrificium, i.e. panem et vinum, post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem D. N. J. Christi, firmiter et indubitanter corde puro credimus » (Denz 424.); ibidem Missam vocat etiam « altaris sacrificium » et « sacrificium Eucharistiae », quin directe definiret Missam esse sacrificium.

Conc. Lateranense IV. a. 1215. c. 1. de fide cath.: « Idem ipse sacerdos est sacrificium Jesus Christus, cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur... » (Denz 430.).

Honorius III. a. 1220. ad Olavum archiepiscopum Upsalensem Missam simpliciter vocat « sacrificium » (Denz 441.).

Conc. Lugdunense II. a. 1274. in professione fidei Michaelis Palaeologi loquitur de « Missarum sacrificiis » (Denz 464.).

Conc. Constantiense a. 1418. prop. 5. damnata Wicleffii: « Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit » (Denz 585.).

Directa definitio deinde lata est a *Conc. Tridentino sess. XXII. can. 1.* « S.q.d., in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod of-

ferri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit » (Denz 948.). — *Ibid. cap. 1. et 2.* veritates dogmaticas fundamentales aperit nobis S. Mater Ecclesia: Missam esse divinum sacrificium; fundatorem eius esse Jesum, qui in coena novissima dilectae Sponsae suae Ecclesiae visibile hoc reliquit sacrificium; Missam esse repraesentationem sacrificii semel in Cruce peracti, sacrificium fieri per oblationem corporis et sanguinis sub speciebus panis et vini, offerendi rationem esse diversam, demum SS. Synodus enumerat etiam fructus huius sacrificii (Denz. 938-940).

b) **Vox Ecclesiae orantis.**

Doctrinam suam docendo protulit Ecclesia, quando necessarium erat propter invectiones insipidas haereticorum, utpote divina *Magistra* humani generis; eandem veritatem supernam tamen etiam profitebatur, antequam sollemniter docuisset, iam inde ab exordiis suis, *precando* in ipsa liturgia celebrans Missam. Sic prodit nobis fidem suam textibus liturgicis expressam et sane indubiam.

1°. *Sacramentarium Leonianum* saec. V-VI. habet orationem: « Sacrificiis praesentibus, Domine, quaesumus, intende placatus, ut et devotioni nostrae proficiant et saluti » (Mense Dec. V. Feltoe. p. 171.). Venerandum hoc monumentum ritus Romani antiqui, confectum pro curia Papae, multoties commemorat « sacrificium, quod immolamus », « sacrificium quod celebramus », quod « offerimus », quod clare supponit dona transmutata: « Sacrificium tibi Domine, celebrandum placatus intende » (Julio XVIIII. Feltoe p. 67.), dicens in secreta, quando panis etc. iam oblatus est, « sacrificium nostrae servitutis » (Feltoe p. 6.11.12.106.).

2°. Similiter *Sacramentarium Gelasianum* saec. VI-VII. clare et saepe loquitur de sacrificio « praesente » (Wilson 32.), de sacrificiis, quae « potenti virtute mundatos, ad suum faciant venire puriores principium » (Wilson p. 40.), quibus « Ecclesia mirabiliter renascitur et nutritur » (Wilson 91). Candide aperitur mens Ecclesiae, quando hic liber liturgicus Missam cum sacrificiis Veteris Legis comparans evidenter supponit, Missam quoque esse verum ac proprium sacrificium, imo unicum verum. Praesertim duabus orationibus exprimit hanc fidem: « Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, spiritalem tibi, summe Pater, hostiam supplici servitute deferimus, quae miro ineffabilique mysterio et immolatur semper et eadem offertur » (Wilson p. 129.). « Carnales victimae » erant sacrificia vera et proprie dicta V.T.-i, quae tamen tantum « obumbrationes » erant relate ad « mirum mysterium » Missae. — Item alicubi Gelasianum: « Omnipotens sempiterne Deus, qui legalium differentiam hostiarum in unius huius sacrificii perfectione sanxisti, respice propitius de throno gloriae tuae et super hoc altare benedictionis tuae munus effunde » (Wilson 137.); hic enim uno verbo dicit effectus differentes victimarum Veteris Legis in perfectione unius sacrificii Missae inveniri.

3°. Quod attinet liturgias *Orientales*, idem videmus. Liturgia S. *Marci* vocat Missam « terribile et incruentum sacrificium »; Euchologion S. *Serapionis* autem sic precatur: « Panem obtulimus et deprecamur per hoc sacrificium (thysian): Esto propitius nobis omnibus et sis expiatus, Deus veritatis! » (post consecrationem panis IV. Quasten p. 62). — Tanto tristius est, quod veritas divina adeo clare professa tamen nacta est adversarios.

2. Adversarii Sacrificii Missae

a) Primo intuitu videntur tales fuisse *christiani* **aevi antiqui,** nam martyres interrogati, num christiani habeant sacrificium, saepe negative respondebant. Sic v.gr. S. *Phileas,* episcopus Thmuensis in Aegypto, anno 306. praesidi Culciano interroganti: « Qualibus sacrificiis delectatur Deus tuus? » — sic respondit: « Corde mundo et sensibus sinceris, et verborum verorum sacrificiis delectatur Deus » (Knopf-Krüger, Ausgewähle Märtyrerakten, Tübingen 1929., 113. s.). Propter disciplinam sacram silentii seu « arcani » celaverunt enim mysterium dominicum et ideo etiam alii martyres tantum de intentione recte vivendi locuti sunt. Eiusdem Phileae successor erat Thmuide S. *Serapion,* descriptor illius formulae Missae, qua forsitan etiam Phileas usus est, quae clare testatur indolem sacrificalem Missae. Ceterum textus Patrum evidenter ostendunt conscientiam sacrificii quoad Missam adfuisse etiam aevo antiquo.

b) Veri adversarii Missae tantum **aevo praegothico,** *saec. nimirum XII.* exoriebantur, quando haeresis serpere coepit viam sequens crucigerorum ex Oriente revertentium. Etiam aliae viae patebant huic haeresi, quae varia nomina accepit. Sic in Hungaria S. Gerardus († 1047.) episcopus primus Csanadiensis, iam loquitur de « manichaeis »; hi sunt sectatores huius haeresis dualisticae vocati Bogumiles (« Deo grati »). Etiam in Italia septentrionali eodem tempore iam aderant praecursores haereticorum saeculi XII-i parte prima saeculi XI., qui inde etiam in Galliam meridionalem transierunt, ubi statim damnati sunt in Concilio Aurelianensi a. 1022. et Concilio Atrebatensi (Arras) a. 1025. teste Radulpho Glaber († 1050., cf. PL 142,659.). Haeresis haec dualistica erat pedissequa Manichaeismi, tenentis esse bonum Deum, principium boni et esse malum Deum, Satanam, principium independens mali. De Christo docebant eum tantum corpus apparenter verum habuisse, consequenter ergo negabant etiam Missam, ideo debebant profiteri: « Christus... natus ex Virgine Maria vera carnis nativitate... passus vera carnis suae passione, mortuus vera corporis sui morte »; dein « sacrificium, id est panem et vinum post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem D.N.J. Christi » (anno 1208. Denz 422. et 424.). Circa 1114. quidam *Tanchelmus* in Flandria talia annuntiabat, contra quem S. Norbertus praedicavit. Alii: *Petrus Brusius* († 1124., Pierre de Bruys, unde « petrobrusiani ») eius discipulus, Henricus (unde alicubi etiam « henriciani »), *Eon de Stella* e Britannia Minore († 1148.), contra quos S. Bernardus dimicavit. Successum infelicem motio haec tunc habere coepit, quando horum « Apostolicorum », ut semetipsos denominabant, antesignanus mercator Lugdunensis *Petrus Waldensis* (Pierre de Vaux, unde « Waldenses »; vel « fratres Lugdunenses ») extitit. Hi Waldenses, nominati etiam *Albigenses,* quia in urbe meridionalis Galliae, Albi, prevaluerunt, inde nuncupati sunt.

c) Horum haereticorum sententiam renovavit **Wicleffus,** qui 1382 etiam ideo damnatus est a synodo Londinensi, quia « pertinaciter adseruit, non fundatum esse in Evangelio, quod Christus missam ordinaverit ». Wicleffus non fuit sibi consequens, nam idem etiam affirmavit, consecrare posse quemlibet etiam laicum, qui vero in statu peccati mortalis est, non posse valide conficere.

d) Missae maxime infensos **Novatores** sese exhibuerunt. Eorum doctrina *ad tria capita* reduci potest (Doronzo II, 831 s.). 1°. Negabant Missam esse *sacrificium verum et proprium,* praesertim autem affirmabant nullo modo esse

propitiatorium. Sic *Lutherus* dixit: « Alterum scandalum amovendum est, quod multo grandius est et speciosissimum; quod missa creditur passim (!) esse sacrificium, quod offertur Deo » (De captivit. Babylon. 1522.) *Zwinglius* aperte asseruit, quod falsa est religio, quae docuit hunc panem opus aut oblationem esse, quae quotidie oblata, peccata nostra expiet » (De vera et falsa religione). Iuxta *Calvinum* diabolus « pestilentissimo errore totum pene orbem (!) obcaecavit, ut crederet, missam sacrificium et oblationem esse ad impetrandam peccatorum remissionem » (Instit. relig. chr. IV. 18,1.). *Confessio Anglicana* aperte declarat, missarum sacrificia blasphema figmenta esse et perniciosas imposturas » (Art. 31.). — 2°. Eucharistia *consistit in solo Sacramento,* quod rationem habet coenae. Sic *Lutherus* dicit Missam vocari debere « ut sacramentum seu testamentum, seu benedictionem latine, Eucharistiam graece, vel mensam Domini, vel coenam Domini, vel communionem, vel quocunque nomine pio placet, modo sacrificii aut operis titulo non polluatur » (Formula missae et communionis pro Ecclesia Wittembergensi anno 1523.). — 3°. Missa catholica « Pontificiorum » seu « Papistarum » *inventum est humanum,* ideo abroganda est. Ideo *Lutherus* antesignanus reformationis iam anno 1522 edidit libellum « De abroganda missa privata », germanice sub titulo « Missbrauch der Messe », reformatio vero ubique terrarum incepit semper cum abolitione Missae.

e) Haec capita errorum *prodeunt e* **tribus principiis,** quae Novatores fassi sunt, ea minime probantes, sed axiomatis instar supponentes.

1°. Supponebant in omni sacrificio debere esse *destructionem realem,* talis in Missa non habetur, ergo non est sacrificium. Sic Zwinglius scripsit: « Christus illuc tantum offertur, ubi patitur, sanguinem fundit, moritur: haec enim aequipollent... Ergo Christus ultra offerri non potest: mori enim non potest » (Adv. Hieronymum Emser).

2°. Sacrificium *est opus hominis,* non donum Dei, ergo Eucharistia non potest esse sacrificium. Sic dixit Melanchthon in suo opere « Loci communes theologici »: « Sacrificium est caeremonia vel opus nostrum, quod nos Deo reddimus ut eum honore afficiamus. Hoc et testamur nos agnoscere hunc ipsum, cui hanc oboedientiam praestamus, vere esse Deum: ideoque nos ei hanc oboedientiam praestare ».

3°. Affirmabant, sacrificium *esse ritum propitiatorium* (quod sic exclusive non est verum), unica vero propitiatio in Cruce facta est, Missa ergo superflua et superstitiosa est. Obliti sunt catholicae veritatis Missam esse sacrificium relativum, i.e. applicans virtutem sacrificii in Cruce peracti. Tali errore deceptus scripsit Melanchthon: « opponenda est doctrina vera de merito passionis Christi, de quo dicitur cap. X. ad Hebreos: Una oblatione consummavit sanctos. Sola igitur Christi mors fuit sacrificium pro omnibus nostris peccatis, non alia opera Levitica, aut postea secuta. Deinde manifestum et hoc est, remissionem peccatorum fide nos propter Christum, non propter ullum opus nostrum aut sacrificuli accipere » (Loci comm. theol.). « Sacrificulos » appellabant sacerdotes catholicos, qui veram Missam celebrabant.

3. Veritas Missae e Scriptura Sacra

probari potest tribus textibus Veteris et tribus textibus Novi Testamenti, singillatim considerandis.

a) **E Veteri Testamento**

1°. allegatur **Ps 109,4:** « *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* », quae verba in visione Psalmistae Jahweh loquitur ad futurum Messiam. Messias ergo futurus summus pontifex erit, non secundum ordinem Aaroniticum, sed secundum ordinem Melchisedech. **a.** Melchisedech autem obtulit *sacrificium panis et vini,* ergo et Messias futurus tale sacrificium debuit instituere. *Protestantes* s. XVI-i puerilem explicationem protulerunt, dicentes, Melchisedech ad refocillandos bellatores dedisse panem et vinum. *At*: cur diceretur tunc, quod « erat *enim* sacerdos Dei altissimi » (Gen. 14,18), si non sacrificium obtulisset. Dein Abraham non indigebat cibariis, magnam habuit enim praedam, imo Abraham prodit quod iuvenes eius iam comederunt (Gen. 14,24.). Quia Messias revera instituit talem actum religiosum cum pane et vino celebrandum: ideo hic actus, et etiam continuatio eius facta in commemorationem Christi sc. Missa est sacrificium, sicut Melchisedech. — **b.** Magni aestimandum est, quod etiam *traditio sacra* sic interpretavit hunc textum Psalmi 109. Sufficit allegare *Augustinum,* qui de textu Gen 14,18 dicit: « Ibi primum (i.e. prima vice) apparuit sacrificium quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud quod longe post hoc factum per prophetam dicitur ad Christum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Non scilicet secundum ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quae illis umbris praenotabantur » (De civit. Dei 16,22.). Similiter etiam *Gelasianum* saec. VI-VII: « ...sicut Melchisedech sacerdotis praecipui oblationem dignatione mirabili suscepisti, ita imposita novo huic altari munera semper accepta ferre digneris, ut... per haec pura libamina caelesti sacrificatione salvatus (propulus), animarum quoque suarum salutem perpetuam consequatur » (Missa 1,90. Wilson p. 139.).

2°. **Is 66,18.21:** « *Venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis: et venient et videbunt gloriam meam... Et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus* ». Propheta hoc loco de regno Messianico vaticinatur, cuius novitas etiam inde elucet, quod e gentibus sumuntur novi sacerdotes eorumque adiutores. Sed sacerdotium et sacrificium correlativae sunt notiones, ideo hoc vaticinio *implicite* etiam de novo sacrificio locutus est propheta. Hoc noverunt homines Veteris Testamenti, quando versus annum 450 a. Chr. natum clarissima data est prophetia, potest forsan dici: « magna charta » sacrificii Missae:

3°. **Mal 1,10-11:** « *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum* ».

Argumentatio e textu hoc classico sic fit: Malachias describit futurum sacrificium per quinque proprietates, sed hae proprietates tantum Missae conveniunt, ergo Missa est sacrificium praenuntiatum per Malachiam. Hae proprietates sunt:

a. Hoc novum sacrificium *tempore Messianico* futurum est. (1) Vetera sacrificia enim reiiciuntur, quae reiectio utique non de tempore Malachiae valet, nam sacrificia continuebantur. (2) Dein bis nominantur gentes paganae (gojim),

quippe quae huius novi cultus participes erunt, quod iterum tantum ordine salutis novo contingebat. (3) Sacrificium hoc ergo *non* potest intelligi *Veteris Legis*, nam praecise hoc dicitur abrogari; nec aliquod *paganum* sacrificium quae omnia horrenda sunt in conspectu Dei, tantum aliquod incognitum, *novum*, futuris temporibus implendum. Sed haec nota Messianica Missae convenit.

b. Praenuntiatum sacrificium erit *verum ac proprium sacrificium*, non aliquid sacrificium improprium. Hoc ostenditur terminis technicis sacrificalibus: *muqtar muggaš* « sacrificium offertur », qui de veris sacrificiis' adhibentur. *Muqtar* inde a verbo *hiqtir* (a radice qatar) potest esse part pass. Hiphil, v. nomen verbale et significat « adolere incensum » et saepe in genere « sacrificium offerre » (sic Lev 1,9.17; 3,11.16; 4,10.35.). *Muggaš* inde a *higgiš* (a radice nagas = appropinquare) significat « offerre sacrificium ». Neutrum verbum unquam adhibetur sensu metaphorico de sacrificio improprie dicto. Sacrificium improprium ideo quoque non potest esse: quia tale quid non extolleretur tali modo emphatico, quid prodesset aliquid improprium « sacrificium », ut vaticinium? Iuxta Bellarminum « Scriptura non solet nomen sacrificii absolute ponere, cum loquitur de sacrificio improprie dicto, sed cum adiuncto aliquo, ut sacrificium laudis, sacrificium iustitiae, hostiam vociferationis, etc. » (De missa 1. 5, 10.). Cum ceterae notae tantum Missae conveniunt, ex hac nota, quod sacrificium futurum a propheta praenuntiatum proprium ac verum erit: sequitur quod etiam Missa verum ac proprium haberi debet.

c. Per Malachiam extollitur huius futuri *sacrificii universalitas*: « Ab ortu enim solis usque ad occasum » i.e. toto orbe, « in omni loco » = *bekal makom* sacrificabitur Domino. Nam cultus Mosaici character proprius fuit, quod restrinxit sacrificia liturgica solum ad tabernaculum, respective templum, sacrificium futurum autem ubique locorum offertur, et omnes homines possunt eius participes fieri. Haec nota universalitatis, seu catholicitatis tantum sacrifico actui catholicae Ecclesiae convenit, quae inde iam per undeviginti saecula et in omnibus regionibus terrae, nunc autem possumus dicere omni momento unius diei, semper laudem perpetuam dicit Omnipotenti.

d. Sacrificium praesagitum deinde insignitur *nota lenitatis*. « Oblatio » enim hebraice *mincha*, est fere semper sacrificium (« donum » sec. primam significationem a radice « *manach* », dare) incruentum: oblatio farinae (Mehlopfer, lisztáldozat) sic vocantur oblationes similae (Kuchen, kalács), olei, thuris. Sacrificia primaria cultus mosaici et etiam gentium erant cruenta: nunc autem promittitur *praecise incruentum*. Sed hoc sacrificium verificatur in sacrificio incruento et miti Missae.

e. Hoc futurum sacrificium Malachiae demum *praecellit munditia*, erit *mincha tehora*, « oblatio munda ». Nam Malachias conqueritur, sui temporis sacerdotes esse negligentes, nam offerunt super altare Dei panem pollutum, offerunt animal coecum, claudum et languidum (1,7.8.), insuper etiam subiective mali fuerunt, operiebant altare Domini lacrimis, fletu et mugitu (cf. 2,13.). *Atqui* sacrificium Missae ratione victimae revera mundissimum est: est enim ipse Christus immolatus. Etiam alia ratione Missa praecellit necessario quoad munditiam sacrificiis Veteris Legis: enimvero haec opere operantis hominis habebant valorem, dum Missa ex opere operato producens effectus suos, non potest pollui ministrorum immunditiis. Praecise: Missa ex opere operantis

Christi producit effectus suos, relate ad nos ergo *ex opere operato, causalitate morali,* non physica (sic clare Doronzo p. 827.).

f. Hoc splendidum vaticinium Malachiae *tribus confirmatur.* (1) quidem *per eventum,* nam talem prophetiam ante Christum 450 annis nemo potuisset proprio marte edere. Religionem et unicum sacrificium tam universale evadere, nemo nec suspicari potuisset, imo Iudaeis hoc horrendum esset, cum ipse Deus ordinavit sacra populi sui. Et si tamen autumasset quis Hebraeus fore religionem universalem, tunc sperasset *suam* religionem et *suum* ritum divinitus ordinatum dominaturos in orbe terrarum. (Billot 1,609-611.). (2) Confirmationem nanciscitur deinde vaticinium ex eo, quod sacra *Traditio illud semper de Missa intellexit,* sic iam Didache, Iustinus, Irenaeus. (3) Demum prophetia Malachiae maximam confirmationem *e iudicio infallibili Ecclesiae* accepit, nam *Tridentinum* declaravit: « Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit » (Sess. XXII. cap. I. Denz. 939.).

b) **E Novo Testamento**

item tria testimonia adduci solent.

1°. **Relationes Coenae novissimae** duplici recensione: Synoptica (Mt 26, 26-28 et Mc 14,22-24) et Paulina (1 Cor 11, 24-25 et Lc 22,19-20), quae quoad praesentiam realem Domini infra interpretabuntur fusius, rationem sacrificalem huius Coenae evidenter exhibent. Nam **a.** adhibentur *termini Veteris Testamenti pro sacrificiis* usitati: « corpus quod pro vobis datur », « frangitur » (didomenon, klômenon); praesertim autem, quod sanguis effunditur pro multis (ekchynomenon) terminus technicus sacrificalis est, sic usurpatur Lev. 1,5 de sacrificiis primi generis i.e. holocaustis: « ...offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem eius (sc. vituli), fundentes per altaris circuitum », similiter et hostia pacifica et pro peccato habetur praescriptum fundendi sanguinem (Lev 3,2 et 4,7.). Discipuli Domini et homines illius temporis statim intelligebant ex his expressionibus aliquod sacrificium offerri. — **b.** Deinde per verba « pro vobis », « pro multis » (hyper hymôn, peri pollôn) manifeste declaratur illa *substitutio,* quae sacrificii essentialis est, nam homo loco sui immolat victimam. — **c.** Quin etiam dilucide ostenditur per relationes Coenae in illa Coena ipsissima *oblatum fuisse praesens sacrificium,* nam verba (Zeitwort, ige) exhibent tempus praesens: per participia praeteritum significantia: *didomenon, klômenon, ekchynomenon,* quae perspicue dicunt hoc sacrificium nunc, in Coena fieri. Praesertim autem *e textu Lucano calicis* res omnino evidens est, nam dicitur: « Hic calix est novum testamentum in sanguine meo, qui (sc. calix) pro vobis fusus est » (Lc 22,20): « Touto to *potêrion* hê kainê diatheke en tô haimati mou, to hyper hymôn *ekchynomenon* », ubi manifeste videtur, quod « ekchynomenon » ad calicem pertinet: calix est effusus, non sanguis, nam tunc deberet dici: « en tô haimati mou, tô hyper hymôn ekchynomenô » (to potêrion... en tô haimati... to ekchynomenon »). Ergo illud quod effundi dicitur est calix, sumendo continens pro contento, quibus verbis vult dicere, hanc fusionem sanguinis (pro quo dicitur per synecdochen continens, i.e. calix) fieri in Coena, nam de sacrificio Crucis nullo modo potest intelligi, quod ibi calix effusus est. Textus Lucanus ergo evidentissime edicit hanc sacrificalem fusionem san-

guinis *in Coena* factam esse. — d. Quibus luculenter demonstratum est in Coena novissima Dominum instituisse *verum sacrificium*, quod etiam authentica *interpretatione Ecclesiae* constat, nam Tridentinum dicit, quod Dominus in coena novissima, qua nocte tradebatur, reliquit sacrificium (Sess. XXII. cap. 1. Denz 938.).

2°. **1 Cor 10,14-21:** « *Fugite idololatriam... Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio* (koinônia) *sanguinis Domini est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio* (koinônia) *corporis Domini est?... Videte Israel secundum carnem, nonne qui edunt hostias participes* (koinônoi) *sunt altaris?... Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, non Deo. Nolo autem vos socios fieri* (koinônous) *daemoniorum... non potestis mensae Domini* (trapezê Kyriou) *participes esse et mensae daemoniorum* ».

a. Apostolus vult suos fideles Corinthiacos *deterrere ab idolothytis* et hoc facit *tali argumentatione*:

NOS: per calicem et panem in « koinônia » sumus cum Christo.
ISRAEL: hostias, i.e. sacrificia comedens in koinônia est cum altari, i.e. cum Deo vero.
GENTES: sacrificantes (thyousin) daemoniis, bibentes calicem eorum et mensae eorum participes sunt.
Atqui — supponit Paulus — nemo potest duobus dominis servire, et ideo deducit consequentiam primam:

CONSEQUENTIA I.: « Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum, non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum ».

Sed etiam alia consequentia *subauditur* tota hac argumentatione, quam Paulus tamen non deducit, simpliciter ideo, quia eam ut *notam supponit* et haec est:

CONSEQUENTIA II.: Mensa Domini, in eodem ordine posita cum altari Judaeorum et mensa gentium, etiam est altare, quod secum portat sacrificium.

Dein: Koinônia, i.e. « communicatio, participatio », seu societas sacralis apud Judaeos et apud gentiles derivatur a sacrificiis proprie dictis: horum tantum participatio facit hominem commensalem (koinônos) Dei. Ergo: etiam apud christianos haec koinônia orta per calicem et panem sacrificalis societas, commensalitas mensae Domini est, et ideo sanguis et panis in mensa Domini evidenter supponuntur a Paulo sacrificium esse.

b. Etiam hunc textum *Tridentinum* l. c. interpretatur, adiungens vaticinio Malachiae: « ...quam non obscure innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit, non posse eos, qui participatione mensae daemoniorum polluti sint, mensae Domini participes fieri ». Adhuc aliis locis innuit Apostolus gentium sacrificium Novae Legis, ut Heb 13,9-10, sed magis placet:

3°. **Jo 4,20-23 collocutio Domini cum muliere Samaritana:** « *Patres nostri in monte hoc* (Garizim) *adoraverunt, et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet. Dicit ei Jesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem... sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* ».

Stricte non potest probari ex hoc effato Domini, in regno Dei terrestri futurum esse sacrificium. Tamen *exegesis theologica*, quae in possessione est veritatis a Domino revelatae, cum magna verisimilitate potest demonstrare, hoc

loco etiam sacrificium aliquod inclusum esse, quo veri adoratores Patrem colant. S. Bellarminus hoc ingeniose probat (De missa 5,11.).

a. Quaestio Samaritanae necessario de adoratione per sacrificium facta intelligenda est, nam *schisma* Samaritanorum exinde ortum duxit, quod *non fuerunt admissi Hierosolymis ad cultum divinum,* qui praecipue in sacrificiis constabat, ideo in monte Garizim extruxerunt templum, ibique offerebant sacrificia. « Adorare » solum sine sacrificio, i.e. sine cultu liturgico ubique potuerunt, in synagogis, in domibus suis etc., mulier ergo tantum de *adoratione cultuali,* i.e. sacrificio potuit interrogare Christum.

b. Responsum ergo Domini *necessario* de hac adoratione sacrifica valet, quando dicit: « Veniet hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabunt Patrem ». Hoc solum significare potuit, quod sacrificia legitima Veteris Legis aliquando cessabunt, sed tunc loco unius montis ubique potest adorari Deus adoratione sacrificali.

c. Vox « *adoratio* » revera habebat *significationem sacrificii offerendi.* Sic e.gr. Abraham famulis suis dixit, quando voluit Isaac immolare: « ...postquam adoraverimus, revertemur ad vos » (Gen. 22,5); tempore Christi «erant quidam gentiles, qui ascenderunt, ut adorarent in die festo » (Jo 12,20) i.e. ut sacrificiis adessent, sicut etiam eunuchus Aethiops venerat adorare in Jerusalem (Act 8,27.). Adorare: « šatach » et « proskynein » ergo significare potest etiam adorationem cultualem per sacrificia.

d. Haec nova adoratio secundum Dominum fiet *en pneumati kai alêtheia,* in spiritu et veritate. « *In spiritu* » significat primo dispositionem rectam sacrificantis, quam adeo extollerunt prophetae, sed facile deduci potest ex eo etiam actio Spiritus Sancti (Lagrange, Èvangile selon St. Jean, 3. ed. p. 114: « L'action de L'Esprit Saint peut être aisément déduite »); spiritus enim opponitur carni, victimae autem erant carnales, tales iam non erunt. *Veritas* opponitur illo, quod non est veritas, ut figura, umbra, aliis verbis typus (Vorbild, elökép), hoc sensu iam Origenes intellexit (« en alêtheia kai mê en typois »), quem Lagrange allegat, dicens hanc esse veritatem obiectivam (l. c. 113.).

4. Traditio testis Missae:

luculenter testatur veritatem de indole sacrificali Missae. Sufficit tantum *primos Patres et scriptores* allegare, posteriore tempore enim omnes uno ore, una anima affirmant sacrificii Novi Testamenti veritatem, quod secus etiam vetustissimis temporibus invenimus. Probatio necessaria est, quia initio nostri saeculi etiam catholici quidam putabant primos christianos usque ad Irenaeum non novisse sacrificium panemque et vinum eucharisticum non recensuisse in ordine sacrificii. Praecipue *F. Wieland* hoc propugnabat (Mensa und confessio 1906), quem peremptorie refutavit *Ae. Dorsch* (Der Opfercharakter der Eucharistie einst und jetzt, Innsbruck 1909.). Revera notio Eucharistiae, ut est sacrificium, iam ante Irenaeum sine dubio habebatur, quod tantum media luce caecutiens non percipit. Nam

a) iam *Didachê* loquitur de sacrificio: « Domini autem dominica congregati (synachthentes) frangite panem et gratias agite, (eucharistêsate), postquam

confessi eritis antea (proexomologêsamenoi) peccata vestra, ut mundum sit sacrificium vestrum (hê thysia hymôn). Omnis vero, qui habet controversiam cum socio suo, ne conveniat vobiscum, antequam reconciliati erunt, ne profanetur (hina mê koinôthê) sacrificium vestrum. Hoc enim dictum est a Domino: Omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum, quoniam rex magnus sum, inquit dominus et nomen meum admirabile in gentibus » (14,1-3) (Quasten p. 13.). « *Klasis artou* » nil aliud potest esse sobrie considerata, quam coena eucharistica, tali nomine apud multos insignita. Hanc coenam comparat Didaché cum sacrificio Veteris Legis, nam evidenter alludit ad Christi dictum: « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum » (Mt 5,23 s.). Sed, ut clarum est, Jesus de sacrificio offerendo loquebatur: ergo etiam celebratio Eucharistiae a Didaché sacrificium habetur. Revera vocat hanc fractionem panis bis « *thysian* », quod tantum hoc potest significare. Peremptorium est, quod citat Malachiae prophetiam, quae de vero aliquo sacrificio futuro enuntiata est.

b) *Clemens Romanus* eodem ultimo decennio saec. I-i haec scribit contra Corinthios, eiicere volentes sacerdotes suos: « Non enim leve erit peccatum nostrum, si eos, qui sine reprehensione et sancte munera obtulerunt (amemptôs kai hosiôs prosênenkontas ta dôra), episcopatu deiicimus » (Ad Cor 1,44,4 Quasten p. 331.). « *Prosênenkontes episkopoi* » (inde a prospherein, prosphora) sacerdotes sunt, qui penes Clementem adhuc, ut apud Paulum « episkopoi » vocantur; terminus *prospherein* liturgicus est, et semper significat oblationem sacrificalem, uti etiam termini hostiae « *amemptôs kai hosiôs* » « immaculate et sancte » termini liturgici sunt. Ridiculum esset, ut Wieland fecit, munera (dôra) opera bona tantum putare: quomodo offerrent veri sacerdotes bona opera populi? Insuper Clemens Romanus prioribus capitulis (40-44), de sacerdotibus Veteris Legis locutus est, quibus comparat hos « episcopos », et dicit, quod hae « prosphorae » sec. ordinem et tempus praescriptum debent fieri: opera autem et orationes fidelium non sunt talibus praeceptis subiecta nam semper et ubique possunt offerri (cf. Dorsch p. 226-232.).

c) S. martyr *Ignatius Antiochenus* († 107) sic Philadelphenses monet: «Studeatis una eucharistia uti, una enim caro est Domini nostri Jesu Christi et unus calix in unitatem sanguinis eius (eis henôsin tou haimatos autou), unum altare, sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis » (Ad Philad. 4, Quasten p. 335.). Manifestum est, hic non de aliqua oratione gratiarum actionis simpliciter sermonem fieri, sed de Eucharistiae celebratione, nam oratio non potest esse caro Christi. Sed haec « *Eucharistia* » i.e. conventus eucharisticus, ad cuius celebrationem unitas inculcatur fidelibus, est sacrificium ad mentem S. Ignatii: nam non solum caro Christi est una, i.e. non dividitur in partes, quando multi eam sumunt, sed etiam « *thysiastêrion* », i.e. altare sacrificii, unum est. Mensam ergo christianorum primaevorum non veretur vocare nomine, quod tum penes Hellenes, tum in Veteri Testamento hoc vocabulo appellabatur et certissime veri sacrificii locum designat (cf. Dorsch p. 26-29.).

d) Medio saeculo II. primus philosophus christianus, S. *Iustinus* clarius non potuisset loqui, cum Iudaeis de sacrificiis Veteris Legis tractans enuntiat: « De sacrificiis, quae tunc a vobis offerebantur, Deus, ut iam dixi, per

Malachiam unum ex duodecim, loquitur: Non est voluntas mea in vobis... Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum... » et allegat Mal 1,10-11, ergo vaticinium de futuro sacrificio Messianico. Dein statim sic pergit: « De iis autem, quae in omni loco a nobis, gentibus offeruntur ei, *sacrificiis*: *hoc est de pane eucharistiae et similiter de calice eucharistiae* (tou artou tês eucharistias kai potêriou homoiôs tês eucharistias) iam tum praedicit, illud etiam addens, nomen suum a nobis glorificari, a vobis autem profanari » (Dial. Tryphon. Iud. 41,2-3 Quasten 338.). Hoc testimonio primus sermo omnino dilucidus et distinctus prolatus est quem supervacaneum esset adhuc commentario sequi; qui tale quid vult, adeat Dorsch (p. 251-276.).

e) S. *Irenaeus Lugdunensis* circa annum 185 oratione tam plana et evidenti utitur, ut nemo iam in discrimen vocet, eum revera de sacrificio eucharistico locutum fuisse: « Suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura est panis, accepit, et gratias egit dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et *novi testamenti novam docuit oblationem*, quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo... de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificat: Non est mihi voluntas in vobis... (et citat in extenso Mal 1,10-11), manifeste significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur ei, et hoc purum, nomen autem eius glorificatur in gentibus » (Adv. haereses IV, 17, 5 Quasten 346, de sententia Irenaei fuse Dorsch p. 279-298.).

f) *Clemens Alexandrinus* (150-211) in fragmento quodam loquitur de parabola filii prodigi, quam accommodat coenae eucharisticae: « Vitulus saginatus sacrificatur (thyetai), agnus sicut et alias nominatur... Caro est et panis, et sic se porrigit ad comedendum. Filiis ergo ei appropinquantibus Pater vitulum porrigit qui et sacrificatur et manducatur » (kai thyetai kai trôgetai, PG 9,158.). Hoc loco Clemens, qui secus diserte dicit, Deum non indigere neque sacrificiis, neque donis (anathêmasin), neque gloria, neque honore (Strom. VII, 3), tamen dilucide prodit mentem suam. 1°. Christus agnus qui est etiam vitulus saginatus, i.e. coena, *nunc* sacrificatur et *nunc* comeditur, ergo non de sacrificio Crucis loquitur, de quo non posset dici: « *kai thyetai* », est enim iam praeteritum. 2°. Nec minus, quod *manducatur*, quippe quae oblatio Crucis manducabilis nunquam fuit. 3°. Quod de Eucharistia loquitur, evidens est ex eo, quod cibum vocat « *carnem et panem* »: caro inquantum corpus est Christi, panis, inquantum sub specie panis manducatur (cf. Dorsch p. 239-245.).

g) Post saec. II.. iam iuxta omnes doctos manifeste loquuntur Patres de Eucharistia, ut vero quodam sacrificio. Sufficit e multis allegare *Tertullianum*, qui christianis diebus stationum i.e. ieiunii, scrupulantibus, quod per communionem frangant ieiunium, commendat, Eucharistiam secum ferre et sibi reservare: tunc posterius potest communionem sumere sicque etiam Missam participare: « Nonne sollemnior erit statio tua si et *ad aram* Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est: et participatio sacrificii et executio officii » (De orat. 19. PL 1,1181.).

h) Coronam imponendo nubi testium audiatur *Cyprianus,* qui nullo indiget commentario, nam omnia in uno dicit, quae de Missa ut sacrificio dici possunt: « Nam si Jesus Christus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, et *sacrificium Patri* seipsum primum obtulit *et hoc fieri in sui commemorationem praecepit,* utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur, et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse » (Ep. 63. ad Caecilium PL 4,385.).

5. Ratione fulcitur veritas Missae

a) **E natura cuiusque religionis.** Ad religionem veram et propriam pertinet, quod habeat sacrificium, ut S. Thomas dicit: « Ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur offerens eos Deo in signum debitae subiectionis et honoris, secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii. Et ideo oblatio sacrificii pertinet ad ius naturale » (II-II q. 85. a. 1.). *Atqui* Ecclesia non haberet veram ac propriam religionem, si non haberet sacrificium, cum autem tale quid semper in Missa agnovit, Missa debet esse sacrificium.

b) Argumentamur **e sacrificiis Veteris Legis.** Haec sacrificia pluribus suis generibus praefigurativa erant futurae mortis Christi, e qua omnis salus derivatur, etiam gratiae in Vetere Testamento datae, ne homines obliviscentur redemptionis venturae. Sed si necessaria erant sacrificia Veteris Legis *ante mortem Crucis,* ut viva maneat spes futurae redemptionis, quanto magis necessarium erat sacrificium *post mortem Christi,* ut rememorativum passionis Christi. Ergo Missa et nil aliud potest esse hoc sacrificium rememorativum. Sic enim verificatur, quod *Augustinus* dixit: « Huius veri sacrificii multiplica variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur » (De civit. Dei 10,20.).

c) Probatur sacrificii Missae veritas **ex iis pro quibus Missa offertur.** Nam si Eucharistia solum Sacramentum esset ad sumendum destinatum, ut Protestantes voluerunt, tunc *nullo modo aliis prodesse posset,* sicut baptismus vel confirmatio etc. tantum illis prodest, qui ea suscipiunt. Sed inde ab antiquissimis temporibus Missa offertur etiam pro aliis tum vivis, tum defunctis, pro variis necessitatibus cum temporalibus, tum spiritualibus, ut permultae Mis. sae votivae per saeculorum decursum variantes demonstrant. Ergo Eucharistia non potest tantum Sacramentum esse, sed est etiam sacrificium in eius confectione (Bellarminus, De missa 5,19.).

d) Argui potest etiam ex eo, quod tantum Eucharistia **continet inter omnia Sacramenta Christum verum.** Ad Sacramenta enim pertinet, quod gratiam Christi contineant, cuius sunt inštrumenta et nihil aliud requiritur ad rationem Sacramenti. Etiam Eucharistia « potuisset vere et proprie Sacramentum esse, etiamsi corpus Christi non contineret. Quae igitur causa est, cur debuerit *necessario Eucharistia Christi corpus reipsa continere,* nisi ut posset vere et proprie Deo Patri a nobis offerri et proinde sacrificium esse vere ac proprie dictum? » (Bellarminus 5,22.).

Corollaria deducta e veritate sacrificii Missae.

I. Corollarium: Tum sacerdotes, tum fideles debent hostiae effici in sacrificio Missae. Sic enuntiat veritatem antiquitate venerandam Mediator Dei: « Ut autem oblatio illa, qua in hoc sacrificio christifideles divinam victimam Coelesti Patri offerunt, plenum sortiatur effectum, aliud quoque adiungant oportet: semetipsos nempe quasi hostiam immolent necesse est... Quam ob rem nos veluti hostia una cum Christo efficimur ad augendam Aeterni Patris gloriam... Nihil rectius, nihil iustius excogitari potest, quam nos omnes una cum Capite nostro, pro nobis passo, nosmetipsos quoque Aeterno Patri immolare » (n. 97. 101. 102.).

a) Haec veritas *probatur per s. liturgiam.* Sic. 1°. Ideo miscetur *aqua vino consecrando,* ut declaretur unio divinitatis Verbi cum assumpta humanitate in una persona, dein ut enuntietur nostra *unio cum Christo victima,* ut Tridentinum dicit: « Hac mixtione ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur » (Sess. XXII. cap. 7. Denz 945.). Sic sortitur sacrificium Missae plenum effectum, quando per hoc impletur, quod S. Petrus vult, ut offeremus « spirituales hostias acceptabiles Deo per Christum Jesum » (1 Pet 2,5.). 2°. Etiam *oratio concomitans* hunc ritum mixtionis, sumpta e Sacramentario Leoniano, hunc scopum edicit: « Da nobis per huius aquae et vini mysterium eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps ». Haec est maxima possibilis glorificatio hominis, quae obtinetur tunc, si et compatimur, ut et conglorificemur. 3°. *Alia oratio* liturgica his verbis deprecatur, quod nos, offerentes *possimus esse victima*: « Propitius Domine, quaesumus, haec dona sanctifica, et hostiae spiritualis oblatione suscepta, nosmetipsos tibi perfice munus aeternum » (secreta fer. II. Pent.).

b) Haec sublimis veritas *in praxim deducitur,* si 1°. *peccata restringuntur*: « Dum igitur altari adstamus, ita animum nostrum transformemus oportet, ut quidquid peccatum est, in eo penitus restinguatur » (MDei n. 99), ad quod ipsa Encyclica allegat orationem consecrationis altaris: « Sit in hoc altari innocentiae cultus, immoletur superbia, iracundia iuguletur, luxuria omnisque libido feriatur, offeratur pro turturibus sacrificium castitatis et pro pullis columbarum innocentiae sacrificium » (Pontificale Romanum, praefatio consecrationis altaris). — 2°. Non sufficit peccata enecare, requiritur etiam *virtutum cultus,* i.e. « quidquid per Christum vitam gignit supernam, enixe refoveatur et roboretur, atque adeo nos efficiamur una cum Immaculata Hostia, victima Aeterno Patri accepta ». (MDei n. 99.). — 3°. Necessaria demum est, quod victima simus, ut *nos totum et omnia demus Deo,* per actus abnegationis et mortificationis, per acceptationem passionum, poenarum et laborum, ut similes simus Christo, qui passionem acceptans dixit: « Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, sic facio ». Ad hoc hortatur nos Mater Ecclesia: « Agnoscite quod agitis (i.e. passionem Domini repraesentantes), imitamini, quod tractatis (i.e. victimam divinam per sacerdotes tractatam): quatenus mortis dominicae mysterium celebrantes mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis » (Pontificale Romanum, in ordinatione presbyteri).

II. Corollarium: Quanta cura debent sacerdotes celebrare, fideles vero divino sacrificio adstare. Synodus Tridentina sic: « Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctae missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione cele-

bretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter » (Sess. XXII. decr. de observandis et evitandis in celebratione missae, Ed Neapolitana I. Pelella 1859, p. 128.). Eodem decreto Concilium plures praescriptiones iuris dat; quod interiorem dispositionem attinet, inculcat idem Concilium *sex paternas admonitiones.*

a) « Quanta maxima fieri potest, interior *cordis munditia et puritas* » requiritur, ut hoc sacrificium peragatur » (id. decr. cit.). Quid sit minimum, sess. XIII. cap. 7. praescribit: celebrans liber debet esse a peccato mortali, etiam sumens Eucharistiam, secus confiteri tenetur. Aliae admonitiones Sess. XXII. cap. 2.: « Cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus » (Denz 940.). Ergo commendatur nos habere:

b) *Cor verum,* ie. affectibus vere sinceris accedere debemus. Hoc ipse ritus Missae commendat et facilitat, qua de re cf. libellum Joannis Card. Bona, De sacrificio missae. Sic e gr. iam *Kyrie* naturale signum « grandis affectus et compunctionis est » (Conc. Vasense a 529); *Gloria in excelsis* plenus est affectibus gratuitis (selbstlos, önzetlen) laudis, admirationis maiestatis Dei, gratiarum actionis. Dum panem et vinum *offerimus,* in patena ponere debemus cor nostrum et omnium adstantium cum omnibus curis et angustiis nostris, cum facultatibus nostris et tota vita nostra: precando oratione offertoria, ut Deus sicut panem et vinum *convertit,* etiam corda nostra convertat per supernam vitam in Christum, ut dicere valeamus: Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus. Uti S. *Contardus Ferrini dixit*: « Omni die volo adesse Missae, et contendo, ut cor meum impleatur thesauris magnis huius sacrificii ineffabilis; etiam S. Joannes ad pedes huius Crucis susceptus est loco filii ».

c) *Recta fide* accedamus ad celebrationem Missae. Hanc exercemus recitando cum attentione interna *orationes,* quibus nihil potest efficacius esse, nam nomine Ecclesiae per Christum delegantur ad Patrem Aeternum. Haec fides debet esse anima nostra, quando, ut quisnam pius sacerdos dicebat, « concionibus elegantissimis et efficacissimis » intersumus quotidie, *Epistolam et Evangelium* legentes, vel audientes: tali animi fide, ac si revera ipsum apostolum, vel Christum Dominum audiremus. Hanc fidem autem profitemur recitando *Symbolum Missae,* ante actionem Missae sacrificalis, et toto animo profiteamur fidem tam necessariam ad incredibile mysterium transsubstantiationis et sacrae synaxeos, quando Christo utimur. Nam quam maxime indigemus fide, quando inclinati, cum reverentia *verba sacra institutionis* recitamus, Christum Dominum praesentiaturi in altare. Fides vera necessaria est, per tot annos consecrare et semper intensius credere apparitionem Filii Dei in manibus nostris, etsi nunquam aliquid percipi possit.

d) *Cum metu et reverentia* accedere debemus ad sanctum sacrificium. Nam ut Urbanus VIII. dixit: « Si quid est in rebus humanis plane divinum, quod nobis superni cives, si in eos invidia caderet, invidere possent, id certe est sacrosanctum Missae sacrificium, cuius beneficio fit, ut homines quadam anticipatione possideant in terris caelum, dum ante oculos habent, et manibus contrectent ipsum caeli terraeque conditorem » (Const. ap. 2. sept. 1634, qua edidit Missale Romanum). Hanc reverentiam testamur, quando pluribus vici-

bus *osculamur altare,* symbolum Christi, patenam et calicem. Hic metus et reverentia debet excitari praesertim, quando « actio » incipit, cum sollemni introductione, *praefatione* nempe. Tunc enim, ut aliquando soli Summo Pontifici Veteris Legis, et semel tantum in anno, nunc omnibus sacerdotibus et quotidie patescunt Sancta Sanctorum, ubi non solum šechina, sed ipse Homo-Deus nos expectat.

e) *Contriti et poenitentes* debemus esse, non solum ut iam dictum est, quoad minimum, sed habentes in nobis spiritum compunctionis, et donum lacrimarum. Hanc virtutem poenitentiae exercemus in Missa, dicendo *Confiteor,* profunde inclinati, non audentes nos erigere, dum ad fiduciam erigamur per orationes fratrum misericordiam divinam deprecantium. Hanc contritionem volumus protestari et Sacramentali attingere sc. *lavando nostras manus,* exprimentes nos velle omnino mundos esse ad celebrandum tantum sacrificium et participandam Eucharistiam. Item hunc spiritum contestamur ter dicendo *Domine non sum dignus.*

f) Demum *cum exteriore devotione ac pietatis specie* - ut Tridentinum dicit (cit. decreto De observandis etc.) - debemus nos gerere, celebrando Missarum sollemnia. Ideo ut monet Imitatio Christi, « ne sis nimis prolixus aut festinus, sed serva bonum communem modum cum quibus vivis. Non debes aliis generare molestiam et taedium, sed communem servare viam, secundum maiorum institutionem, et potius aliorum servire utilitati quam propriae devotioni vel affectui » (IV, 10.).

Litteratura.

S. Rob. Bellarminus, Decima Controversia de membris Ecclesiae l. V. De missa c. 1-26. — *F. Suarez,* De Sacr. disp. 74. — *W. Götzmann,* Das euch. Opfer nach der Lehre der ältesten Scholastik, Freiburg i. Br. 1901. — *G. Renz,* Geschichte des Messopferbegriffs, Freiburg i. Br. 1901-2. I.II. - *J. Bellord,* The sacrifice of the New Law, *in*: The Ecclesiastical Rewiew 1905, 258-273. — *F. Wieland,* Mensa und Confessio, München 1906. — *Ae. Dorsch,* Der Opfercharakter der Eucharistie einst und jetzt, Innsbruck 1909. — *J. Brinktrine,* Der Messopferbegriff in den ersten zwei Jahrhunderten, Freiburg. i. Br. 1918. — *C. Ruch - J. Rivière - A. Michel,* Messe, *in*: DictThCath X,795-964. — *N. Gihr,* Das hl. Messopfer dogmatisch, liturgisch und aszetisch erklärt, 19. ed. Freiburg i.Br. 1922. — *E. Masure,* Le sacrifice du Chef, 2. ed. Paris 1922. — *A. Mac Donald,* The sacrifice of the Mass in the light of Scripture and Tradition, St. Louis 1924. — *M. de la Taille,* Mysterium fidei, De augustissimo corporis et sanguinis Christi sacrificio atque sacramento, 2. ed. Paris 1924. — *J. B. Brosnan,* The sacrifice of the New Law, London 1926. — *E. Caronti,* Il sacrificio cristiano e la liturgia della Messa, Torino 1926. — *M. Alonso,* El sacrificio de la ultima Cena de Senor segun el Concilio Tridentino, Madrid 1929. — *A. Vonier,* Das Geheimnis des euch. Opfers (vers.), Berlin 1929. — *J. B. Franzelin,* Tract. de Eucharistiae sacramento et sacrificio, 5. ed. Romae 1932. — *J. Quasten,* Monumenta eucharistica et liturgica vetustissima, Bonn 1935-6. — *D. Klein,* De dono Deo in sacrificio offerendo, *in*: Theol. prakt. Quartalschrift (Linz) 1938. 429-455. — *Ph. Oppenheim,* Vom sozialen Charakter der hl. Messe, *in*: Liturg. Leben 1937, 237-251. — *H. Klug,* Die Sichtbarkeit des euch. Opfers, *in*: Theol. und Glaube 1938, 363-388. — *A. Vaccari,* Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, *in*: Verbum Domini 1938, 208-214, 235-243. — *W. Lampen,* De Christo non actualiter sed virtualiter offerente in Missa, *in*: Antonianum 1942, 253-268. — *E. Doronzo,* Tract. dogmat. de Eucharistia II. De Sacrificio, Milwaukee 1948. — *G. Dix,* The shape of the Liturgy, Westminster 1949. — *G. de Broglie,* La messe oblation collective, *in*: Gregorianum 1949. 534-561. — *J. Pascher,* Eucharistia, Gestalt und Vollzug, 2. ed. Münster i.W. 1953. — *J. Filograssi,* De sanctissima Eucharistia quaestiones selectae, 5. ed. Romae 1953, 6.ed. 1957. — *H. Schürmann,* Der Paschamahlbericht Lk 22 (7-14), 15-18, Münster 1953. — *Idem,* Der Einsetzungsbericht Lk 22-19-20, Münster 1955. — *A. Piolanti,*

Il sacrificio della Messa nella teol. contemporanea, *in*: Probl. e orientamenti di teol. dommatica, Milano 1957, 831-874. — *H. P. Schmidt*, Intr. lit. occid. Roma 1960, 322-426.

C) De essentia sacrificii Missae.

Status quaestionis.

Si in naturam seu essentiam sacrificii Missae inquiramus, quaerendum est primo *quid sit* sacrificium Missae, et respondetur: est repraesentatio sacrificii Crucis, i.e. sacrificium relativum (*essentia metaphysica*). Ulterius quaerendum est, *per quid fit* Missae repraesentatio sacrificii Crucis, seu aliter: quid constituat actum sacrificalem Missae et respondetur: per solam consecrationem utriusque speciei (*essentia physica*). Deinde pervestigandum est, consecratio *quomodo* possit esse essentia sacrificii Missae, id est, sub quo formali respectu in consecratione adsit ratio sacrificii (*ratio formalis*). Haec tertia quaestio *bifariam* sortitur responsionem. Cum multi theologi dicant, rationem formalem sacrificii Missae constare in aliquali destructione, respondetur, eam *non esse destructionem,* aliis verbis agimus de ratione formali Missae, *quid non sit.* Demum declaramus *quid sit* ratio haec formalis sacrificii Missae. Ideo agendum nobis est:

1. De Missa ut sacrificio relativo.
2. De consecratione spectata ut essentia sacrificii.
3. De ratione sacrificii QUID NON SIT.
4. De ratione sacrificii QUID SIT.

1. De Missa ut sacrificio relativo.

Status quaestionis.

Quod Missa sit sacrificium relativum Crucis, significat, quod Missa intimam relationem habet cum sacrificio Crucis, i.e. dependet ab ea et instauratio eius est. Haec relatio potest illustrari per comparationem Albani Stolz: sacrificium Crucis se habet ut manuscriptum alicuius libri, unicum est, ab ipso scriptore exaratum. Nunc venit in officinam et arte typographica multiplicatur, editur per tot ac tot exemplaria. Hi libri impressi, inter se omnes aequales omnes sunt repraesentationes unius manuscripti, vocantur iure opus talis auctoris et idem sunt, ac manuscriptum, eundem effectum producunt, in ratione apparitionis tamen diversi sunt. Sic statuitur:

THESIS. Missa est sacrificium relativum repraesentans sacrificium Crucis. De fide definita.

a) **Vox Ecclesiae**

Trident. sess. XXII. *cap.* 1. Missam vocat « sacrificium quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repraesentaretur » (Denz 938), quo innuit Missam esse sacrificium relativum.

Mediator Dei: « Augustum igitur altaris sacrificium non est mera ac simplex Jesu Christi cruciatuum ac mortis commemoratio, sed vera ac propria sacrificatio, qua quidem per incruentam immolationem Summus Sacerdos id

agit, quod iam in Cruce fecit, semetipsum Aeterno Parti hostiam offerens acceptissimam » (n. 67.).

b) **Adversarii**

iidem sunt, qui veritati sacrificali Missae adversantur, quos iam recensuimus.

c) **Probatio**

theseos fit *per comparationem proprietatum sacrificii Crucis cum sacrificio Missae.* Considerandum est, quae proprietates identicae, quae autem differentes sint penes sacrificium Crucis et sacrificium Missae, ut relationem Missae ad sacrificium Crucis clare videre possimus. Has proprietates inquirimus sequentes S. *Augustinum,* qui dicit: « *Cui* offeratur *a quo* offeratur - *quid* offeratur - *pro quibus* offeratur? » (De Trinit. 4,14.). Responsa data ad haec quatuor quaestiones identitatem substantialem probant Missae cum sacrificio Crucis. Quinta interrogatio adiicitur: *quomodo offeratur,* et responso ad hanc quaestionem dato declaratur differentia inter sacrificium Missae et sacrificium Crucis. Singula considerentur:

1°. **Cui offertur** sacrificium Missae et sacrificium Crucis, pronum est. Nam Heb 9,14 dicit de Christo, quod « per Spiritum Sanctum *semetipsum* obtulit immaculatum Deo », in Missa autem « *semetipsum* Aeterno Patri hostiam offert acceptissimam » (MDei n. 67.). Identitas ergo habetur inter utrumque sacrificium quoad hoc punctum.

2°. **A quo offertur** utrumque sacrificium, etiam identitatem offerentis probat, ut Tridentinum dixit: « Idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit » (Sess. XXII. cap. 2. Denz 940.).

Identitatem substantialem offerentis in utroque sacrificio probat *Scriptura*: « Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech », item Traditio, e.gr. S. *Cyprianus*: « Quis magis sacerdos, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, i.e. panem et vinum sc. corpus et sanguinem » (Ep. 63, 4 RJ n. 581.). *Ratione* sic probatur: Christus secundum Hebr. 7,24 « sempiternum habet sacerdotium ». *Atqui* tunc usque ad saeculi finem debet offerre sacrificium, cum autem iam non degat in terris, hoc per vicarios facit. Hi autem nullum aliud habent sacrificium, quam Missam, et per huius oblationem manet Christi sacerdotium aeternum, « sacrificium autem in specie panis et vini non durabit infinito tempore, et tamen durabit in aeternum, quia semper durabit, quamdiu sacrificium proprie dictum necessarium erit, id est, usque ad mundi consummationem. Juravit enim Dominus et non poenitebit eum, hoc est, non mutabit unquam hoc sacerdotium cum alio sacerdotio, sicut mutavit sacerdotium secundum ordinem Aaron » dicit S. *Bellarminus* (De missa 1,6 fine). Haec quoad identitatem *substantialem* Missae cum sacrificio Crucis, quod attinet offerentem: *accidentalis* enim differentia habetur. In Cruce enim seipsum *immediate* obtulit, in Missa vero ope ministrorum personam eius gerentium, ergo *mediate.*

3°. **Quid offeratur** est tertia quaestio: identitas autem eius, quod offertur, i.e. rei oblatae evidens est a. In Missa enim et in sacrificio Crucis « eadem

pari modo victima est, divinus nempe Redemptor, secundum humanam naturam suam et in corporis sanguinisque sui veritate » (MDei n. 69.). Sic dixit iam *Sacramentarium Leonianum*: « Qui seipsum tibi pro nobis offerens immolandum, idem sacerdos et sacer agnus exhibuit » (Feltoe p. 11.). Identitatem rei oblatae, i.e. Christi victimae praedicat *Scriptura,* 1 Cor 11,26 dicens: « Quotiescunque enim panem hunc edimus vel calicem bibimus, mortem Domini annuntiamus, donec veniat. » *Atqui* mortem Christi tunc tantum annuntiamus *si idem* Christus sub speciebus panis et vini apparet, qui in Cruce pendens mortuus est, multorum exhauriendo peccata. *Sacra Traditio* semper hanc identitatem victimae professa est, inde iam ab *Ignatio Antiocheno,* qui ad Smyrnaeos scripsit de Docetis, quod « ab eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confitentur, eucharistiam carnem esse salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua resuscitavit » (7,1 Quasten p. 336.). - **b.** Notandum, ut identitas haec servari possit, non posse dici, *panem et vinum materiale* esse rem oblatam. Nam sunt solum *terminus a quo* sacrificii: id quod convertitur per transsubstantiationem in corpus et sanguinem Christi. Imo neque accidentia remanentia sine eorum substantia, i. e. « *species* », possunt haberi ut res oblatae, quod sacrificium stricte dictum attinet: signa symbolica sunt, sub quibus Christus victima offertur: In offertorio liturgico panis etc. offertur ut *res oblata secundaria*: id quod nos e nostris possumus dare et quae Deus sua bonitate transmutat in dona caelestia.

4°. **Pro quibus** offertur Missa et sacrificium Crucis? Utique sacrificium Crucis pro omnibus fuit oblatum et ab Aeterno Patre acceptatum: « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (1 Tim 2,5 s.). Etsi illa differentia *accidentalis* adest, quod sacrificium Missae *directe* saltem non offertur, nisi pro iis qui sunt de Ecclesia (Billot 1,600), tamen etiam Missa pro omnibus hominibus offerri fructusque gignere potest. Eo enim, quod proprie pro Ecclesia offertur Missa, « nondum per hoc excluseris ab eius suffragio et beneficio illos *qui extra Ecclesiam* versantur » (De la Taille 375 s., de tota hac quaestione p. 371-383.). Hoc probatur:

a. *Antiquo usu* Ecclesiae, quando in Missa orabant i.e. virtutem sacrificii Missae applicabant etiam pro paganis, pro imperatoribus persecutoribus. Sic. e.gr. Liturgia Antiochena Constitutionum Apostolicarum: « pro iis qui oderunt nos et propter nomen tuum nos persequuntur, pro iis qui foris sunt et errant, ut adducas eos ad bonum et furorem eorum mitiges » (VIII. 12,46 Quasten p. 226.). Usus hic multis testimoniis posset adhuc probari.

b. Tale est e.gr. factum, quod S. *Pius* X. indulgentia ditavit 100 dierum opus misericordiae, quod sacerdotibus commendatur in chartis sacristiis affixis: « Singuli sacerdotes in hac ecclesia missam celebrantes obsecrantur in Domino, ut in Memento praesentes habeant peccatores *totius mundi* nunc positos in agonia et hodie morituros » (De la Taille p. 375.).

c. Probatur etiam *ratione,* Missam offerri posse etiam pro iis, qui non sunt membra Ecclesiae. Hostia enim quae offertur in Missa, eadem est ac in sacrificio Crucis, sed « hostia passionis est pro omnibus hominum peccatis a Christo sacrificata. In partem igitur dum ingredimur dominicae oblationis, cur non potuerimus in bonum omnium sacrificare, quorum extent aut peccata

repropitianda aut salus impetranda? » interrogat de la Taille (p. 375.). *Aliam rationem* affert S. Thomas, quod Eucharistia « inquantum est sacrificium, habet effectum etiam in aliis, pro quibus offertur, in quibus non praeexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum. Et quod in contrarium dicitur, quod non offertur, nisi pro membris Christi, intelligendum est pro membris Christi offerri, quando offertur pro aliquibus, ut sint membra » (In IV. dist. 12. q. 2. a. 2.ad 4.).

5°. Quintum quod considerandum venit est **quomodo offeratur** Missae sacrificium et quomodo oblatum sit sacrificium Crucis. Melius dicitur, quod haec est *sola differentia substantialis*, etsi aliqui auctores minus recte loquuntur etiam de aliis differentiis, quae tantum accidentales sunt. Modus noster loquendi optime congruit Tridentino: « Una eademque est hostia... *sola* offerendi ratione diversa » (Sess. XXII. cap. 2. Denz. 940.).

Hanc *dissimilem rationem* clarissime describit *Mediator Dei*: **a.** « In Cruce enim *totum semetipsum* suosque Deo obtulit dolores, victimae vero immolatio per cruentam mortem, libera voluntate obitam effecta est » (n. 69.). Quo dicitur, Christum in Cruce per *passionem physicam* et sanguinis effusionem physicam fuisse immolatum, i.e. « totum semetipsum » obtulit, corpus et sanguinem. Aliter autem in altari: **b.** « In ara ob gloriosum humanae naturae suae statum mors illi ultra non dominabitur (Rom. 6,9), ideoque sanguinis effusio haud possibilis est, verumtamen ex divinae sapientiae consilio Redemptoris nostri sacrificatio per externa signa, quae sunt mortis indices, mirando quodam modo ostenditur » (ibid.). Quo dicitur, in sacrificio Missae Christum *iam non physice* immolari, quod impossibile esset et simul impium, sed *non* dicitur sacrificium Missae esse sacrificium « *sine sanguine* », est enim sacrificium, ubi tum corpus, tum sanguis Christi habetur, sed « *sine effusione sanguinis* ». Quomodo hoc fit, inferius declarabitur.

c. *Accidentales differentiae* sunt, quod (1) sacrificium Crucis *pretium* fuit redemptionis, Missa autem est sacrificium *applicativum* redemptionis. (2) Dein Crucis fuit sacrificium cruentum Deo oblatum, dum sacrificium Missae producendo Eucharistiam per communionem participare facit cruentum sacrificium. Crucis ergo sacrificium iuxta terminologiam Veteris Legis « *holocaustum* » dici posset, Missa autem « *hostia* », unde etiam participatur. Quod in Missa sacrificium cruentum sacramentaliter participatur, affirmant Patres, e. gr. *Augustinus*, loquens de Iudaeis, qui cooperati sunt ad crucifixionem, dein die Pentecostes poenitentes facti, christiani evaserunt: « Post ascensionem, misso Spiritu Sancto, conversi sunt ad eum, quem crucifixerunt, et in sacramento, credentes, sanguinem eius biberunt, quem saeviendo fuderunt » (Sermo 87,11 Pl 38,638).. S. *Leo Magnus* autem loquitur de sanguine Christi, « qui reconciliando mundo et pretium esset et poculum » (Sermo 62,3 PL 54, 351.). (De hac re cf. fusius De la Taille p. 255-263.).

6°. Per has ergo identitates et hanc differentiam constituitur Missa sacrificium relativum Crucis. *Propius quid est*, quod Missae sacrificium **repraesentat sacrificium Crucis?**

a. Primo quidem quod sacrificium Crucis et Missae non diversa sunt sacrificia, sed *unum sacrificium*, ut Catech. Triden. dicit: « Unum itaque et idem sacrificium esse, fatemur, et haberi debet, quod in Missa peragitur, et

quod in Cruce oblatum est, quemadmodum una est eademque hostia... Neque enim cruenta et incruenta hostia duae sunt hostiae, sed una tantum, cuius sacrificium, postquam Dominus ita praecepit: Hoc facite in meam commemorationem, in Eucharistia quotidie instauratur » (idem ac « renovatur », Cat. Trid. p. II. c. 4. qu. 61.). Secundo:

b. autem edicitur, quod cruenti sacrificii Crucis « memoria in finem usque saeculi permaneret » (Trid. sess. XXII. cap. 1. Denz 938.). Ergo Missa *est etiam « anamnesis », rememorativum sacrificii Crucis.* Falsum. imo haereticum hoc tunc tantum esset, si hoc diceretur *exclusive,* i.e. Missam esse « *nudam* commemorationem sacrificii in Cruce peracti » (Trid. can. 3. Denz 950.). Memoria autem non est Missa in quantum solummodo memoriam excitaret, sicut in coena liturgica Iudaeorum Exodus ab Aegypto commemorabatur per interrogationem pueri, dein per lectionem Scipturae et per hymnos gratiarum actionis, sed est memoria *realis,* nam idem Christus apparet inter suos fideles, qui in Cruce mortuus est et hoc idem in Coena novissima fecit.

c. Demum Missa ideo quoque est relativum sacrificium Crucis, quia «*illius* (i.e. Crucis) *salutaris virtus* in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum *applicatur* » (Sess. XXII, cap. 1. Denz 938.). Cum autem sacrificium Crucis etiam alios effectus produxit, hi omnes effectus per sacrificium Missae mediantur, sicut Encycl. MDei quatuor « fines », i.e. effectus Missae e sacrificii Crucis virtute per Eucharisticum sacrificium nobis impertiri asseverat (n. 70-73.). Pulcherrime etenim affirmat eadem Encyclica: « Augustum altaris sacrificium eximium est *veluti instrumentum, quo* promerita e divini Redemptoris Cruce orta credentibus *distribuuntur*... Dum cotidie immolatur, nos admonet aliam non esse salutem, nisi in Cruce D.N. Jesu Christi, eiusmodi autem sacrificii continuationem ab ortu solis usque ad occasum Deum ipsum perfici velle, ne *gloriae gratiarumque actionis* intermittatur *hymnus,* ab hominibus idcirco Creatori debitus, quod perpetuo eius *indigeant auxilio,* divinique indigeant Redemptoris sanguine ad ea *delenda peccata,* quae eius provocant iustitiam » (n. 78.). En hic habes *quatuor effectus Crucis et insimul Missae*: latreuticum (« gloriae hymnus »), eucharisticum (« gratiarumque actionis »), impetratorium (« perpetuo eius indigeant auxilio ») et propitiatorium (« ad delenda peccata »); omnes e sacrificio hauriuntur Crucis, quod Christus in Calvaria sicuti quandam « piacularem salutaremque instruxit piscinam, quam suo replevit effuso cruore » (MDei n. 76.). Ex hac divina piscina distribuuntur effectus per eximium instrumentum sacrificii Missae, quasi « anthlema», quo cruor hauritur Christi.

COROLLARIA

deducuntur e veritate hac dogmatica sequentia:

I. COROLLARIUM est **dignitas sacerdotii** Novi Testamenti, orta ex eo, quod sacerdos personam gerit ipsius Christi, quod « ob consecrationem, quam accepit sacerdotalem, Summo Sacerdoti assimilatur ac potestate fruitur operandi virtute ac persona ipsius Christi. Quamobrem actione sua sacerdotali Christo quadammodo *linguam suam commodat, manum porrigit* » (MDei n. 68).

Practice inde deduci debet 1°. Docendi sunt fideles, « eam esse illam functionem, *qua maior nulla* excogitari possit », item potestatem consecrandi et offerendi et absolvendi esse talem, quae « humanam quoque rationem atque intelligentiam superat et nedum ei aliquid par et simile in terris inveniri queat » (Cat. Trid. p. II. c. 7, qu. 2.).

2°. Sacerdotes pro seipsis semper prae oculos habeant *vocationem dignitatis*, saepius de ea meditando, utendo e.gr. libello Chrysostomi de sacerdotio, et aliorum Patrum, vel opusculo Card. Manning, The eternal priesthood. *Conclusionem duplicem* tamen debent sacerdotes ex hac conscientia suae dignitatis deducere. Eam quidem, quod « nobilitas obligat », ideo sacerdotes *sanctiorem* prae laicis debent ducere vitam, dein aliam quod dignitas haec non ad dominationem, sed *ad serviendum* fratribus data est. Sacerdos enimvero est « diakonos katallagês » = « minister reconciliationis » (2 Cor 5,18.) et potestate sua non debet abuti. Secundum S. Ambrosium enim est per suam functionem sacerdotalem « vicarius amoris Christi » (In Lc 10,175 PL 15,1942.).

Magna utilitate ad scopum supradictum consuli possunt sequentia selecta opera: *O. Cohausz*, Paulus. Ein Buch für Priester, München 1919. — *J. Grimal*, Avec Jésus formant en nous son prêtre, I. II. Lyon, 1925. — *B. Berro*, Attende tibi et doctrinae! La vita sacerdotale secondo le lettere dell'Apostolo San Paolo, Chieri 1934. — *H. Périnelle*, Le sacerdoce, Paris 1936. — *E. Masure*, L'éminente dignité du sacerdoce diocésain, Paris 1938. — *A. Peinador*, Santidad sacerdotal y perfección religiosa, Madrid 1943. — *G. Lemaitre*, Notre sacerdoce, Paris 1945. — *R. Garrigou-Lagrange*, De sanctificatione sacerdotum secundum nostri temporum exigentias, Taurini 1946. — *G. Frassinetti*, Gesù Cristo regola del sacerdote, 30.ed. Torino 1947. — *R. Garrigou-Lagrange*, De unione sacerdotis cum Christo Sacerdote et victima, Taurini 1948. — M. *Pfliegler*, Priesterliche Existenz, Wien 1953. — *G. Cacciatore*, Enciclopedia del sacerdozio, Firenze 1953.

II. COROLLARIUM est, quod *altare honorari potest* utpote locus, ubi renovatur sacrificium Calvariae. Hoc fit per « *visitationem altarium* » iam medio aevo usitatam, quod pium exercitium adhuc in usu est in ordinibus monasticis et quibusdam regionibus, e.gr. Hungariae, ubi devoti fideles orant ad altaria, cornu, vel linteaminum summitates deosculando. Motivum huius devotionis sumi potest ex inscriptione quae super portam ecclesiae in *Cana* Galileae legitur, quae erecta est in loco domus convivii nuptialis: « Adorabo ad locum, ubi steterunt pedes eius ».

2. De consecratione spectata ut est essentia Missae

Post considerationem eius, quid sit sacrificium Missae, ulterius inquirendum restat.

a) Per quid fit Missa repraesentatio sacrificii Crucis.

Respondetur Missam fieri repraesentationem sacrificii Crucis per confectionem Eucharistiae, quae est consecratio, seu transsubstantiatio, quando nempe substantia panis et vini desinit esse et loco earum praesentiatur (praesens efficitur) corpus et sanguis Christi, aliis verbis ipse Christus cum corpore et sanguine vi verborum, per concomitantiam eius anima et per unionem hypostaticam eius quoque divinitas. Consecratio in se spectata elucidabitur inferius, agendo de transsubstantiatione, nunc tantum in quantum est essentia Missae sacrificii. Ideo statuitur:

THESIS: Essentia sacrificii Missae consistit (1) in sola consecratione duplicis speciei, (2) communio sacerdotis est pars integralis. Doctrina catholica.

1°. Vox Ecclesiae.

Trident. sess. XXII. can. 1.: « S.q.d. in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offertur, non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari: a. sit » (Denz 948.).

Mediator Dei: « Etiam atque etiam animadvertendum est Eucharisticum sacrificium suapte natura incruentam esse divinae victimae *immolationem*, quae quidem mystico modo *ex sacrarum specierum separatione patet*, ex earumque oblatione Aeterno Patri peracta. Sacra autem synaxis ad idem integrandum ad idemque Augusti Sacramenti communione participandum pertinet; dumque administro sacrificanti omnino necessaria est, christifidelibus est tantummodo enixe commendandum » (n. 114.).

2°. Adversarii

huius thesis sunt omnes Novatores, qui, ut iam dictum est, Missae existentiam negantes, solummodo Sacramentum Eucharistiae agnoscunt, profitentur ergo Coenam-non-sacrificium.

Ante Tridentinum quaestio haec vix agitata est. Catholici in eo conveniunt, quod consecrationem admittant, etsi aliqui varia falsa circa eam opinabantur. Ecclesia, ut dicit J. Filograssi, prima vice in Encycl. Mediator Dei mentem suam circa hanc rem manifestavit, ita, ut inter catholicos nunc iam alia opinio teneri non potest (5. ed. 1953. p. 361-2.).

a. Doctrinae, quod consecratio est essentia Missae adversantur ii, qui eam reputant solum *conditionem sine qua non*, essentiamque invenire conabantur in alia aliqua re. Sic iuxta *Ant. Corrionero*, theologum Tridentinum et *J. Grivet* (1917.) consecratio est quodammodo ultima praeparatio, essentiaque invenitur in *anamnesi* « Unde et memores ». — Asseclae theoriae *epuli sacrificalis* (The banquet theory) quoque huc inserendi videntur (J. Bellord, Wieland, Renz), sed a Protestantibus differunt asserentes Missam esse sacrificium, nec negant transsubstantiationem. Nunc iam nullo modo potest dici, consecrationem esse solum conditionem.

b. Doctrinae, quod sola consecratio est pars essentialis adversantur ii theologi, qui consecrationem quidem essentialem reputabant, sed *una cum alia quadam parte* Missae. Sic iuxta *Scotum* et *G. Biel* ad essentiam pertinet quoque *offertorium*, secundum *Melchiorem Cano* « ante *fractionem* nondum est expletum sacrificium », *Gregorius de Valentia* « in fractione et sumptione sacrificii huius substantiam partim ponendam esse » censet. Celeberrimi vero theologi, praesertim *S. Robertus Bellarminus*, dein *Lessius*, *Card. de Lugo*, *Salmanticenses*, *S. Alphonsus de Ligorio* consecrationem et simul *communionem* partem esse substantialem praedicant.

c. Doctrinam, quod duplex, i.e. *utriusque speciei consecratio* necessaria sit ad essentiam sacrificii Missae negabant pauci theologi, inter alios *Estius*, *Tournely*, *H. Schell* et *J. Kramp*, affirmantes *in unica* quoque consecratione iam inveniri « non obscuram significationem mortis » (Estius), ergo rationem sacrificii in unica etiam consecratione salvari.

Probatur I. pars: Sola consecratio utriusque speciei

Doctrina haec est iam S. *Thomae*: « Repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari » (III. q. 80. a. 12. ad 3.). — Iuxta mentem doctoris Communis ergo consecratio est essentia Missae, nam haec repraesentat mortem Christi.

I. Argumentum est negativum: « Res Deo oblata » in Missa est Christus in statu victimae, atqui *ante consecrationem* et *post communionem* haec victima iam non adest, ergo essentia Missae solum inter consecrationem et communionem inveniri debet. *Offertorium* ergo non potest constituere essentiam Missae. *Per se* posset esse *fractio vel communio*. Fractio non est pars essentialis, nam iuxta Bellarminum « sine dubio non habet Dominum auctorem. Dominus enim fregit quidem panem, sed fregit ante consecrationem, ut multi volunt, vel statim a consecratione, ut distribueret eum discipulis. At nostra fractio non fit ad distribuendum, sed ad certum mysterium significandum » (De Missa 1., 27.).

Nec communio est pars essentialis, ut Bellarminus tenuit ea ductus ratione, « ...quia in tota actione Missae nulla est alia realis destructio victimae », haec vero destructio non est necessaria, nec sufficit ad constituendum sacrificium. Praeterea in communione Christus nec offertur, nec immolatur. *Non offertur,* nam iam « oblatum prius Deo, sc. per consecrationem, iam recipitur de manibus Dei, in cibum nostrum et sanctificationem ». *Nec immolatur*: nec in seipso, nec symbolice. Nec *in seipso*: absurde enim diceretur eius caelestis existentia destructa. Nec *symbolice*: ratione nempe specierum, quae manducantur et digeruntur etenim « istiusmodi destructio, cum neutiquam attingat Christum realiter, nunquam poterit dari pro immolatione vera » (De la Taille p. 305-6. — Ceterum ad rationem nullius sacrificii pertinet essentialiter participatio sacrificii, holocausta penitus comburebantur, epulum defuit in sacrificio Crucis, nec Christus ipse probabiliter Eucharistiam sumpsit.

II. Argumentum est positivum: In sola consecratione habentur ea omnia, quae ad rationem pertinent sacrificii dominici. Enimvero:

a. Ibi praesertim maxime verificatur, quod *sacerdos personam gerens Christi agat*, nam in consecratione totaliter deponit suam personalitatem, et omnino vice Christi agit, dicens: Hoc est corpus meum.

b. Per consecrationem *solam* repraesentatur *omnimode* sacrificium Crucis; ad sacrificium cruentum enim pertinet effusio sanguinis, quae sacramentaliter et mystice repraesentatur, quod per consecrationem corpus et sanguis sub speciebus separatis exhibentur, sanguis ergo quodammodo effusus cernitur.

c. In consecratione *sola* deprehendi potest sacrificium illud promissum secundum ordinem *Melchisedech,* factum per panem et vinum. Christus Dominus enim certitudine absoluta solum consecrationem peregit, fractionem enim commisit discipulis in Coena novissima, participatio vero Coenae, i.e. communio Christi securo asseri non potest.

Probatur II. pars: Communio pertinet ad integritatem Missae

Nec communio sacerdotis pertinet ad essentiam Missae, quae sola consecratione constat. Pars tamen integralis est communio sacerdotis celebrantis. Pars

integralis (Ergänzungsteil, kiegészitö rész) *non* dicit *necessitatem completivam* sacrificii ut est oblatio victimae, haec enim fit per solam consecrationem. Communio ergo non est pars completiva actionis sacrificalis eo sensu, sicuti Completorium est pars completiva officii divini, sine cuius recitatione officium divinum non esset completum, sed *integralis*, i.e. communionem dicit *e natura rei* coniungi debere cum actione sacrificali. Actio enim sacrificalis ex ordinatione Christi rem oblatam i.e. *Christum-victimam ponit* sub speciebus *cibi et potus*, ideoque *ordinationem dicit ad sumptionem*. Pars completiva potest dici communio non actionis quidem sacrificalis, sed *totius* Missae, inquantum est sacrum commercium, quod sacrificans habet cum Deo: recipit enim rem oblatam, ut donum supernaturale Dei ad vitam supernam alendam et nutriendam.

Doctrinae tam gravi deducuntur:

b) **Normae pastorales.**

I. Regula: De consecratione unius speciei sine altera. Talis sacrificatio esset sacrificium incompletum, nam utriusque speciei consecratio ideo requiritur, ut per separationem specierum hae cruentam corporis et sanguinis separationem figurent. 1°. Tamen consecratio unius speciei sine altera *valida esset*, nam per istam incompletam consecrationem quoque ponitur totus Christus praesens. Ultimis decenniis saeculi XII. Lutetiae Parisiorum magistri *Petrus Comestor* et *Petrus Cantor* docebant, ad consecrationem corporis validitatem requiri etiam calicis consecrationem: consecratio tunc tantum effectum sortitur, si ultima verba consecrationis calicis quoque iam prolata sint. Contra horum singularem opinionem lis exorta est, quae finita est per decisionem *Odonis de Sully*, archiepiscopi Parisiensis, qui circa 1209 statim post consecrationem panis praecise ideo praescripsit solius hostiae elevationem, ut iam a populo ut corpus Christi adoretur. Elevatio calicis tantum post decennia et pedetentim in usum venit.

2°. Communis est sententia consecrationem *utriusque* speciei *iure divino esse praescriptam*. Sic enim instituit Dominus sacrificium Missae, tantum sic repraesentat sacrificium cruentum Crucis. Etsi ergo valida sit consecratio unius speciei sine altera, tamen semper graviter illicita manet, a qua non dispensatur. Can. 817: « Nefas est (=actus divinis legibus contrarius!) urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque extra Missae celebrationem consecrare ».

3°. Inde sumitur *praeceptum Ecclesiae de sacrificio complendo*, nam in consecratione unius speciei non habetur *essentia* sacrificii, sed tantum sacrificium *inchoatum;* in omissione communionis sacerdotis autem non servatur *integritas* sacrificii. Ergo ideo **a.** si sacerdos celebrans deficiat *ante consecrationem*, Missa praetermittatur, nam sacrificii essentia nec inchoata est. — **b.** Si sacerdos deficiat (morbo correptus, vel vi impeditus, vel si mortuus est) « *post* consecrationem *corporis* tantum, ante consecrationem calicis, vel utroque consecrato (sed supponitur, ante communionem) id accidit, Missa per aliam sacerdotem expleatur, ab eo loco, ubi desiit, et in casu necessitatis etiam per non ieiunum » (Missale Rom. De defectibus circa Missam occurrentibus X,3.). — **c.** Si post sacrificii abruptionem *iam una hora elapsa* sit, probabiliter non debet, sed *licet* etiam post plures adhuc horas supplere sacrificium inchoatum, quod ab eo dependet, num adhuc adsit moralis unitas inter sacrificium inchoatum eiusque comple-

mentum (Noldin-Schmitt-Heinzel n. 215.). — **d.** Si possibile sit, etiam sacerdos *deficiens communicare* debet: « Si non adsit alia hostia consecrata, sacerdos, qui Missam supplet, dividat hostiam, et unam partem praebeat infirmo, aliam ipse sumat » (Miss. Rom .l.c.). — **e.** In casu necessitatis etiam sacerdos *irregularis vel excommunicatus* supplere debet (Noldin - Schmitt l. c. et Merkelbach III. n. 391. B.4.).

II. Regula: De populi communione intra Missam. 1°. Prae oculis habenda est Ecclesiae doctrina: « S.q.d. Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas: a. s. » (Trid. sess. XXII. can. 8. Denz 955). Fusius contra superlationes atque traiectiones veritatis modernas agit *Mediator Dei* de hac re: « Ad eiusdem sacrificii integritatem requiritur solummodo, ut sacerdos caelesti pabulo reficiatur, non autem ut populus etiam — quod ceteroquin summopere optandum est — ad sacram synaxin accedat... Aberrant, qui ut contendant *necessarium omnino esse* christifideles una cum sacerdote eucharistica pasci dape, captiose (falsch, csalárdul) asseverent, heic agi non de sacrificio solummodo, sed de sacrificio ac coena fraternae communitatis, atque sacram synaxim ponant, communiter actam, quasi totius celebrationis culmen » (n. 113.). — Falsum ergo esset et a veritate doctrinaque Ecclesiae alienum participare tales exaggerationes. Sed tamen Ecclesia commendat et optat:

2°. ut populus *intra Missam sumat communionem,* imo quod hoc fiat hostiis in eodem sacrificio consecratis: « Valde autem opportunum est, quod ceteroquin Liturgia statuit, populum ad sacram accedere synaxim, postquam sacerdos divinam dapem ex ara libaverit, atque, ut supra scripsimus, ii dilaudandi sunt, qui, Sacro adstantes, *hostias in eodem sacrificio consecratas* accipiant, ita quidem ut reapse contingat, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione caelesti et gratia repleamur » (MDei n. 119.). — Talis modus ergo communionis suadetur ab Ecclesia, sed *duo* adhuc *dat monita. Primo*: « Verumtamen causae interdum non desunt, nec rarae sunt, cur eucharisticus panis *vel ante, vel post* sacrificium ipsum distribuatur et cur etiam... hostiis tamen id fiat superiore iam tempore consecratis » (MDei n. 120.). Scopus huius « maternae indulgentiae » Ecclesiae est, ut populus facilius possit ad mensam vitae aeternae accedere. — *Secundo* tamen filii Ecclesiae « nihilo secius pro sua quisque parte debent, quidquid sacra Liturgia suadeat, *non facile spernere,* ac quotiescumque probabilis non obsistat causa, ea omnia efficere, quibus vivens Mystici Corporis unitas clarius ad altare patescat » (MDei ibid.). Huic ergo secundae admonitioni non satisfieret, si in aliqua ecclesia communio intra Missam *semper* impossibilis esset.

III. Regula: De participatione fructus plurium Missarum, quae ab auctoribus aliquibus asceticis commendatur, sic opinandum est. Si quis non tenetur ex Ecclesiae praecepto Missae adstare et praesens est *tantum ad consecrationem,* talis participat fructus Missae, quia essentiae Missae adfuit, ideoque commendari potest tali remanere in Ecclesia, si statim consecratio esset in aliqua Missa. — Immo commendatur etiam, si plures Missae eodem tempore in aliqua ecclesia celebrentur, excitare intentionem se velle *omnium harum Missarum participem* esse. Attamen sufficit, si initio intentionem habeat, se participem fieri velle omnium Missarum hoc loco celebratarum, dein totam attentionem uni Missae convertat.

3) De ratione formali sacrificii Missae QUID NON SIT

Status quaestionis.

Actum iam est, *quid* sit Missa: Sacrificium relativum repraesentans sacrificium Crucis; dein *per quid* hoc repraesentet: per solam consecrationem utriusque speciei, quae est essentia sacrificii Missae. Nunc ulterius quaeritur, actio sacrificalis, i.e. essentialiter consecratio *quomodo* est repraesentatio Crucis, aliis verbis quae sit ratio formalis sacrificii Missae. Quia multi theologi posttridentini asseverant hoc fieri per aliqualem destructionem, sententiae eorum ad trutinam (Wage, mérleg) revocandae sunt. Primum ordine chronologico describuntur *hae sententiae* (I.), dein secundo conamur ostendere eas *parum idoneas* esse ad declarandam rationem formalem sacrificii Missae (II.). Tertio autem diiudicamus theorias recentiores *per defectum* peccantes (III.).

I. Theoriae sacrificales destructionem supponentes

Aevo Tridentini, tempore bellicoso innovationis, in praxi centrum omnium invectionum ex parte Novatorum semper Missa fuit. Sicdicta reformatio in urbe vel oppido quodam fere semper incepit per abrogationem Missae et introductionem « liturgiae reformatorum », qui Missam praecipue propter eius indolem sacrificalem abominati sunt, putabant enim Missam derogare unico sacrificio Crucis. Catholici ergo debebent characterem sacrificalem Missae tanto magis extollere, quanto veritatem divinitus revelatam defendere coacti sunt. Quia opinabantur destructionem ad essentiam sacrificii pertinere, ad demonstrandam indolem sacrificalem Missae saec. XVI-o inducta est idea destructionis realis vel saltem aequivalentis in Missam, ut eius relatio seu dependentia a sacrificio Crucis melius illustrari potuisset. Idea destructionis saec. XVI-o vulgaris communisque evasit, Theoriae destructionem supponentes in quatuor classes redigi possunt.

a) Theoria mactationis.

1°. *Andreas Cuesta,* episcopus Legionensis (Léon in Hispania) 22. aug. 1562. in sessione generali Concilii Tridentini primus hanc theoriam protulit declarans: « Missa est sacrificium hac ratione, quia Christus aliquo modo moritur et a sacerdote mactatur, nam sacrificium ex vi sacrificii separat corpus a sanguine licet per concomitantiam utrumque simul sit cum anima et divinitate. Et hac ratione dicitur sacrificium Missae repraesentare mortem Christi et veram veri sacrificii rationem habet » (Cf. Renz op. infra cit. II. p. 203-210.).

2°. Hanc theoriam suam fecit *Leonardus Lessius S.J.* nil novi addens theoriae, sed primus fuit qui sententiam a Cuesta prolatam uberius expolivit (De iust. et iure 1605., 2,38 et De perfectionibus divinis 1619., 12,13.), ita ut multi simpliciter de theoria Lessii loquantur, Cuesta enim revertendo a Synodo Tridentina vita functus est. Lessius iam *crassiore modo* loquitur, dicens, sacrificium hoc non per malleum vel gladium mactatum iri, sed per gladium verbi Dei omnipotentis, nam sicut olim sacrificium eo momento perfectum est, quando hostia, agnus, vel vitulus, gladio occidebantur et caro a sanguine separata, sic etiam in actu sacrificali Missae, quando vi verborum corpus et sanguis Christi « ponuntur seorsim tamquam rei occisae et immolatae » (Cf. Renz II., 254. s.).

3°. Theoria Cuestae anno 1633. *nova forma* prolata est per *Casparum Hurtado S.J.* professorem Complutensem, qui usque ad *iugulationem victimae* pervenit, dicens: consecrationem esse ipsam iugulationem Christi, non utique physicam, sed occultam et altam, non realem et internam, sed externam et per rationem (De sacrificio Missae disp. I. diff. 8. et 9. Renz 255. s.) Lessium sunt secuti multi alii, ut *Joh. Gonet* O.P. auctor Clypei thomistici († 1681.), *Car. Billuart* († 1757.), e recentioribus *Ch. Pesch, Knittel, Aswald,* aliquo modo etiam *Billot* et *Hugon.*

4°. *Difficultas* huius theoriae in eo sita est, quod male interpretatur vim verborum: ex se non tendunt etenim in separationem corporis Christi a sanguine eius. Feruntur enim ea verba non in corpus Christi, sed in panem: (« hoc — sc. panis, — est corpus meum »). *Meritum* huius sententiae est, quod « apte insistat in consideratione ipsius essentiae actionis consecrativae, quatenus terminatur ad corpus Christi; nam in ipsa consecratione quaerenda est ratio huius sacrificii, secundum intimam suam rationem » (Doronzo 991.).

b) **Theoria mortificationis Christi seu destructionis aequivalentis.**

1°. Huius theoriae auctor est episcopus Leiriae *Casp. de Casal,* qui hanc anno 1563. in lucem protulit (De sacrificio Missae et SS. Euchar. celebratione, cf. Renz II, 210-232.). Secundum eum « modus quo sese posuit in SS. Sacramento » est « *modus mortificatus* » (ein Getötetsein-Modus, a megöltség módja), praecipue *propter tria.* Christus enim **a.** positus sub speciebus « modo immolatitio et sacrificio, prout est ibi, *caret* istis *actionibus vitalibus* », i.e. sec. Scotum non videt, non audit, non sapit, non odoratur, non palpat. — **b.** « in sacramento sese posuit non utcunque, sed *comedendum* », atqui hic « modus ipse est immolatitius, quia est non solum ut sic immoletur, sed est etiam ut sic possit sumi, accipi, comedi, et manducari », Christus autem si posset mori, propter haec mortem pateretur. — **c.** Demum ideo quoque est modus iste « *mortificatus* », quia Christus in Eucharistia non circumscriptive est praesens, sed in omnibus particulis totus Christus adest. — Nullum argumentum valet, nam non potest dici quod caret actionibus vitalibus: proprie enim impassibilis est; dein Christus sumitur, sed species manducatur; demum modus praesentiae Christi non « mortificatus » est in Eucharistia, sed omnino gloriosus.

2°. Casal secutus est *Jo. Malderen* († 1633.) professor Lovaniensis anno 1616., usque adeo procedens, quod Christus in Eucharistia « quasi iterum mortuum accipiat esse » et sic etiam *ut occisus comeditur,* in quo essentia secrificii iacet (De virtut. theol. et iust. et relig. 10,3,1. c.. Renz. II., 278-232.).

3°. Eandem theoriam assumpsit et excoluit *Card. Lugo* anno 1636. destruc*tionem aequivalentem* statuens, sed modo a Casal invento: « ...licet consecratione non destruatur substantialiter, sed tamen destruitur humano modo, quatenus accipit *statum decliviorem,* et talem, quo reddatur inutile ad usus humanos corporis humani et aptum ad alios diversos usus per modum cibi, quare humano modo idem est ac si fieret verus panis et aptaretur ac condiretur in cibum: quae mutatio sufficiens est ad verum sacrificium, fieri enim comestibile illud quod non erat comestibile et ita fieri comestibile, ut iam non sit utile ad alios usus nisi per modum cibi, maior mutatio est quam aliae quae ex communi hominum mente sufficiebant ad verum sacrificium » (De S. Euch. disp. 19. sect.

5,64. cf. Renz II, 282-300.). Sententiam hanc originarie Casali, vocatam Lugonis, sequuntur e recentioribus *Card. Franzelin, Stentrup* et *Hurter.*

4°. *Difficultas* theoriae in eo sita est, quod corpus Christi in Eucharistia revera non est in statu decliviori, quia in Sacramento praesens est ad modum substantiae sine quantitate. Status hic: « prorsus *disparatus,* ni dicamus *perfectior* pro quanto substantia ejusque modus superat quantitatem et modum illius » (Doronzo 987.). Et si revera status hic declivior haberi deberet, non est aptus ad repraesentandam Christi passionem: non requiritur enim in hac theoria *duplex* consecratio; unica quoque sufficeret, nam iam ibi haberetur status declivior.

c) **Theoria transmutationis, seu immutationis.**

1°. Tertius fuit, qui una cum Cuesta et Casal anno 1562. Tridentinae Synodo sententiam suam exposuit: *Matthaeus van der Galen,* seu Galenus Westcapellius, professor Lovaniensis, sententiam suam praelo commendans 1574. (Commentarius de ss. Missae sacrificio c. 7. et 8., cf. Renz II, 233-240.). Recte putat, consecrationem esse sacrificii Missae essentiam, sed exaggerat rem dicendo inter elementa nostri sacrificii adesse quandam *caedem,* seu *immolationem destructivam panis et vini* per consecrationem has substantias transmutantem. « Age igitur, panis et vini hostiam a caede non esse aut permanere sane immunem dicamus » (p. 104.). De sua theoria sic: « Apparet liquidum: nos summam christianorum latriam seu Dei cultum, minime omnium in nudo terminare (abschliessen, befejezni) pane et vino, sed in panis et vini rite mixti transsubstantiatione seu consecratione, seu in eo, quod Christus admirabiliter repente, quondam immolatus existat sub duplici symbolo... Mutatio quidem tota in pane et vino existit, quatenus sacrificalis est substantia videlicet, in iisdem transmutatis i.e. corpore et sanguine Christi meritum et dignitas consideratur » (p. 110-112.).

2°. Quoad rem eandem sententiam expolivit *Franc. Suarez* († 1617.), eximius theologus S.J., proferens theoriam *immutationis productivae.* Secundum suam definitionem « sacrificium est externa et sensibilis actio, qua res aliqua ita Deo offertur, ut legitimo atque sollemni ritu in Dei honorem et cultum aliquo modo immutetur, a publico et legitimo ministro ». Immutatio haec productiva est in missa, nam « in nostro sacrificio quia per actionem supernaturalem et divinam perficitur, licet panis et vini substantia destruatur, tamen quod potissimum intenditur, est effectio et praesentatio (ut ita dicam) corporis et sanguinis Christi super altare Dei, in honorem eius » (De Missae sacrificio disp. 75. sect. 5,6; tota theoria in disp. 74-75., cf. Renz II.300-314.). Suarezium secuti sunt *Card. Toletus* et *Scheeben.*

3°. *Difficultas* huius theoriae est, quod actio sacrificalis fit circa panem et vinum, haec autem circa « rem oblatam fit », ut S. Thomas definivit, quae est Christus victima.

d) **Theoria repraesentationis mysticae, seu sacrificii relativi.**

1°. *Gabriel Vasquez* († 1604.) profitebatur hanc theoriam, quae tantum post eius mortem prodiit in Commentario ad S. Thomam (Lugduni 1631., In III. Summae disp. 222., c. 7-9., cf. Renz II, 245. s. et 256-270.). Vasquez strenue defendit *destructionis necessitatem* in sacrificio, sed putat, quod in Missa, quia

sacrificium relativum est, hanc non debere adesse. Nam « si absque rei oblatae immutatione vera et reali Deus auctor vitae et mortis denotari et coli possit, vere et proprie sacrificium dici debet ». In Missa autem eo habetur cultus Dei ut auctoris vitae et mortis, inquantum Christus « non dicatur reipsa et vere, sed *in sola figura* et similitudine occidi et mori, tamen vere et reipsa immolari et in sacrificium offerri dicitur ». Hoc autem eo fit, quod caro et sanguis Christi in Eucharistia contenta repraesentat sacrificium cruentum in Cruce oblatum. Vasquez sequacem habet inter recentiores *Perrone.*

2°. *Difficultas* huius theoriae in eo sita est, quod ex una parte etiam ipse *destructionem* defendit, ex altera autem reputat Missam *exclusive* sacrificium relativum. Sed Missa est etiam sacrificium *absolutum,* inquantum secundum Tridentinum (sess. XXII. c. 1. et 2.) « in divino hoc sacrificio Christus continetur et incruente immolatur ». Sola repraesentatio autem sacrificii Crucis, praecisive ut videtur a Vasquez sumpta, non esset sacrificium actuale, i.e. aliquo modo etiam absolutum.

II. Diacrisis theoriarum destructionem supponentium

Theoriae posttridentinae de ratione sacrificii Missae potissimum eo vitio laborant, quod supponant aliqualem destructionem, quod non requiritur ad immolationem Christi. Haec immolatio enim adest in Missa, sed spirituali modo, ut Gelasianum dixit: « Spiritualis hostia, quae miro ineffabilique mysterio immolatur » (Wilson p. 129.). Hi theologi sensum immolationis modificaverunt, intrudentes in eam destructionem, quae secundum eos competit divinitati ad honorandum supremum Eius dominium super vitam et mortem.

Destructionem nullo modo necessariam esse ad rationem sacrificii sic probatur.

a) Ex **identitate Christi eucharistici** *cum Christo glorificato*: « Christus enim iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur » (Rom 6.9.). *Christus* ergo nullo modo destrui, vel immutari potest. Illa destructio vel immutatio autem, quae percipitur ab his auctoribus quoad *species,* nempe quod substantia eorum desinit esse, ideoque « destruitur », vel immutatur, *nullo modo* attingit Christum, nam Christus est res oblata « circa quam aliquid fit », non autem panis et vinum.

b) Ad sacrificii **essentiam non requiritur destructio,** sed consecratio, i.e. eductio ex usu profano rei oblatae, quae Deo datur ad significandam subiectionem suiipsius. Sacrificia erant in V.T.-o cruenta et incruenta. *Cruenta* vocabantur quidem « *zebach* » a verbo « *zâbach* », « caedere » (schlachten, levágni), sed inde *non* sequitur partem centralem sacrificii esse occisionem victimae, ut putat E. Kalt (Bibl. Reallexikon II.266.).

1°. *Nomen* est simpliciter *synecdochicum,* i.e. sumitur e parte aliqua conspicua pro toto. Occisio victimae est enim maxime conspicua pars ritus sacrificalis Veteris Legis e *quinque momentis sacrificalibus*: adductio victimae — impositio manuum in signum traditionis victimae Deo — occisio, seu mactatio — sanguinis susceptio et effusio circa altare — impositio partium nobilium in altari et concrematio. Nunc autem attendendum est, quid debebat *sacerdos facere*: tantum effusionem sanguinis (« offerre Domino ») et positionem et concrema-

tionem victimae in altari, *nunquam* vero sacerdotes occidebant victimam. Ipse immolans hoc fecit: « Homo qui obtulerit ex vobis hostiam de pecoribus... si holocaustum fuerit eius oblatio... offeret ad tabernaculum testimonii... ponetque manum super caput hostiae... immolabitque vitulum coram Domino » (Lev 1,2-4, sic etiam seniores populi occidunt victimam 4,15, et princeps 4,22-24, et « anima de populo terrae 4,27-29, — sacerdos tantum, si *ipse* peccaverit: 4,3 s. « Si sacerdos qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum... et immolabit eum »).

2°. *Vox usitata* omnibus his locis, qui leges sunt victimarum cruentarum, *non* « *zabach* » est, (sacrificium inde vocatur « mizbeach » Lev 1,9.) sed usurpatur verbum « *šachat* », « occidere ». Verum ergo non est partem centralem sacrificii cruenti occisionem esse; in hac ergo frustra requireretur destructionis necessitas essentialis: est conditio utique oblationis.

3°. Nec destructio inveniri potest *in concrematione victimae,* quam sacerdotes fecerunt. Enimvero intentio V. Testamenti minime fuit destructio victimae, quae per accidens fit, sed eius *quasi-missio symbolica* ad Deum per transmutationem in vaporem fumi. Sic *Lev.* 1,9: « Adolebitque ea (membra animalis) sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino ». Sic repetitur verbotenus: 1,13. 17; 2,9; 3,5.11; 4,35. Ergo non destructio intendebatur nude, de qua nec verbum fit, sed intentio sacrifica offertur symbolice, quae placet Domino. Optime intellexit hoc S. *Thomas,* nec cogitans de destructione: « Ideo totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem et omnia quae ipsius sunt Dei dominio esse subiecta et ei esse offerenda » (I-II q.102. a.3. ad 8.).

4°. Quod *incruenta sacrificia* V. Legis attinet, adhuc minus invenitur in eis momentum destructionis ut essentiale aliquid. Haec sacrificia erant « *mincha* » (sacrificia cibaria), deinde « *nesekh* » (sacrificia potus, libamina) et « *qetoreth* » (sacrificia thuris). Haec sacrificia incruenta partim fuerunt sacrificia in se posita, i.e. independentia ab aliis; partim autem concomitabant alia sacrificia. Panes propositionis (Schaubrote, áldozati kenyerek), panes pentecostales, etc., iam sacrificia habebantur antequam comedebantur, haec comestio tantum integralis pars erat sacrificii.

c) **Mactatio, sanguinis effusio** 1°. revera *non est in Missae sacrificio,* quod est « *incruenta* oblatio » (Trid. XXII,2.), et « in divino hoc sacrificio quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur » (ib.), et tamen secundum eandem definitionem est « verum ac proprium sacrificium », *ergo* mactatio non pertinet ad essentiam sacrificii.

2°. Nec in *Crucis* ara pertinet Christi occisio ad essentiam sacrificii: est conditio redemptionis per mortem factae, sed non essentia. Aliter offerentes essent milites crucifigentes vel pontifices hoc postulantes, quod absonum esse nemo est qui non videat.

d) **Mors Christi** ceterum **non potest dici absolute necessaria** ad redemptionem. Patres et theologi multi putant, sacrificium Christi sanguineum ultro oblatum fuisse, quin Aeternus Pater hoc ab eo formaliter postulasset. Sic e.gr. *Gregorius Nazianzenus*: « Qualiter rationabile est, Unigeniti sanguine delectari Patrem, qui ne Isaac quidem a patre oblatum acceperit, sed commutaverit sacri-

ficium... Perspicuum utique est: Patrem accepisse quidem, non tamen quod petierit » (ouk aitêsas, Or. 45,22 PG 36,653.). — S. *Anselmus* autem sic loquitur: « Non enim ad hoc (sc. vitam dare) eum cogere potuit Pater, quod ab eo exigere non debuit, nec Patri tantus honor potuit non placere, quem tam bona voluntate Filius sponte obtulit » (Medit. 11. PL 58,766.). — Classice autem S. *Bernardus* affirmat: « Non requisivit Deus sanguinem Filii, sed tamen acceptavit oblatum, non sanguinem sitiens, sed salutem » (De erroribus Abaelardi 8,21 PL 182,1070.). — Redemptio fieri potuisset sine morte sanguinea, etiam tunc institui potuisset sacrificium, cui ergo non potest nota esse essentialis destructio (cf. De la Taille, Mysterium fidei p. 93-99. et Esquisse p. 54-58.).

e) **Terminus « immolationis »** necessario non dicit *destructionem,* sed idem est ac « offerre » aliquid. 1°. Sic in *media latinitate* « immolare » dicitur de oblatione facta « offerre aliquid ecclesiis », e.gr. « quatuor modios terrae » vel « cibos » (Du Cange, Glossarium mediae et infimae latinitatis s.v.). — 2°. Dein « immolatio missae » dicitur in liturgia *Gallicana* eadem prex introducens sacrificium (Romana praefatio), quae in *Mozarabica* « inlatio » vocatur, i.e. sec. traductionem servilem e Graeco « anaphora »: oblatio. — 3°. Tum penes theologos antetridentinos, tum in actis Tridentini et Catechismi Tridentini immolare et offerre *synonima* sunt.

III. Theoriae per defectum peccantes

Theoriae hucusque in trutinam revocatae per excessum videntur peccasse, supponentes aliqualem destructionem. Recensere debemus etiam sententias recentiores, ingenii acumen quidem ostendentes, sed per defectum aliquod peccantes.

a) **Theoria oblationis Christi.**

1°. Sic vocata « *schola Gallica* » (Bérulle, Olier, Le Brun, Marmion, Batiffol), quibus accedunt germani (Möhler, Thalhofer, Schanz, Ten Hompel), recte opinantur destructionem excludi a ratione formali Missae, sed *solam oblationem Christi* putant sufficere ad rationem sacrificii Missae. Aliqua immolatio mystica Christi non pertinet, secundum eos, ad elementa constitutiva Missae. Christus se Patri obtulit ad Mortem Crucis, et nunc in Missa se offerens, eandem *intentionem* habet sacrificam ac in Cruce.

2°. Novam modalitatem huius theoriae oblationis excogitavit *M. de la Taille,* optime meritus indagator mysterii SS. Eucharistiae. Rationem formalem sacrificii Missae nempe videt in oblatione Missae ab Ecclesia exhibita (Mysterium fidei p. 295-301.). Secundum clarissimum virum non ex parte Christi intercedit actus oblationis personaliter novus, sed tantum *ex parte Ecclesiae,* Christo capiti subordinatae. « Adeo Christus offert per nos offerentes, quin de novo offerat ipse in sua persona. Novitas tota est ex parte Ecclesiae, quamquam virtus tota est ex parte Christi » (p. 238. et 296.). Immolationem Christi minime excludit (cf. eius protestationem p. 237.), quod neque vult neque posset, sed eam considerat ut *conditionem* sine qua non esset oblatio possibilis.

3°. Quoad theorias oblationis recte notat *Diekamp*: « Voluntas sese offerendi est anima sacrificii eucharistici. Sed oportet, ut anima corpore non careat, ideoque adsit actio visibilis, qua oblatio invisibilis significetur. Sacrificium ad

cultum pertinens est, signum visibile invisibilis sacrificii (Aug. De civit. Dei X,5,19.). Theoriae autem oblationis hoc signum negligunt. Immolatio mystica *non* est mera *conditio* ad oblationem praerequisita, sed pars essentialis sacrificii, qua ipsa oblatio tandem sacrificium redditur. Ille actus animae, quo Christus Patri seipsum offert, quique ad passionem et mortem ordinatur, cuius signum visibile in Cruce erat mactatio cruenta, in altari, ubi eius hanc oblationem renovat, verum et proprium sacrificium non constitueret, nisi loco mactationis cruentae, quae non iteratur, mactatio incruenta intercederet, quae insimul est repraesentatio, et illius mactationis cruentae et actus interni oblationis Christi » (F. Diekamp - A. Hoffmann, Theol. dogmaticae manuale sec. principia S. Thomae Aqu. IV. Paris 1934, p.239.). Adiungere debemus, nos, ut etiam Diekamp, non subintelligere aliqualem destructionem *in « mactatione »*, quae secundum textus liturgicos melius « *immolatio* » vocari potest, et omnimode inveniri debet. Quid sit haec immolatio, sequenti quaestione videbimus (4. De ratione formali Missae).

b) **Theoria « consecrationis ».**

Prolata est haec theoria a *Jos. Kramp* S.J. 1920. (Die Opferanschauungen der römischen Messliturgie, Regensburg 1920., 2.ed. 1924.). Kramp ponit sibi interrogationem: « Quid est in consecratione signum externum, mutatio physica, qua sacerdos in nomine Christi donum suum Deo offert? » et late dat sibi responsum: « Theoria consecrationis respondet: Consecratio qua talis, i.e. transmutatio (Verwandlung) donorum panis et vini in Christum... Consecratio ergo qua talis est signum quo sacerdos donum suum Deo offert, vel accomodate ad nostrum casum: signum externum, quo Christus in Missa Patri iterum offertur » (p. 116.). — Kramp ergo ad quaestionem, quam tractamus: actio sacrificalis, i.e. essentialiter consecratio, quomodo est repraesentatio Crucis? — respondet: est ipsa consecratio. *Distinguit* enim inter consecrationem, ut est transsubstantiatio, et consecrationem ut est « sanctificatio », i.e. oblatio Christi-victimae substantialiter sanctae (hiqdiš, « sacrare Deo »). Consecratio est ergo secundum eum essentia Missae sed *quomodo*: iterum dicit, *quia* consecratio est. Est ergo essentia et simul ratio formalis. — Alterum vitium est, quod *oblationem* panis et vini *essentialiter coniungit* cum consecratione, ita ut haec quoque pertineat ad essentiam Missae. Christus repraesentatur per consecrationem oblatorum et per sacerdotem Deo offertur. His omnibus negligi videtur relatio Missae ad sacrificium Crucis; deinde non videtur, cur sit necessaria duplicis speciei consecratio. Haec autem — uti opinamur — post encyclicam « Mediator Dei » vix ac ne vix quidem sustentari possunt.

Scholion. De praesentia ad modum Mysterii. (Mysteriengegenwart).

Theoria praesentiae mystericae seu per modum mysterii inde ab anno 1922. inventa est ab *Odone Casel O.S.B.*, lateque propagata, et etiam a multis impugnata, videturque theologice nondum plene perpolita. Haec theoria *non solum* in rationem formalem *sacrificii Missae* inquirit, sed eadem ratione formali *totam liturgiam explicare contendit.*

a) In Missae sacrificio repraesentatur sacrificium Crucis, sed non solum imagine rememorativa, nec tantum per applicationem virtutis huius sacrificii, nec solum eo, quod Christus realiter praesens fit qua victima seipsum oblatus, sed per *realem repraesentationem operis Christi salutiferi* (Heilstat) in Cruce

peracti. Casel tali modo definit Missam: « Sacra actio mysterica (hl. Mysterienhandlung) in qua sacrificium Christi et opus redemptionis completae in sacrificio Crucis, resurrectione et glorificatione Ecclesiae exinde orta semper nova fit praesentia; est symbolum plenum divina realitate » (Op. infra sub n. 2. cit. p. 50.).

b) In hac repraesentatione mysterica comprehenditur non solum passio Christi, sed *opus totale redemptivum*: tota vita Christi a conceptione et nativitate, resurrectio, ascensio et parusia realitate mysterica repraesentantur.

c) Haec repraesentatio operis totalis redemptivi non solum in Missa fit, sed in ceteris quoque Sacramentis, dein in anno liturgico, officio divino, ergo *in tota actione liturgica.* Liturgia ergo a Casel definitur: « Liturgia christiana est executio ritualis operis redemptivi Christi in Ecclesia et per eam facta, est ergo: praesentia operis salutiferi divini sub velo symbolorum » (op. infra sub n. 4. cit. p. 145.).

d) *Argumentatio fit* per prolationem ingentis materiae *e Traditione;* praecipuum meritum huius theoriae est, praesertim vero optime meriti et venerabilis eius conditoris, Casel, quod perpulchros permultosque textus Patrum, scriptorum scholasticorumque et liturgicorum librorum ex utraque Ecclesia nobis ex oblivione eruit eorumque intelligentiam pandit.

1°. Praesentia tamen mysterica nec ex operibus cl. Casel, nec asseclarum eius *satis clare intelligi et demonstrari posse videtur,* quod tamen non excludit possibilitatem ulterioris expolitionis. Praesens fit enim opus redemptivum seu mysteria, meritoque urgetur, in hac praesentia inveniri aliquid realis veri. E multis testimoniis traditionis sufficiat allegare effatum quoddam *S. Ambrosii* a Casel pluries citatum: « Crede ergo divinitatis illic adesse praesentiam. Operationem credis, non credis praesentiam? Unde sequeretur operatio, nisi praecederet ante praesentia? » (De mysteriis 8.). Haec dixit catechumenis baptismum expectantibus; alibi vero hanc eandem praesentiam divinam de Christo praedicat in actu baptismatis: « Credo ergo adesse Dominum Jesum invocatum precibus sacerdotum, qui ait: Ubi fuerint duo vel tres, ibi ego sum; quanto magis, ubi est ecclesia, ubi mysteria sua sunt, ibi dignatur suam impertire praesentiam » (ib. 27.). Praesentia revera affirmatur in hoc loco ut ita dicamus classico huius theoriae, eademque esse affirmatur praesentia divinitatis et Christi his duobus textibus. Unde statim concludi potest *ad modum huius praesentiae*: Christus in baptismate et ceteris quoque Sacramentis *adest qua Deus,* sicut etiam « ubi duo vel tres fuerint » praesens adest divinitate sua, non vero humanitate assumpta. Explicatio Caseliana falsa esset, si sub hac praesentia ad modum mysterii (in ceteris Sacramentis et anno liturgico) sive praesentia Christi realis et substantialis, sive praesentia operis redemptivi historici intelligeretur. Praesentia ergo Christi et operis redemptivi intelligi debet *ad mentem S. Thomae*: « In Sacramento Eucharistiae continetur ipse Christus *substantialiter,* in aliis autem Sacramentis continetur *virtus quaedam instrumentalis* participata a Christo » (III. q. 65. a. 3.). Modus huius praesentiae in liturgia est *verus,* etiam *realis* inquantum realiter existens tunc quoque, si ad mentem Aquinatis sumitur ut *praesentia virtualis* Christi et operis redemptivi: « Hoc sacramentum est signum passionis Christi, et non ipsa passio » (In IV.d.12.q.1,3. ad 2.).

2°. Tali intellectui sternit viam *Mediator Dei,* cuius decisionem doctrinalem negligere nolumus. Encyclica praecise de praesentia Christi loquitur in actio-

nibus liturgicis, clareque enuntiat sensum Ecclesiae traditionalem: « In omni actione liturgica una cum Ecclesia praesens adest divinus eius Conditor, praesens adest Christus in augusto altaris *sacrificio,* cum in *administri* sui persona, tum maxime sub Eucharisticis *speciebus,* praesens adest in *Sacramentis virtute sua,* quam in eadem transfundit utpote efficiendae sanctitatis instrumenta, praesens adest denique in Deo admotis *laudibus* ac supplicationibus secundum illud: « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (n. 20.). Uberius vero de *cyclo liturgico* loquitur, quando aliquorum « recentiorum » (non dicitur quod Odonis Casel) conamina reprehendit: « Mysteria, *non incerto ac subobscuro eo modo,* quo recentiores quidam scriptores effutiunt (schwätzen, fecseg), sed quomodo catholica doctrina nos docet, praesentia continenter adsunt atque operantur; quandoquidem ex Ecclesiae doctorum sententia *et* eximia sunt christianae perfectionis *exempla, et* divinae gratiae sunt *fontes* ob merita deprecationesque Christi, *et effectu* suo in nobis perdurant, cum singula nostrae salutis causa suo modo existant » (n. 163.). Iuxta *monitum* S. *Officii* (25. nov. 1948. cf. Eph. Lit. 1949., 223-227.) Encyclica non adsentit doctrinae eorum, « qui docent mysteria in cultu liturgico praesentia esse non historice, sed mystice et sacramentaliter, tamen realiter. Verus autem sensus Encycl. Litterarum clare apparet ex integro textu! ». — Iure dixit *B. Neunheuser* (1951. cf. Litteraturam) *in genere* non reprobari praesentiam ad modum mysterii, sed subobscuram et incertam eius formam, studendum est ergo certitudini et conformationi theoriae ad doctrinam catholicam.

3°. Si praesentia Christi operisque redemptivi in sensu supradicto sumatur, habetur *conformitas cum doctrina catholica.* Materia immensa a Casel congesta iure probat momentum eximium operationis divinae in « mysteriis », etsi praesentia non stricte realis, sed — quoad cetera Sacramenta et annum liturgicum — « tantum » virtualis sit. « *Unitas* » ergo « *vitae sacramentalis Ecclesiae* » (Casel op. infra sub n.6.cit.p.162.) eo sensu, quod praesentia in Sacrificio-Sacramento Eucharistiae et praesentia in ceteris Sacramentis et anno liturgico *omnino identicae essent, falsa esset unitas,* contrariaque doctrinae « Mediator Dei ».

4°. Quod attinet *assumptionem totius vitae Christi,* a conceptione et nativitate usque ad ascensionem, *in mysterium redemptivum,* opinamur — salvo meliore iudicio Ecclesiae — hanc licitam esse, quidquid dicat Diekamp (Dogmat. IV., p. 241. ed. latina). Incarnatio enim exordium est redemptionis, glorificatio vero eius perfectio, ideoque cum beata passione secundario loco in unum comprehendi possunt, quod a Traditione sine dubio commendatur.

Litteratura.

Praecipua opera Od. Casel: 1. Liturgie als Mysterienfeier, Freiburg i.Br. 1922. — 2. Die Messe als heilige Mysterienhandlung, *in*: Mysterium, Münster 1926, 29-52. — 3. Das Mysteriengedächtnis der Messliturgie im Lichte der Tradition, *in*: JfLw 1926, 113-204. — 4. Mysteriengegenwart, *in*:. JfLw 1928, 145-224. — 5. Das christliche Kultmysterium, Regensburg 1932 (opus eius praecipuum). — 6. Neue Zeugnisse für das Kultmysterium, *in*: JfLw 1933, 99-171. — 7. Glaube, Gnosis und Mysterium, *in*: JfLw 1939, 155-306. — 8. Zur Kultsprache des hl. Paulus, *in*: AfLw 1950, 1-64.

Auctores plus-minus acceptantes hanc doctrinam: *J. de Séguier, in*: Nouv. Revue théol. 1929, 289-299. — *G. Rohner*: Messopfer-Kreuzesopfer, *in*: Divus Thomas 1930, 1-17. 145-174. — *Aug. Arnold,* Der Ursprung des christlichen Abendmahls, Freiburg i.Br. 1937, 141-159. — *D. Feuling,* Kath. Glaubenslehre 1937, 749-753. — *J. Pinsk,* Die Sakramentale Welt, 1938, 169-181. — *M. Schmaus,* Dogmatik, Die Lehre von den Sakramenten 1941,

29-37. 208-214. — *Th. Filthaut*, Die Kontroverse über die Mysterienlehre, Warendorf 1947. — *E. Dekkers*, La liturgie, mystère chrétien, *in*: Maison-Dieu 1948 n. 14, 30-64. — *B. Neunheuser*, Der positive Sinn der päpstlichen Grenzsetzung in der Enz. Mediator Dei vom christl. Mysterium, *in*: Gesammelte Arbeiten zum Gedächtnis von Odo Casel, Düsseldorf 1951, 356 (cf. AfLw 1953, 107). — *Idem*, Mysteriengegenwart, Ein Theologumenon inmitten des Gesprächs, *in*: AfLw 1953, 104-122. — *V. Warnach*, Taufe und Christusgeschehen, *in*: AfLw 1954, 284-366. — *I. Oñatibia*, La presencia de la obra redentore en el Misterio del culto. Un estudio sobra la doctrina del Misterio de Odo Casel OSB., Vitoria (Edit. del Seminario) 1954. — *J. Betz*, Die Aktualpräsenz d. Person u. des Heilswerkes Jesu im Abendmahl nach d. vorephes. griechischen Patristik, Freiburg i.Br. 1955.

Auctores plus-minus adversarii: *J. B. Umberg*: Die These von der Mysteriengegenwart, *in*: ZfkTh 1928, 357-400. — *J. M. Hanssens*, Estne liturgia cultus mystericus? *in*: Periodica de re morali, canonica, liturgica 1934, 112-132. 137-160; cf. responsum O. Casel: JfLw 1933 (1936.ed.) p. 155-171. — *B. Poschmann*, Mysteriengegenwart im Lichte des hl. Thomas, *in*: Theol. Quartalschrift 1935, 53-116. — *J. Bütler*, Die Mysterienthese der Laacher Schule im Zusammenhang scholastischer Theologie, *in*: ZfkTh 1935, 646-571. — *G. Söhngen*, Symbol und Wirklichkeit im Kultmysterium, Bonn 1937. ed.2. 1940. — *Idem*, Der Wesensaufbau des Mysteriums, Bonn 1938. — *Idem*, Die Kontroverse über die kultische Gegenwart des Christusmysteriums, *in*: Catholica 1938, 114-149; cf. quoad opera huius auctoris O. Casel *in*: JfLw 15 (1941) 253-269. — *K. Prümm*, Christentum als Neuheitserlebnis, Freiburg i.Br. 1939, 425-447. — *Anselm Stolz*, De Sacramentis (Man. Theol. Dogm. VI.), Freiburg. Brisgov. 1943, 71-73, 168-183 (cf. AfLw 1950, 146-154.). — *L. Lercher*, Instit. Theol. Dogm. IV, 2 pars prior, ed.3. 1948, 302-304. — *M. Becqué*, Le Mystère de la Messe, *in*: Nouv. Rev. théol. 1950, 27-38. — *B. Durst*, Das Wesen der Eucharistiefeier und des christlichen Priestertums, Rom 1953. — *J. Filograssi*, De sanctissima Eucharistia quaestiones dogmaticae selectae, ed.5. Romae 1953, 379-380, 404-406. — *G. Fittkau*, Der Begriff des Mysteriums bei Johannes Chrysostomus. Eine Auseinandersetzung mit dem Begriff des « Kultmysteriums » in der Lehre Odo Casels, Bonn 1953 (cf. Eph. Lit. 1955, 293-295). — *M. Premm*, Katholische Glaubenskunde III, 1. Wien 1954, 354-356. — *J. Gaillard*, La théologie des mystères, *in*: Rev. thomiste 1957, 510-551. — *M. Matthijs*, « Mysteriengegenwart » secundum S. Thomam, *in*: Angelicum 1957, 393-399. — *C. Vagaggini*, La questione dell'attuazione presenziale nel segno sacramentale delle azioni storiche salutifere della vita mortale di Cristo, *in*: Senso teologico della liturgia, Roma 1957, 89-96. — *B. Neunheuser*, Neue Aeusserungen zur Frage der Mysteriengegenwart, *in*: AfLw 1958, 333-353.

4. De ratione formali sacrificii Missae QUID SIT

Post considerationem theoriarum quae vel per excessum vel per defectum minus recte conceperunt rationem formalem sacrificii Missae, nunc procedendum est ad solutionem, quomodo fit consecratio, ut est essentia Missae, repraesentatio sacrificii Crucis.

Vera solutio simplex est. Per consecrationem accipimus in manus rem oblatam, Christum-victimam; quaestio solvenda est: quomodo « fit circa eam aliquid? » Respondetur: eo, quod Christus non tali modo fit praesens, ac nunc in caelis, olim in terris i.e. circumscriptive, sed idem Christus, realiter et substantialiter idem, nunc quoque adest, non circumscriptive, non definitive, sed sacramentaliter. Repraesentatur autem sacrificium Crucis per Christi praesentiam, in quantum sub speciebus panis et vini adest, quae per separationem imaginem mortis praebent. Solutio haec datur per encyclicam Mediator Dei, dum hucusque Ecclesia a propiore definitione huius quaestionis sese abstinuerit. Esto ergo:

THESIS: Ratio formalis sacrificii Missae in eo invenitur, quod per consecrationem utriusque speciei hae species cruentam corporis et sanguinis separationem figurant, ostenduntque immolationem incruentam. Doctrina catholica.

Vox Ecclesiae.

Mediator Dei: « In ara... sanguinis effusio haud possibilis est, verumtamen ex divinae sapientiae consilio Redemptoris nostri *sacrificatio* per externa signa, quae sunt mortis indices, *mirando quodam modo* ostenditur. Siquidem per panis 'transsubstantiationem' in corpus vinique in sanguinem Christi, ut eius corpus *reapse praesens* habetur, ita eius cruor: *eucharisticae* autem *species*, sub quibus adest, *cruentam* corporis et senguinis *separationem figurant*. Itaque memorialis demonstratio eius mortis, quae reapse in Calvariae loco accidit, in singulis altaris sacrificiis *iteratur*, quandoquidem per *distinctos indices* Christus Jesus in statu victimae significatur atque ostenditur » (n. 69).

De valore huius decisionis prae oculis habendum, quod Encyclica « *Humani generis* » (12. aug. 1950.) ut principium inculcat de sententiis in Encyclicis Litteris propositis: « Neque putandum est, quae in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam sui Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur... ac plerumque quae in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad catholicam doctrinam pertinent. Quodsi Summi Pontifices in actis suis *de re hactenus controversa data opera* sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem *liberae* inter theologos *disceptationis iam haberi non posse* » (AAS 1950., 568., Denz. 2313.). — Putamus, opinionem subiiciendo iudicio Ecclesiae, hoc contigisse etiam in nostro casu, ubi inter tantam varietatem sententiarum, Sancta Mater Ecclesia videtur *saltem minimum decidisse*, quod tenendum sit. Uti videtur, hac decisione non attinguntur sententiae destructionem supponentes, sed putamus teneri non posse sententias, quae sacrificationem, immolationem *omnino* excludant. Sic quoque Filograssi (p. 389.).

Probatio theseos

per singula momenta fiat, quae in decisione Apostolica continentur et elucidanda sunt.

a) **Christus « reapse praesens habetur »** i.e. praesens est, secundum dogma catholicum realiter et substantialiter, sub unaquaque specie totus Christus, *vi verborum* sub specie panis corpus, cruor autem sub specie vini, sed *per concomitantiam realem* sub specie panis etiam cruor, sub specie vini etiam corpus continetur, sub utraque autem etiam anima humana Domini. Haec concomitantia naturalis est, supernaturalis autem, quod *propter unionem hypostaticam* etiam divinitas Verbi adest. Quae quidem omnia singillatim probantur in tractatu de Eucharistia.

b) **Haec praesentia est « memorialis demonstratio mortis** quae reapse in Calvariae loco accidit, in singulis altaris sacrificiis autem iteratur ». Ad quod adiungendum, quod ratio sacrificii praecise in eo habetur, quod in hac sacrificatione *praeprimis mors* consideratur, quin tamen excluderentur alia quoque momenta vitae dominicae, ut urget cl. Casel, quem sequimur. Nam *secundario* etiam *tota vita Christi* memoratur hoc sacrificio, ut *Clemens Alexandrinus* dicit: « drama redemptivum generis humani » (to sotêrion drama anthropotêtos, Protrept. 110,2.). Aliis verbis in apparitione Christi sub speciebus tota eius vita redemptionem meritoria ab incarnatione usque ad sessionem in dextera Patris simul memoratur. Hoc videtur:

1°. *Ex anamnesi* Canonis, quae iam saec. VI. (Gelasianum) talis fuit: « Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, eiusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis... » (cf. Wilson p. 235.). Fuerunt etiam anamneses *amplificatae*, quae commemorabant etiam incarnationem et epiphaniam, tam beatam passionem, ab inferis resurrectionem, sed et in coelos ascensionem et gloriosam reversionem (cf. S. Stricker *in*: Mysterium infra cit. p. 66.).

2°. S. *Ambrosius* diserte loquitur hac de re, dicens: « Audis, quod quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio (i.e. ascensio!) Domini *significatur* et remissio peccarum » (De sacr. V.4,25. Quasten p. 169.). — Fidelis christianus *audit* hoc, nempe in Missa, quam Ambrosius hoc libro dilucidat, quando sacerdos recitat canonem, ergo in Missa *significatur* etiam resurrectio et ascensio Domini.

3°. Simile quid habet liturgia Mozarabica prae oculis, quando hostia in novem particulas dividitur, quae in formam Crucis ordinantur, singulaeque per nomina e redemptione totali deprompta nuncupantur. Forma et ordo particularum haec est:

	1. corporatio	
6. mors	2. nativitas	7. resurrectio
	3. circumcisio	8. gloria
	4. apparitio	9. regnum
	5. passio	

4°. Etiam *Liturgia S. Chrysostomi* talia habet in anamnesi post consecrationem: « Unde memores salvifici talis mandati, et omnium, quae propter nos facta sunt: Crucis, sepulchri, resurrectionis tertia die factae, in coelos ascensionis, in dextra sessionis, secundi et gloriosi rursus adventus: tua et ex tuis offerimus pro omnibus et propter omnes ».

5°. Medio aevo etiam S. *Hildegardis* haec exponit: « Vos enim — scribit ad praelatos Moguntinenses — angeli Domini exercituum estis, quia sicut ad verba angeli Gabrielis Deus incarnatus est ex Maria virgine, per eius nativitatem, passionem et ascensionem homo perditus liberari et salvari posset, sic ad verba vestra idem corpus et sanguis eiusdem Filii Dei, cum repraesentatione nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis eius, pro salute nostra et omnium fidelium, tam vivorum, quam mortuorum fit » (Ep. 47. PL 197,224. s.).

c) **In Missa fit « sacrificatio vera ac propria »** seu immolatio, ut Mediator Dei enuntiat: « Augustum altaris sacrificium non mera est ac simplex Jesu Christi cruciatuum ac mortis commemoratio, sed vera ac propria sacrificatio, qua quidem *per incruentam immolationem* Summus Sacerdos *id agit, quod iam in Cruce fecit* » (n. 67.). S. *Thomas* clarissime docet in Missa Christum immolari: « Celebratio huius sacramenti... *imago* quaedam est *repraesentativa* passionis Christi, quae est vera eius immolatio. Et ideo celebratio huius sacramenti *dicitur Christi immolatio* » (III. q. 83. a. 1.). — Quod in Missa « *id agit* Summus Sacerdos, *quod* iam *in Cruce fecit* », idem est, quod Sacrificium Crucis praesens fit in Eucharistia. Ad gravem quaestionem, *quomodo fit praesens Sacrificium*

Crucis in Eucharistia, quod iam praeteriit, Filograssi respondet tali modo (p. 401. s.).

1°. Non sufficit *moralis praesentia;* si haec intelligeretur, praesentia tantum existimata, non vera, tunc non salvaretur doctrina catholica.

2°. Non sufficit quod praesentia Sacrificii Crucis fit per praesentiam Christi, qui habet *eandem voluntatem oblativam.* « Etenim si Sacrificium Crucis adest in Eucharistia, non solum oblatio, sed et immolatio fieri debent praesentes ».

3.° Filograssi: « Solutio, quam propono ita se habet. Christus in coelo victima perpetua et gloriosa ex Cruce — Sacerdos perpetuus et gloriosus ex Cruce — vivit cum merito et satisfactionibus ex Cruce. *Eo ipso,* quod per transsubstantiationem praesens sacramentaliter redditur, *fit praesens* tamquam Sacerdos Crucis et Victima Crucis. Unde continuatio et coniunctio Sacrificii Eucharistiae cum Sacrificio Crucis fit, mediante permanentia Victimae gloriosae et gloriosi Sacerdotis in coelo ». (Sic iam Franzelin, Tract. de Verbo Incarnato: Thes.51.,5.ed. Romae 1902, 544 ss.).

4°. Mihi videtur haec solutio commendari etiam dictis in Encyclica « *Mystici Corporis* ». Christus Dominus gratias (« divinae bonitatis thesauros ») ideo dicitur largiri, quia eas « *tam eucharistica hostia* in terris, quam *clarificata* in coelis *ostensione vulnerum* praecumque effusione a Patre Aeterno efflagitat ». Eucharistica ergo hostia in terris « ostensione vulnerum efflagitat » Patrem. Haec ostensio vulnerum fit in Missa per duplicem consecrationem; identitas cum hostia clarificata identitatem immolationis quoque innuit.

d) **Haec sacrificatio repraesentatur** eo, quod adsunt eius « **distincti indices** », **seu** « **externa signa** », i.e. species eucharisticae, quae per distinctionem suam « cruentam corpori et sanguinis separationem figurant ». Agitur de speciebus, *non* inquantum *sub eis Christus praesens est, sed* inquantum *distinctae* sunt ab invicem, etsi totus Christus in iis contineatur. Eucharisticae ergo species tali sensu indices, signa seu symbola sunt, quia per distinctionem eorum figurant separationem corporis et sanguinis Christi, i.e. eius mortem cruentam, non sunt autem symbola, inquantum Christus sub eis realiter et substantialiter praesens est.

e) **Speciebus ergo « separatio cruenta »** corporis et sanguinis *exhibetur.*

1°. Quod tamen ratio veri sacrificii salvetur, *Garrigou-Lagrange* sic probat: « Nec potest dici, quod Missa sic concepta est simplex oblatio, nam *aliquid fit circa rem oblatam,* ut postulat Thomas, scilicet fit duplex transsubstantiatio, quae *non* est quidem *immutatio realis corporis Christi,* sed est relativa ad illud et realiter terminatur al illud; aliquid fit circa corpus Christi et sanguinem eius, it ut *solum* corpus Christi sit realis terminus conversionis panis, et *solus* sanguis sit realis terminus conversionis eius » (De Eucharistia 1948, 286.).

2°. *J.Filograssi* ideo recte dicit: « Immolatio incruenta consistit in ipso sacramentalis *praesentiae modo* (p.391-392), quatenus ex parte Christi praesentis *solum corpus* adest vi verborum sub specie panis, *solus sanguis* sub specie vini. Si separatio quaedam non cruenta, sed mere sacramentalis, verificatur *in ipso* Christi corpore, quae sufficiens aestimari debet ad constituendum sacrificium ordinis sacramentalis ».

3°. Similiter *Doronzo* (p. 1017): « Conversio in *solum* corpus et conversio vini in *solum* sanguinem important realem quandam *separationem* corporis et sanguinis, nam sunt distincti termini *duarum* realium ac distinctarum operationum (= conversio); haec tamen separatio *non* est *physica*, sed tantum *obiectiva*, seu ordinis intentionalis ac terminationis, nam corpus et sanguis non aliter conversiva attinguntur quam ut *termini* « *ad quos* »... unde physica separatio manet tota in ipsis actionibus conversivis et in duobus *terminis* « *a quibus* ».

4°. De separatione hac iam Patres locuti sunt, e quibus locus classicus apud *Gregorium Nazianzenum* legitur. Sanctus praesul infirmitate decumbens, amico suo Amphilochio scripsit, rogans eum, ut Missam celebret pro eo, rationem adiungens: « Nam lingua sacerdotis, quae philosophatur de Domino, erigit aegrotos. Fac ergo opus melius, sacram agens actionem (hierourgôn), et solve non a magnitudine peccatorum, inquantum arripis sacrificium resurrectionis. Ne cuncteris ergo Deum timens, orare et interpellare pro nobis, si Verbum verbo attraxeris, *si incruenta sectione* (anaimaktô tomê) *corpus et sanguinem Domini dissecas* et vocem ut gladium adhibes » (Ep.171 PG 37,280.). Similiter *Maximus Taurinensis* rationem reddens cur condantur martyrum corpora subter altaria, enuntiat: « Convenienter igitur et quasi pro quodam consortio *ibi* martyribus sepultura decreta est, *ubi* mors Domini cotidie celebratur...ubi *occisionis dominicae* membra ponuntur » (Sermo 77 PL 57,690.). *Membra* evidenter subintelliguntur *separata*.

5°. *S.Thomas* quoque in separatione invenit rationem formalem sacrificii Missae. Essentiam Missae videt in consecratione: « Repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari » (III q.80 a.12 ad 3.). *Cur debeant ambae* consecrari, rationem reddit: « Quamvis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra. Nam primo quidem *hoc valet ad repraesentandam passionem* Christi, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus » (III q.76 a 2. ad 1.). Similiter: « Panis et vinum sunt materia conveniens... quantum ad *passionem* Christi, in qua sanguis est a corpore separatus, et *ideo* in hoc Sacramento, quod est memoriale dominicae passionis, seorsum sumitur panis, ut Sacramentum corporis, et vinum, ut Sacramentum sanguinis » (III q.74 a.1.).

f) **Per transsubstantiationem « *Redemptoris nostri sacrificatio...* ostenditur», seu « figuratur », sive « significatur » atque ostenditur ».**

1°. Haec omnia non excludunt veritatem, sed *recte debent intelligi.* Ad quae optime *Diekamp*: « Christus in monte Calvariae in mortem seipsum tradidit et animam a corpore liberrima voluntate separavit, hanc immolationem super altare in consecratione specierum separatarum incruente perficit. Quae consecratio est nobis *signum mysticae* huius *actionis* simulque eam mystice sacramentali realitate praesentem reddit, ita ut quaelibet Missa mortem Christi in sacramento vel in mysterio coram nobis repraesentet atque nosmetipsi eam spiritualiter cum eo experiamur ». (IV,241.).

2°. « *Figurare* » ergo *minime excludit veritatem* realis praesentiae Christi quondam passi, quod sic intellexerunt revera in antiquitate christiana. Exempli gratia allegamus *Gaudentium Brixianum* (Brescia), qui circa 400 haec dicit: « Labores enim passionis Christi... in figura corporis eius et sanguinis pro salubritate vitae communis offerimus et agnitam dulcedinem mysteriorum conscio ore testamur: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus » (Sermo 19. PL 20,989.). Citare possumus etiam *Missale Gothicum* e saec.VII.: « Sacrosanctam, fratres dilectissimi, hodierna die incohandae paschae sollemnitatem ac salutiferae dominicae immolationis effigiem in sacrificio spirituali, Christo offerente, transfusam, celebrantes » (PL 72, 265: Missa in Coena Domini).

3°. *Gulielmus,* episcopus *Parisiensis,* quondam theologus ibidem († 1249), optime explicat veritatem quoad hanc rem: « Non autem quemadmodum delirant quidam haeretici, *sufficit* designatio, sive signum, sive *figuratio* corporis istius vivifici et sanguinis pretiosi ad ista quatuor peragenda (intellige quatuor effectus Missae), immo necessario requirunt sacrificii panis et vini praestantissimam veritatem...Alioquin non indigeremus nisi figuris vel picturis ad ista quatuor et pro nihilo laboraretur in missarum sollemniis, cum sufficerent picturae altarium et sacrarum oblationum ad istas quatuor nominatas utilitates » (De sacr.euch.c.4. cit. a De la Taille 111.).

g) **Mors Christi,** « *quae reapse in Calvariae loco accidit,* **in singulis altaris sacrificiis iteratur** » per id, quod « per distinctos indices Christus Jesus in statu victimae significatur atque ostenditur ».

1°. Haec iteratio semper inculcatur a sacra Traditione. Sic praelaudatus *Gaudentius Brixianus* affirmat, dicens: « In umbra illius legalis paschae (i.e. Veteris Legis) *non unus* agnus occidebatur, sed plures... In hac veritate qua sumus, *unus* pro omnibus mortuus est, et idem *per singulas ecclesiarum domos* in mysterio panis et vini, reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus » (Sermo 2. PL 20, 854-855.).

2°. *S.Gregorius Magnus* simili modo loquitur de hac iterata immolatione: « Haec...victima...illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur et mors illi ulterius non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis *iterum* in hoc mysterio sacrae oblationis (quo vult dicere: in Missa) *immolatur* » (Dial. 4,58 PL 77,425., cf. JfLw 1928, 174-175.).

3°. Consimili ratione *Stephanus Augustodunensis* episcopus (1112-1136) vocatus de Balgiaco (Baugé †1140): « Facta est nostra redemptio Christo semel in Cruce passo... Culpis nostris exigentibus quotidie labimur: ab hoc lapsu *iterata immolatione,* quae fit in altari, resurgimus et renovamur. Immolatio

iteratur: non Christus occiditur, sed ipso praesente passio eius repraesentatur » (De sacr. altaris c.13. PL 172,1290., cf. De la Taille p. 246.).

4°. S.*Thomas*, qui ex professo Missae theoriam non exponit, magis se occupans cum Eucharistia ut est sacramentum, tamen textibus hinc-inde sparsis clarissime prodit sententiam suam. **a.** Christus « *Per suam passionem initiavit ritum* christianae religionis, offerens semetipsum oblationem et hostiam Deo » (III q.62. a.5.). « Ritum », i.e. rationem vivendi, modum vitae christianae (Lebensform, életmód) initiavit seu consecravit Dominus per suam passionem, in qua mors ut culmen, continetur. **b.** Passio haec hostia Deo oblata, i.e. *sacrificium* fuit: « Passio Christi ex parte occidentium ipsum fuit maleficium, sed ex parte ipsius ex caritate patientis fuit sacrificium. Unde hoc sacrificium ipse Christus obtulisse dicitur, non autem illi, qui eum occiderunt » (III q.48.a.3. ad 3.). **c.** Haec unica passio *continetur in sacrificio Novae Legis*, ad quod apposite citatur S. Thomas: « Sacrificia enim Veteris Legis illud verum sacrificium continebant solum in figura...Et ideo oportuit, ut aliquid plus haberet sacrificium Novae Legis a Christo institutum, ut scilicet contineret *ipsum Christum passum* non solum in significatione vel figura, sed etiam *in rei veritate* » (III q.75.a.1.). Recte interpretatur *Diekamp* hunc textum: « Quod autem S. Doctor semper tempus *praeteritum* inducit, (Christus passus est etc.) hoc ideo facit, ne quis opinetur, Christum in sacrificio eucharistico *revera denuo pati*. Intendit enim asserere praeteritam passionem eius in Cruce peractam reddi *praesentem et* in signi *et* in rei veritate, eo videlicet modo, qui respondet praesentiae sacramentali sacerdotis principalis, qui insimul est ipsa hostia. Quae sacramentalis praesentia excludit utique novam in altari praesentem passionem Christi, non autem sacramentalem praesentiam sacrificii peracti » (Diekamp IV,235.). **d.** Celebratio sacrificii Missae *duplicem habet finem*: « In celebratione huius mysterii attenditur repraesentatio dominicae passionis *et* participatio fructus eius » (III q.83.a.2.). (De sententia S.Thomae vide J.Kramp, Opferanschauungen p.11-41,. Diekamp IV,233-235., O.Casel in: JfLw 1926, 194-196., Doronzo II, 926 s. 1021-1023.).

h) **Haec omnia aguntur** secundum Encyclicam **« mirando quodam modo»**, « *ex divinae sapientiae consilio* ». Divinae sapientiae consilium mirando modo verificatur in sacrificio Missae, quod vera est oblatio sacrificalis, et *tamen* « *oblatio rationabilis* », thysia logikê. De hoc sacrificio somniabant antiqui quidam *Hellenes*, ut Heraclitus, Jamblichus, Plato, scripta Hermetica, quae directe hunc terminum adhibent « thysia logikê », postulantes religionem sine sacrificiis materialibuš. *Apologetae* primi saec. II-i ingenioso modo applicabant haec desiderata ad Missae Sacrificium, in quo impletum est, quod optabant. Sic adoratur Deus in « spiritu et in veritate » (Jo 4,23), qui « non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam » (Act 17,24 s.). (Cf. de his uberius O.Casel, Liturgie als Mysterienfeier 105-134.).

Revera Missae sacrificium *mirando modo*, divinam sapientiam ostendit, cum sit sacrificium spirituale, i.e. « rationabilis oblatio ». 1°. Spirituale quid est *res oblata*, quae non est panis et vinum, sed Verbum caro factum, de quo dicitur a S. Paulo, quod est « spiritus vivificans » (pneuma zōopoioun 1 Cor 15,45.). 2°. *Spirituali modo* celebratur haec hostia, est enim secundum orationem consecrationem praecedentem: « hostia *immaculata* », quia non comma-

culat eum ut sacrificia Veteris Legis et paganorum, sanguis effusus; est « hostia *pura* », caret etenim omni defectu materiae inhaerente sordibusque peccati; est « hostia *sancta* », essendo ipsamet Filius Dei, sanctissimus substantialiter inter filios hominum; est « hostia *viva* », nam non mortuus, sed vivens et vivificans Christus in ea offertur, et quidem Deo vivo et vero; est « hostia *acceptabilis* », quia carissima in oculis Omnipotentis; « *rata* » i.e. ratihabita, omnes effectus producens. Uno verbo est: « *hostia rationabilis* », thysia logikê.

Corollaria

deduci possunt e veritate exposita, quae sunt:

I. Corollarium. Status mortis apparentis in Missa exemplum est etiam pro filiis Ecclesiae, dum vitam agant peregrinorum, alieni adhuc a patria, qui sequi debent « Christum Jesum, qui passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum » (1 Pet 2,21), praecise in passionibus a vita oblatis, de quibus S. Petrus locutus est. Hae passiones christianorum producunt statum mortis apparentis, ac si mortificati essent et tamen vivunt. Nam veritas non est, quae videtur, sc. passiones, persecutiones eorum, qui pie vivunt in Christo Jesu, forsan etiam mors; veritas est, quod haec omnia videntur, sed sunt tantum « in praesenti momentaneum et leve tribulationis nostrae », quae facile superari possunt per virtutem Christi. Tunc autem « supra modum in sublimitate » (kath' hyperbolên eis hyperbolên), i.e. secundum abundantiam in abundantiam sc. crescens pondus, (von Fülle in Fülle, tuláradó) « aeternum gloriae pondus operatur in nobis ». *Conditio* autem est, quod omnes debent scire, « non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur » (2 Cor 4,17 s.): i.e. dum vivimus, saepe in statu mortis videmur versari, sed non hoc debet attendi (« contemplari »), at veritas invisibilis, qualiter etiam Christus in statu apparentis mortis Christus ešt impassibilis et glorificatus: « quae non videntur ». Ratio autem, cur ita debeat christianus agere est: « Quae enim videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna » (ibid.).

II. Corollarium de praestantia sacrificii Missae. Missa est perfectissimum sacrificium, ut Thomas docet: « quia ex eo, quod erat caro ipsius offerentis, erat Deo accepta, propter ineffabilem caritatem suam carnem offerentis » (III q.48.a.3. ad 1.). Haec *ineffabilis caritas* requiritur etiam a sacerdote, quantum humanae fragilitati id possibile est, ut recte utatur sacris operandi facultate. Caritas enim infinita Domini fecit Eum portare peccata humani generis, quibus seipsum oneravit, ut legati divini munere fungens etiam poenas eorum portaret, satisfactionem superabundantem praestans e condigno.

III. Corollarium quoad devotionem popularem, quando in Missa *passio Christi* meditando cernitur. Inde a medio aevo fideles saepe adducuntur ad meditandum passionem Domini per singula momenta Missae; forma forsitan usitatissima est ea a *Martino Cochem exarata.* Quod tolerari potest, similiter etiam ea devotio, quando per partes singulas Missae totam vitam Domini piae subiiciunt meditationi, sicut inde ab *Alcuino* in usu erat.

IV. Corollarium: species separatae necessariae sunt tantum *ad ostendendam immolationem, non autem ad communionem.* Nam, si immolatio iam ostensa est, et oblatio Deo commendata, non est necessaria participatio utriusque speciei. « Eo enim ipso, quod per dualitatem specierum repraesen-

tatur immolatio cruenta, quae sub hoc sacramento offertur, iam singulae species offerunt nobis mactatae hostiae partes sumendas veluti theothyta » (De la Taille p.547.). Usus ergo utriusque speciei non est necessarius, si dogmatice spectatur, ad communionem, in usu Ecclesiae ideo semper dabatur casus sumptionis unius tantum speciei.

Litteratura.

Bellarminus, De sacrificio Missae L. I-II. (ed. J. Fèvre IV, p. 296-336. — *J. Schwane*, Die eucharistische Opferhandlung, Freiburg 1889. — *F. Renz*, Die Geschichte des Messopferbegriffes, Freising 1901-1902. (Tom. I.II.). — *G. Pell.* Jesu Opferhandlung in der Eucharistie, ed.3. Passau 1913. — *G. Simons*, La sacrifice de la Loi Nouvelle, Bruxelles 1916. — *J. Grivet*, La messe de la terre et la messe du ciel, Paris 1917. — *O. Casel*, Oblatio rationabilis, *in*: Tübing. Theol. Quartalschrift 1917-18, 429-439. — *J. Brinktrine*, Der Messopferbegriff in den zwei ersten Jahrhunderten, Paderborn 1918. — *H. Lamiroy*, De essentia ss. Missae sacrificii, Lovanii 1919. — *M. ten Hompel*, Das Opfer als Selbsthingabe und seine ideale Verwirklichung im Opfer Christi, Freiburg 1920. — *J. Kramp*, Die Opfergedanken der römischen Messliturgie, Regensburg 1920. — *M. de la Taille*, Mysterium fidei, 2. ed. Paris 1924, p. 183-317. — *Idem*, The last Supper and Calvary, Philadelphia 1924. — *A. Vonier*, A kay to the doctrine of the Eucharist, London 1925. — *M. Lepin*, L'idée du sacrifice de la Messe d'après les théologiens depuis l'origine jusqu'à nos jours, Paris 1926. — *H. Lietzmann*, Messe und Herrenmahl, Bonn 1926. — *J. Bittremieux*, De nota destructionis in sacrificio Missae, *in*: Divus Thomas 1927, 35. — *A. M. Hoffmann*, Passionis repraesentatio, *in*: Theol. Quartschr. 1936, 505-531. — *S. Tromp*, Quo sensu in sacrificio Missae offerat Ecclesia, offerunt fideles, *in*: Periodica 1941, 271. — *B. Capelle*, Pour une meilleur intelligence de la Messe, Louvain 1946, (germanice: Um das Wesensverständnis der Messe, Salzburg 1949). — *F. Söhngen*, Das sakramentale Wesen des Messopfers, Essen 1946. — *E. Jamouille*, L'unité sacrificielle de la Croix et l'autel au Concile de Trente, *in*: Ephem. theol. Lovanienses 1946, 34-69. — *R. Garrigou-Lagrange*, De Eucharistia, Torino 1948, p. 274-300. — *E. Doronzo*, Tract. dogmaticus de Eucharistia, II. De sacrificio, Milwaukee 1948, p. 969-1016. — *G. de Broglie*, Du rôle de l'Église dans le sacrifice eucharistique, *in*: Nouv. Rev. théologique 1948, 449-460. — *Idem*, La messe oblation collective de la communauté chrétienne, *in*: Gregorianum 1949, 534-561. — *Ad. Kolping*, Der aktive Anteil der Gläubigen an der Darbringung des eucharistischen Opfers, *in*: Divus Thomas 1950, 79-110., 147-170. — *M. Becqué*, La mystère de la Messe, *in*: Nouv. Rev. théol. 1950, 27-38. — *P. Dabin*, Le sacerdoce royal dans la tradition ancienne et moderne, Bruxelles 1950. — *G. Sartori*, Le concezioni sacramentali del Sacrificio della Messa, *in*: Scuola cattolica 1950, 3-24. — *E. Masure*, Le sacrifice du corps mystique, Paris 1950. — *J. Galy*, Le sacrifice dans l'École française de spiritualité, Paris 1951. — *I. Lécuyer*, Essai sur le sacerdoce des fidèles chez les Pères, *in*: La Maison-Dieu 1951, 7-50. — *I. Filograssi*, De sanctissima Eucharistia quaestiones dogmaticae selectae, 5.ed. Roma 1953, 360-416. — *B. Durst*, Das Wesen der Eucharistiefeier und des christlichen Priestertums, Rom 1953. — *J. Brinktrine*, Quinam sint conceptus principes partis centralis Missae, *in*: Eprem. Lit. 1955, 259-261. — *B. Durst*, Die Lehre der Liturgie-Enzyklika Pius' XII. über das eucharistische Opfer, *in*: Th. u. Gl. 1956, 335-363. — *H. Lais*, Gedanken zu den Messopfertheorien, *in*: Theologie in Geschichte und Gegenwart (M. Schmaus), München 1957, 67-88. — *J. Brinktrine*, Ist das Wesen des eucharistischen Opfers mit *einer* Konsekration gegeben? *in*: Th. u. Gl. 1959, 81-86.

D) De efficientia sacrificii Missae

Consideratis notione, existentia essentiaque Missae, hac quarta quaestione tractanda est efficientia huius sacrificii.

Status quaestionis.

1°. *Finis sacrificii Missae*, quid sit, primo perlustrandum est. Secundum Aristotelicam definitionem finis est « id », i.e. causa, cuius gratia cetera fiunt. « *Effectus finis* sunt omnia, quae pertinent ad ordinem executionis, tam media

ipsa volita, quam volitiones circa haec media et actiones externae » (Gredt II,179.). Quoad Missam considerandum venit, quod habet *finem quadruplicem*. Primus finis eius est, cuius gratia sacrificatio Christi in ea instauratur: adoratio Dei; secundus: gratiae ei agendae; tertius: expiatio Numinis propter peccata offensi; quartus autem: petitio ad eum delegata ad largienda varia bona. Secundum quadruplicem finem Missae ergo habetur *quadruplex effectus* in ordine executionis: effectus latreuticus; effectus eucharisticus; effectus propitiatorius (seu expiatorius, aliter « satisfactorius », nam satis fit per eum Deo offenso); impetratorius effectus. *Aliis verbis*: Missa est *sacrificium* latreuticum; eucharisticum; propitiatorium; demum impetratorium (Lob-, Dank- Sühn-, Bittopfer; hódoló, hálaadó, engesztelö, kérö áldozat).

2°. Effectus hi quatuor etiam vocantur *fructus* seu « *bona* » Missae, medio aevo etiam « *utilitates* », vel « *virtutes* ». His effectibus constituitur *efficacitas Missae in actu secundo*, seu qualitas efficaciae, i.e. *quid* producat Missa. At etiam sub alio respectu considerari possunt iidem fructus: eo nempe, *quibus obveniant* bona collata per celebrationem sacrificii Missae, aliis verbis: respectu participantium. Sub hoc respectu distinguuntur *fructus Missae*: generalis — specialis — ministerialis — demum specialissimus.

3°. Valor Missae (Wert, érték) est vis seu quantitas efficaciae (Wirksamkeit, hatékonyság) ad producendos effectus supradictos et est *efficacitas Missae in actu primo*. Habeatur comparatio cum machina vaporis: valor eius est vis ad producendos effectus; « utilitates » seu effectus autem eius sunt: calefactio, dein motio currruum ferreorum, vel aliae machinae. In Missa valor considerari potest *quoad magnitudinem* valoris ad producendos fructus *intensivam*, i.e. qualem gradum habeant fructus secundum finem spectati, seu aliter: qualis gradus intensitatis competat adorationi, gratiarum actioni etc., dein valor considerari potest quoad magnitudinem eius *extensivam*: i.e. *quibus* personis *qui* fructus proveniant.

Agendum ergo restat in hac quaestione:

1. De fine Missae ut est sacrificium latreuticum.
2. De fine Missae ut est sacrificium eucharisticum.
3. De fine Missae ut est sacrificium propitiatorium.
4. De fine Missae ut est sacrificium impetratorium.
5. De fructibus Missae respectu participantium.
6. De valore Missae.
7. De modo efficientiae Missae.

1. De fine Missae ut est sacrificium latreuticum.

a) **Vox Ecclesiae**

de finibus seu effectibus Missae. *Trident.sess.XXII.can.3.*: « S.q.d., Missae sacrificium esse tantum *laudis et gratiarum actionis*,... non autem *propitiatorium*, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis poenis, satisfactionibus et *aliis necessitatibus* offerri debere: a.s. » (Denz. 950.). Quo adumbratur etiam effectus impetratorius.

Mediator Dei clare describit et declarat quatuor fines seu effectus Missae, nunc relegantur, quae de fine *latreutico* edicuntur: « Praestituti fines sunt:

quorum primus *gloria* est caelesti Patri tribuenda ». Nunc *ratio redditur*: finis vitae Domini fuit haec gloria tribuenda: « Ab incunabulis usque ad mortem Jesus Christus procurandae divinae gloriae incensus est, atque ex Cruce eius sanguinis immolatio caelum ascendit in odorem suavitatis ». *Glorificatio* haec Dei *continuanda* est, ideo: « Utque eiusmodi praeconium nunquam intermittatur, in Eucharistico Sacrificio membra cum divino Capite copulantur, et cum Ipso unaque cum Angelis atque Archangelis immortales Deo laudes concinunt, Patri Omnipotenti deferentes omnem honorem ac gloriam » (n.70.).

b) **E Sacra Scriptura**

non multum debet hoc probari, nam *si* Missa verum est ac proprium sacrificium, tunc sine dubio primarium finem habet latreuticum. « Latria pertinet ad essentiam omnis sacrificii inquantum huiusmodi, unde sacrificare idem est ac adorare », dicit Billot (p.637)., allegans *Gen.22,5* ubi Abraham proficiscens ad sacrificandum filium dixit: « postquam adoraverimus, revertamur ad vos ».

c) **Traditio Sacra**

tum effatis Patrum, tum textibus liturgicis luculenter probat hanc veritatem. Sufficiat allegare *S.Cyrillum Hierosolymitanum,* qui de Missa dicit, quod est « anaimaktos latreia » = incruenta adoratio (Ct.mystagog. 5,8.).

d) **Testimoniis liturgicis**

rem illustremus uberius. 1°. *Euchologion Serapionis* sic laudat Deum in anaphora sua: « Plenum est caelum, plena est terra gloria tua magnifica, Domine virtutum, imple etiam hoc sacrificium virtute tua et communicatione tua (metalêpsis), tibi enim obtulimus hoc sacrificium vivum, oblationem incruentam » (13,2 Quasten p.61.).

2°. *Sacramentarium Leonianum* veram conscientiam prodit huius finis Missae latreutici. Saepe loquitur de « hostiis laudis »: « Laudis tuae Domine, hostias immolamus » (Feltoe p.5. 19), memorat « sacrificium laudis » (p.12.). Nomen Missae est: « Sacrandae nomini tuo specialiter hostiae » (p.117), cuius characterem latreuticum pulcherrima praefatione extollit: « Vere dignum... tuae laudis hostiam iugiter immolantes, cuius figuram Abel iustus instituit, agnus quoque legalis ostendit, celebravit Abraham, Melchisedech sacerdos exhibuit, sed verus agnus et aeternus pontifex hodie natus, Christus, implevit» (p.161.).

3°. *Gelasianum primigenium* quoque utitur talibus denominationibus, adiiciens, quod Missa nil aliud est, quam « nostrae devotionis oblatio » (Wilson p.18, « devotio » sec. usum antiquum est latria), adiunges praestitutum finem glorificandi Deum: « Hostias quaesumus Domine, propitius intende, quas sacris altaribus exhibemus, ut *nobis* indulgentiam largiaris, et *tuo* nomini dent honorem ».

d) **Complementi instar sit:**

THESIS. Fini latreutico non derogat Missam celebrare in honorem Sanctorum. De fide.

1°. secundum *Trident. sess. XXII. can.* 5: « S.q.d., imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit: a.s. » (Denz. 952.).

2°. **Adversarii** hac in re sunt, ut patet, Protestantes, cultum Sanctorum illicitum et inanem habentes, ergo a fortiore Missas in eorum honorem celebratas.

3°. **Probatio theseos** fit primario *ex usu Ecclesiae*, nam iam in martyrio S. Polycarpi legitur anno 156, quod in aniversario mortis eius « dies natalitius » (hêmera genethlios) et aliorum certamina passorum per « memoriam » (mnêmê), quae semper Missa fuit, celebratur. *In Oriente* mos Missas celebrandi in natalitiis martyrum cito invaluit, *in Occidente saec.* II°. ad finem vertente, uti cernitur penes *Tertullianum.*

Circa annum 250 in *Hispania* dies natales martyrum iam « *vigiliis, hymnis ac sacramentis* etiam sollemnibus » honorabant, « ut eorum patrocinia atque suffragia in conspectu Domini orando quaeramus, honorando, mereamur » (Ruinart, Acta sincera martyrum, p.177, Acta S.Saturnini Tolosani episcopi). Inde autem a saec.IV. paulatim etiam *confessores*, i.e. Sancti, qui non fuerunt martyres, cultum acceperunt liturgicum, cuius culmen semper celebratio sacrificii fuit.

4°. **Theologicas rationes,** cur Sancti in Missa coli possunt, ipsi textus liturgici clarissime produnt.

a. Missa in quantum opus nostrum operantis cernitur, *fit gratior* per patrocinium Sancti: « Apostolorum tuorum precibus Domine, quaesumus plebis tuae dona sanctifica, ut, quae tibi tuo grata sunt instituto, *fiant gratiora* patrocinio supplicantum » (Leonianum, Feltoe p.36, etiam nunc in Missali Rom. 30.jun.).

b. Invocatur *vis* sacrificii, ut *intercedere* dignentur pro nobis Sancti: « Suscipe sancta Trinitas, hanc *oblationem*... in honorem Sanctorum... *ut* illi pro nobis *intercedere* dignentur in caelis, quorum memoriam agimus in terris » (MRom.).

c. Per cultum venerari *possunt*, nam *membra sunt* Christi Capitis: « Exultet, Domine, populus christianus de magnorum Filii tui glorificatione membrorum, et quanto eminentiora sunt ceteris, tanto magis de eorum culmine inferiora congaudeant » (Leonianum p.6.).

d. Praecise per cultum Sanctorum ostenditur, quod *Deus super omnia* praeferendus sit, ut praefatio Leoniani dicit, in natali angeli in Salaria (29. Sept.): « Vere dignum, multoque magis in archangelis angelisque tuis tua praeconia non tacere, quia ad excellentiam tuam recurrit et gloriam, cum angelica creatura, quae a conditione sui tuis subiecta servitiis probabilis extitit, honoratur, et cum illa sit digna venerari, *tu quam sis immensus* et super omnia praeferendus, ostenderis » (Feltoe p.107.).

e. Per Missam *etiam Sanctus honoratur*: « Salutari sacrificio Domine, populus tuus semper exsultet, quo et debitus honor sacris martyribus exhibetur et sanctificationis tuae munus adquiritur » (p.102.). Ex alia autem parte optime noverunt in natali Sanctorum Deo offerri sacrificium: « Sacrificium tibi, Domine, nostrae servitutis offerimus, quod *ad honorem nominis tui* in sanctae martyris tuae Euphymiae festivitate debemus » (Leonian. p.106.).

2. De fine Missae ut est sacrificium eucharisticum.

a) **Vox Ecclesiae**

Sollemnem definitionem *Tridentini* iam vidimus. Mediator Dei fusius explicat hunc finem et effectum Missae: « Alter autem qui praestituitur, finis eo spectat, ut gratiae adhibeantur Deo debitae. Divinus tantummodo Redemptor utpote *dilectissimus Aeterni Patris Filius,* cui quidem immensus eius patebat amor, *dignum* ei *potuit* gratiae deferre carmen » Quo edicitur *filiatio assumptae humanitatis* per unionem hypostaticam in participationem divinae naturae elevata, propter hanc rationem potuit digne gratias agere. Nunc autem declaratur, *quomodo verificetur* haec gratiarum actio: « Hoc iam spectavit, hoc voluit in *Novissima Coena* 'gratias agens'. Idque efficere ex *Cruce* pendens non intermisit, *non intermittit* in augusto *arae* sacrificio, quod gratiarum actionem seu eucharisticam actionem significat, quandoquidem hoc, vere dignum et iustum est, aequum et salutare » (n.71.).

b) **Scriptura Sacra**

probatur e verbis institutionis, quando quidem Dominus « *eucharistêsas* », gratias agens sese obtulit, unde sequitur Missam etiam pro gratiarum actione offerri, nam Missa iteratio est Coenae Novissimae.

c) **Traditio**

quam plurimum momentum gratiarum actionis exhibet, inde a *Didaché,* quae rem oblatam «eucharistiam » vocat, quam sec. S.Justinum « verbo precationis et gratiarum actionis offerimus » (logô euchês kai eucharistias prospherometha, Dial.c. Tryphone c.41), ubi etiam dicit quod « panem gratiarum actionis (*artos tês eucharistias*), quem in memoriam passionis... Jesus Christus Dominus noster tradidit ad faciendum, ut *et* simul gratias agamus Deo, quia mundum *creavit* et omnia quae in eo sunt propter hominem, *et* quia a malitia, in qua fuimus, nos *liberavit, et* quia dominationes et potestates perfecta deiectione *deiecit,* per eum, qui voluntate eius passus est » (ibid. Quasten p. 337 s.).

Effectus hic gratiarum actionis a maioribus nostris maxime celebratus est, adeo, ut nomen antiquissimum Missae « gratiarum actio (eucharistia) fuit. Etsi prima saecula optime noverunt indolem Missae sacrificalem, integrum tamen sacrificium veluti gratiarum actionem erga Deum primario reputabant (cf. J. A. Jungmann, Sinn der Messe 1954,12-13.). Rationem reddit Chrysostomus: (Missa) « est multorum beneficiorum commemoratio, principiumque providentiae Dei ostendit nosque praeparat ob omnia gratias agere » (In Mt. 26,30 PG 57,331.). Multo magis ergo indoles gratiarum actionis extollenda est, quam hucusque fit.

d) **Rationes theologicae**

afferri possunt sequentes:

1°. In vetri Lege « triplex erat sacrificiorum genus... tertium *hostia pacifica,* quae offerebatur Deo vel pro gratiarum actione ». (I-II q.102. a.3 ad 8.). *Sed* in Missa « bona omnia per illa significata » complectuntur, velut omnium illorum consummatio et perfectio » (Trid. XXII. c.1. (Denz. 939.).

2°. Gratiarum actio reddi potest praesertim eo, quod *benefactor laudibus extollitur*, quod Ecclesia summopere facit, e.gr. agendo gratias cantans hymnum « Te Deum *laudamus* », in Gloria in excelsis » dicendo: « gratias agimus tibi propter *magnam gloriam tuam* ». Hoc recogitans dicit *Leonianum*, quod Ecclesia circumdata mirandis beneficiis redemptionis, gratias agit cum oblatione sacrificii laudis: « Inter redemptionis nostrae miranda beneficia et sanctorum martyrum gloriosa sollemnia cum muneribus, Domine, tuae laudis occurrimus, agentes gratias *et* de remedii largitate *et* de provisione suffragii » (Missae augusti XIX,VII, Feltoe p.89.). Idem brevius dicit *Gelasianum* primigenium: « Offerimus tibi, Domine, laudes et munera, et pro concessis beneficiis exhibentes gratias, pro concedendis suppliciter deprecamur » (I, LV, Wilson p.98.). Gratiarum actio peragi debet in Missa: « Repleti, Domine, muneribus sacris, da quaesumus, ut in gratiarum actione semper maneamus » dicit Leonianum (Sept.Missa XXVIII,X, p.132.).

3. De fine Missae ut est sacrificium propitiatorium.

a) **Vox Ecclesiae**

iam prolata est. 1°. *Trident. sess. XXII. can. 5.* supra, in qua directe praecise finis propitiatorius definitus est, quod « pro vivis et *defunctis*, pro *peccatis*, poenis, satisfactionibus...offerri debet ».

2°. *Mediator Dei* amplius elucidat hunc finem: « Tertio autem loco: expiationis, placationis, reconciliationisque proponitur finis ». a. « *Propitiationis* » inferius incurrit nomen, quod *triplici* denominatione extollitur, « *expiationis* », i.e. aliquem de novo pium faciendi, « *placationis* », i.e. pacem inire faciundi, et « *reconciliationis* », i.e. iterum coniungendi. Dein explicat Encyclica, quod satisfactionem *de condigno solus Christus potuit* Aeterno Patri praebere: « Nemo alius procul dubio, quam Christus, omnipotenti Deo de humani generis culpis omnino satisfacere poterat, ipse igitur in Cruce immolari voluit propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi ». **b.** Hanc actionem propitiatoriam deinde Dominus *continuat*, sese in *sacrificio Missae* offerendo: « Atque in altaribus itidem quotidie sese offert pro redemptione nostra, ut ab aeterna damnatione erepti, in electorum gregem asciscamur. Idque non pro nobis tantum, qui mortali hac vita fruimur, sed etiam pro omnibus in Christo quiescentibus, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis, nam sive vivimus, sive morimur, ab uno tamen eodemque Christo non recedimus » (n.72.).

b) **Effectus particulares propitiatorii**

1°. *Gratiam et donum poenitentiae* concedit nobis Deus huius Hostiae oblatione placatus (s.XXII.cap.2. Denz 940.). Donum poenitentiae est gratia conversionis (Bekehrungsgnade), interdum etiam gratia conversionis « in extremis ».

2°. *Remissio peccatorum indirecta* (Trid. XXII. can.1. Denz.938.). Missa etenim instituta est, ut « illius (sc.sacrificii Crucis) salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis *quotidie* committuntur, peccatorum applicaretur », quod praecipue de *venialibus* intelligendum est. At etiam *mortalia* remittuntur:

« Crimina et peccata etiam ingentia dimittit ». Remissio indirecta est, nam Missa: **a.** *placat Deum,* eum reconcilians, « sicut *etiam homo* offensam in se commissam remittit propter aliquod obsequium acceptum, quod ei exhibetur» (cf.49.a.4.), **b.** Deus per Missam placatus *donum concedit poenitentiae,* peccatorque iustificatur.

3°. *Remissio poenarum directa* e thesauro immenso, quem Christus per Crucem nobis promeruit. Effectus sacrificii Crucis per Missam directe applicari possunt, quia « dolores nostros ipse portavit » (Is 53,4).

4°. *Dimissio satisfactionis;* nam poenae remitti possunt per bona opera, poenales actus, voluntariam susceptionem passionum. Sacrificium vero Crucis consequenterque Missa has satisfactiones *substituit* sua virtute, easque sic superfluas facit.

5°. *Dimissio similiter satispassionum defunctorum,* qua eis poena breviatur purgatorii.

6°. Effectus propitiatorius *temporalis* assignari potest, quod Deus tot Missarum oblatione placatus, *non exsequitur iudicia sua poenalia* in hac terra, promerita per tot ac tanta scelera hominum; sanguine enim Christi melius loquente, quam Abel, ira Dei expiatur. (N. Giehr p. 139. s.).

c) **Adversarii**

iidem sunt, qui Missae in genere, nam praesertim indoles propitiatoria Missae impugnabatur. *Luther* e.gr. dixit: « Baptismus unius non prodest alteri: nec potest unus pro alio baptizari: ergo nec sumptio eucharistiae potest ab uno pro alio fieri. Non igitur Missa est sacrificium propitiatorium, quia si ita esset, Missa et communio unius alteri prodesset » (De captiv. Babyl). Post 16 annos iam scripsit in *articulis Smalcaldicis*: « Quum missa nihil sit aliud, quam opus hominum... quo opere aliquis... cum Deo reconciliare, remissionem peccatorum et gratiam impetrare et mereri conatur...ideo certe damnanda et reiicienda est » (P.II,art.5., Müller, Die symbolischen Bücher d.ev. luth.Kirche, 12.ed.1912, p.302.).

d) **Scriptura Sacra**

1°. in relatione Coenae Novissimae clare ostendit eius characterem propitiatorium: praecise ex eo probatur indoles sacrificalis, quod verba institutionis loquantur de *sanguinis effusione* in remissionem peccatorum, qui sanguis tunc in calice continebatur. *Sed* omnis Missa huius coenae est repetitio, idem character propitiatorius ergo ei competit.

2°. Dein *epistola ad Hebraeos* ex professo tractans summum sacerdotium Christi, fundamentum iacens dicit: « Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » (5,1.). *Atqui* probatum est, actionis sacrificalis Crucis, de qua ep.ad Hebr. directe loquitur, repraesentationem esse Missae sacrificium, *ergo* etiam hoc propitiatorium debet esse.

e) **Traditio Sacra**

iam inde ab initio effectum propitiatorium extollit. *Iustinum* iam audivimus, qui simul cum gratiarum actione locutus est etiam de purgatione anima-

rum ab omni malitia per hoc sacrificium. *S.Joannes Chrysostomus* simpliciter edicit: « *Christus* iacet *mactatus* in altari, ut te Deo mundi universi *reconciliet* » (De prodit. Judae hom. 2,6.). *S.Ambrosius* exclamat: « Adproperet Jesu Domini *passio*, quae *cotidie* delicta nostra condonat et munus remissionis operatur » (Exameron 5,91., cf. JfLw 1933,139.).

f) **E s. Liturgia**

validum *argumentum praescriptionis* (Verjährung, elévülés) desumi potest contra Novatorum sententiam, in Missa non haberi propitiationem. Nam etiam haeretici tempore Novatorum per millenium ab Ecclesia catholica praecisi, inconcusse tenent Missam esse sacrificium propitiatorium. Sic 1°.*Syri occidentales* Jacobitae, i.e. monophysitae clarissime manifestant sensum suum in epiclesi, dicentes: « Miserere nobis, Pater Omnipotens, et mitte Spiritum tuum sanctum...ut adveniens efficiat panem istum *corpus vivificum*... Jesu Christi *in remissionem peccatorum* et vitam aeternam accipientibus illud » (Renaudot, Collect.Liturg.Orient. II.33.).

2.° *Aethiopes monophysitae* inde a saec.VI. sic praecantur in « canone universali Aethiopum »: « Princeps Jesu Christe... tu es panis vivus, qui descendit de coelo, qui prius fuisti in figura agni immaculati pro vita mundi... ostende faciem tuam super hunc panem et super hunc calicem...fiantque *nobis omnibus oblatio ad medelam* et ad salutem animae nostrae et corporis » (Renaudot II, 477.).

3°. *Syri orientales*, Nestoriani, in liturgia Addai et Mar talia dicunt: « Veniat Domine, spiritus tuus sanctus et requiescat super oblationem hanc servorum tuorum, quam offerunt et eam benedicat et sanctificet, ut sit nobis, Domine, *ad propitiationem delictorum et remissionem peccatorum*... et ad vitam novam in regno coelorum » (Renaudot II, 586.).

4°. *Liturgia Romana* multimode et clarius adhuc inculcat effectum propitiatorium Missae. Sic e.gr. Leonianum aperte vocat Missam « *sacrificium propitiationis* et laudis » (Feltoe p.5), et de operatione eius candide dicit: « Suscipe, Domine, sacrificium, cuius te voluisti dignanter *immolatione placari*, et praesta, quaesumus, ut *huius operatione* mundati, bene placitum tibi nostrae mentis offeramus affectum » (Feltoe p.169.) Missa iure vocatur sescenties « *hostia placationis* » (cf. Leonian. Feltoe p.111 et Gelasian. Wilson p.253.).

g) **Rationes theologicae**

quoque evincunt veritatem propitiatoriam sacrificii Missae.

1°. Certum est inter *sacrificia Veteris Legis* fuisse sacrificia *propitiatoria* (chata, pro peccato), *sed* Missa successit in eorum locum, ut perfectissimum sacrificium, *ergo* debet esse propitiatorium.

2°. *Doctor Communis ad Rom 5,10* (« reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius ») adnotat: « Passio Christi est *causa* reconciliationis nostrae ad Deum *dupliciter*: uno modo in quantum *removet* peccatum per quod homines constituuntur inimici Dei... alio modo in quantum est *sacrificium* Deo acceptissimum. Est enim hoc *proprie sacrificii effectus*, ut per ipsum *placetur* Deus » (III.

q.49.a.4.). — *Atqui* Missa est applicatio passionis Christi, *ergo* debet esse reconciliativa. — Rectissime adnotat *Diekamp* ad hoc argumentum: « Protestantibus respondendum est, per sacrificium missae secundum doctrinam catholicam *nova merita* Chrišti *non* acquiri *nec valorem* propitiatorium sacrificii *Crucis compleri,* sed illud pariter ac Sacramenta non esse *nisi medium* ad fructus huius sacrificii fidelibus applicandos » (Diekamp - Hoffmann IV., 246.). — Ut monet *Tridentinum*: « Nec blasphemia irrogatur sanctissimo Christi sacrificio in Cruce peracto per Missae sacrificium, nec illi per hoc derogatur » (derogare=minuere, aliquid demere), ratio autem est paulo ante elucidata: « Oblationis cruentae fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur » (Sess. XXII. can. 4. et cap. 2. - Denz. 951. 940.).

3°. Secundum textus liturgicos per Missam *Ecclesia* « *renascitur, renovatur* ». *Atqui* hoc tantum per peccatorum remissionem, per expiationem potest fieri, *ergo* Missa habet effectum propitiatorium. *Maior probatur*: Gelasianum: « Sacrificia... immolamus, quibus Ecclesia tua mirabiliter *renascitur* et nutritur » (I,XLVII. Wilson p. 91.), ut patet *in membris eius* renascitur per « innovationem tui Spiritus » (I,XLVI. p. 90.). Habetur vera renovatio contenta in Missa: « ...*renovatio conditionis humanae,* quam mysterio continet, in nostris iugiter sensibus operetur » (I,XLVIII. p. 92.). — *Minor probatur*: haec instauratio fit per purificationem a peccatis: « Purificet nos, Domine, *caelestis executio sacramenti,* et ad tuam magnificentiam capiendam *divinis effectibus* semper *instauret* » (Leonianum Sept. XXVII, XIII. Feltoe p. 133.). Missae celebratio, i.e., *caelestis executio sacramenti* (=sacri mysterii) inenarrabile secretum est, eo, quod « purificat » nos, « peccata etiam ingentia dimittit », ut dicit Tridentinum (XXII.cap.2.). « *Effectus divinos* » producit ergo haec caelestis executio sacramenti, i.e. Missae celebratio: homo purificatus videre, comprehendere incipit mundum supernaturalem, « magnificentiam » Dei, et sic de novo conditur, de ruina aedificatur: habetur « *instauratio* » (Neubau, ujjáépüles). — *Ergo* Missa recte et pulcherrime vocatur « hostia redemptionis humanae » (Gelasian. I,XLIX. p.93.), i.e. Missa habet effectum propitiatorium.

4°. *Quomodo* hic effectus propitiatorius per Missam producatur, clare enuntiat *Tridentinum*: « Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit » (l.c.). Ut S. *Thomas* rem explicat: « Eucharistia, inquantum est sacrificium... peccata mortalia delet, non sicut causa proxima, sed inquantum gratiam contritionis eis impetrat » (In IV.d.12.2,2.).

h) **Missae pro defunctis.**

Homini vero catholico nunc iam non restaret quidquid agendum: nam probe sciens doctrinam de communione Sanctorum, intelligit Missae propitiationem *etiam defunctis* obvenire. Sed quia a Novatoribus hoc praecipue negabatur, ideo statuatur:

THESIS. Missae sacrificium etiam pro defunctis offerri debet. De fide.

1.° Vox Ecclesiae.

Trident. sess. XXII.cap.2.: (Missae sacrificium) « et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite *iuxta apostolorum traditionem offertur.* »—

Dein *can.3.*: « S.q.d., Missae sacrificium ...neque pro vivis et defunctis pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere: a.s. » (Denz. 940.950.).

2.° **Probatur thesis.**

a. Per « *apostolorum traditionem* », quae revera vetustissima est. *Tertullianus* dicit: « Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus » (De corona milit. 3,8. PL 2,98.), quem morem inter « observationes inveteratas » enumerat. — *Serapion* in suo Euchologio « euchên prosphoras », orationem oblationis describens, tradit nobis commemorationem pro defunctis: « Sanctifica has animas, tu enim omnes cognoscis, sanctifica omnes in Domino defunctas et connumera omnibus tuis sanctis virtutibus (i.e. angelis), et da eis locum et mansionem in regno tuo » (13,4. Quasten p.63.). — *S. Cyrillus Hierosolymitanus* autem non solum testis est huius antiquissimi usus, sed et rationem dat, defendens hunc morem contra obiectiones: In Missa enim « et pro defunctis sanctis patribus et episcopis et pro omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt (sc. precamur), maximum hoc credentes, adiumentum illis animabus fore, pro quibus *oratio* delegatur, *dum praesto iacet* sancta et tremendissima *victima.* » Ad obiectionem autem sic respondet: « Scio, multos ita dicere: *Quid prodest animae* ex hoc mundo in peccatis aut sine peccatis decedenti, si eius in oratione mentio fiat? » Notandum, Cyrillum loqui de oratione, quae in Missa per virtutem sacrificii fiat, dein sic pergit: « Nos pro defunctis, etsi peccatores sint, preces sacrificantes (« prospherontes » est terminus liturgicus!), non coronam (Kranz, koszoru) plectimus, sed *Christum mactatum* pro peccatis nostris *offerimus,* clementissimum *Deum* et illis et nobis reconciliantes » (exileoumenoi, Cat. mystag. 5,9-10.).

b. *Ex usu liturgico* idem elucet: morem hunc vetustissimum esse. Sufficit allegare antiquissimum esse. Sufficit allegare antiquissimum documentum, *Leonianum* nempe, quod saec. V-VI. ac si directe iam Novatores saec. XVI-i voluisset refutare: « Satisfaciat tibi, Domine, quaesumus, pro anima famuli tui illius sacrificii praesentis oblatio et peccatorum veniam, quam quaesivit, inveniat » (Oct. XXXIII, II. Feltoe p.145.). Hanc ipsam orationem *Gelasianum* adhibens « pro defunctis poenitentiam desiderantibus et minime consecutis », vocat « *poenitentiae compensationem* » (III,XCVIII. Wilson p.306.). — Missae pro defunctis celebratae nuncupantur a *Leoniano* « *piae placationis officia* »: « Hostias tibi, Domine, humili supplicatione deferimus, ut anima famuli tui illius per haec piae placationis officia perpetuam misericordiam consequatur » (Oct. XXXIII,I. p.145.). Dogmatica claritate exprimitur fides et sensus fidelium, animam defuncti purgaturam iri, nam: « ...quidquid terrena conversatione contraxit, *his sacrificiis* emundetur, ac mortis vinculis absolutis transitum mereatur ad vitam » (l.c.,cf. similes textus in Gelasiano III, XCVIII-CV. Wilson p.306-312).

4. De fine Missae ut est sacrificium impetratorium

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Tridentinum* quidem *explicite* hoc vocabulo non utitur, nam finem et effectum hunc includit in propitiationem, sed clare exprimit eum, dicens, Missam offerri « pro vivis et defunctis... *et aliis necessitatibus* (sess. XXII.cap.2.). —

Mediator Dei autem *distincte* loquitur de impetratione: « *Quarto* denique loco impetrationis habetur finis ». Aliqui theologi, sequentes modum loquendi Tridentini, effectum impetratorium simul sumpserunt cum propitiatorio. Encyclica dein *rationem reddit, cur eget* genus humanum hoc effectu Missae: « Homo utpote filius prodigus, bona omnia a caelesti Patre accepta, male consumpsit, ac dissipavit, ideoque in *egestatem summam, summumque squalorem* redactus est. Attamen ex Cruce Christus preces supplicationesque cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Hanc autem *intercessionem continuat* in sacrificio Missae, quae fructus Crucis applicat hominibus: « Item sacris in aris efficaci eadem ratione noster apud Deum sequester (Mittler, közbenjáró) est, ut omni benedictione et gratia repleamur » (n.73.).

2°. Effectus impetratorii *per modum orationis* nobis obveniunt (Gihr, p. 143-146.). *Differentiae* vero inter orationem, impetratoriumque effectum Missae sunt: **a.** In Missa *non soli* oramus, sed Mediator Dei hominumque *simul orat* pro nobis cum nobis in nobis: « Orat *pro* nobis, ut sacerdos noster; orat *in* nobis, ut caput nostrum; oratur *a* nobis, ut Deus noster » (Aug. Enarr. in Ps. 85,1). — **b.** In Missa oratio impetratoria non solitaria dirigitur ad Deum: *simul offertur ei Victima-Christus,* dono hoc Deus placatur, et movetur ad impertienda nobis dona.

3°. *Congruitas* habetur inter orationem, effectumque orationis. **a.** *Primo* quaerendum est *regnum Dei,* cetera adiicientur, ergo secundario petenda sunt, nam: « Se magis Dominus, quam *ea,* quae condidit, vult amari, aeterna potius, quam terrena postulari » (Greg. M., Moralia XV., 20.). Tamen tuto possunt *secundaria quoque* peti per Missam, etiam temporalia (aversio tempestatis, petitio pluviae, pro peste, fame et bello, pro animalibus, tempore terraemotus, pro sanatione infirmitatis etc.). — **b.** Sed Deus secundaria *denegare* potest, nam: « Aut dabit, quod petimus, aut quod nobis noverit esse *utilius* » (Bernard. In Quadr. Sermo 5.). — **c.** Id etiam evenire potest, quod « quaedam non negantur, sed ut congruo dentur, tempore *differuntur* » (Aug. In Jo. tr. 102, n. 11.).

b) **Adversarii**

itidem Novatores sunt, qui summopere invehuntur *sacerdotes,* quod inhiant *pecuniis corrodendis* sub titulo Missae. « Cepit missa esse monopolium sacerdotale, totius mundi opes exhauriens, divites otiosos, potentes et voluptuarios et immundos illos coelibes toto orbe ceu vastitatem ultimam exundans. Hinc Missae pro defunctis, pro itineribus, pro opibus. Et quis illos titulos solos enumerat, quorum missa facta est sacrificium? » — dicit *Luther* (Formula missae et communionis 1523., Daniel, Codex lit. II,82.). In *Confessione Augustana* (1531.) ex abusibus ante Tridentinum multis in locis existentibus haec conclusio falsa deducitur, quod Missa est illicita et non habet valorem impetratorium: « Constat... quod missae turpiter profanarentur, collatae ad quaestum... missae tantum celebrantur propter mercedem aut stipendium, quam multi contra interdictum canonum celebrent... Itaque quum admonerentur apud nos sacerdotes de hoc peccato, desierunt apud nos privatae missae, quum fere nullae privatae missae nisi quaestus causa fierent » (art. 24. abusus 3, J. T. Müller, Die symbolischen Bücher d. ev. - luth. Kirche, 12. ed. 1912, p. 51 s.).

c) **E Scriptura Sacra**

indirecte probari potest assertum, ut Bellarminus facit. S. Paulus nempe *ad Timotheum* scribit: « Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes,

postulationes, gratiarum actiones pro omnibus: pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt » (1. Tim 2,1.). Hunc enim locum S. Patres, ut Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Ambrosius « exponunt de publicis precibus, quae fiunt in Missa et volunt Apostolum hoc praecepisse, ut sacrificium etiam offeretur pro temporali pace et tranquillitate Ecclesiae » (De Missa II,3). Revera hoc probat, si inspiciatur:

d) **Sacra Traditio.**

Nam e.gr. 1°. S. *Cyrillus Hierosolymitanus* apertissime dicit ctechumenis suis: « Post perfectum spirituale sacrificium, incruentam adorationem, super illud sacrificium propitiationis (thysia hilasmou) obsecramus Deum pro communi pace ecclesiarum, pro recto mundi statu, pro regibus, pro militibus et commilitonibus, pro aegrotis, pro afflictis, et pro omnibus adiumentum petentibus *petimus omnes nos,* et hanc offerimus oblationem » (Cat. mystag. 5,8. Quasten p. 102.).

2°. *Liturgici textus* praxim vivide demonstrant atque ob oculos ponunt, sacrificium semper etiam pro vivorum necessitatibus oblatum fuisse. Praesertim commemorationes et « *intercessiones communes* » (allgemeine Fürbitten, általános könyörgés), hoc luculenter demonstrant. Exempli instar sit intercessio *Liturgiae S. Jacobi*: « Offerimus tibi, Domine, sacrificium hoc tremendum et incruentum pro locis tuis sanctis... et pro Ecclesia sancta toto orbe diffusa... Pro patribus et rectoribus nostris, qui hodie nobis praesunt... Memento, Domine, presbyteri huius et cuiuscunque alterius loci... Memento etiam eorum, Domine, qui in vinculis iacent, aut carceribus detinentur, fratrum etiam nostrorum, qui in exilio sunt, infirmorum, aut qui male affecti sunt... Memento etiam, Domine, aëris, imbrium, roris, fructuum terrae... Eripe me, Domine Deus, ab omni angustia, ira et adversitate, ab omni machinatione et infestationibus perversorum hominum, ab omni impetu et violentia daemonum, ab omni plaga a te immissa, Domine, quae peccatorum nostrorum causa nobis accidit » (Renaudot II,33-34.).

3°. *Liturgia Romana Vetus* perpulchre ostendit nobis, *quid praeprimis* debemus petere per sacrificium Missae: Mater Ecclesia orare secundum mentem Dei nos docet. **a.** *Primario* semper et iterum nos *docet aeternam vitam petere*, ut « his commerciis sacrosanctis ad coelestia consurgemus » (Gelas. I,LXIII. p. 107.). Ad « *caelestia consurgere* » i.e. adipisci vitam aeternam tantum *per rectam vitam* terrenam possumus, ideo hoc statim petendum est: « qui in terrena constitutos divina tractare concedis (sc. in Missa ipsa, etsi terreni simus, divinum Redemptorem tractare nobis licet), praesta, ut eadem (i.e. divina) consequamur conversatione caelesti » (Leon. p. 88.). Haec « conversatio caelestis » in vita terrena est omnino necessaria, donec « immortalem satietatem pro nostro quisque modulo finita mortalitate capiamus » (Leon. p. 169.). — **b.** *Secundario* ergo *omnia huic fini subordinantur* in ordine petitionis. Ad « piam conversationem » nos adiuvat « *accumulatio* » *gratiae*: « Gratiam tuam nobis, Domine, semper adcumulet divini participatio sacramenti » (Leon. p. 117.). Vitae huic bonae solum obstat nostra *natura malo inclinans*: petitur ergo per sacrificium, quod « his nobis mysteriis conferatur, quo terrena desideria mitigantes, discamus habere caelestia » (Gelas. p. 103). *Omnia alia* possunt quoque peti per Missam,

ut praecipue ostendunt Missae votivae. In omnibus tamen his semper servatur *rectus ordo*: primo debent spiritualia, dein corporalia efflagitari: « Salvationem mentis *et* corporis et incessabiliter expetat et adfluenter accipiat » sacrificium Missae (Leon. p. 169).

e) **Rationes theologicae**

quoque suadent effectum impetratorium sacrificii Missae, nam:

1°. « Si oblatio Eucharistiae pro peccatis dimittendis valet, certo etiam pro aliis *necessitatibus, quae ex peccato ortae* sunt, valere debet. Et si Deus hoc sacrificio placatus, in gratiam *cum inimicis suis* redit, quanto facilius ob idem sacrificium adducetur, ut *amicis* et reconciliatis bona temporalia tribuat, si id eis utile fuerit? » — quaerit Bellarminus (ed. Fèvre IV., 372.).

2°. Probatur e comparatione *cum Veteri Testamento,* in quo sacrificia pro diversis votis offerebantur. Sic *David* ad cohortationem Gad prophetae obtulit sacrificium in area Areuna Jebusaei, « ut cesset interfectio quae grassatur in populo... et obtulit holocausta et pacifica: et propitiatus est Dominus terrae et cohibita est plaga ab Israel » (2. Sam 24, 18-25.). Similiter etiam venerabilis pontifex *Onias* pro salute spoliatoris templi, Heliodori, obtulit hostiam salutarem et « propter eum Dominus ei vitam donavit » (2. Mach 3,31-34.). *Atqui* cum Deus differentias legalium hostiarum in unius sacrificii perfectione sanxit, hoc unum sacrificium Missae, etiam impetratorium debet esse bonorum a Deo rationabiliter petitorum. *Ergo* Missa est etiam impetratorium sacrificium.

3°. Missae sacrificium est quadam *lege divini commercii* impetratorium, ut Liturgia sacra non semel inculcat: « Beati lege commercii divinis humana mutantur » (Gelas. I,XLVI Wilson p. 90.). Ecclesia enim etiam aliquo modo *terrenum sacrificium* offert primo, sc. oblata: panem et vinum offerens, ut dein a Deo transmutata in corpus et sanguinem Domini, ut verum sacrificium dona transsubstantiata acceptet offeratque, iisque nos participes efficiat in communione. Hoc est primarium et nobilissimum obiectum huius commercii sacri: « Exercemus, Domine, gloriosa commercia, offerimus, quae dedisti, ut te ipsum mereamur accipere », vel aliter: « Altaribus tuis Domine, munera terrena gratanter offerimus, ut caelestia consequamur, damus temporalia, ut sumamus aeterna », sicut idem Leonianum dicit (Apr. VIII, XXIII et XXIV. p. 10.). *Primario* ergo efficimur *divinitatis participes*: « Deus, qui nos per huius sacrificii venerandа commercia unius summaeque divinitatis participes effecisti » (Gelas. III,XIV p. 232.). Dein *secundario* omnia alia *necessaria* adiicientur, ut aliae, iam allegatae orationes demonstrant, ideoque Ecclesia aliquo modo particeps fit etiam divinae omnipotentiae secundum idem Leonianum: « Praesenti sacrificio, Domine, tua generaliter exultet Ecclesia, quo (sc. sacrificio) ...divinae particeps fieret ipsa potentiae » (Dec. XL,IX p. 164).

5. De fructibus Missae ratione participantium

Status quaestionis.

Hucusque egimus de quatuor finibus Missae, quibus respondent quatuor effectus (latreuticus, eucharisticus seu gratiarum actionis, propitiatorius et impetratorius). Nunc autem exsurgit quaestio, *quibus personis* obveniant hi effectus, seu bona haec Missae. Bona haec qua effectus *in se* spectati *sensu latiore*

vocantur etiam fructus Missae, eadem vero bona, seu effectus *respectu personarum* ea participantium *sensu strictiore* solent nuncupari fructus Missae. Fructus Missae sensu stricto intelligitur *participatio determinatarum quarumdam personarum ex opere operato e bonis seu quatuor effectibus Missae.*

Post Scotum *triplex fructus* solet distingui: generalis, specialis et specialissimus. Plerisque theologis haec terminologia arridet, etsi omnes admittant *fructum quartum* quoque in supradictis includi, earum nempe personarum quae ad Missam actu concurrunt. Hunc vero fructum includunt *vel* in fructu generali, (sic e.gr. Mazzella, Vermeersch, Lépicier, Merkelbach), *vel* in fructu specialissimo) sic Diekamp, Lercher, Schöllig, Aertnys-Damen, Doronzo, Fanfani), *vel* in speciali (Zubizarreta). Nec his denominationibus omnes theologi eandem significationem tribuunt. Nos vero cum Gihr, Noldin-Schmitt-Heinzel, Schütz, Mihályfi etiam *quartum fructum* distinguimus, non solum *re,* quod omnes auctores faciunt, sed etiam *nomine.* Fructus nempe eorum, qui actu ad Missam concretam concurrunt, independens est a fructu totius Ecclesiae, independens ab applicatione sacerdotis et adhuc magis a fructu eius personali, iure ideoque merito per denominationem distingui potest.

Quia ex bonis Missae participant: tota Ecclesia, dein fideles alicui Missae adstantes, item persona determinata, cui Missa specialiter applicatur seu ministratur, demum ipse sacerdos celebrans, recte loqui possumus de fructu Missae: *generali, - speciali - ministeriali* et *specialissimo.*

a) **Fructus generalis**

Missae sunt *bona, quae ex unoquoque sacrificio universae Ecclesiae obveniunt.* Hunc fructum participant omnia membra Ecclesiae, i.e. omnes fideles non excommunicati et defuncti, quin aliis aliquod detrimentum vel minoratio fructuum eveniret. Hic fructus est omnino *independens* ab applicatione sacerdotis, nam Ecclesia est offerens secundarius generalis, ideoque ei hic fructus competit.

b) **Fructus specialis**

Missae sunt *bona, quae fideles Missae adstantes seu cooperantes ut offerentes secundarii participant,* aliis verbis, qui in aliqua Missa concreta partem activam habent. 1°. Fructus hic vocari solet etiam *specialior* (e.gr. Schütz); alii permulti auctores « fructus specialis » nomine vocant alium, qui secundum nostram terminologiam « ministerialis » vocatur (sic e.gr. Aertnys-Damen, Doronzo p. 1077.). — 2°. E bonis Missae eo plus accipiunt fideles, *quanto propius cum sacerdote coniunguntur,* hoc ergo ordine: Ministri maiores (diaconus, subdiaconus), minores i.e. in minoribus constituti, etiam ministri laici (« chierichetti », « ministrantes »), cantores chori, fideles « circumstantes », quo devotius id faciunt, demum omnes, qui ad Missam digne celebrandam operam sociam praestiterunt, ergo etiam sacrista, Ecclesiam ornantes etc. — 3°. Fructus hic a percipientibus applicari potest etiam aliis, quod constat e praxi Ecclesiae in canone dicentis: « ...qui tibi offerunt pro se *suisque omnibus* ». Ergo non solum eo sensu possunt fideles Missam pro alio offerre, quod fructum perceptum e *propria* devotione, i.e. meritum offerunt, sed etiam fructum *ex opere operato,* i.e. « specialem » offerre possunt.

c) **Fructus ministerialis,**

seu « *medius* » (quia inter fructum sacerdotis personalem et Ecclesiae vel coetus fidelium medius constituitur) sunt *bona iis obvenientia ad quorum inten-*

tionem Missa a celebrante applicatur. Quod Missae bona — integris manentibus fructibus generali, speciali et specialissimo — personae sive morali sive physicae donari possunt a celebrante, certum est. Hoc constat:

1°. *E doctrina Ecclesiae,* quae cerni potest e *Prop. 25. damnata Wiclefii*: « Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eisque in temporalibus subvenientibus » (Denz. 605.) et lege Ecclesiae qua praecepit Missas applicare pro certo coetu (paroecia, dioecesi), vel oblata stipe applicare (v. inferius F. l. b. et f).

2°. *E Traditione, Cyprianus* e.gr. vetuit, ne Missa celebraretur pro anima Victoris cuiusdam, qui contra canones clericum bonorum suorum oeconomum constituit (Ep. 1. ad clerum et plebem Furnit). Facile multiplicari possunt documenta, quod Missa iam ab antiquissimis temporibus pro defunctis determinatis oblata est, ut e.gr. pro matre Augustini, *S. Monica* (Confess. IX.12.). Etiam pro aliis determinatis personis et eorum « *votis* » i.e. desideriis, oblatae sunt Missae, ut *Missae « votivae »* seu « « *speciales* » iam inde a Sacramentario Leoniano ostendunt (e.gr. « in natale episcoporum », « post infirmitatem », « ad virgines sacras », « velatio nuptialis », « de siccitate temporis »: Feltoe p. 123. 135.139.140.142).

3°. *E natura sacrificii,* nulla enim fuit religio, quae non putaverit sacrificium offerri posse pro determinatis personis et ad determinatum finem (cf. Mazzella IV, p. 299.).

d) **Fructus specialissimus**

sunt *bona, quae obveniunt sacerdoti offerenti,* qui nec cogitare debet de hoc fructu, ex opere operato ei contingente, nam celebrans vi characteris sui propius accedit ad Christum ministrum principalem et arctius cum eo coniunctum est. Tenendum est cum S. Thoma et maximis theologis, hunc fructum *aliis donari non posse;* omnino autem certum est *non* posse pro eo *stipendium accipi,* iuxta damnatam propositionem ab Alexandro VII.: « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem » (Denz. 1108.). Quia tamen sententia opposita probabilitate non caret, licet aliis e caritate, gratuito hunc fructum applicare (« *intentio secunda* »).

Corollarium pastorale

de fidelibus exhortandis, ut Missae sacrificio frequenter ac devote intersint. Sub hoc titulo habetur *Instructio S. Congr. Conc. 14. iul. 1941* (AAS 1941., 389. 391.). Summus Pontifex Pius XII. conqueritur, quod dum saeculorum decursu frequenter interesse Missae fideles consueverint, sanctissimus hic mos nunc ab iis in dies intermittitur. Missae sacrificium nec colunt, ut oportet, nec sicut antea pro suis necessitatibus ac defunctorum suffragiis, ut applicetur ferventer curant, sed « *ad alia minus salutaria* haud raro se convertere non dubitant ». Ideo vehementer hortantur Ordinarii, « ut per semetipsos *ac* per curatores animarum aliosque utriusque cleri sacerdotes instanter christifideles edoceant ». *Themata autem sunt sequentia*:

1°. Sacrificii Missae natura — excellentia — fines et salutares effectus — eiusdem ritus ac caeremoniae — « ut ipsi non passive tantum eidem intersint.

2°. Gravis obligatio Missam audiendi, cum hoc sit « praecipuus actus cultus publici et externi Deo debiti ».

3°. Missae vis impetratoria et propitiatoria, eo fine, ut « fideles alliciantur ad eidem Sacro frequenter ac etiam cotidie si fieri potest adsistendum », memores moniti S. Augustini: « Audeo dicere, quod Deus, cum esset omnipotens, plus dare non *potuit*, cum esset sapientissimus, plus dare *nescivit*, cum esset ditissimus, plus dare non *habuit* » (In Jo. tr. 84.).

4°. « Coelestis convivii saluberrima participatio quoties Sacro intersunt, quo arctius Christo inhaereant ».

5°. Dogma Sanctorum communionis, « cuius vi Sacrificium Missae uberrime applicetur non tantum pro fidelibus defunctis, ...sed etiam pro hominibus qui vitam degunt, quippe qui, tot angustiis et calamitatibus, in praesens potissimum undique pressi, indigent, ut misericordiam apud Deum inveniant et auxilium consequantur ».

6. De valore Missae

Valor Missae est efficacitas eius *in actu primo*, seu quantitas efficaciae, i.e. *virtus* eius (Kraft, forza, erö) ad producendos quatuor supradictos effectus.

Effectus ipsi vocantur efficacitas Missae *in actu secundo*, i.e. fructus eius producti.

Utrumque, i.e. valor (efficacitas in actu primo) *et* effectus (efficacitas in actu secundo) possunt *dupliciter considerari*. Primo quoad gradum seu magnitudinem valoris, quam attingere possunt effectus, et hoc vocatur *intensitas*, dein quoad numerum eorum qui participare possunt ex his fructibus et hoc vocatur *extensio*. Ideo loqui debemus de valore Missae intensive et extensive spectato, dein de effectibus, seu efficacitate Missae in actu secundo item intensive et extensive considerata. *Duplicem ergo thesim statuimus*:

I. THESIS. Valor Missae est intensive et extensive infinitus. Communis.

Status quaestionis.

Infinitum *moraliter* vocatur, quia *physice*, ut patet, solus Deus est infinitus. Potest sumi *respectu regulae morum* seu iuxta relationem moralitatis ad regulam morum, tali sensu item soli Deo competit infinitas. Potest sumi dein respectu *prudentis aestimationis*, sic iam ens creatum potest vocari infinitum, dupliciterque dispescitur: *secundum quid* seu iuxta aliquam rationem extrinsecam infinitum (e.gr. visio beatifica) et *simpliciter* infinitum. Simpliciter infinitus sub *omni* respectu solus Deus est; sub *uno* respectu potest esse infinitum ens quoque contingens: *absolute* e.gr. humanitas assumpta Christi, sacrificium Crucis, vel *relative* seu secundum quid. Fructus Missae sunt infiniti simpliciter sub uno respectu secundum quid (Doronzo II, 1069 s.).



a) **Est intensive infinitus:**

Missa est sacrificium relativum, i.e. offerens principalis, victima et oblatio interna identica sunt cum sacrificio Crucis. *Atqui* haec tria dignitatem habent infinitam, *Ergo* Missa habet valorem infinitum.

Probatur minor. *Offerens* principalis, Christus Dominus, dignitatem habet infinitam propter unionem hypostaticam. *Victima* est hostia Deo acceptissima, qua praestantior esse non potest, nam victima una eademque est ac offerens infinite dignus. *Oblatio* Christi *interna* perficit sacrificium et producit effectus: adorationem, satisfactionem, gratiarum actionem, impetrationem, hi autem effectus infiniti sunt, nam actiones sunt theandricae, i.e. Hominis Dei in eadem persona Filii coniuncti. « Altior gradus adorationis, et gratiarum actionis, propitiatio et impetratio perfectior, quam per sacrificium eucharisticum praestari valet, excogitari nequit » (Diekamp p. 247.).

Dilucidatur consequentia. Missae sacrificium dignitatem seu valorem habet infinitum, i.e. quod caret limitibus. Physice infinitus Deus est, propter eius perfectionem absolutam, actus Christi moraliter sunt infiniti, quod valorem attinet, quando nimirum « secundum prudens iudicium aestimatur illimitatus, ut valor satisfactorius operum Christi dicitur infinitus » (Zubizarreta p. 287.).

b) **Est extensive infinitus:**

valor scilicet Missae, inquantum numerus eorum illimitatus est, qui possunt participare. Quando e.gr. anno 1946. Romae in foro S. Petri caterva 500.000 hominum Missae partem activam habuit cum precibus et cantibus ope radiophoniae transmissis (quod prima Romana liturgica huius generis manifestatio fuit, cf. Eph. lit. 1947., 146.), omnes hi fideles Missae Summi Pontificis adstantes aeque participes fuere, ac si solummodo familia Pontificia, hoc est multo pauciores numero participassent. Missae enim sacrificium, cum sit substantialiter idem ac sacrificium Crucis, habet etiam eius valorem extensivum. Sacrificium autem Crucis pretium habet infinitum, sufficitque « ad salutem omnium creaturarum etiam numero infinito si dari possit, ergo valor Missae quoad sufficientiam nullo coarctatur limite » (Hugon III, 494.).

II. THESIS. Efficacitas Missae in actu secundo non est simpliciter infinita. Sententia probabilior.

Agitur nunc de hoc, quod Missa valorem habens infinitum in actu primo, producendo effectus suos, i.e. in actu secundo inaequali modo hos operatur effectus, infinitas ergo solum secundum quid habetur.

a) **Effectus latreuticus et eucharisticus**

tum intensive, tum extensive infiniti sunt. Deum enim tantum respiciunt Eique solummodo exhibentur.

b) **Effectus propitiatorius et impetratorius**

simpliciter infiniti non sunt, nam conferuntur creaturis, quae entia sunt finita.

1°. Hi effectus *intensive finiti* sunt, ut probat S. Thomas: « Quamvis haec oblatio *ex sui* quantitate sufficit ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum *quantitatem suae devotionis*, et non pro tota poena » (III. q. 79. a. 5.). Quod etiam usu Ecclesiae probatur; offerri etenim possunt plures Missae pro eodem fine.

2°. Effectus *propitiatorius* et *impetratorius* etiam *extensive finiti sunt, si fructus* spectetur *ministerialis*, *dum* fructus specialissimus (sacerdotis), specialis (Missae adstantium et cooperantium) et generalis (totius Ecclesiae) *extensive infiniti* sint. **a.** Aliis verbis: eosdem fructus participant *specialiter* supradicti fideles etiam numero 500.000 et *generaliter* Ecclesia et nil facit, num 500 milliones fidelium habeat, vel si tantum decem milliones, ut aliquando habuit. — **b.** At si applicatur Missa *personae alicui determinatae*, iam effectus propitiatorius et impetratorius non sunt infiniti. Quod ergo attinet fructum ministerialem, iam non potest provocari ad valorem infinitum Missae, nam si fructus ministerialis inter plures dividatur, tanto minus accipiunt singuli, quanto plures personae eam participent. Haec est sententia inter theologos *communior*, quam tenent praeeunte *Doctore Communi* (Suppl. q. 71. a. 13.), S. Bonaventura, Duns Scotus, S. Bellarminus, Suarez, de Lugo, inter recentiores Billot, Franzelin, Lehmkuhl, Pesch, Noldin, Mannens, Vermeersch, Lercher, Filograssi, et multi alii (cf. praesertim G. B. Tepe, Instit. Theol. IV, 345-354.). — **c.** *Adversarii* vero sunt inde a Caietano Vasquez, Gonetus, S. Alphonsus (post 1769. haesitanter) et Doronzo. Sententia haec clare exponitur a Card. Caietano, antesignano eius: « Arguendi instruendique simul sunt homines ignoranter petentes, vel exigentes pro *sua elemosyna totam* sibi Missam dari, aut suo defuncto; nihil enim minus ipse habebit, *si mille alii* petant eamdem Missam pro seipsis et aliis defunctis, quam si pro ipso solo celebrari dicatur; imo ex huiusmodi *indevotione* sic petentis, damnum videtur incurrere, quod minus sibi proderit. » Statim suspicari possumus, sententiam hanc a Caietano prodeuntem natam esse e nimia adversitate (« ressentiment »), eo etenim tempore magni abusus fuere circa Missarum stipendia et Novatores praecise in hoc puncto Ecclesiam impugnabant.

3°. Sed sententia *negans infinitatem extensivam effectus propitiatorii et impetratorii quoad fructum ministerialem*, solidis argumentis probabilior evincitur.

a. E doctrina Ecclesiae *Const. Apost.* « *Auctorem fidei* » 1794. sat clare hoc videtur sequi: « Doctrina synodi (Pistoriensis) ...sic intellecta... ut specialis illa oblatio seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, *non magis prosit* ceteris paribus *illis, pro quibus applicatur*, quam aliis quibusque, *quasi nullus specialis* fructus proveniret ex *speciali* applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecepit Ecclesia, praesertim

a pastoribus pro suis ovibus, quod velut *ex divino praecepto* descendens a s. Tridentina synodo diserte est expressum: falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo » (Denz. 1530.). — Ex hoc documento sequitur: applicatio Missae *magis* prodest illis *pro quibus applicatur;* dein ex hac speciali applicatione *fructus* prodit *specialis* (quem nos vocamus « ministerialem »), quod *consequenter* restringit numerum personarum recipientium; demum quod haec applicatio restrictiva ex iustitia iure divino praecipitur (quoad obligationem celebrandi nimirum pro suis gregibus). *Atqui* si vera esset sententia affirmans infinitatem extensivam quoad fructum ministerialem, tunc Ecclesia temerario modo ageret *praecipiendo* Missam offerendam esse pro personis particularibus (paroeciis, dioecesibus) et *concedendo* usum petitionem aliorum sic applicandi (cf. leges quoad stipendia), immo impossibile esset dicere, hoc ex iure *divino* ortum habere.

b. *Ecclesiae continuus usus* Missas has speciales concedendi, imo praecipiendi falsus esset. S. *Thomas* iam merito dixit: « Melius est plures iuvare quam unum. Si ergo suffragium pro multis factum valet singulis tantum ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit instituere, ut pro aliquo fieret singulariter Missa vel oratio, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis, quod patet esse falsum » (Suppl. q. 71. a. 13.). — Quaestio est, num Doctor Communis inter « suffragia » applicationem Missae pro defunctis includat, quod Doronzo negare videtur (p. 1084: « S. Doctor non loquitur directe et peculiariter de fructu sacrificii, sed de suffragiis in communi et nominatim de orationibus et satisfactionibus... »). Si vero *Missa includenda sit iuxta Thomam,* argumentum allatum valet mensque eius vix dubia haberi potest. *Sed* S. Thomas quid intelligit sub « suffragiis », prodit eadem q. 71. a. 9: « Videtur, quod non solum orationibus Ecclesiae *et sacrificio altaris* et elemosynis animae defunctorum iubentur... ieiunium magis prodest in *suffragiis,* quam aliquod praedictorum ». *Ib. in corp.*: « Ista duo ex parte charitatis praecipue mortuis *suffragatur,* sc. sacrificium Ecclesiae et eleemosyna ». *Ibid. art. 3.*: « In *suffragiis,* quae per malos fiunt, duo possunt considerari: primo ipsum opus operatum, sicut *sacrificium altaris...* », hoc ergo in « suffragiis » includitur. S. Thomas ergo procul dubio loquitur de fructibus sacrificii qua suffragiis. — Deinde *privilegium altaris,* quod *uni animae* applicatur, per quod Summi Pontifices quasi hortantur sacerdotes, ut pro anima aliqua determinata offerant Missam, esset iniustum, nam alias animas privaret hoc beneficio, si sententia adversa vera esset et omnes aequaliter possent participare etiam fructum ministerialem.

c. *Persuasio fidelium* quoque sententiam negantem commendat, nam putant Missam magis prodesse, si alicui soli applicetur, quam si simul pro aliis offeratur. Hanc autem persuasionem fere tam antiquam quam Ecclesia, ius canonicum ratam habet, *ex iustitia obligans* sacerdotem singulas Missas *ad singulorum intentionem applicare* praecipiens (can. 828. de quibus plura inferius). Hoc autem tunc tantum intelligi potest, si supponitur tamquam legis et persuasionis huius *fundamentum,* « singulos stipendium dantes in tali casu reale damnum pati, hoc est non *tantum* percipere fructum, *quantum* percepissent, si singulis sacrificium applicatum fuisset » (Mannens, 411.).

Corollarium de divisione fructuum Missae.

1°. Divisio fructuum eo sensu tantum intelligitur, quod *fructus ministerialis dividitur,* i.e. quod unus effectus Missae huic, alius effectus Missae illi personae

determinatae donatur. *Non* dicitur autem « divisio fructuum », quod fructus generalis toti Ecclesiae obvenit, nec specialissimus et specialis sacerdoti, respective fidelibus adstantibus: haec enim *divisio non pendet a voluntate humana.* — At fructus *ministerialis dividi potest,* non solum *ab oblatore* Missae qui stipendium dedit, sed etiam ab eo, qui petiit Missam e caritate celebrandam ad eius intentionem. Effectus variis personis possunt dari e.gr. effectus propitiatorius pro anima defuncti illius, impetratorius pro tali vivo, sicque fructus ministerialis inter duas personas dividitur. Hoc etiam commendari potest fidelibus, qui Missam petunt sibi applicari.

2°. Sed alia est quaestio *de celebrante,* qui etiam potest fructus dividere, sed videndum, quando licite.

a. In *Missis gratuitis,* i.e. quae gratis celebrantur non e tituto iustitiae, *sine dubio* potest fructus dividere, celebrando unicam Missam pro aegroto *et* pro defuncto. In hoc enim casu suam promissionem limitavit ad dandam uni effectum propitiatorium, alii autem impetratorium.

b. In Missis debitis *ex oboedientia* hoc facere tunc tantum potest, *si intentio superioris hoc permittit,* quando e.gr. praecipitur tres Missas offerri pro defuncto confratre, tunc potest fructum impetratorium huius Missae alii donare, qui vivit, sed *nunquam* pro stipendio.

c. In Missis quae celebrandae sunt *ex iustitia,* i.e. tum ratione *officii,* tum *stipe* oblata (cf. inferius F. l. b. et f.), *omnes* effectus *personae determinatae* sive morali, ut paroeciae, sive physicae *largiri debent.* Nec iste qui teneret sententiam de infinitate extensiva Missae etiam quoad fructum ministerialem, hoc facere posset, e.gr. si stipe oblata celebrasset pro defuncto, applicando huius Missae effectum impetratorium *gratis* pro aliquo. Certum enim est, quod non potest duplicatum stipendium accipere, uti supra vidimus (5.d), sed *Ecclesiae prohibitio valet etiam ad talem divisionem « gratuito » factam*: « *Nunquam* licet... eleemosynam recipere pro Missa, quae *alio titulo* debetur et *applicatur* » (can. 825. n. 2.), at hoc faceret si Missae *pro stipe* celebratae partem (puta effectum propitiatorium) *alii « applicaret »* etiam gratis. Hoc sequitur etiam e natura rei: nam Missa titulo iustitiae debita iuxta generale principium iustitiae regitur: *si agitur de certo iure alterius, non potest uti sententia* quantumvis probabilis videtur. Ideo etiam auctores pro praxi sic decidunt quaestionem: « Nec licet in Missis pro defunctis ex iustitia debitis fructum impetratorium aut sibi, aut alteri applicare. Non constat quidem, qua ratione animabus defunctorum prosit sacrificium, quatenus impetratorium est, at certum est, defunctos fructu impetratorio iuvari posse et pariter certum est eos, qui dant stipendium pro defunctis, ius habere, ut defuncti ex Missa omni, quo possunt modo, iuventur » (Noldin-Schmitt-Heinzel n. 180. c., similiter Merkelbach, n. 360.).

7. De modo efficientiae Missae

Status quaestionis.

Quaestio ultimo tractanda est, quomodo producat Missa effectus suos. Primum conceptus aliqui correlativi declarandi sunt.

1°. « *Ex opere operantis* » nati sunt ii Missae effectus, qui e devotione offerentium oriuntur: Ecclesiae, sacerdotis et fidelium et nil aliud sunt, quam *me-*

rita boni operis actuum virtutis religionis, qui exercentur per celebrationem Missae a parte Ecclesiae, sacerdotis et fidelium. — « *Ex opere operato* » Missae sunt effectus quattuor Missae, qui independenter a sacerdotis sanctitate tantum ex actu valido celebrationis oriuntur. Notandum cum Lercher, quod haec distinctio tantum penes Sacramenta et sacrificium *Novae Legis* viget, nam sacrificia vero Deo oblata Veteris Legis tantum ex opere operantis valorem habebant: erant enim signa interioris animae dispositionis et sacrificii. In Sacramentis et sacrificio Novae Legis autem minister principalis Christus est, ergo habent valorem ex opere operato, si actus ponitur, quem Christus ordinavit. Offerens principalis Christus est, a cuius sacrificio interno valor Missae primario dependet, et ideo Missa independens est a qualitatibus offerentium secundariorum et coofferentium (Lercher, V. 2, 313 nota).

2°. Alter par conceptuum correlativorum est: « *Infallibiliter* » *et* « *fallibiliter* », quando nempe effectus Missae producuntur sic, quod nullatenus impediuntur in sua efficacia, *vel* quando impediuntur propter defectum aliquem cooperationis humanae.

3°. Tertium par conceptuum correlativorum est: « *Immediate* » *et* « *mediate* », quando nimirum effectus Missae producuntur per *ipsam* Missam, nulla interveniente alia causa, *vel* quando per Missam tribuuntur homini *auxilia* ad producendos effectus.

Singula nunc declaranda sunt.

a) **Effectus Missae ex opere operantis:**

1°. sunt primo ex opere operantis *Ecclesiae, qui e ritu Missae oriuntur*: e precibus, lectionibus, cantibus, ceremoniis, utpote ab Ecclesia peractis. Quo maior est devotio Ecclesiae, quo maior fervor cleri, quanto plures existunt aliquo tempore animae perfectioni incumbentes, eo maior hic fructus, qui *independens* est a sacerdote celebrante actuali et fidelibus coofferentibus, penitus autem nunquam deficit (Lercher, 314.). — 2°. Secundo dantur tales effectus ex opere operantis *sacerdotis celebrantis,* et fructus hic eo uberior est, quo sanctior et actu devotior est sacerdos. Inde Missa celebrata quoque per sacerdotem indignissimum producit suos effectus, sed ex opere operato, non vero effectus, quos producere potest ex opere operantis (Zubizarreta p. 286.). — 3°. Tertio nascuntur effectus ex opere operantium *fidelium,* de quo idem dicendum, ac de opere operantis sacerdotis. Nunc autem ulterius agitur tantum:

b) **De effectibus Missae ex opere operato.**

Primum demonstrandum est, quod omnes quatuor effectus Missae tali modo producuntur.

1°. *Tridentinum* innuit dicens: « ...et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest » (sess. XXII. c. 1.), ex hoc autem sequitur, quod effectus sacrificii independentes sunt a dispositione offerentium, conferuntur ergo ex opere operato (Denz. 939.).

2°. Sacramenta Novae Legis tali modo producunt effectus suos, sacrificium Missae autem non est minoris dignitatis, quam Sacramenta; ideo debet effectus sibi proprios producere ex opere operato. — a. *Effectus latreuticus et eucharisti-*

cus evidenter effectus proprii sunt omnis sacrificii. — **b.** Effectus *propitiatorius* quoad *poenam* (satisfactorius) etiam proprius est, nam Missa est sacrificium *propitiatorium;* quoad *culpae* deletionem haec deletio est etiam effectus proprius, nam remittere *peccata* habetur *in ratione prius* ad remissionem poenae. — **c.** Effectus *impetratorius* quoque proprius est, nam *propitiatio* est *impetratio veniae* illis, qui inimici erant Dei, ergo impetratio *aliorum bonorum,* quae fit amicis Dei, *a fortiori* debet esse effectus *proprius* sacrificii, si propitiatio effectus est proprius. — Sic ostenditur effectus omnes ex opere operato produci, et remaneret adhuc inquirendum, quibus *aliis modis* nascantur hi effectus.

c) Effectus latreuticus et eucharisticus

conferuntur *infallibiliter et immediate.* Missa est enim sacrificium « mundum » et ideo independens a sacerdotis sanctitate, sicque per suam dignitatem immanentem, quia est oblatio Christi, supremum Dei dominium agnoscit et perfectissime agit gratias.

d) Effectus propitiatorius

distingui debet quoad remissionem poenae et quoad remissionem culpae. 1.° Quod attinet remissionem *poenae,* Missa remittit *infallibiliter et immediate* poenas temporales tum vivis, tum defunctis. Ratio est, quia remissio poenae non fit actu debitoris (Schuldner, adós), sed *gratia creditoris* (Gläubiger, hitelezö).

2°. Quod attinet remissionem *culpae,* haec fit per Missam, sed partim fallibiliter, partim infallibiliter et mediate. — **a.** *Fallibiliter,* nam impediri potest per defectum cooperationis humanae. In ordine enim gratiae necessario requiritur quoad peccata personalia cooperatio hominis, qua avertitur a peccato. Si haec deest, obex opponitur gratiae actuali. — **b.** *Infallibiliter* producitur effectus in quantum « huius quippe oblatione placatus Dominus *gratiam et donum* poenitentiae concedens, crimina etiam ingentia dimittit » (Trid. s. XXII. c. 2.), e quibus verbis sequitur gratiam semper dari a Deo ad poenitentiam. — **c.** *Mediate* confertur remissio culpae per Missam, ut S. Thomas dicit: « Eucharistia inquantum est sacrificium... peccata mortalia delet, non sicut causa proxima, sed inquantum gratiam contritionis eis impetrat » (In IV. dist. 12.2,2.). Quod quidem *conveniens* ostenditur e comparatione cum sacrificio Crucis, quod peccatores mediate iustificat, per placationem Dei, e qua resultant gratiae ad poenitentiam. Atqui Missae non potest maior efficacitas tribui, quam sacrificio Crucis.

e) Effectus impetratorius

quoad modum productionis item distinguendus est. Est enim distinguendum inter *motionem,* qua Deus per hunc effectum movetur, ut largiatur bona spiritualia (gratias actuales) et temporalia (ut sanitatem), et inter ipsam *collationem* horum bonorum. — **a.** *Motio* per deprecationem huius effectus fit *infallibiliter et immediate* per Missam, nam « deprecari ac movere Deum, ut bona hominibus offerat, vel etiam gratias sufficientes eis conferat, est negotium, quod cum solo Deo agitur. Unde sacrificium Missae ex opere operato infallibiliter et immediate hoc agit » (Zubizarreta, p. 286). — **b.** *Collatio* autem effectiva bonorum *fallibilis* est, impediri enim potest *ab hominibus,* qui non cooperantur; impediri etiam potest *ab ipso Deo,* si quis bona fide tale bonum temporale petiisset, quod ei noceret, e.gr. recuperationem sanitatis, quae eum in vitam peccamino-

sam duceret, tunc providentia divina hunc impedire potest, non hoc bonum, sed aliud et maius ei conferens. Collatio *mediate* fit, nam per ipsum sacrificium efficitur motio Dei, qui deprecatus dona largitur.

TABELLA

de modo efficientiae Missae

IMMEDIATE — INFALLIBILITER — FALLIBILITER — MEDIATE

PRODUCITUR:

effectus latreuticus

effectus eucharisticus

effectus propitiatorius

a) ut est remissio poenae

b) ut est remissio culpae

quantum ad gratiam

ad quantum cooperationem

effectus impetratorius

a) ut est motio per deprecationem

b) ut est collatio bonorum

Litteratura.

S. Bellarminus, De sacrificio Missae l. II, 1-7. (ed. J. Fèvre p. 369-382). — *Th. Specht*, Die Wirkungen des eucharistischen Opfers, Augsburg 1876. — *G. B. Tepe*, Institutiones Theologiae Dogmaticae IV. Paris 1896, p. 334-354. — *H. Mazzella*, Praelectiones scholastico-dogmaticae 4.ed. IV. Romae 1910, 292-302. — *Remont*, Wie gross ist die Frucht der hl. Messe, *in*: Linzer Quartalschrift 1912, 38. — *L. Billot*, De Ecclesiae Sacramentis 5.ed. I. Romae 1914, 633-651. — *P. Mannens*, Theol. Dogm. Institutiones III, 2. Ruraemundae 1915, 404-418. — *N. Gihr*, Das hl. Messopfer dogm. litg. u. asz. erklärt, ed. 17-19. Freib. i.Br. 1922, 112-159. — *M. de la Taille*, De fructu sacrificii legitimi, *in*: Mysterium fidei 2.ed. Paris 1924, 319-393. — *Idem*, L'Oecuménicité du fruit de la Messe, Rome 1926. — *E. Hugon*, Tract. dogmatici 5.ed. III. Paris 1927, 483-502. — *Fr. Diekamp - A. Hoffmann*, Theol. Dogm. Manuale IV. Paris 1934, 243-252. — *V. Zubizarreta*, Theol. dogmatico-scholastica ad mentem S. Thomae, 3.ed. IV. Bilbao 1939, 281-288. — *L. Lercher*, Institutiones Theol. Dogmaticae 3.ed. IV., 2. Oeniponte 1948, 306-316. — *E. Doronzo*, De SS. Eucharistia II. De Sacrificio, Milwaukee, 1948, p. 1049-1158. — *K. Rahner*, Die vielen Messen und das eine Opfer, Freib. i.Br. 1951 (cf. *J. Brinktrine*, *in*: Theol. u. Glaube 1951, 260-265; et *B. Neunheuser*, *in*: AfLw 1953, 188-191). — **Respectu pastorali:** *J. Pruner*, Lehrbuch der Pastoraltheologie, 3.ed. p. 235-244. — *A. Vermeersch - J. Creusen*, Theol.

Moral. 4.ed. 1948, III. n. 256-263. — *B. Merkelbach*, Summa Theol. Moral. 8.ed. 1949, III. n. 341-361. — *J. Aertnys - C. A. Damen*, Theol. Mor. 16.ed. 1950, II. n. 183-194. — *L. J. Fanfani*, Man. theorico-practicum Theol. Mor. 1951, IV. p. 247-251. — *O. Schöllig - R. Weber*, Die Verwaltung der hl. Sakramente unter pastoralen Gesichtspunkten, 4.ed. 1952. p. 106-110. — *H. Noldin - A. Schmitt - G. Heinzel*, Summa Theol. Moral. 30.ed. 1954, n. 170-175.

E) Evolutio et historia ritus Missae

Si essentiam spectemus sacrificii Missae, pronum est, nil in ea mutationis factum esse nec posse. Multo autem plus quam sola essentia Missae dogmatice spectata pertinet ad aevum antiquissimum, hoc autem e fontibus cognoscere, historiam evolutionemque ritus Missae indagare valde utile est. Ut Ecclesia monet hortaturque: « Ad sacrae liturgiae fontes mente animoque redire sapiens profecto ac laudabilissima res est, cum disciplinae huius studium, ad eius origines remigrans, haud parum conferat ad festorum dierum significationem et ad formularum quae usurpantur, sacrarumque caerimoniarum sententiam altius diligentiusque pervestigandam » (MDei n. 61.).

Hoc ergo opus suscipientes inquiramus evolutionem ritualem Missae, sequenti ordine:

1. Incunabula Missae (saec. I-III.)
2. Aetas aurea Missae (saec. IV-VI.)
3. Missae evolutio aetate media (saec. VII-XV.)
4. Historia Missae recentiore aetate.

1. Incunabula Missae (saec. I-III.)

Primo cognoscenda est Missa prima, quam a) litavit in coena novissima Dominus, deinde b) Missa aevo apostolico, item Missa c) aevo saeculi post apostolos (cca a.p. Chr. 60-150.), postea d) vigiliarum institutum ante Missam, demum e) Missae ritus aevo catacumbarum, usque ad edictum Mediolanense (313.).

a) **Missa prima coenae novissimae,**

sine dubio inter limites coenae ritualis Iudaeorum locum habuit. Vigilia enim erat diei azymorum, quando coenam liturgicam celebrare voluerunt et ad quam iam omnia parata erant in domo patris Ioannis Marci. Insolita erat lotio pedum, quam Dominus discipulis suis fecit, sed postea ordo incipiebatur coenae ritualis.

1°. *Calix magnus communis* implebatur vino, paterfamilias, Christus Dominus benedictione sua communivit calicem, omnesque bibebant. Deinde manibus lotis benedixit cibos, agnum paschalem, herbas et azymos panes.

2°. Postea benedictio secundi calicis introducebat *secundam partem coenae*, iunior, hoc casu Ioannes evangelista, tunc interrogare debuit, quae sint istae caeremoniae, ad quam interrogationem sequebatur *Haggada* paschalis, enarratio liberationis ex Aegypto. In gratiarum actionem omnes cantabant primam partem *Hallel* (Ps. 112-113. I. pars).

3°. Mensae accumbebant et iuxta ritum Iudaicum paterfamilias in manus assumpsit *panem azymum*, ostendit eum et dixit: « Hic est panis miseriae, quem patres nostri comedebant exeuntes ex Aegypto ». *Prima mutatio essentialis* hic

facta est: Dominus enim vix dixit haec verba, sed loco eorum pronuntiavit verba consecrationis panis. Sequentes recentes auctores (Hanssens, Goossens. Sickenberger, Schürmann, Meinertz, J. A. Jungmann), verisimillimum putamus, quod post consecrationem et sumptionem panis *continuabant coenam ritualem*, i.e. comedebant agnum paschalem. Hoc evincitur e verbis Lucae et Pauli « meta to deipnêsai » (Lc 22,15-20 et 1 Cor 11,23-25), i.e. postquam iam coenati sunt, consecravit calicem et distribuit discipulis suis. Nam:

4°. *calix* communis *tertia vice* implebatur specialique benedictione communiebatur, ideoque etiam « calix benedictionis » penes Iudaeos vocatus est. Haec benedictio nunc suppleta est per Dominum *verbis consecrationis calicis*, quem deinde omnes sumebant. Post sumptionem huius calicis ritu coenae Iudaicae dicebant *Hallel magnum* (Ps. 113,9 - 117,29.), quod etiam in coena novissima factum esse Synoptici testantur: « Kai hymnêsantes » (hymno dicto), postea exibant in montem Olivarum (Mt 26,30 et Mc 14,26).

Talis ergo erat ritus primae Missae, qui omnino eodem modo — uti probabilissimum est — nunquam iteratus est. Quaestio itaque exsurgit, qualis erat:

b) **Missa aevo apostolico.**

Etsi non defuerint asserentes apostolos semper ritum paschalis coenae imitatos esse (G. Bickell 1872.), haec sententia hodie iam relicta est. Ritus hic etenim una vice per annum erat tantum permissus, apostoli autem Hierosolymis omni die « frangebant panem ». Dein Matthaeus et Marcus narrantes ritum coenae novissimae, consecrationem panis et calicis iam successive narrant, testantes hac narratione succincta ritum aevi eorum, dum Paulus et Lucas adhuc ritum enarrant a Domino adhibitum.

Alia, quae comperi possumus de Missa aevi apostolici, fere haec sunt. 1°. *Novum est nomen*: « klasis tou artou », fractio panis, ignotum tum literaturae Iudaicae, tum Hellenisticae. — 2°. Fractio haec panis facta est « kat' oikon » i.e. *in singulis domibus*, ergo in coetibus exiguis (Act 2,46.). — 3°. Hanc fractionem comitabatur « *doctrina apostolorum et oratio* » (didachê kai proseuchai Act. 2,42.), tali occasione Paulus *sermonem* protrahebat peragens fractionem panis Troade (Act 20,7). — 4°. Maxime characteristicum est, quod Missa *intra coenam* celebrata est, quod omnino evidens est e testimonio Corinthiaco (1. Cor 11,20-34.). Fuit enim « coena dominica », nam peccat, qui manducat et bibit indigne, sed coenam communem qualiter posset quis indigne sumere? Tamen etiam vera coena fuit, ubi aliqui « ebrii » fiunt (methyei 11,21. s.). — 5°. In hac Missa apostolica, saltem in ecclesiis Paulinis, adhuc *consecratio* panis et calicis *distincta* erat per hanc coenam.

c) **Missa saeculi post apostolos.**

Agitur de tempore post apostolos usque ad cca 155, quando primus testis ritus Missae, S. *Iustinus* suam *Apologiam* scripsit. Evolutionem spectantes huius saeculi caliginosi quod fontes nempe adtinet, videre possumus sequentia: — 1°. *Oratio gratiarum actionis* seu eucharistica partem semper maiorem gerit in Missa. Aevo hoc incipiunt totum actum « fractionis panis » i.e. Missam nomine ex hac oratione desumpto « *eucharistiam* » vocare. Gratias agere erat christianis commune, praesertim ad fractionem panis. In Didachê invenitur celebris oratio, « quod autem eucharistiam attinet, ita agite gratias » (cap. 9.10.). Hae orationes

putabantur antea *stricte* « eucharisticae » i.e. ad Missam pertinentes, dein orationes coenae mere privatae, nunc autem recenter Peterson eas probabilissime putat orationes coenae privatae, quae tamen ad exemplum orationum liturgicarum concinnatae sunt (Eph. lit. 1944., 3-13.). — 2°. Citra hanc etiam aliae orationes in usu fuerunt hoc aevo, precationes nempe quae a S. Iustino « *communes* » vocantur (koinai euchai). Talium orationum vestigia inveniri iam possunt in epistola S. *Clementis Romani* post a. 96. ad Corinthios, in qua precatio fit pro iis, qui tribulati sunt, pro lapsis, pro infirmis, inopibus, captivis, pro imperatoribus etc. (1. Cor 59-61.). — 3°. Saeculo hoc paulatim Missa *distinguitur a coena*, quae remanet ut coena caritativa (« agapé »), et diu adhuc, sed tantum per exceptionem, etiam Missae coniuncta celebratur. — 4°. Hoc saeculo postapostolico institutum incipiebat, quod maximi momenti evasit tum pro Missa, tum pro officio divino, de qua seorsim tractandum est:

d) **Vigiliae ante Missam.**

1°. Primus, qui vigiliarum institutum commemorat, testis est paganus, *Plinius Iunior*, qui circa a. 111. haec scribit imperatori Traiano: « Adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem ». Carmen hoc seu « hymnus » ut ex aliis fontibus clarum est, *Psalmi* Scripturae fuerunt. — *Quid adhuc* occasione harum vigiliarum actum sit, describit breviter *Iustinus*: « Die qui dicitur solis, omnium qui in urbibus et in agris habitant, in unum fit conventus, et commentarii apostolorum (« apomnêmoneumata » i.e. evangelia) vel scripta prophetarum leguntur quoad tempus fert. Deinde ubi lector desiit, antistes oratione admonet et incitat ad haec praeclara imitanda. Postea consurgimus simul omnesque preces fundimus » (Apol. I. 67.).

2°. Totum vero quod fiebat, comperimus e testimonio succincto *Tertulliani* versus finem saeculi II-i: « In ecclesia inter dominica sollemnia *psalmi* canuntur, *scripturae* leguntur, *petitiones* delegantur ». — **a.** *Psalmi* canebantur modo « responsorio » i.e. cantores cantabant singulos versus, populus vero singulis versibus respondebat per eundem versiculum (responsionem « hypakoê » vel « akrostichion » vocatam). Tali modo semper participatio activa populi habebatur. — **b.** « *Scripturae* » legebantur et quidem *Veteris* Testamenti, hoc enim e praxi Synagogae assumebant Apostoli. Adhuc Paulo vivente, etiam eius *epistolae* legebantur in « ecclesiis », hoc est in conventibus (cf. Col 4., 16. et 1. Thes 5,27.). Lectio *evangelica* primo quidem apud Iustinum occurrit, sed certus haberi potest huius lectionis usus iam saeculo I-o exeunte. Ut patet, nullus ordo adhuc existebat pericoparum, sed lectio vel continua, vel iuxta designationem antistitis fiebat. — **c.** « *Petitiones* » autem dicebant post unumquemque psalmum, vel lectionem, ut e multis fontibus videri potest. Reliquiae harum orationum permultae inveniuntur in scriptis primorum Patrum (collectae in Cabrol - Leclercq, Reliquiae liturgicae vetustissimae, *in*: Monum. Eccl. Liturg. I.II.).

3.° Tres erant species *vigiliarum*. — **a.** « Vigilia *dominicalis* » a vespere sabbati continuata fuit usque ad diluculum dominicae. — **b.** « Vigilia *stationalis* » habebatur aliquibus diebus, praesertim fer. IV. et VI. secundum Tertullianum, quarum ieiunium iam a Didachê commendatur. — **c.** Demum erant « vigiliae *coemeteriales* », in monumentis mortuorum, praesertim die anniversario mortis. Vigiliis succedebat ipsa Missa, etsi non semper.

e) **Missae ritus aevo catacumbarum.**

1°. Vigiliis absolutis dimittebantur catechumeni et « oblatio », i.e. Missa stricte dicta initium sumpsit. Recte intellecta vera haberi potest sententia a Ferd. Probst saeculo elapso enuntiata de « una, sancta, catholica id est universali et apostolica » liturgia, eo sensu scilicet, quod revera una et communis fuit quod attinet Missae *delineamenta* (limites, Rahmen, keretei) quae eadem erant toto orbe, i.e. eadem habebatur « forma Missae », sed *contentum* Missae (Inhalt, tartalom) liberum erat ubicunque. Orationes quas dicebant antistites, sicut etiam electio lectionum et psalmorum nondum erant fixae, unusquisque libere eas componebat. Sic possibile fuit, quod S. Polycarpus praesente Aniceto Romae praefuit Missae celebrandae, nullaque « rituum » diversitas eos conturbabat.

2°. Vigiliis succedebant « *preces communes* », vel « oratio fidelium », nam catechumeni iam dimittebantur. Specimen talis orationis penes Clementem Romanum iam memoravimus, in Oriente haec oratio evasit prex litanica.

3°. Post orationem communem habebatur *offertorium*, cuius exordia coincidunt cum desitione Missarum cum coena caritativa (agapê) coniunctarum. — **a.** Prope sanctam mensam alia mensa « propositionis » (prothesis) stabat, ad hanc mensam protheseos portabant fideles *bona oblata*: panes et vinum, ceram, lanam, oleum et etiam pecuniam. *Finis* huius oblationis *triplex* erat, unus *sacralis*, offerre nempe ad exemplum Veteris Legis primitias, e.gr. manipulum spicarum, racemos uvae, fructus novos, aves etc. Alius finis *caritativus* fuit: ex his donis oblatis pauperes et clerus sustentabatur. Demum ex his oblatis seligebant panes et vinum *ad sacrificium* necessaria. Saec. IV. iam debebat determinari, quid possent fideles in Missa offerre et vetabant alios potus inebriantes praeter vinum, dein aves vel alia animalia, fabas et talia. — **b.** Cantus, oratio vel alius ritus nondum usitata fuerunt ad offertorium, si excipias *osculum pacis*, quo incipiebat, ut Iustinus dicit: « Inter nos osculo salutamus precibus finitis » (Apol. c. 65.). Hoc ritu maiores nostri sequi voluerunt monitum Salvatoris, ante sacrificium nimirum se reconciliando cum fratribus.

4°. Peracta oblatione donorum, antistes *precationem summam eucharisticam* (eucharistisches Hochgebet, eucharisztikus csúcsimádság) seu anaphoram (=oblationem) exordiebatur. *S. Iustinus* succincte describit hanc orationem: « Fratrum antistes... laudem et gloriam Patri universorum per nomen Filii et Spiritus Sancti sursum mittit, et gratiarum actionem pro eo, quod hisce ab eo dignati sumus, prolixe instituit, quibus precibus gratiarumque actionibus absolutis, omnis qui adest populus adclamat, dicens: « Amen ». (Apol. c. 65.). Primum exemplum textuale talis anaphorae habemus apud *S. Hippolytum* ante 217. Anaphora haec typum prae se fert *christologicum*, Jungmann distinguit anaphoras typi *synagogalis*, quae gratiarum actionem a creatione mundi exordiuntur, continuantur narratione factorum populi electi et transeunt ad Christum coenamque ultimam. *Trisagion*, i.e. triplex « sanctus » per Cherubim cantatus, e synagogali cultu transsumptus cantabatur post huiusmodi anaphoras. Anaphora tertii typi est anaphora *hellenistica*, quae terminis technicis, metaphorisque Graecae philosophiae utens has orationes composuit.

5°. *Communio* valde simplicis ritus fuit aevo catacumbarum, qui adumbratur iam ab *Hippolyto*. Episcopus « rationem reddit » de his, quae accipiunt fideles, i.e. precationem aliquam *praeparatoriam* dicit, deinde « *frangens* panem

singulas partes » *porrigit*, e quo sequitur, quod iam unum panem consecrabant. *Verba* quibus Eucharistiam porrigit, sunt: « Panis coelestis in Christo Iesu », ad quae recipiens respondet: « Amen! » « Presbyteri vero, si non fuerint sufficientes, teneant calices *et* diacones ». Ritum, quo accipiunt Eucharistiam, penitus describit cca 348. S. *Cyrillus Hierosolymitanus*, qui ritus verisimiliter iam etiam saec. III-o usurpatus fuit. « Sinistram — dicit praelaudatus Doctor — velut thronum subiiciens dexterae, utpote regem suscepturae, et concava manu suscipe corpus Christi, respondens Amen. Oculis vero caute sancti corporis contactu sanctificatis, illud percipe, adtendens, ne quid ex eo tibi depereat ». (Cat. mystag. 5,21.).

6°. Talis ergo fuit ritus Missae tribus prioribus saeculis. Ut dictum est, delineamenta eadem erant, contentum variabat, sed tamen etiam hoc aevo iam adsunt elementa, quae inde a his temporibus ad nostra usque remanserunt. Haec autem sunt:

Salutatio populi per « *Dominus vobiscum* » et responsum populi per « Et cum spiritu tuo ».

Omnis oratio concludebatur per *doxologiam* finalem quae ubicunque habetur. In his semper habetur allusio ad aeternitatem verbis: « Per omnia saecula saeculorum ».

Summa prex eucharistica semper introducitur per *dialogum*: « Sursum corda » et « Gratias agamus Domino Deo nostro » et in fine, respective in medio huius anaphorae cantatur: « Sanctus, Sanctus, Sanctus ».

2. Aetas aurea Missae (saec. IV-VI.)

Persecutiones trium priorum saeculorum, vita fere perpetui timoris subito mutata est post pacem Constantinianam in maximam libertatem Evangelii, cuius semitas gradiens Ecclesia liberata respiravit. Dilatato corde praedicans Evangelium, *spatium* invenit *vitae suae liturgicae* uberius evolvendae, quam statim ab initiis sedulo excoluit. Basilicae namque toto in Imperio coelo adsurrexerunt Missaeque officioque divino ad evolvendas pulchritudines suas uberrimum spatium praebuerunt. Etsi loca sacra immense dilatata populi sacri maximas turbas capere potuerunt, necessarium tamen erat etiam *segregata pars christiani gregis* quae ducem se posset praebere catervae fidelium in peragendis sacris functionibus. Consociationes, « asketeria » vocata, fuerunt in singulis urbibus, quae in se comprehendebant « monazontes » et « virgines », eos easque, qui viam secuti consiliorum evangelicorum, adhuc domi in saeculo vivebant, sic autem ac si non essent de hoc saeculo. Hi semper visitantes basilicas, omni die ibi communes orationes fundentes, fundamenta iecerunt *officio divino*, primario officio nocturno, seu vigiliis. Vigiliae nocturnae iam non solum diebus dominicis, sed etiam aliis diebus celebrabantur, divinas illas laudes hi viri et virgines decantabant. Vigiliae sic disiunctae sunt a Missa, quae initio huius saeculi aurei iam horis matutinis celebrari incipiebat. In memoriam vigiliarum, rudimenti instar exigua aliqua « vigilia » ante Missam habebatur, quam vocari coepere « *Missam catechumenorum* », qui post eam secedere coacti sunt.

Aevum hoc aureum *binis modis* Missae liturgiam ditavit: tum per *evolutionem* rituum, tum autem per aliqualem *fixationem* textuum et caerimoniarum.

Evolutio praesertim cernitur in ortu quatuor processionum in Missa (a), fixatio in eo, quod fixae redduntur cantilenae (b), et in creatione Canonis Romani (c).

a) **Origo quatuor processionum in Missa.**

Tum in Occidente, tum in Oriente inveniuntur inde a saeculo IV. ingressus sollemnis in basilicam (introitus=« mikra eisodos »), processio cantu comitata Evangelii (graduale = « prokeimenon ») processio offertorii cum cantu (offertorium = « megalê eisodos ») processio cantibus comitata ad communionem (communio = « koinônikon »).

1°. Necessaria evasit ulterior evolutio *ingressus sollemnis* cleri ad Missam, quando episcopus circumdatus clericis suis et cantoribus in basilicam introivit, nil enim molestius quid pompa sollemni quae silentio fit. Ideo invectus est ad ingressum cleri ad Missam cantus introitus, Missamque catechumenorum iam deinceps non lectionibus, sed hoc cantu sollemni exordiebantur. Mos fuit psalmum aliquem eligere, ad cuius cantum populus per eandem antiphonam respondebat, unicuique versui eam concinens. Romae saeculo V-o certe iam invectum invenimus introitum. Plerique cantus ad introitum iam leguntur Antiphonali Romano saeculi VIII-i (PL 78,641.).

2°. *Processio ad evangelium* itidem saec. V-o iam habetur. Cantus psalmorum inter lectiones vetustissimus erat, ut vidimus, nunc brevi psalmo responsorio ante evangelium adhuc processio sollemnis adiungebatur, ut sollemnitas maior fieret. Diaconus enim librum evangeliorum, plerumque ditissimis ornamentis praeditum, utpote symbolum ipsius Christi, ab altari ad ambonem, praeeunte thuribulo, asportabat. *Graduale* seorsim est rudimentum psalmi responsorii inter lectiones, ergo post epistolam; *Alleluia* autem est cantus sui iuris sumptum (selbstständig, önálló), praeparans evangelium. Evangelium enim bonus nuntius est, cantus alleluiaticus ergo dignissime praecedit annuntiationem boni nuntii. In formulis vetustissimis saepe invenimus alium esse Psalmum Gradualis et alium Alleluiaticum.

3°. *Ad offertorium* decursu saeculi propter numerum fidelium semper crescentem necessarium erat ordinare populi ingressum ad altare, ut tradat dona sua. Ut nec hic actus prolixior factus taedium generaret, saeculo IV-o introductus est cantus psalmi responsorii, i.e. fideles eadem antiphona respondebant ad singulos versus psalmi, cuius usus primus testis est Augustinus. Hi psalmi cum antiphona vel ideam sacrificalem Missae, vel ideam centralem festi exprimebant. Inde a saeculo XI. tantum nuda antiphona remansit ad cantum offertorii, eodemque tempore etiam processio offertorii in desuetudinem abiit.

4°. *Ad communionem* quoque necesse duxerunt cantum, quia propter multitudinem communicantium distributio s. communionis in longius ibat. Primus testis huius cantus ad processionem communicantium est S. Cyrillus Hierosolymitanus, narrans, quod soliti erant Psalmum 33-um cantare ad communionem. Liturgia Romana varietati indulgens etiam hunc cantum variabilem reddit. Hoc quod hodie habetur in gradualibus libris, est tantum antiphona sola relicta veteris cantus. Permissum est etiam hodie communionem cum Psalmo cantare, et quidem cum suo Psalmo, i.e. si communio e Psalmo aliquo deprompta sit, secus cum Psalmo congruente solemnitati et actioni (Inst. 3 sep. 1958, 27).

Opus secundum aetatis aureae circa Missam fuit, quod:

b) **Fixae redduntur cantilenae et lectiones.**

Quatuor cantuum variabilium evolutionem vidimus, praeter hos etiam cantus invariabiles Missae incrementa dederunt.

1°. Canticum « *Sanctus* » iam antiquissimum erat aetate aurea, sed tres alii accesserunt. Et quidem:

2°. Cantus litanicus « *Kyrie* » saeculo IV-o iam usu venit; Aetheria enim Hierosolymis audiebat « Kyrie eleison », qua responsum ad petitiones per diaconum prolatas, sed adiungit tantum, quod domi, in Aquitania, responsum hoc « Domine, miserere » est. Deprecatio vocata « Gelasii » testatur hunc cantum saeculo V-o etiam Romae in usu fuisse. S. Gregorius Magnus deprecationes supprimens litanias ad solum cantum « Kyrie eleison » reducebat, adiungendo etiam cantum « Christe eleison »; amborum cantus autem indeterminatim fiebat, ut I. Ordo Romanus ostendit: « Prior scholae custodit ad pontificem, ut ei annuat, si vult mutare numerum litaniae ».

3°. *Gloria in excelsis,* cuius textus iam a IV-o saeculo aderat, est sicdictus « psalmus idioticus » (hoc est: « privatus ») extra Psalmos Scripturae. In Oriente cantus hic mirandus in matutinis laudibus, « orthros » vocatis, locum habebat, in Occidente vero in Missa catechumenorum. Symmachus († 514.) cantum eius iam ad festa martyrum et dominicarum extendit, ergo saltem saeculo V-o iam in usu debuit esse. Romae solum in Missis episcopalibus utebantur hoc cantu, sed iam aevo Carolingico in regno Francorum etiam sacerdotes Gloriam decantabant.

4°. Cantum Symboli Nicaeno-Constantinopolitani, « *Credo* » quoque hoc loco memorare debemus, etsi Romae solummodo versus 1014. in Missa locum suum occupavit, sed alicubi iam inde a saeculo V-o in usu fuit. Antiochiae patriarcha *Petrus Fullo* (470-478.) Symbolum ante « Pater noster » introduxit, Constantinopoli *Timotheus* (511-517.); ab Oriente ecclesiae Hispanicae in liturgiam mozarabicam invexerunt morem cantandi Credo, unde etiam liturgia Gallicana hoc transsumpsit.

5°. Cantus tum variabiles, tum invariabiles ordinati sunt fixique reddebantur tum quoad textum tum quoad melodiam a S. *Gregorio Magno* († 604.), cuius partes in cantu « Gregoriano » in dubium vocatae sunt primo ab editore Antiphonalis Romani (Goussainville 1675.), dein a F. A. Gewaert (1890.) et aliis. Recentiores inquisitiones certum reddiderunt, quod opus hoc ordinationis et fixationis iure insignitur nomine Gregorii Magni, non autem, ut voluerunt, Gregorii II. († 731.), vel Gregorii III. († 741.). Testimonium indubium reddit Egbertus Eboracensis (York) anno 732. scribens: « ...noster didascalus beatus Gregorius in suo antiphonali et missali libro per paedagogum nostrum beatum Augustinum transmisit... » (PL 89,441.).

Tempore Gregorii Magni Oriens et Occidens iam quoad ritum divulsi sunt, abhinc solummodo evolutionem Missae in Occidente indagamus, cuius deinde opus fuit nobilissimum:

c) Creatio Canonis Romani.

1°. *Forma primigenia Canonis* iam saeculo IV-o ad finem vergente aderat. S. *Ambrosius* in opere suo « De Sacramentis », quod nunc ab omnibus tamquam eius genuinum opus habetur, verbotenus allegat quatuor orationes centrales (« Quam oblationem », « Qui pridie », « Ergo memores », et « Supra quae »). Alii testes, praesertim Summi Pontifices ineuntis saeculi V-i orationes alias adducunt, ita ut Canon primigenius videtur constare ineunte saeculo V-o his orationibus:

Te igitur,
Quam oblationem,
Qui pridie et Anamnesis (Unde et memores),
Supra quae,
Supplices,
Per quem haec omnia,
Per ipsum et cum ipso.

Si quis continuate legerit has orationes Canonis primigenii, mirae unitatis compositoriaeque artis monumentum deprehendit. Iam haec forma primigenia Canonis satis differt ab anaphoris antiquioribus, multo autem magis, quando etiam incrementis augebatur. Haec *incrementa* decursu saeculi V-i omnes iam accesserunt ad Canonem eumque complendo perfecerunt. Incrementa haec sunt:

2°. *Hanc igitur*, oratio oblatoria, quae principium variabilitatis etiam in Canonem infert: nam solummodo aliquibus festis et occasionibus dicebatur; in Gelasiano primigenio adhuc 38 tales « Hanc igitur » leguntur. Textus communis harum orationum, sine speciali textu variabili, in Canone locum ordinarium obtinebat; speciales vero textus « Hanc igitur » tantum pro Fer.V.Coenae Domini, Paschatis et Pentecostes usque ad hodiernum diem remanserunt.

3°. Secunda oratio in Canonem interpolata est « *Memento* » *vivorum*. Haec sine dubio tempore Innocentii I. anno 416 iam locum suum habuit in Canone Romano, nam Pontifex nominatus Decentio Eugubiensi scribit « nomina recitanda » esse inter oblationem, i.e. Canonem.

4°. Oratio tertia, « *Communicantes* », i.e. prex pro communione percipienda cum Sanctis coelicolis, creatio est saeculi V-i, si credere licet A. Baumstark, qui asseruit, hanc orationem ante Ephesinum iam compositam fuisse, nam eius textus: « Gloriosae semper Virginis Mariae Genitricis Dei et Domini Nostri Jesu Christi » praeephesinus videtur, textus enim Concilii fuit: « Sancta, gloriosa, Dei Genitrix semperque Virgo Maria » (JfLw 1921, 13-17.). Interpolationes festivae huius orationis pro singulis festis tempore *Vigilii* Papae († 555) tantum occurrunt per specialem mentionem, sed novissimae indagationes Callewaert et Frank ostendebant, quod partis variabilis festi Pentecostes auctor S. *Leo Magnus* fuit (cf. AfLw 1950, 114-119.). « Communicantes » nil aliud est, nisi coniunctio organica et continuatio orationis « Memento », in qua precabantur pro vivis, nunc offerentibus, dum in « Communicantes » prex fit ad eos, qui aliquando etiam ipsi sacrificium hoc offerebant.

5°. Commemoratio pro defunctis, « *Memento etiam* », ordinaria pars Canonis satis tarde evasit; in Sacramentario Gregoriano enim ab Hadriano I. Ca-

rolo Magno transmisso adhuc deest. Huius rei ratio est, quod haec oratio tantum in Missis cotidianis vel celebratis pro defunctis locum habuit, quae iam in Gregoriani Sacramentarii forma « Paduana », ergo tempore Honorii I. cca 630 usitata cum hac rubrica legitur: « Si fuerint nomina defunctorum, recitentur dicente diacono Memento etiam ». *Archaica indoles* huius orationis demonstrat antiquitatem eius, ut *expressiones*: « Qui nos praecesserunt », « cum signo fidei » (i.e. character baptismali), « dormiunt » (dictum de morte), « in sommo pacis » etc. Archaismus maximus autem est, quod locus huius commemorationis pro defunctis post consecrationem habetur: sicut etiam in Anaphora Serapionis versus 340 scripta. « *Etiam* » ideo dicitur, quia ante hanc commemorationem dicitur oratio « *Supplices* », in qua pro illis precamur, qui hac altaris participatione Eucharistiam sumentes omni benedictione coelešti et gratia repleantur. Defuncti autem iam non possunt participare Corpus et Sanguinem Domini, et ideo precamur, ut « etiam » ii misericordiam consequantur.

6°. Quinta oratio e sensu Romano rectae mensurae symmetriaeque exoriebatur: oratio nempe « *Nobis quoque* ». Primitus haec oratio solummodo tantum apostolos et martyres commemorabat, ut iam in textu primigenio *Anaphorae S.Marci aegyptiacae* legi potest, dein postea Sanctorum catalogus in « *Communicantes* » per elenchum huius « Nobis quoque » suppletus est. Orationi huius finis est, quod sacerdotes offerentes, postquam pro frugifera communione Deum deprecati sunt, et etiam mortuorum meminerunt, nunc pro seipsis « quoque » idem petant, confitentes se peccatores esse. Elenchum Sanctorum « Communicantes » et « Nobis quoque » Summus Pontifex *Symmachus* (†514) complevit et ultimus ordinavit.

7°. Canon Missae sic incrementa accipiens, formam suam perfectam nactus est. In hac serie admirabili orationum nobilium *pulchra symmetria* deprehendi potest:

(1)	(2)	(3)		(1)	(2)	(3)
INTROD.	**COMMEMOR.**	**OBLATIO.**		**OBLATIO.**	**COMMEMOR.**	**FINALE.**
Duplex: *Te igitur* et *in primis* (Deprecatio pro Ecclesia)	Duplex *Memento* (vivorum) et *Communicantes* (Sanctorum)	Bina: *Hanc igitur* et *Quam oblationem*	CONSECRATIO	Bina: *Supra quae* et *Supplices*	Duplex: *Memento etiam* (mortuorum) et *Nobis quoque* pro com. Sanctorum)	Duplex: *Per quem haec omnia* et *Per ipsum et cum ipso et in ipso*

Qui pridie et Unde et memores

RESPONSIO AD ACTIONEM est: AMEN.

8°. Hoc aevo, iam inde a saeculo IV-o communio accepit orationem mensae Domini « *Pater noster* », tum in Oriente quam in Occidente, ubi primus testis huius usus est Optatus Milevitanus.

3. Missae evolutio aetate media (saec. VII-XV.)

Missae evolutio mediaevalis debet computari inde a Gregorio Magno, nam Missae Romanae ritus perfectus est cum hoc magno Pontifice, sed hunc ritum solummodo Roma eiusque suburbium sequebatur. In Occidente Latino plerumque variae species ritus Gallicani vigebant, sed influxus ritus Romani puri etiam quoad Missam ubique in dies invalescebat. Praesertim in Gallia Merowingica hic influxus magis deprehendi potest, ita, ut saeculo VII-o iam summopere anarchia liturgica totum regnum occupabat. Carolus Magnus versus 790 introduxit ritum Romanum in toto suo regno, sed deinceps, fere statim, elementa liturgiae Gallicanae, ritus, caerimoniae et textus invadebant Sacramentarium Gregorianum a Hadriano missum, sicque « Sacramentarium Gregorianum fusionatum » seu interpolatum ortum est, cuius ritus alienis elementis mixtus a recentioribus vocatur ritus Franco-Romanus. Primum ergo investigari debet Missa ritus huius, (a), deinde mutationes et variationes, quas Missae ritus subiit aevo Romanistico (b), demum aevo Gothico (c).

a) Mutationes rituales Missae in ritu Francc-Romano.

Statim, ut diximus, ab incepta reformatione liturgiae in regno Carolingico, mutationes aliquae faciem exteriorem Missae aliam reddiderunt. Individualismus, mysticismus spiritualitatis Celticae quae liturgiis typi Gallicani tam characteristica est, plura mutavit, novaque elementa in Missarum sollemnia invexit.

Sex sectiones harum mutationum constitui possunt quae ex influxu spiritualitatis Celticae originem ducunt. (Cf. de his uberius Jungmann I, 101-122).

1°. *Individualismi* notam prae se fert invectio *Missae privatae* seu « solitariae », vel « specialis ». Concelebratio paulatim in desuetudinem abiit et loco unicae Missae invaluerunt multae Missae privatae, per consequentiam autem etiam *altaria lateralia* in ecclesiis.

2°. *Orationes stilum individualem* habentes assumptae sunt in novam liturgiam Romanam e liturgia Gallicana. Orationes hae prolixiores multae adhuc in Missali Romano leguntur, sed et aliae, nunc iam in Missali Romano non existentes, medio aevo incipiente pervadebant totum ritum Missae. Sic orationes *praeparatoriae ante Missam*, inter eas praesertim sicdictae « *apologiae* » quae prolixe veniam efflagitant pro peccatis sacerdotis celebrantis; orationes ante *evangelium*, ad *offertorium*, intra cantum scholae cantorum, ante *communionem* et post Missam ad gratiarum actionem. Tales orationes usque ad *hodiernum* Missale remanentes sunt e.gr. « Suscipe Sancta Trinitas » ad offertorium, ante Communionem « D.J.Christe, Fili Dei vivi », post communionem « Quod ore sumpsimus Domine ». Nota individualitatis statim eo proditur, quod *in singulari* dicuntur, quod nunquam obtingit in ritu Romano puro. Etsi non populus Dei, « plebs tua sancta » has orationes profundat, sed celebrans suo nomine eas proferat, tamen magnam afferebant utilitatem, nam etiam spiritualitas « individualis » necessaria erat in cultu publico, ut omnibus aetatibus et nationibus magis accommodatus evaderet.

3°. *Novi* quoque *ritus*, in ritu Romano puro primitus peregrini, dein, decursu temporis ius nativum sortiti, usu recepti sunt hoc aevo. Sic ante omnia *thurificatio* altaris ante sacrificium et ante offertorium, deinde acclamatio

triumphalis ante lectionem Evangelii « *Gloria tibi, Domine* », item rogatio sacerdotis ad populum: « *Orate fratres* » ante inceptum Canonem. Huc pertinet evolutio dramatica *assistentiae* Missae sollemnis: septem acolythi e ritu romano recepti variis modis stant, aliter ad ingressum, aliter ad lectiones; etiam modus quo *planetam* (casulam) portant ministri, num plicatam vel explicatam, variatur. Verisimiliter hoc tempore incipiebant ritum imitantes Gallicanum ante Missam oblata praeparare (« proskomidia » Latina!), qui mos diu, usque ad tempora Tridentini permansit in permultis regionibus, in Hungaria e.gr. usque 1632.

4°. *Multae orationes* in ritum Romanum e Gallicano receptae sunt. Cognosci possunt e defectu rhythmi (« cursus »), per prolixitatem sermonis, usuque rhetoricarum figurarum, deinde eo, quod saepe diriguntur directe ad Christum, harum conclusio Gallicana adhuc in multis orationibus Missalis Romani legitur (« Qui vivis et regnas » ...vel « Qui in Trinitate perfecta vivit et regnat... »). E ritu Gallicano remanserunt usque ad finem medii aevi *benedictiones episcopales,* trinis membris constantes, quas praelati in fine Missae recitabant.

5°. Etiam *e relatione cleri ad fideles* aevo hoc franco-romano mutata variationes originem duxerunt. Mutata est enim haec relatio: lingua latina etiam in regno Franciae iam inintelligibilis et prorsus sacralis evasit; in aliis regionibus adhuc maiore in parte. Clerus erat hoc aevo fere unice in possessione altioris culturae spiritualis, etiam in structura societatis feudalisticae aliqua separatio inter clerum et populum paulatim effecta est. Inde nova quaedam disciplina arcani — ut Jungmann recte monet — exorta est. Canon coepit voce submissa recitari, altare ad parietem ecclesiae adpropinquatum est, sacerdos terga vertit populo fidelium, sicque — etiam sine iconostasio Orientalium — liturgia Missae partim tecta est populo. Haec separatio plena conscientia intendebatur, quod ostendit mutatio etiam in textu sacrato Canonis, ab Alcuino ipso introducta: in Memento enim vivorum loco verborum primigeniorum « ...qui tibi offerunt », interpolatum est: « ...pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis ».

6°. Aliqua mutatio etiam in *cultu eucharistico* deprehenditur: veneratio profundior fit, inde introducitur usus azymorum pauciores micas adiunctas habentium; patena, quae lagena (Schüssel, tál) sat magna erat, parvior evasit, nam « particulae » iam antea praeparatae consecrabantur; dein propter maiorem gradum venerationis communionem directe in os communicantis coeperunt ministrare, quam exinde iam non stantes, sed genua flectentes suscipiunt. Sanctuarium autem separatum est a navi ecclesiae et communicantes ad gradus vel cancellos sanctuarii, non iam de altari libabant Sacra. Frequentia etiam communionis pedetentim semper decrevit.

b) **Variationes ritus Missae aevo Romanistico.**

Aevo « Romanistico » post aetatem Carolingicam, fere saeculis IX-XI., spiritualitas gentium Germanicarum influxum sat grandem exercuit in liturgiam Missae (cf. L.A.Mayer, Altchristliche Liturgie und Germanentum, in: JfLw 1925, 80-96.). Tres variationes sat potentes debemus notare.

1°. *Inquietudo spiritualitatis Germanicae,* quae cerni potest in ornamentis Romanistici aevi, etiam sanctuarium attigit: altare iam non habetur intangibile, ubi tantum ad sacrificium necessaria possunt collocari; recepit enim structuram posteriorem eminentem (Ueberbau, Retabel), candelae septem acolythorum iam non iuxta, sed in altari posita sunt, sicut etiam crux processionalis in altari deinceps ponitur, et requisitum necessarium celebrationis evasit.

2°. Indoles subiectiva et lyrica spiritualitatis Germanicae ortum dedit *lyrismo Missae liturgico.* Dum aevo Carolingico adhûc poesis antiqua *metrica* exclusive colebatur, aevo Romanistico poesis *rhythmica* e Germanorum poesi recepta usuvenit in liturgia. Quod Missam attinet, non iam sufficientes habebantur simplices textus cantuum tum variabilium tum invariabilium, sed novi textus creabantur et quidem poetici, qui luxuriantes supercreverunt textus liturgicos, inde *crescentia luxurians* (wuchernde Uberwachsung, burjánzó ránövés) novorum textuum poeticorum in textibus antiquis prosaicis et sobriis. Duas species multifarie excultas produxit haec spiritualitas in ritu Missae: « prosam » et « tropos ». a. *Prosa* est *additamentum poeticum ad graduale,* post Alleluia, cuius sonos multifarios, « iubilus » vocatos, textu rhytmico exornat, unicuique sono syllabam subiiciens. Primus notus poeta talis prosae fuit *Notker Balbulus* Sangallensis (†912), qui methodum a monacho quodam e Normandia veniente perfectiorem reddidit. Numerus syllabarum variatur rhytmice, extremorum verborum similis sonus (Reim, rim) nondum habebatur. Aliter in prosis aetatis sequentis, quae iam strophis et similibus sonis extremarum syllabarum ornantur, et « sequentiae » nuncupantur.

b. *Tropus* est *amplificatio poetica textuum aliorum liturgiae,* cuius auctor fertur *Tuotilo* Sangallenis († 915.). Dum prosa, resp. sequentia cantus novus est, ergo additamentum, tropus est amplificatio alicuius textus. Non solum cantus *invariabiles* (Kyrie, Gloria, Sanctus, Agnus Dei), sed etiam *variabiles* (introitus, graduale, offertorium, communio), imo interdum etiam *epistola* per tropos longiores effecti sunt. Audiatur e.gr. Sanctus tropis amplificatus in honorem B.Mariae Virginis: « *Sanctus* — est Pater et patria prole Maria, *Sanctus*: de Patris usia genitus, genitrice Maria, *Sanctus*: Spiritus ac socia deitate repleta Maria, *Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt coeli et terra, gloria tua, Hosanna in excelsis,* omnibus eximia meritum parente Maria! » Incredibile est, quam longi et prolixi Missarum textus effecti sunt per hos tropos quorum immensus est numerus (cf. Cl. Blume - H. Bannister, Tropen des Missale im Mittelalter, I.II., Leipzig 1905-1906.).

3°. Spiritualitas Germanica amavit *symbola representativa* (darstellende Symbole, ábrázoló jelkép), qualis e.gr. fuit baculus, symbolum potestatis. Facile intelligitur ergo usus baculi etiam liturgicus per hanc spiritualitatem invectus ut baculi pastoralis, baculi in eiectione poenitentium etc. Talis ritus symbolicus est manuum coniunctio in Missa in orationibus indolis privatae, manuum extensio « in modum crucis » post consecrationem, lectio evangelii versus septentrionem, multiplicatio signorum crucis super oblata — vigenti quinque — in Missa.

4°. Omnes hae mutationes aevo Franco-Romano et Romanistico introductae in Missa *per totum medium aevum remanebant.* Missa Gregoriani « fusionati » evasit *typus fundamentalis* evolutionis Missae in toto orbe christiano

mediaevali, assumens etiam elementa e spiritualitate Romanistica. Imperium Germanicum hunc typum evolvit ulterius, ab hoc imperio mutuavit liturgiam Bohemia, Moravia, dein regna Scandinavica, dum Hungaria saec. XI-o liturgiam e partibus occidentalibus versus aquilonem sitis Regni Francorum recepit, ubi ineunte saec. XI-o novus Ordo Missae exortus est. Jungmann qui hunc ordinem detexit, eum prius « Ordinem Missae Sagiensem » vocavit (« Séezgruppe », in Missarum Sollemnia 1. et 2.ed.), postea autem (3.ed.1952) eum « Rhenanum » (« Rheinischer Messordo ») nuncupavit. Hic ordo transsumptus est ab Hungaria, ubi eum clare videmus in Codice Prayano (Sacramentarium Boldvense scriptum inter 1192-1195) et ulterius evolutus est usque ad finem medii aevi (cf. *P. Radó in*: Eph. Lit. 1959, 299-309).

Sed tota liturgia Missae inde a saec.XII-o novos influxus subiit et quidem nunc e parte spiritualitatis Gothicae.

c) **Variationes ritus Missae aevo Gothico.**

Aevo praegothico saeculi XII-i novus stilus, nova spiritualitas incepit vigere, quae etiam in liturgiam influxum habuit (cf. L.A.Mayer, Die Liturgie im Zeitalter der Gothik, *in*: JfLw 1926, 68-97.). Permultae variationes ritus Missae reduci possunt in quattuor classes. (Uberius: Jungmann I, 137-168).

1°. Spiritualitatem Gothicam quam maxime notat « *individualismus constructivus* », quo tum magnae cathedrales construebantur, tum Summae theologicae. Quod liturgiam attinet Missae, reportat finalem victoriam *Missale plenum* seu mixtum, i.e. « Summa » omnium agendarum et dicendorum Missae, ubi unicus liber comprehendit, quod antea pluribus libris (Sacramentario, Graduali, Kyriali, Lectionario etc.), continebatur. Individualisticus nisus peperit multas orationes *sacerdotales privatas*, initio Missae, ad offertorium et ad communionem, quae utique partim iam aevo praecedente existebant, sed nunc in ordinem redactae sunt. Ordo aliquis harum orationum 1241. per ministrum generalem Fratrum Minorum, *Haymonem de Faversham* concinnatus et ab Innocentio IV. approbatus est, qui deinde in multos alios missales libros receptus et a Missali Tridentino usque ad hodierna tempora conservatus est: eaedem sunt enim orationes octo ad *offertorium* et decem orationes ad *communionem* saec. XIII-o in Missali « secundum ordinem Romanae Curiae », ac in Missali Tridentino S.Pii V.

2°. Secunda nota qua spiritualitas Gothica insignitur, est: *realismus*, qui omnia curiose videre vult, ostendere, figurative (bildhaft, képszerüen) cernere et exprimere. Christus, uti aetate Gothica dictum est, habuit 5456 vulnera, et effudit in sua sanctissima passione 28.430 guttas sanguinis; omnia instrumenta passionis, omnes reliquiae e vita Domini, B.Mariae Virginis et Sanctorum remanserunt, usque ad lac B.Mariae et similia. Realismus hic « *visualis* » peperit mutationem talem, quae in medio Canonis tam significativa evasit: *elevationem* nempe prius Hostiae, deinde etiam calicis. Radix dogmatica huius ritus fuit utique lis de momento transsubstantiationis, sed radix psychologica fuit desiderium videndi Hostiam in hoc momento admirabili. Realismus Gothicus omnia per *actiones symbolicas* voluit exprimere et figurare. *Octo habentur ritus*, qui usque in nostros dies supervenerunt, et characteristicae beneque cognitae notae rituales Missae evaserunt. Hi octo ritus sunt:

a. Transgressus sacerdotis ad alteram partem (« *partem evangelii* ») altaris, ut versus septentrionem possit legere Evangelium, quod diaconus iam inde a saec.IX-o fecit, nunc autem etiam sacerdos facit. **b.** *Patena* post oblationem Hostiae *occultatur* sub corporali, ut secundum intentionem ab initio habitam sic Christi absconsio ante passionem eius figuraretur. **c.** *Inclinatio capitis* post Memento defunctorum etiam symbolicam habet significationem, ut figuraret mortem Christi, quando inclinato capite emisit spiritum. **d.** Quinque vulnera Christi figurant *quinque cruces* in fine Canonis ad doxologiam « Per ipsum ». **e.** *Immixtionem particulae* Hostiae in calicem anticipaverunt, ut salutatio statim sequi possit: « Pax Domini sit semper vobiscum », quae Christi resurgentis vox fuit; immixtio vero resurrectionem significat iuxta conceptionem illius temporis. **f.** Christum ascendentem elevatisque manibus benedicentem vult imitari *elevatio manuum ad benedictionem* in fine Missae. **g.** *Colores liturgici* quoque hoc aevo stabiliti nil aliud volunt, quam figurare, repraesentare mysterium festorum, quod minutiose declaratur, e.gr. color albus in festo Ascensionis significat nubem albam sub pedibus Christi ascendentis. **h.** Repraesentatio figurativa ultima demum *in casula* facta est: furca (Gabelkreuz, villás kereszt) in parte posteriore casulae transmutata est in crucem cum imagine Crucifixi, et propterea tela (Stoff, szövet) casulae evasit semper rigidior, formaque eius alterata est.

3°. *Hyperveneratio* Gothicae aetatis, quae e.gr. in legibus « urbanitatis » (Höflichkeit, udvariasság) in « curia » principum manifestatur, etiam in liturgia Missae sua vestigia reliquit. Sicut vocabulum « hyperduliae » non vult reprehensionem exprimere, ita nec « hypervenerationis »: factum enim historicum est, quod hac aetate Gothica maior veneratio erga Eucharistiam exorta est, quae externa quoque signa sibi quaesivit. **a.** Sic tunc temporis incipiebant post consecrationem sacerdotes *pollicem et indicem* manuum *constringere* et tunc tantum disiungere, si Eucharistiam tangant; eo tempore ortum duxit consuetudo, quae lex rubricalis evasit, quod celebrans antequam terga verteret *altari, id deosculatur,* quasi veniam petens ab eo, dein quod Sanctissimum tangens antea et postea genua flectit. *Genuflexio, thronus Eucharistiae* cum baldachino, candelae ante Eucharistiam portatae, *lampas iugiter ardens* e caeremoniali curiali hac aetate transsumptae sunt. **b.** Hypervenerationis tamen signum dolendum fuit quod *frequentia communionis* hac aetate semper magis decrevit. *Petrus Blosius* Carthusiensis versus 1200 communem sententiam expressit dicendo, communionem frequentem contemptum gignere, sumptionem rariorem autem venerationem. Revera, dum Synodi saeculi IX-i adhuc tres communiones per annum postulabant, Lateranense IV. (1215) unicam communionem ut minimum praescripsit. Laici etiam sancti raro communicabant (S.Ludovicus IX. Galliae sexies; S.Elisabeth Lusitaniae regina ter in anno). **c.** Huius hypervenerationis fructus est etiam sumptio Eucharistiae *sub una specie* tantum, qui mos saeculo XII-o incipiebat et decursu saeculi XIII-i late diffusus est (cf.III q.80 a.12.).

4°. Spiritualitatis Gothicae nota characteristica est *nisus cumulationis* (Kumulationsdrang, halmozásra való hajlam): ritus, imagines, repraesentationes, orationes cumulat. Prex Rosarii oratio typica est pro hac aetate. **a.** Cumulationem in ritibus Missae eatenus deprehendere possumus, quod *festa Sanctorum* nimie multiplicata sunt et Missas de tempore iam fere superfluas red-

diderunt. Saeculo ultimo Gothico, saeculo nempe XV-o, inveniuntur Missalia, ubi iam Dominicae post Pentecosten prorsus desunt. **b.** Cumulationis nisus peperit etiam *Missas bi, - tri - et quadrifaciatas,* quando unico canone duarum vel plurium Missarum textus ante et post Canonem legebantur, ac si toto Missas celebrassent. **c.** *Numerus Missarum* et consequenter sacerdotum in nimium crevit, confraternitates opificum (Innungen, céhek), piae associationes, conventus religiosi, familiae et homines privati habere voluerunt proprias Missas et proprios sacerdotes. **d.** Cumulationis alius effectus fuit mos Gothica *seriatim Missas celebrare,* (Messreihen, misesorozatok), series Missarum 12, vel 13, vel 30, imo etiam 45 Missarum. Hae series continue et sine interruptione legebantur et nullo respectu habito ad annum liturgicum. **e.** *Sequentiae et tropi* quoque nimis multiplicatae sunt, exeunte aetate Gothica aderant Missalia in quibus fere centum erat sequentiarum numerus per annum.

Haec phaenomena aetatis Gothicae exeuntis iam nil afferebant, quod ditasset evolutionem Missae, sed latam viam sternebant abusibus, qui tam characteristici sunt recentiori aetati.

4. Historia Missae recentiore aetate.

Quando nova aetas — ut videbatur tunc temporis — aetas aurea per renascentes litteras orbi illucesceret et relate ad aetatem « antiquam » classicam, tota aetas interiacens « media aetas » vocari, non sine despectu, coepta est, multa instituta ecclesiastica videbantur obsoleta esse. Quod Missam attinet, fateri debemus, vestimentum eius externum, quod corpus essentiae eius circumdedit, iam aliquo modo vetustate consumptum erat. Ritus simplex et magnificus aetatis antiquae ditior evasit, Romae magnificis ritibus circumdatus est, dein vestimenta induebat spiritualitatis Celticae, Germanicae, Gothicae, unum post alterum, retinens priora. Sicque factum est, ut medio aevo in finem vergente Missae habitus exterior iam summopere versicolor erat. Novatores praesertim propterea institutum divinum Missae telis suis odio ignitis invehebant, volentes propter abusus non solum exteriora Missae mutare, sed ipsam Missam abrogare, qua « actionem histrionicam » et idololatriam, sicque aegrotum non sanabant, sed occidebant.

Brevi conspectu considerare oportet abusus Missae ineunte recentiore aetate (a), dein reformationem Tridentinam Missae (b), demum aetatem posttridentinam (c).

a) Abusus circa Missam ante Tridentinum.

Permulti fuerunt iam abusus ultimo saeculo antequam Missale Romanum e decreto Concilii Tridentini reformatum prodiit (1570.). Utique non possunt adeo exaggerari sicut multi coaetanei hoc fecerunt, erat enim evolutio divergens, centrifugalis et aliquid iam fieri debebat, ut optimi viri catholici quoque, verae reformationi studentes, contendebant.

1°. Primum notari debet, quod *festa iam nimie multiplicabantur,* nam Episcopi et Superiores maiores religionum ius habebant nova festa introducendi. Fuerunt festa, quae in se bona possunt existimari, ut e.gr. Festum Inventionis pueri Iesu, S.Lanceae, Clavorum, Spineae Coronae, SS.Nominis Jesu et similia, sed exortae sunt etiam Missae, quae iam coaetaneis quibusdam non placuerunt, ut Missa XXIV Seniorum.

2°. Abusus stricte dictus erat *mutatio arbitraria rituum,* qua veteres ritus a privatis sacerdotibus aboliti sunt, et alii novi proprio marte introducti. *Ferdinandus* Imperator in sua visitatione Austriaca anno 1561 facta reprehendit sacerdotes permultos, qui nomina Sanctorum eliminabant e Canone; immo non defuerunt, qui Missam legebant omittendo Canonem, proin et consecrationem. Anno 1555. in *Polonia* Missale typis mandatum fuit lingua Polonica, ut Cardinalis *Hosius* conqueritur.

3°. *Annus liturgicus* prope omnino evanuit, non solum propter festa nimia Sanctorum, sed etiam ideo, quia mos Missas dicendi de requiem et votivas adeo invaluit, quod neque summa festa excepta fuerunt. Synodus Florentina (1517) poenis voluit infligere sacerdotes, qui diebus dominicis et festis Missas de requiem legebant, sed adhuc 1652 Episcopus Bracarensis e Lusitania, Hosius e Polonia de tali abusu conqueruntur.

4°. Negari non potest, quod hoc saeculo *Missae votivae* alicubi iam *in superstitionem versae sunt.* Supra modum iustum aestimabantur *series Missarum,* nam nunquam series in se spectata vel qualitas Missarum operatur effectum, sed solummodo Ecclesiae voluntas concedendi talem indulgentiam, de qua rarissime constabat (quae habetur in casu Tricenarii Gregoriani). « *Missae candelarum* », quando nempe ad Missas candelae accendendae vel offerendae erant, tum ad superstitionem ducebant, tum nimie gravabant oblatores.

5°. Etsi immodicus fuisset *sequentiarum* numerus, uti iam diximus, aetas litterarum renascentium nimia adversitate ducta eas abominata est, poesim rhythmicam barbaricam reputans. Medio aevo ad finem vergente etiam *praefationes* multiplicari coeperunt, e.gr. in honorem S.Augustini, Rochi, Hieronymi, Sophiae etc.

6°. Ipse *cantus quoque mutatus* est. Inde a saeculo XIV-o incipiens a Gallia cantus polyphonicus late propagatus, per Curiam papalem vero etiam in Italiam ab Avenione transplantatus est. Post inventionem organi et aliorum instrumentorum musicorum cantus musicaque semper magis relinquebant liturgiam independentesque fiebant. Populus ergo fidelis, qui iam fere nullo modo activas partes in Missa habuit, indisciplinate, immo saepe etiam scandalose se gerebat inter sacra mysteria. Ut 1546-1547 in Concilio Tridentino quidam conquerebatur, in ecclesia tempore sacrificii fideles deambulabant, collocuti sunt et similia.

b) **Reformatio Missae Tridentina.**

Quid faciendum esset circa Missam, erat quaestio agitatissima saeculo XVI-o. *Tres viae* potuerunt ingredi, sicut in omni quaestione, quando aliquid obsoletum videtur.

1°. *Prima* via erat *radicalismi absoluti,* quam ingressi sunt statim *Novatores.* Talem viam etiam Ecclesia ingressa est aliquoties, e.gr. ordines aliquos religiosos supprimens, sed quod Missam attinet, haec via impossibilis erat, nam Missae institutio divina est. Quia Reformatores hanc viam eligentes, asserabant Missam esse inventum prorsus humanum, theologi catholici hoc saeculo et subsequenti tanto maiore alacritate defendebant veritatem sacrificalem Missae, multisque theoriis dilucidavere rationem sacrificii formalem.

2°. Altera via, etiam pro catholicis possibilis, erat *radicalismi mitigati,* qui intacta relicta essentia divinitus determinata Missae, tamen multa alia supprimere voluit et mutare. In decursu quoque Concilii non defuerunt qui hanc viam ingressi sunt, sic 1542. Witzel propugnavit, tunc tantum diebus *per hebdomadam celebrandum* esse, si adsint communicaturi, quod eo tempore fere aequivalens erat abolitioni Missae, exceptis diebus dominicis et festis de praecepto. Alius effectus talis radicalismi erat sicdictus « *evangelismus* », tenore cuius in Missa tantum textus e Sacra Scriptura deprompti adhiberi possunt. Hanc opinionem propugnavit 1546-1547 Seripando, generalis Augustinianorum, posterius Cardinalis. Talis radicalismus peperit proposita anno 1562 per peritos Concilio facta: e consideratione « dogmatica » expugnenda sunt verba Canonis « Immaculata hostia », « calix salutaris » ante consecrationem, dein signa Crucis post consecrationem, dein tota oratio commixtionis, nam haec oratio apparenter affirmare videtur corpus Christi immolatum carere unitate; item reprehendebant textum offertorii antiquitate venerandum Missae pro defunctis, quia perperam intellectus videtur docere animas post mortem adhuc liberari posse ab inferno. Haec proposita a Concilio non sunt acceptata, nam patres secuti sunt principium rectum: Ecclesiam non posse errare per plus quam mille annos, textus ergo nec expungendi, nec mutandi sunt, sed recte intelligendi.

3°. Tertia via erat *repristinationis,* i.e. restituendi Missam in statum pristinae puritatis. Commissionis peritorum memorata elucubratio anni 1562. praeter proposita radicalia multa bona protulit, inter quae maximi momenti evasit propositum Missalis universalis per totum orbem obligantis. Ipsum Concilium tamen plus quam propositum non potuit facere, et totam rem reformationis commisit Sanctae Sedi, quando Concilium anno 1563. terminatum est.

4°. Dum Concilium per 18 annos tantum proposita fecit, *Sancta Sedes* post quinque annos a terminato Concilio edidit novum Breviarium Romanum, (1568), post septem annos autem *Missale Romanum* (1570). Eruditi delecti viri, numero octo, fuerunt, qui hoc opus susceperunt, inter eos vir linguae Latinae optime peritus Pogiani, custos Vaticanae Bibliothecae Sirleto et theatini Card. Scotti, et Ant. Carafa. Hi viri « diligenter collatis omnibus cum vetustis... emendatis atque incorruptis codicibus » Missale ad « pristinam sanctorum Patrum normam ac ritum restituerunt », ut Constitutio Apostolica Missale Romanum inducens 1570. dicit.

5°. Magnum opus peregit Sancta Sedes hac Missalis editione. Primum et maximum emolumentum fuit, quod *ritus universalis* creatus est quia Missale hoc omnes debebant suscipere, qui non habebant ritum super ducentos annos antiquiorem, dein praeceptum fuit, ne quis Missale hoc immutare praesumat. Per rubricas a Burchardo anno 1502. editas *ritus uniformis celebrandi* creatus est, Missale novum coordinatum est Breviario anno 1568 edito; *Missae votivae* in numerum pauciorem redactae, *sequentiae* ad quatuor, etiam *praefationes* ad undecim. *Festa* quoque valde restricta sunt, in totum — non computatis festis Domini occurrentibus in proprio de tempore — remanserunt 130 Sanctorum festa vel octavae eorum.

c) **Missa aetate post Tridentinum.**

1°. Quatuor saecula post concilium decurrentia uniformitatem necessariam produxerunt quidem, ad ritum servandum et tuendum a. 1588 S. *Congregatio*

Rituum fundata est, sed negari non potest, quod aliqua *rigiditas quoad Missam invaluit,* quae per 1500 annos evoluta est, inde a S.Pio V-o autem immobilis permansit per quatuor saecula. Unum solum factum est, quod tamen non omnimode bonum fuit: festa Sanctorum, a Concilio suppressa multiplicata sunt, et proprium de tempore, praesertim Missae feriales Quadragesimae repressae. Post Pium V-um *novam reformationem S. Pius X. suscepit,* anno 1911. edendo Bullam « *Divino afflatu* ». Festa Sanctorum quae tempore Tridentini 130 fuerunt, ut diximus, anno 1911 in numerum 266 creverunt. « Unde fere factum est, — ut S.Pius X. in Bulla memorata dicit, — ut de Dominicis diebus deque feriis officia silerent ». Per dispositiones huius Bullae, inprimis per novas rubricas effectum est, « ut in sacra liturgia Missae antiquissimae de Dominicis infra annum et feriis, praesertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent » (Div. afflatu, cf. de his uberius: De Eccl.orante B.3.d.). Missale secundum haec principia reformatum in lucem prodire potuit tantum anno 1920. *auctoritate Benedicti XV.* promulgatum, in quo Missali post quatuor saecula undecim praefationes duabus auctae sunt (S.Joseph et defunctorum); eodem decennio adhuc duae praefationes recentes accesserunt (Christi Regis et SS.Cordis Jesu). Adhuc a multis desiderantur praefationes propriae saltem Adventus et Dominicarum. Sed S. Pius X. omnia nondum absolvit, quod circa Missae reformationem voluit facere, ipse enim edixit in Bulla Divino afflatu: « ...per ea, quae hic a Nobis decreta sunt, *primum* nos fecisse *gradum* ad Romani Breviarii et Missalis emendationem ». Ulterior gradus usque ad pontificatum Pii XII. nondum factus est.

2°. *Secundus gressus* sub pontificatu *Pii XII.* factus est ad instaurationem liturgicam provehendam, qui encyclica sua *Mediator Dei* iure Magister liturgiae vocari posset. Hic novus gressus constat praecipue in instauratione venerandae vigiliae paschalis et in rubricis simplificandis. Decreto S. C. Rituum 9. febr. 1951. *Vigilia paschalis* facultative celebrari *potuit* horis nocturnis, ita ut Missa versus mediam noctem incipiat; quoad Missam novum fuit omissio Ps. Iudica et confessionis, item ultimi evangelii. Post experimenta facta quae felicissimum habuere successum, decreto generali S. C. Rituum « Maxime redemptionis nostrae mysteria » diei 16. nov. 1955. non solum vigilia paschalis obligatoria fiebat instaurata, sed integra *Hebdomada sancta* instaurata fuit. Decreto huic instructionem adiecerunt 25 numeros complectentem; inde ab anno 1956 vero in toto orbe terrarum Hebdomada sancta iuxta editionem typicam 1956 maximo pastorali successu celebratur. Addita sunt ad documentum fundamentale (OHS 1956) varia decreta et responsa CRit. praecipue « Ordinationes et declarationes » circa ordinem Hebd. sanctae 1. febr. 1956 (OD 1957). Peculiaritates sunt: *tempus celebrationis et s. communionis* distribuendae pomeridiano, resp. vespertino tempore (cf. infra F. 3. a. 2°.), s. communio *licita* Fer. VI. Passionis et Mortis, omissio Credo et ultimi evangelii Fer. V. et Sabb., instauratio *Missae chrismatis* in Caena Domini cum peculiari praefatione.

3°. Ad *secundum gressum* instaurationis liturgicae pertinet incoeptus liturgicus simplificationis rubricarum, quam Pius XII. complere vita functus non potuit. Die enim 23. mart. 1955. emanavit documentum summi momenti S. C. Rit. Decr. « *De rubricis ad simpliciorem formam redigendis* ». Instauratio examinanda fuit per « *Commissionem peculiarem* virorum peritorum quibus studia de generali liturgica instauratione demandata sunt », cuius commissionis per-

manentis existentia tunc prima vice memorata est. Statuta huius decreti vim obtinuerunt a 1. ian. 1956, instauratio — ut iam tunc a peritis dictum est — evidenter provisoria fuit, aliud malum vero erat quod leges liturgicae valde intricatae evaserunt. Respici enim debuere Rubricae generales Missali et Breviario praefixae iuxta redactionem ultimam a. 1900., dein Additiones et variationes S. Pii X. ex a. 1912. ad has rubricas, quibus concilianda erat decr. de simplificatione a. 1955. et permulta decreta et responsa S. C. Rituum. At hic status *tantum per quinque annos duravit*, ideoque nec a nobis iam referendus videtur, sed transeundum est ad coronationem huius instaurationis liturgicae.

4°. Enimvero 25. iul. 1960. emanavit Motuproprio « *Rubricarum instructum* » *S. P. Ioannis XXIII.*, quo censemus incoeptum esse *tertium gressum* instaurationis a Sancto Pio X. desideratae. Simul cum hoc documento editus enim est *Novus Codex Rubricarum* e 530 numeris constans, adiectis ulterioribus documentis; his vero vigere cessant Rubricae generales Missalis, Breviarii, Additiones et variationes, et Decr. de simplificatione a. 1955., item omnia decreta et responsa S. C. Rituum quae cum nova ac forma rubricarum non conveniunt; cetera decreta, ut patet, manent in suo robore. Iuxta hanc formam iam edi possunt Missale et Breviarium, codex rubricarum autem vigere incipit a die 1. ian. 1961., qui alium ritum latinum sequuntur ac Romanum, se conformare tenentur.

Praecipua sunt fere haec. **a.** *Numerus festorum* restrictus est, terminologia mutata: duplicia I. et II. cl. fiunt festa I. et II. cl., festa III. cl. vocantur autem ea quae hucusque nomina « dupl. maius, duplex et simplex » habuerunt. — **b.** Spiritu S. Pii X. *Temporale* i.e. textus liturgici Dominicarum et feriarum propriam Missam habentium, praevalet Sanctorali: *Dominicae* enim sunt quaedam I. cl. (Adventus, Quadrag. I. usque In Albis), quae nullo festo cedunt, omnes aliae sunt II. cl., quae solum festis Domini II. cl. cedunt, sicque iam raro evenit quod non officium dominicale celebretur. In *Quadragesima* autem iam ab a. 1961 non erunt officia et Missae « facultativae », feriae enim non cedunt festis III. cl., sicque solum festa Cathedrae S. Petri, S. Matthiae, Joseph et Annuntiatio celebrabuntur, cetera commemorantur. — **c.** *Octavae* abhinc loco 18 solum tres habentur, Paschae et Pent., dies infra octavam sunt dies I. cl., infra Nativitatem II. cl., Dom. infra octavam autem festis (e.gr. S. Stephani) praevalet. *Vigiliarum* quoque numerus valde imminutus est, nec anticipantur. — **d.** Quoad *Missam* speciales instaurationes sunt sequentes. *Commemorationes* reductae sunt, novamque legem acceperunt (NCR 106-113.434); *orationes* et collectae imperatae similiter (NCR 433-465); simplices redditae sunt regulae *sequentiarum* (470), dicendi *Credo* (475 s.), *praefationum* (482-499), *ultimi evangelii* (509 s.), ante s. communionem infra Missam semper omittitur *Confiteor* et absolutio (503). *Missae votivae* in 4 classes redactae novas perspicuas leges accepere (306-389), similiter *defunctorum* (390-423).

Gressus hic tertius complebitur iuxta « altiora principia, generalem liturgicam instaurationem respicientia, in proximo *Concilio Oecumenico* Patribus proponenda », ut *S. P. Ioannes XXIII.* edixit. Interim gaudere possumus rubricis in meliorem formam redactis, clariore ordine digestis in unicumque textum contractis.

Litteratura:

Adr. Fortescue, The Mass. A study of the Roman Liturgy, 2.ed. London 1923. — *P. Batiffol*, Leçons sur la Messe, 9.ed. Paris 1923. — *J. Coppens*, L'offrande des fidèles dans la liturgie eucharistique ancienne, *in*: Cours et confér. des semaines lit., Louvain 1927, 99-123, 1928, 185-196. — *J. Hanssens*, L'Agapè et l'Eucharistie, *in*: Eph. Lit. 1929, 177-198. — *A. Baumstark*, Missale Romanum. Seine Entwicklung; ihre wichtigsten Urkunden und Probleme, Nymwegen 1929. — *H. Leclercq*, Messe, *in*: DAL X,1 (1931.) 513-774. — *P. Parsch*, Messerklärung, 2.ed. Klosterneuburg 1935. — *V. L. Kennedy*, The Offertory Rite, *in*: Orate fratres (Collegeville, Minnesota) 1938, 193-198, 244-249, 295-298. — *A. Arnold*, Der Ursprung des christlichen Abendmahls im Lichte der neuesten liturgiegeschichtlichen Forschungen, 2.ed. Freiburg i.Br. 1939. — *H. Jedin*, Das Konzil von Trient und die Reform des römischen Messbuches, *in*: Litg. Leben 1939, 30-66. — *L. Eisenhofer*, Handbuch der Liturgie, 2,ed. 1941, 1-226. — *C. Callewaert*, De offerenda et oblatione in Missa, *in*: Period. de re mor. lit. can. 1944, 61-94. — *Pol. Radó*, Libri liturgici manuscripti bibliothecarum Hungariae, I. Libri liturgici mss ad Missam pertinentes, Budapest 1947. — *G. J. Booth*, The Offertory Rite in Ordo Romanus Primus, Washington, Cath. University 1948. — *J. Merk*, Die hl. Messe in ihrer Feier, Stuttgart 1948. — *M. Righetti*, L'Eucharistia sacrificio e sacramento, *in*: Storia liturgica III. Milano 1949. — *J. Brinktrine*, Die heilige Messe, 3.ed. Paderborn 1950. — *A. Clark*, The Offertory Rite in the Mass, *in*: Eph. Lit. 1950, 309-344. — *H. Frank*, Beobachtungen z. Gesch. d. Messkanons, *in*: AfLw 1950, 107-119. — *J. A. Jungmann*, Missarum sollemnia. Eine genetische Erklärung der römischen Messe, 3.ed. I.II. Wien 1952. (Versio gallica: Paris I-III, 1954; versio italica: Torino I-II, 1954). — *N. Maurice Denis* et *R. Boulet*, Eucharistie. La Messe dans ses variétés, son histoire, et ses origines, Paris 1953. — *B. Steuart*, The development of christian Worship. An Outline of liturgical History, London 1953, 3-186. — *J. Lechner*, Liturgik des römischen Ritus, 6.ed. Freiburg i.Br. 1953, 185-258. — *B. Opfermann*, Die Erforschung des römischen Messkanons, *in*: Theol. u. Glaube, 1954, 263-279. — *Idem*, Zur Frühgeschichte der Sequenz, *ibid.* 132-134.— *A. Stuiber*, Die Diptychon-Formel für die Nomina Offerentium im römischen Messkanon, *in*: Eph. Lit. 1954, 127-146. — *J. A. Jungmann*, Thèmes fondamentaux du Canon de la Messe, *in*: Quest. lit. paroiss. 1954, 123-132, 156-166. — *Idem*, Das eucharistische Gebet. Grundgedanken des Canon Missae, Würzburg 1954. — *T. Baumann*, La misa romana. Sintesis teológica e histórica de la liturgia eucaristica romana, Bilbao 1954. — *H. Schürmann*, Die Gestalt der urchristlichen Eucharistiefeier, *in*: München. Theol. Zeitschr. 1955, 107-131. — *Th. Schnitzler*, Textus consecrationis Missae eiusque fontes biblici, *in*: Eph. Lit. 1955, 349-351. — *B. Luykx*, De Oorsprong van het gewone der Mis, Utrecht 1955. — *Th. Maertens*, L'histoire de l'avant-messe au service de la pastorale, *in*: Paroisse et liturgie, 1957, 448-482. — *Idem*, L'histoire du canon au service de la pastorale, *ibid.* 1957, 279-305. — *Idem*, Hist. de l'offertoire au service de la pastorale, *ibid.* 1958, 114-136.

F) De legibus cultualibus Missae

Enodatis quaestionibus dogmaticis et historia sacrosancti sacrificii, agenda remanet summa quaestionum, quae obligationes iuris liturgici, i.e. cultualis et stricte liturgici pertractant, dein hae quaestiones perpendendae sunt etiam respectu theologiae moralis. Ideo dici potest tractandas esse obligationes iuridico-morales quoad Missam. Haec tractatio sequentibus absolvitur articulis:

1. De obligatione Missam celebrandi.
2. De Missae applicatione.
3. De circumstantiis Missam celebrandi.
4. De requisitis ad celebrationem Missae.
5. De defectibus in celebratione occurrentibus.
6. De obligatione Missae adstandi.

1. De obligatione Missam celebrandi

E sex fontibus derivatur obligatio Missam celebrandi: a) Ratione consecrationis, b) officii, c) oboedientiae, d) promissionis, e) beneficii, demum f) ratione stipendii.

a) **Celebratio ratione consecrationis.**

1°. Ratione consecrationis sacerdos certo tenetur saltem *aliquoties* in vita *iure divino* celebrare. — **a.** Quod sic probari potest: Omne ens debet sic esse et agere, ut finem sibi proprium consequi possit. *Atqui* finis proprius sacerdotis est, ut « offerat sacrificia pro peccatis », ergo finem proprium non consequeretur, si potestate consecrandi et offerendi sacrificium nunquam uteretur.

b. Argumentum hoc speculativum *confirmatur historia* Ecclesiae, sacerdotes revera *semper* celebrabant, etsi *frequentia* huius celebrationis non semper eadem erat decursu temporum. Aevo antiquo christianitatis, mos erat in Oriente tantum sabbatis et dominicis, itemque festis celebrare, in Occidente, in Africa, dein in Gallia fere quotidie. Utique tunc concelebrabant sacerdotes, hoc autem rei essentiam non alterat, nam de facto etiam concelebrans celebrat. Nec medio aevo fuit incognita quotidiana celebratio, nam e.gr. Synodus Papiensis et Compostellensis (annis 850. et 1056.), cotidianam exigebant celebrationem, etsi multi fuerint, qui rarissime sacrum litabant (Jungmann I, 303. s.).

c. Obiici solet exemplum *sancti Hieronymi*, qui nunquam celebrasse dicitur. At hoc nil probat contra nostrum argumentum, nam exemplum unius sancti non est peremptorium potuit enim bona fide existens exemplum non imitandum dare. Dein fortasse minus recte intelligitur, quod de hac re refertur, nam Hieronymus volens remanere monachus, cuius vitam professus est, noluit celebrare ut celebrans primarius vel solitarius, sed concelebrabat, ut moris erat aliis sacerdotibus.

Argumentum pro celebratione « aliquoties » confirmatur verbis Domini: « Hoc facite in neam commemorationem ».

2°. Ius divinum *per Ecclesiam determinatum* est pluries e.gr. Synodus Toletana (1324.), quater, Synodus Ravennatensis (1473.) saltem semel in anno praescribebant celebrationem, Sacra Congregatio Concilii 1669. decretum emisit: « Qui sine iusta causa *ter vel quater in anno* non celebravit, peccat mortaliter et potest ab episcopo puniri ». — Ius hodie vigens obligationem aliquoties celebrandi ratione consecrationis sic determinat: « Sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi pluries per annum » (can. 805.). Supervacaneum ergo est, quid significet « *pluries* », propius determinare velle, certum est eum, qui ter quaterve in anno celebraverit, secundum doctorum communem opinionem per se non peccare graviter (Vermeersch III, n. 263; Noldin III, n. 182.).

3°. At habetur *exhortatio Ecclesiae* data inde a Tridentino, quae a Codice quoque transsumpta est: « *Curet* autem episcopus, vel superior religiosus, ut iidem (sacerdotes) saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto divinis operentur » (can. 805.). Verbulum « *saltem* » indicat desiderium Ecclesiae, ut sacerdotes etiam plus faciant, sed celebratio *stricte cotidiana* nullo modo praecipitur, etsi nostris temporibus summopere iam fere ubique terrarum in usu sit. Sacerdos non peccat, « si ex rationabili motivo, e.gr. maioris praeparationis, humilitatis, veri incommodi aliquoties a celebratione abstineat » (Noldin l. c.). S. Ignatius de Loyola — utique ante Tridentinum — per unum annum abstinuit a celebrando post suam ordinationem. Commendandum, si omissio celebrationis aliquoties ex humilitate fiat, ut fecit e.gr. S. Pius V. semel in

hebdomada non celebrando, hoc semper cum operibus poenitentiae et misericordiae coniungere.

b) **Celebratio ratione officii.**

« Officium » intelligitur *tale, cui cura pastoralis adnexa est.* Quia officium pastorum iure divino fundatum est, ideo etiam *iure divino* tenetur pastor aliquoties offerre pro suis subditis: « Omnis pontifex ex hominibus assumptus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » (Heb 5,1.). Qui censeantur nomine pastorum, quoties et quomodo debeant hoc praeceptum divinum exsequi, propius determinat Ecclesia. Ergo:

1°. *Nomine pastorum* veniunt:

a. (1) Episcopi post captam sedis possessionem (can. 339.), non autem episcopi titulares, administratores apostolici « ad tempus » (can. 315. § 1, 1).

(2) Abbates vel praelati nullius, qui easdem obligationes habent ac episcopus residentialis in propria dioecesi (can. 323.).

(3) Vicarii capitulares ad normam can. 339. ut episcopus (can. 440.).

(4) Parochi ad eandem normam debent applicare (can. 466.).

(5) Vicarius parochialis paroeciae, quae pleno iure fuerit unita domui religiosae, ecclesiae capitulari vel alii personae morali, nam easdem habet obligationem ac parochus (can. 471.), item:

(6) Vicarius oeconomus, qui vacante paroecia constituitur, eodem officio applicandi adstringitur (can. 473.).

b. Vicarii vel praefecti apostolici (can. 306.) et quasiparochi.

c. *Non tenentur* ergo episcopi titulares, praelati regulares, rectores ecclesiae, vicarii substituti et cooperatores (capellani).

2°. *Quibus diebus* tenetur applicare pro populo, determinatur *dupliciter*:

a. Episcopi, abbates vel praelati nullius, vicarii capitulares et parochi, item qui parochi, item qui parochorum nomine veniunt, tenentur: « *omnibus diebus dominicis et festis de praecepto etiam suppressis* » (cfr. supra citatos). Festa de praecepto *etiam suppressa* habenda sunt secundum determinationem Sacrae Congregationis Concilii die 28. dec. 1919. (AAS. 1920., 42-43. « Index festorum in universa Ecclesia suppressorum » ex hoc elencho et can. 1247.: « dies festi sub praecepto ». Nos concinnavimus Tabellam horum festorum omnium, tum vigentium, tum suppressorum, cf. De Eucharistia E.4.d.V.2°.

b. Vicarii et praefecti apostolici, item quasi-parochi, i.e. peculiares rectores quasi-paroeciarum, quae sunt partes vicariatus apostolici, ac praefecturae apostolicae (can. 216. § 3.), applicationem pro populo habent *leviorem et magis restrictam*, tenentur nempe applicare solum undecim diebus: « In sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis, et Assumptionis B.M.V., S. Joseph, SS. Ap. Petri et Pauli et Omnium Sanctorum » (can. 306. pro vicariis et praefectis; can. 466. pro quasi-parochis).

c. In festo *Nativitatis Domini* et si quod festum de praecepto (etiam suppressum, ut patet), incidat in Dominicam, satis est, ut Missam unam pro po-

pulo applicent. (can. 339., § 2., cf. etiam § 3. de translatione). — Item si *plura* habeat quis territoria (dioecesim, paroeciam), unam Missam applicat pro populis sibi commissis (can. 466., § 2).

3°. *Quomodo debet* pro populo applicare pastor ad hoc obligatus, determinatur a iure canonico. Haec obligatio enim est:

a. *Obligatio realis*, i.e. qui tenetur ad applicationem pro populo, *si* ab eius celebratione *legitime impediatur*, statis diebus applicet *per alium*, si neque id praestare possit, quamprimum vel per se ipse, vel per alium applicet alia die (can. 339. § 4.).

b. *Obligatio personalis*, i.e. pastor *per se ipse* applicare debet, « (can. cit. et CRit. d. 3128.), nisi legitime impediatur. Legitimum impedimentum (1) non est consuetudo contraria, nec Missa exequialis, vel pro sponsis, vel Missa fundata, sed tantum: (2) pro canonico, qui parochus est Missa *conventualis*, vel (3) legitima *absentia* pro parocho, qui « potest Missam pro populo applicare, vel ipse per se, in loco in quo degit, vel per sacerdotem, qui eius vices gerat in paroecia » (can. 466. § 5.).

c. *Obligatio localis*, « *parochus* Missam pro populo applicandam celebret in ecclesia paroeciali, nisi rerum adiuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant » (can. 466. § 4.). Talis suasio habetur e.gr. si festum peculiare celebretur in ecclesia filiali. *Episcopi* in tota dioecesi applicare possunt, cuius sunt pastores.

d. *Obligatio temporalis*, « *ad urgendam obligationem* », ergo si die praescripto non celebrasset, debet supplere. « Ordinarius loci iusta de causa permittere potest, ut parochus Missam pro populo alia die applicet ab ea, qua iure adstringitur » (can. 466. § 3.). Talis causa iusta esset ad dispensationem petendam: Missa exequialis, pro sponsis, aut urgens causa publica.

e. *Non requiritur* quoad modum applicationis pro populo: ut Missa sit cantata, vel summa, potest esse lecta a parocho celebrata. — *Dein*: permultae dioeceses acceperunt privilegium partem Missarum pro populo applicandi *ad intentionem Ordinarii*. Tali in casu, etsi etiam hae Missae ex iustitia dicendae sint, quia revera non applicantur pro populo, possunt etiam *altero die, et alio in loco celebrari* (S. Congr. Concilii, 3. sept. 1914.).

c) **Celebratio ratione oboedientiae.**

Superior, i.e. episcopus, vel superior religiosus potest praecipere celebrationem. In hoc praecepto distinguendum est:

1°. Potest esse praeceptum *merae celebrationis*, tale habetur in casu celebrationis diebus Dominicis et festis de praecepto.

2°. Potest esse praeceptum *etiam applicationis*, et quidem *ex iustitia*, quando applicatio Missarum praecipitur. Sic superiores religiosi stipendia Missarum distribuunt subditis, qui Missas persolvere ex iustitia debent, eleemosyna autem religioni obvenit, — *Missa conventualis* etiam tali titulo duplici applicanda est, et quidem « pro benefactoribus in genere » (can. 417. § 1.). Sed « servari potest consuetudo praebendi stipem celebranti vel ex cumulo

distributionum, vel ex reditibus omnium praebendarum per contributum » (§ 3.).

3°. Potest demum esse praeceptum hoc *applicationis ex oboedientia tantum*, quando e.gr. per statuta dioecesana, vel ordinum religiosorum praecipiuntur aliquae Missae (in honorem B.M.V., vel pro defuncto confratre etc.). Tale praeceptum non censetur esse grave, nisi certo constet, quod superior sub gravi praecipere intendit. *Notandum* quod in tali casu, quando nempe agitur de Missae applicatione *ex mera* oboedientia, sacerdos potest pro lubitu applicare alios effectus seu fructus non praeceptos. Supponatur e.gr. casus praecepti applicandi pro defuncto confratre: sacerdos eiusdem Missae fructum impetratorium applicare potest pro aliquo infirmo. Solus enim fructus seu effectus propitiatorius applicari praecipitur pro defuncto, impetratorius liber remanet. Hoc tamen solummodo fieri potest, quando *non* habetur obligatio *ex iustitia*, si ergo stipem (stipendium) acceperit, hoc non potest facere. Qui autem stipem seu eleemosynam Missae largitus est, *moneri potest*, quod suam intentionem applicandi dirigat etiam quad alium fructum, puta, quod fructum propitiatorium applicet pro defuncta matre, impetratorium pro suis filiis adhuc vivis.

4°. Quando confessarius *in poenitentiam* iniungit sacerdoti celebrationem Missae, e.gr. Christi summi sacerdotis, hoc potest facere tantum quoad celebrationem. Si autem nihil expresse dixerit hac de re, praesumendus est etiam Missae applicationem exigere (Sic Merkelbach III. n. 383.).

d) **Celebratio ratione promissionis.**

Si aliquis sine stipe oblato petat applicationem Missae et sacerdos veram dedit promissionem, tunc *sub levi* tenetur ad applicationem, nisi se expresse vellet sub gravi obligare. Haec obligatio oritur enim e virtute *fidelitatis*, quae ordinarie levis est. Hoc in casu autem secure potest tantum fructum *petitum* applicare: personae «A» largiri fructum propitiatorium pro aliquo defuncto, personae «B» fructum donare impetratorium, e.gr. pro recuperanda sanitate, personae «C» applicare fructum eucharisticum, e.gr. pro beneficio accepto in gratiarum actionem et sic unico Sacro satisfecit triplici obligationi e promissione ortae (Noldin III, n. 199.).

e) **Celebratio ratione beneficii.**

Hoc loco agitur de beneficiis « non curatis » (can. 1411. 5.), quae curam animarum non habent adnexam, sed tantum celebrationem Missarum sive quotidie, sive aliquoties. Vocantur etiam « *perpetua onera Missarum* », nam coniuncta sunt cum beneficio et beneficiatus debet satisfacere huic obligationi. Haec obligatio est:

1°. *Obligatio iustitiae* et quidem ex iustitia commutativa, do ut des. Haec obligatio se extendit etiam ad adiuncta, ergo est:

2°. *Obligatio servandi adiuncta* seu circumstantias a fundatore praescriptas. Haec adiuncta possunt esse: *species* Missae (in honorem B.M.V., vel pro defunctis), *locus* (talis ecclesia, tale altare), *tempus* (Missa matutina, « Frühmesse »), vel *frequentia* (quotidie, vel per hebdomadam 2-3 Missae etc.). Be-

neficiatus peccaret omittendo sine iusta causa tale adiunctum; et praesertim si hoc saepius fieret (quam semel vel bis in mense e.gr. in quotidianae celebrationis obligatione), etiam graviter.

3°. *Obligatio est realis*, si fundatio beneficii facta est ad bonum certarum personarum (monasterii monialium, pagi alicuius filialis), ut determinatis temporibus (diebus Dominicis, festis, vel quotidie) Missae adstandi occasionem habeant. Hoc in casu beneficiatus curare debet, ut Missa adamussim sic instituatur, ut fundator intendit, *non* debet autem *per se* satisfacere huic obligationi. Omittere autem hoc in casu nullam potest Missam, sed *omnes* debent celebrari, etiam si ipse impeditus esset: obligatio enim *realis* est. Hucusque agebatur tantum de celebratione, *applicatio* potest esse *libera*, i.e. non ad intentionem fundatoris, *si* hoc certo et expresse constat. (voluit tantum, ut certa aliqua pars fidelium Missam habeat). Si fundator nihil de hac re statuerit, *debet praesumi* eius intentio applicandi omnes Missas, *nisi* tantum aliquam partem Missarum sibi reservaverit (e.gr. prima die uniuscuiusque hebdomadis), tunc etenim applicationem aliarum Missarum libere relinquere censetur (Noldin n. 197,3.).

4°. *Obligatio potest esse personalis*, si nempe expressis verbis *beneficiatus* est designatus ad celebrandum et ad applicandum. Hoc in casu per seipse debet celebrare; *si* tamen *quotidie* haberet obligationem celebrandi, auctores statuunt aliquas *exceptiones*. Nam, non debet per alium satisfacere obligationi celebrationis, si **a.** *infirmus* sit, sed non ultra quindecim dies (S. Congr. Conc. 4. iun. 1689. et 17. nov. 1695.), — dein **b.** si *ex religione* aliquoties, semel dicamus, in mense, celebrationem omiserit, — demum **c.** si impeditus sit propter rationabile *impedimentum*, ut puta, propter exercitia peragenda vel iter faciendum. *Nullo* autem in casu potest *stipendium* ab altero percipere e.gr. si in itinere sit constitutus, nam ipse stipendium iam percepit e beneficio pro omni die, immo nec pro se, vel pro suis potest diebus vacationis Missam applicare (S. Cong. Conc. 18. sept. 1683.).

f) Celebratio ratione stipendii.

Fusius ideo tractanda est haec quaestio, quia propter legum multitudinem, quae saepe sub gravi obligant, eas penitius cognoscere oportet.

1°. Notio stipendii.

Stipendium, seu stipes, stips, i.e. sustentatio, vel eleemosyna definitur: *Eleemosyna occasione Missae data a persona percipiente fructum ministerialem sacrificii ad sustentationem celebrantis ratione oblationis Deo factae.*

a. Est ergo: *eleemosyna*, non pretium *Missae*, qua venditur et emitur, nec est pretium *laboris* sacerdotis, qui *intrinsecus* est celebrationi et ab ea inseparabilis. Hanc enim Missam nempe et laborem intrinsecum Missae vendere et emere esset negotiatio cum re sacra et proinde simonia: (1) *Labor extrinsecus* Missae est, qui ratione alicuius circumstantiae externae fit, puta, si quis propter Missam celebrandam iter maius suscipere deberet, hora tardior consueta, expensae Missae extraordinariae, Missa cum cantu et talia: hic labor extrinsecus honorari potest. — (2) Etsi stipendium eleemosyna sit, tamen per acceptationem eius oritur *verus contractus* inter celebrantem et conferentem.

Contractus est innominatus: *do* (in tuam sustentationem eleemosynam), *ut facias* (ad meam intentionem applicationem fructus ministerialis). Sic intelligitur quod Missae celebratio *occasio* est eleemosynae, i.e. stipendii.

b. *Persona percipiens* ad hunc fructum ministerialem Missae ergo ex iustitia commutativa habet ius. Per se in permultis casibus stipendii quantitas esset materia levis, tamen e voluntate Ecclesiae saepe manifestato omissio applicationis *semper* est *peccatum grave* (cf. decisione: S. Congr. Conc. 21. iun. 1625., 5. jul. 1664., Encycl. Benedicti XIV. « Quanta cura » 30. iun. 1741.). Qui non applicat ergo, tenetur *ad restitutionem* stipendii sub gravi, ut patet, *tunc tantum*, si stipendium summam relative gravem constituat, quod semper contingit, si de pluribus agatur stipendiis, e.gr. 20, quia harum summa iam relative gravem materiam constituit.

c. *Ad sustentationem celebrantis*: hoc est stipendii titulus, cur dari possit. Sed sustentatio non intelligitur totius diei, nam sacerdos etiam aliis laboribus occupatur, quibus sustentationem suam, i.e. victum, vestitum, habitationem, libros etc. procurare potest secundum verbum apostoli: « Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere » (1. Cor 9,14.). Neque intelligitur tantum hora fere media durationis Missae, sed fere tertia pars diei qua sacerdos sustentari debet. Ceterum hoc per legem particularem Ecclesiae determinatur.

d. *Ratione oblationis* Deo factae offertur stipendium: quod probatur *historia Ecclesiae*. Auctores aliqui erronee dicunt (Merkelbach, Noldin, Mihályfi, Gasparri) quod consuetudo celebrandi pro particularibus fidelibus ad specialem intentionem tantum saeculo septimo vel octavo introducta est. Omnes fideles offerebant in Missa communitatis et ideo dabant moraliter omnes dona ad offertorium, inter quae dona revera etiam aurum, sive pecunia occurrit. Si velis, potes *etiam hanc* oblationem pro stipendio accipere. Sed quia ad notionem stipendii pertinet, quod fructus ministerialis *alicui specialiter* obveniat, talis oblatio stipendii collectivi rationem non excedit. Specialis stips autem secundum novas investigationes (K. J. Merk, De la Taille, Jungmann) iam multo prius in usu erat. Nam iam saeculo IV-o celebrabantur Missae peculiares ad intentionem personae privatae, quae pecuniam, vel aliud quid dabat sacerdoti. Sic *Epiphanius* († 403.) loquitur de aliquo, qui episcopo aurum dans dixit: « Offer pro me! » (Panarion 30,6. PG 41, 413.), item *Augustinus* loquitur de feminis a Barbaris raptis, quae iam non potuerunt « ferre oblationem ad altare Dei vel invenire ibi sacerdotem, per quem offerant Deo » (Ep. 111., 8.). Hae personae privatae ergo habendae sunt initiatores « stipendii », sed etiam hi ad offertorium comparebant inde a medio aevo ante alios. Recte ergo dicitur, quod eleemosyna ratione oblationis datur.

2°. **Species stipendiorum.**

Secundum can. 826. tres sunt species stipendiorum:

a. *Manualia* vocantur stipendia, *quae a fidelibus offeruntur, veluti ad manum sacerdotis*. Possunt esse: ex propria devotione, quae offeruntur *hic et nunc* celebranda, et sic traduntur sacerdoti. Possunt deinde esse *a testatore* ex obligatione perpetua propriis heredibus facta; haec differunt a fundatis eo, quod heredes debent e.gr. omni anniversario offerre stipem pro celebratione.

b. *Ad instar manualia* vocantur stipendia *Missarum fundatarum, quae aliis sacerdotibus tradenda sunt.* Tradendae sunt aliis *e causa duplici*: vel quia non possunt applicari in proprio *loco,* vel quia non possunt applicari *ab iis,* qui secundum tabulas fundationis debent eas celebrare. Tradendae autem sunt de iure vel Sanctae Sedis indulto.

c. *Fundata* stipendia vel Missae fundatae sunt, *quae ex fundationum reditibus percipiuntur.* Reditus vel potest esse foenus alicuius summae pecuniae, vel lucrum alicuius obiecti, ut vineae, vel agri etc.

3°. **Duodecim leges stipendiorum.**

I. **Lex de binatione.** Can. 824. § 2: « Quoties pluries in die celebrat, si unam Missam ex titulo iustitiae applicet, sacerdos, praeterquam in die Nativitatis Domini, pro alia eleemosynam recipere nequit, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco ». — a. « *Ex titulo iustitiae* », e.gr. Missam *pro populo* celebrans nequit pro altera, vel aliis Missis stipendium recipere, si tamen fecerit applicatio valida, sed graviter illicita est. Si non ex titulo iustitiae, *sed oboedientiae* vel *promissionis,* devotione privata celebret aliam Missam, hoc potest facere, nam solum titulus iustitiae excluditur. — b. Si e privilegio *Ordinarius* ad suam intentionem faciat celebrare parochos aliquibus diebus loco Missae pro populo, etiam hoc in casu *non* potest pro alia stipendium recipi. — c. Aliquibus datur facultas a S. Sede, utputa seminariis quibusdam, ad « *stipendia binationis* ». Haec facultas secum portat, quod aliquis potest unam Missam titulo iustitiae celebrare (pro populo vel pro stipendio), alteram autem pro stipendio, quod tamen remanet ei, qui facultatem accepit.

II. **Lex de stipendio pro sola celebratione edicitur** can. 825., 4: « *Nunquam licet*... alteram recipere eleemosynam pro sola celebratione, alteram pro applicatione eiusdem Missae, nisi certo constet unam stipem oblatam esse pro celebratione, sine applicatione ». — Hoc enim possibile est, si aliqui volunt, ut alicubi Missae interesse possint et non curant applicationem quoque pro eis fieri, hoc in casu tamen interrogandi sunt, num hoc sic velint. *Duo casus* excipiuntur: si celebretur Missa *pro sponsis,* et sponsi non dederint stipendium pro applicatione, dici potest *Missa pro sponsis* cum applicatione pro aliis (S. Offic. 1. sept. 1841.). Similiter facere potest celebrans quoad *Missam exsequialem,* si datum non fuerit stipendium, ut applicetur pro defuncto. Agitur de Missa stricte exsequiali, quando nempe defuncti cadaver ex ecclesia sepelitur (S. Congr. Rit. 7. apr. 1895.).

III. **Lex de petituro applicationem** habetur can. 825. nr. 1: « Nunquam licet Missam applicare ad intentionem illius, qui applicationem oblata eleemosyna *petiturus est,* sed nondum petiit, et eleemosynam *postea* datam retinere pro Missa *antea* applicata »; haec applicatio pro futuro stipendio etiam invalida est, quia deest intentio determinata. Supponitur casus, quod alicui sacerdoti desunt iam stipendia et tunc numerum Missarum applicaret ad intentionem eorum, qui aliquando dabunt ei stipendia.

IV. **Lex de stipendio duplicato** continetur can. 825. nr. 3: « Nunquam licet... duplicem eleemosynam pro eiusdem Missae applicatione accipere », sed iuxta can. 828: « Tot celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia, etiam exigua data et accepta fuerint ». — a. Applicatio esset contra iustitiam

et graviter peccaminosa ad mentem propositionis damnatae ab *Alexandro VII-o*: « Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium *unum* offerre » (Denz. 1110.). Hic casus haberetur si *fructus divideret*, e.gr. fructum propitiatorium pro defuncto vellet alicui tribuere, fructum impetratorium autem e.gr. pro felici exitu tentaminis alteri personae: hoc potest facere, si ex promissione vel caritate applicaret, sed nullo modo si ex iustitia (cf. supra D.6., coroll.). — **b.** *Alter casus* stipendii duplicati habetur, si sacerdos *fructum specialissimum* i.e. celebranti contingentem applicare vellet pro stipendio, quod ab eodem Pontifice damnatum est: « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem » (Denz. 1108.). Haec applicatio pro stipendio certe iniustum et invalidum est, numquid possibile est, si ex caritate etc. fieret, non constat.

V. **Lex de supputatione stipendii** quatuor regulas complectitur. *Supputatio est determinatio quantitatis stipendii*: qualis summa sufficiat ad unam vel plures Missae applicandas.

Regula prima est: « *Ordinarii loci* est manualem Missarum stipem in sua dioecesi definire per decretum, quantum fieri potest, in dioecesana Synodo latum... ubi desit Ordinarii decretum, servetur *consuetudo* dioecesis... etiam religiosi, licet exempti, circa stipem manualem stare debent decreto Ordinarii loci aut dioecesis consuetudini » (can. 831.). Nemo alius ergo, nec Superior maior, vel Moderator supremus religionis exemptae potest definire Missarum stipendium.

Regula secunda est: « Sacerdoti non licet *ea maiorem exigere* » (can. 831. § 1.), nulli, nec religioso exempto. Exigere maiorem esset *peccatum grave*, nam « non solum delinquit contra legem Ecclesiae, verum etiam iustitiam commutativam laedit » (Benedictus XIV. De synodo l.5. c.9. n.2.). — Exigere non licet, sed « sacerdoti fas est *oblatam ultro* maiorem stipem pro applicatione *accipere* » (can. 832.), hoc *Ordinarius non potest prohibere* sec. decisionem Ecclesiae (S. Congr. Conc. 16. ian. 1649.), nam hoc opus est caritatis et pietatis.. — Licite potest exigere maiorem summam praescripta ab Ordinario, si titulum haberet Missae *extrinsecum* (itineris, laboris extraordinarii etc.), nullo modo autem pro *utilitate spirituali*: « ProMissis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, maior *exigi Missae eleemosyna* » (can. 918. § 1.), utique autem *accipi* secundum generalem legem.

Regula tertia est: « sacerdoti fas est ... nisi loci Ordinarius prohibuerit, *etiam minorem* » *stipem* accipere praescripto (can. 832.). Etsi alicubi exstaret talis prohibitio, sacerdos potest e caritate vel misericordia minorem stipem accipere, modo declaretur titulo eleemosynae id fieri (Noldin - Schmitt III, n. 187., 3.).

Regula quarta: de numero indeterminato *in casu dubii*, quando nempe non constat, quot Missas voluit oblator applicari, est: « Si quis pecuniae summam obtulerit pro Missarum applicatione, non indicans earumdem numerum, hic supputetur secundum eleemosynam loci, in quo oblator morabatur, nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat » (can. 830.). Talis casus haberetur, si quis dixerit « celebra *aliquot* Missas ad meam intentionem » et daret summam, quae sufficeret *ad viginti* Missas celebrandas secundum taxam

dioecesanam, tunc evidenter non debet tot Missas applicare, quia viginti Missae non sunt « aliquot ».

VI. **Lex de permanentia obligationis,** seu de stipendio iam percepto edicitur can. 829: « Licet sine culpa illius, qui onere celebrandi gravatur, Missarum eleemosynae *iam perceptae* perierint, obligatio non cessat ». — Agitur de eleemosynis, i.e. stipendiis *iam perceptis,* si ergo fundatio e qua percipi debent stipendia, periit, alius casus habetur, de quo inferius agetur. Ratio est, quae sequentem legem edendam inspiravit, nempe:

VII. Lex praescribens, quod « *a stipe Missarum quaelibet etiam* **species negotiationis vel mercaturae** omnino arceatur » (can. 827.). — **a.** Non solum ergo negotiatio vel mercatura, sed etiam « species », i.e. apparentia propter scandalum pusillorum evitetur oportet. Secundum Vermeersch in omni negotiatione vel mercatura inest acquisitio et per eam lucrativa venditio. Itaque stipendiis *negotiatur,* qui stipendia colligit maioris pretii et Missas celebrare facit per alios *minore* stipendio dioecesano, *vel* qui stipendia tradit, sed retinet lucrum e cambio monetae « valutare » promanans. *Mercatur* stipendiis iste, qui ope stipendiorum libros vel alia obiecta sibi comparat et libros maiore pretio vendit, sibique sic lucrum comparat (III. n. 271,6.). — **b.** *Tamen licitum est* secundum auctores: *libros* dare pro stipendiis, vel *victualia,* cavendum tamen, ne quis ex hoc actu lucrum sibi faciat. Licitum est *rogare eleemosynam* eo, quod aliquis gratis Missam celebret et stipendium roganti relinquat ad quemcumque finem, nam hoc nil aliud est, ac actus misericordiae. Licitum est in convictu, vel domo canonica alumnis vel simul habitantibus *victum* pro stipendiis *praebere,* modo caveatur lucrum. — **c.** Item licitum est *permutare intentiones* inter duos sacerdotes: unus habet tricenarium Gregorianum et non potest celebrare, committit celebrationem alteri, ipse autem persolvit intentionem alterius, quod minoris est pretii, — si ille monitus sit hac de re.

VIII. **Lex de spatio debito** servando, intra quod Missae celebrari debent, quatuor complectitur regulas.

Prima regula est: « Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore *expresse* praescriptum est, *eo omnino tempore* sunt celebrandae » (can. 834. § 1.). Ubique mos est pro talibus Missis propter hanc circumstantiam extraordinariam (temporis fixi) *plus exigere,* quod saepe etiam determinatum est ab Ordinario, proin ex iustitia obligat.

Secunda regula est: si tempus *implicite* fuerit determinatum, nempe « *Missae pro urgenti causa oblatae*: *quamprimum tempore utili* sunt celebrandae » (can. 834. § 2.1.). *Urgens* causa est, quae proximo tempore deciditur et dein iam frustra fieret sacrificium pro ea causa, v.gr. pro felici partu, pro bono successu operationis chirurgicae, pro lucranda lite tali die diiudicanda, pro aegroto moribundo. *Tempus utile* est, si adhuc adiuvari potest *causa* pro qua offertur Missa. Si causa celebrandi cessaverit, restitutio facienda est, si adhuc manet, tenentur ad compensanda damna spiritualia bonis spiritualibus (orationibus et operibus poenitentiae, Merkelbach n. 378, 4.).

Tertia regula est: « Si oblator nullum tempus pro Missarum manualium celebratione praescripserit,... Missae sunt celebrandae *intra modicum tempus* pro maiore vel minore Missarum numero » (can. 834. § 2.). Quid intelligitur sub « modico tempore pro maiore vel minore Missarum numero », disputatur,

etsi res facile solvi potest. Nam canon citatus habet adiectum *decretum* « *Ut debita* » S. Congr. Conc. 11. maii 1904. nr. 2., ergo iuxta principium generale: « canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt... in dubio, num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum » (can. 6,3. et 4.). Atqui hoc decretum praescripsit: persolvendam esse celebrationem « *infra mensem pro una Missa, et semestre pro 100 Missis,* et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve longum iuxta maiorem vel minorem Missarum numerum ». Hanc taxationem uberius evolvit S. *Congr. Conc. decreto 27. febr. 1905.* (AAS 37. (1904-1905.), p. 525. s.) dicens tempus hoc esse pro 10 Missis: unam mensem, pro 20 Missis: 2 menses, pro 40: tres menses, pro 60: 4 menses, pro 80: 5 menses, pro 100: 6 menses. Licet Codex hanc taxationem *non* adducat, ea temen uti possumus, non quidem scrupulose et mathematice, quia habemus in ea aliquem modum computi. Huius computi enim fundamentum est *formula,* quam *iuxta Vermeersch* sic possumus exprimere:

$$X = N + \frac{N}{2} + 30$$

In qua formula «X» designat tempus intra quod Missae celebrari debent; «N» designat numerum Missarum acceptarum. Ope huius formulae accipis tempus persolutionis supra definitum, e.gr. si accepit quis 60 Missas,

$$X = 60 + 30 + 30 = 120$$

dies, i.e. quatuor menses (Vermeersch - Creusen, n. 272., 4.). — *Notandum,* quod « nemini licet tot Missarum onera *per se* celebrandarum recipere, quibus *intra annum* satisfacere nequeat » (can. 835.). — *Item*: si *personae diversae,* puta centum, unam offerunt Missam singillatim, tunc infra mensem omnes persolvendae sunt; unus sacerdos ergo pro se non potest has accipere.

Regula quarta est: « Quod si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis *expresse reliquerit,* sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit, eas celebrare, firmo praescripto can. 835. », i.e. intra annum ab acceptatione (can. 834. § 3.).

IX. **Lex de modo tradendi stipendia alteri sacerdoti** *quinque* habet regulas.

Prima regula est: tantum sacerdotibus tribui possunt « sibi acceptis, dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores *vel* testimonio proprii Ordinarii commendatos » (Can. 838.). « *Omni exceptione maiores* » nempe quod dolus vel fraus nec cogitari possit de iis; si eos non noverit, opus est testimonio.

Secunda regula est, quod tradens Missas « *obligatione tenetur,* usque dum acceptae obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerit » (can. 839.), quod etiam viva voce fieri potest, etsi praeferendum est scriptum testimonium.

Tertia regula est de *stipendiis manualibus.* Transmittens « debet acceptas *integre* transmittere » (can. 840. § 1.). Qui partem stipendii retineret, quae iam constituit materiam relative gravem, peccatum grave committit contra religionem et contra iustitiam commutativam, nam lex Ecclesiae ius dat accipienti ad totum stipendium, tenetur ergo et obligatione restitutionis. *Duo casus*

excipiuntur: *primo* quidem, si « oblator *expresse* permittat aliquid retinere », ubi nomine oblatoris venit iste, qui stipendium dedit (non autem is, qui transmittit, etsi « offert » illi, cui mittit stipendia), « expresse » debet consentire, non potest voluntas eius praesumi. *Secundo* potest aliquid retinere, « si certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae », illius nempe, qui transmittit stipendia.

Quarta regula est: « In Missis *ad instar manualium*, nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus et satis est remittere solam eleemosynam manualem diocesis in qua Missa celebratur, *si* pinguis eleemosyna locum pro parte tenet dotis beneficii aut causae piae » (can. 840. § 2.).

Quinta regula est: Omnes qui obligati sunt ad Missarum onera implenda, « sub *exitum cuiuslibet anni*, Missarum onera, quibus nondum fuerit satisfactum, suis Ordinariis tradant secundum modum ab his definiendum » (can. 841. § 1.). Tempus autem, *a quo* incipiat hic annus, in Missis *manualibus* computandum est « post annum a die suscepti oneris, salva diversa offerentium voluntate », si nimirum tempus brevius ad persolvendum voluissent (can. 841. § 2.). Ibidem de Missis *ad instar manualium* edicitur tempus *a quo*, initium anni « intra quem opera impleri debuissent ».

X. **Lex de recognitione stipendiorum.** *Primo*: *liber peculiaris* intentionum debet haberi, in quo accurate notentur « Missarum receptarum numerus, intentio, eleemosyna, celebratio » (can. 843. § 1.). Talem librum debent habere « rectores ecclesiarum aliorumque piorum locorum sive saeculiarium sive regiosorum » (ibid), deinde, « Ordinarii locorum et Superiores religiosi », demum « omnes sacerdotes sive saeculares, sive religiosi » (can. 844.). — *Secundo*: *Ius* recognoscendi pertinet *ad Ordinarios*, qui « tenentur obligatione singulis saltem annis huiusmodi libros sive per se ipsi sive per alios recognoscere » (can 843. § 2.). — *Tertio*: in ecclesiis religiosorum hoc officium advigilandi, ut onera Missarum adimpleantur, pertinet ad eorum *Superiorem* (can. 842.).

XI. **Lex de reductione et condonatione Missarum.** Missarum reductio respicit tempus futurum, condonatio autem praeteritum. — a. *Reductio* locum habere potest, *si reditus* alicuius fundationis iam non sufficiunt ad stipendia, *quibus* totus numerus Missarum dotari possit, etsi ipsa summa fundationis integra permansit, (non: si individua summa haec in auro existeret). Hoc praesertim post immania bella 1918. et 1945. in quibusdam regnis factum est. — b. *Alter casus* possibilis est, si ipsa fundatio perierit, sive summa pecuniae per ruinam mensae (fallimento di banca), sive si obiectum fundationis, e.gr. ager ablatum fuerit per saecularisationem. Omni in casu recurrendum ad S. Sedem, nam « Missarum reductio *semper* S. *Sedi unice* competit » (can. 1517. § 2.), ergo etiam in casu, si fundatio ex tota periisset. *Sed*: « Indultum reducendi Missas *fundatas* non protenditur nec ad alias Missas ex contractu debitas, nec ad alia onera piae fundationis », *item*: « Indultum generale reducendi onera piarum fundationum ita intelligendum est, nisi aliud constet, ut indultarius potius alia onera, quam Missas, reducat » (can. 1551.). — c. *Condonatio* petenda, si sacerdos iam non potest persolvere et stipes iam non possunt dari.

XII. **Lex de servandis circumstantiis** in Missarum celebratione, quae stipendii ratione datae sunt. Tria adiuncta possunt praescribi ab oblatore. — a. *Locus Missae* (sive ecclesia, sive altare) servari debet. « Omissio tamen huius

circumstantiae generatim non est graviter culpabilis et excusatur per rationabilem causam, nec per se inducit onus restitutionis » (Merkelbach, n. 378., 4. a.). Indulto personali altaris privilegiati satisfit circumstantiae celebrandi in altari privilegiato. — **b.** *Species Missae* seu qualitas, e.gr. Missa votiva, pro defunctis, quoque servanda est. Omissio veniale non excedit, nam essentialiter satisfit obligationi per quamcunque Missam. — **c.** *Series Missarum* tantum unico in casu potest praescripta esse: in *tricenario Gregoriano.* Triginta Missae dicendae sunt « triginta diebus *continuis sine interruptione* », ergo die Nativitatis Domini unica Missa dici potest tantum, interruptio autem non censetur, si triduum sacrum intercedit (S. Offic. 12. dec. 1912.; AAS 1913., 32. s.). Non debet autem idem sacerdos 30 Missas celebrare. Si interruptio facta est, etsi pauci dies iam restent, *non* satisfit obligationi, quidquid aliqui dixerint, nam Ecclesiae mens clarissima est et ideo compensatur maiore stipendio seriei persolutio. Obligatio haec gravis est, et oblatores iure possunt expectare seriei continuitatem, nam hac serie Missarum pie et rationabiliter creditur animas pro quibus applicantur, specialiter adiuvari per intercessionem S. Gregorii, ut a purgatorio liberentur (C. Indulg. 15. mart. 1884.). — *Circumstantiam temporis* iam vidimus.

Corollarium de Missis pro quibus stipes offeruntur.

Fideles stipem offerentes monendi et instruendi sunt. *Primo* quidem: quod haec oblatio revera « oblatio » est et aliquando in Missa fiebat, ergo *donum Deo* oblatum est, etsi sacerdotum sustentationi serviat. *Dein*: mera oblatio stipendii initium tantum est sacrificii offerendi, ergo adhortandi sunt, ut inquantum possibile, Missae a se oblatae *intersint* et etiam *s. communionem* sumant. *Demum*: sedulo docendi sunt, ne semper *tantum Missas de requiem* vellent habere, nam in permultis ecclesiis fere semper haec Missa legitur, etsi omnis Missa eundem effectum propitiationis producit.

2. De Missae applicatione

Definitio: *Applicatio Missae est determinatio per celebrantem facta personae certae, ad cuius intentionem fructus ministerialis sacrificii obveniat.* — Singula elementa nunc sunt declaranda:

a) *Applicatio Missae est* **determinatio** quaedam, si ergo talis determinatio non habeatur, fructus ministerialis sacrificii redundat in thesaurum Ecclesiae. — Determinatio *per se* debet esse absoluta. Potest autem esse *conditionata,* in Missis *gratuitis*, ergo non titulo iustitiae celebratis: « si non est capax » tunc obveniat illi vel illi, si e.gr. persona cui applicatur fructus Missae ministerialis, iam visionis Dei particeps sit. In Missis stipendio vel alio *iustitiae titulo* debitis fieri potest applicatio: « Si sine praeiudicio dantis fieri potest », si dubitaretur, an ille, pro quo Missa offertur, capax sit, nec ne (Noldia-Schmitt-Heinzel, n. 176. c.). — Potest esse casus, si celebrans *incertus* haesitat, ad quam intentionem debeat applicare, quando e.gr. iam ad altare steterit et non recordatur, num ad intentionem Ordinarii vel ecclesiae debeat applicare. Tunc potest conditionate applicare: « Si debeo ad intentionem Ordinarii etc. hanc applico, si non, meam intentionem applico ».

b) *Applicatio debet esse* **per celebrantem facta,** nam celebratio est quam maxime actus humanus et ideo solummodo a celebrante fieri potest. Ergo applicatio debet esse:

1°. *Saltem habitualis et implicita,* non autem, ut in Sacramentis saltem virtualis. Applicatio enim fructus ministerialis fit per modum donationis, stipendium enim est eleemosyna, non pretium huius applicationis, quae remanet donatio. Atqui donatio semel facta valida manet, donec expresse revocetur.

2°. Debet esse *a celebrante facta,* ideoque et iam si contra Superioris voluntatem fieret, valida est, sed illicita. Similiter, si contra leges ecclesiasticas fieret applicatio, si quis e.gr. pro excommunicato vitando celebraret. Quia applicatio valida est, etsi peccaminosa, stipendium accipi et retineri potest.

3°. *Saltem ante consecrationem* elicita, sacrificium enim effectus suos producit, quando completum est, atqui consecratione facta essentia sacrificii iam absoluta est. Applicatio inter consecrationem *panis* et *calicis* facta probabiliter est valida, sacrificium enim transsubstantiatione *utriusque* speciei perficitur. Sed quia hoc omnino certum non est, in Missis titulo iustitiae applicandis uti non possumus hac probabilitate, oblatores enim certum ius habent ad certam applicationem.

c) *Fructus ministerialis* debet applicari **personae, sive physicae, sive morali.** *Principium est: persona, cui applicari potest hic fructus, tantum persona capax esse potest, nisi ab Ecclesia prohibeatur.*

1°. *Capaces* ergo sunt omnes vivi et defuncti homines: « Integrum est Missam applicare pro quibusvis tum vivis, tum etiam defunctis purgatorio igne admissa expiantibus » (can. 809. « salvo praescripto can. 2262. § 2. nr. 2. », de quo inferius statim sermo recurrit). Applicari ergo potest etiam pro peccatoribus, infantibus, amentibus, obsessis, dein etiam infidelibus *vivis,* ad quamlibet intentionem eorum, ergo etiam licet stipendium accipere, pro infidelibus *defunctis* dubiosum est secundum quosdam (Noldin-Schmitt, n. 178,3.), applicatio tamen fieri potest, nam lex hoc non prohibet.

2°. *Incapaces* sunt, qui iam visione Dei beatifica fruuntur, ergo Sancti et Beati, dein parvuli baptizati in innocentia mortui; item damnati, sed certo non constat, num quis damnatus sit; demum parvuli sine baptismo decessi; minime autem catechumeni, qui in hoc baptizatis aequiparandi sunt (can. 1239. § 2.).

3°. *Ab Ecclesia prohibentur* personae sequentes: pro iis, qui sepultura ecclesiastica privandi sunt denegentur Missa exsequialis et anniversaria (can. 1241.). Ex quo sequitur, quod tantum publicae Missae exsequiales et anniversaria prohibentur, privatae non. *Publica* censetur celebratio, si e rei natura, ut Missa stricte exsequialis cognoscitur, vel si Missa annuntiatur e cancello vel per affixionem tabulae factam, vel si multi noverint applicationem faciendam. *Privata* est, si sine sollemnitate fiat, et non multis notum sit. Dein monendum: agi de mortuis in his casibus, si ergo *vivunt,* non prohibentur « sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro eo applicare, sed, si sit (excommunicatus) vitandus, pro eius conversione tantum » (can .2262. § 2. n. 2.). Personae, quibus Missa publica deneganda est, sunt sequentes, « nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa »:

a. « notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addicti ».

b. « Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam ».

c. « Qui se ipsi occiderint deliberato consilio ».
d. « Mortui in duello aut ex vulnere inde relato ».
e. « Qui mandaverint suum corpus cremationi dari ».
f. « Alii peccatores publici et manifesti » (can. 1240. § 1. n. 6).

Notanda: Ad **a**: excommunicatus vitandus iam supra exceptus esse dictus est. — Ad **c**: « deliberato consilio », si ergo testimonio periti medici constet contrarium, non valet prohibitio. — Ad **f**: peccatores *publici* sunt e.gr. qui notorie in concubinatu vivunt, matrimonio mere civili, etsi catholici et similes. *Manifesti* sunt, qui manifesto actuali peccato mortali decedunt, e.gr. in peccato actuali luxuriae vel crapulae voluntariae, vel inter rapinam repentina morte correpti.

d) *Fructus ministerialis debet applicari* **personae certae.** Si non esset determinata certa persona, non valeret applicatio, nam non haberetur ratio, cur potius uni personae, quam alteri obveniat fructus ministerialis. Regulae sunt hae:

I. **Prima regula:** Sufficit, si celebrans *implicite* cognoscat personam et eius intentionem. Ideo validae sunt applicationes: « ad intentionem superioris », sed Superior debet habere intentionem determinatam., — « ad intentionem dantis », quod plerumque fit, — « ad intentionem in libro peculiari notatam », vel, — « secundum ordinem, quo Missae inscriptae sunt, vel obvenerunt », — « pro quo fundatio Missam exigit », — « pro quo applicare teneor » dummodo certum sit, pro quo, tantum celebrans hoc instanti actuali nescit, — « pro maximo peccatore, anima maxime derelicta, anima morti maxime proxima » etc.

Notandum: optimum est intentionem habere, si quis accepit a variis ignotis oblatoribus plura stipendia cum intentionibus respectivis, « *globaliter* » *celebrandi*, i.e. si acceperit 50 stipendia a variis personis, tunc omnes 50 Missas celebrat ad intentionem omnium, nam celebrato numero Missarum 50, singuli oblatores habebunt, quod voluerunt (S. Poenit. 7. dec. 1892.).

II. **Secunda regula:** Si pro unica celebratione quis habuerit duas intentiones, valet *intentio praedominans* seu praevalens. Intentio praevalens est, si quis memor prioris intentionis *novam facit*, nam tunc revocavit priorem; vel si *absolute valere* vellet hanc intentionem, etsi oblitus aliam formaverit, e.gr. « cras celebrabo ad intentionem amici, etsi oblitus continuare vellem applicationem 50 Missarum in libro notatarum ». — In *dubio*, qualis intentio praevaleat, sufficit, si alteram Missam intendat applicare ei, qui nondum accepit: « Pro quo nondum applicavi », et tunc certe valida est utraque applicatio.

III. **Tertia regula:** non licet applicare ad intentionem eius, *qui primus daturus est* stipendium, et stipendium acceptum retinere, nam, ut iam diximus, applicatio haec invalida esset, si nondum habuerit oblator futurus intentionem, etsi Deus novit eum habendum esse hanc intentionem. Si autem agatur de casu, quod *pro defuncto* iam applicavit, praevidens petitionem applicationis, hoc

valeret, nam intentio iam determinata est, stipendium autem tunc tantum retinere potest, si declarat, se iam applicasse Missam.

IV. **Quarta regula:** *Accidentalia adiuncta* non mutant intentionis applicationem; sic si celebretur pro viro aliquo, ut *femina,* vel si in collecta erronee nominasset e.gr. defunctam personam. Huc referri potest casus, si quis ex errore aliquem *mortuum putans,* pro eo celebrasset: applicatio Missae stricte loquendo non valet. Si stipendium accepit, contractui secundum rigorem iuris non satisfecit, excepto utique casu, si *oblator* errasset personam viventem iam mortuum existimans. Sed quia Missa plures habeat effectus, et omnes accepit, « non improbabiliter supponitur eum, qui dedit stipendium, nolle adamussim urgere ius suum » (Noldin-Schmitt-Heinzel n. 181,3.).

3. De circumstantiis sacrificii Missae

Leges cognosci debent a) quoad tempus, b) quoad locum et c) quoad modum celebrationis.

a) **De tempore celebrationis.**

Agitur de die, dein de hora celebrationis, dein de supputatione temporis, demum de spatio celebrationis.

1°. **Dies licitus celebrationis:**

est iste, qui sacerdotis ritu non excluditur (can. 820.). Ritu ergo latino permissum est celebrare omni die, excluso triduo sacro. Fer. V. in Coena Domini « expedit ut omnes clerici, etiam sacerdotes, qui ea die a Sacro litando abstinent, sanctissimo Christi Corpore in Missa sollemni, seu conventuali reficiantur » (can. 862.); triduo sacro Missae privatae celebrari nequeunt (S.C.Rit.d. 3366.). Triduo sacro quando debeant functiones celebrari cf. inferius Heortologia D.4.b.7°. a.b.c. — Inde a Hebd. Sancta instaurata Fer.V.Coenae Domini sub quibusdam cautelis etiam plures possunt Missae celebrari, cf. Heortologia D.6.d. 1°.2°.3°.

2°. **Hora licita celebrationis:**

a. determinatur quoad terminum *a quo*: « *Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram* »; terminus *ad quem* autem: « *...vel serius quam una hora post meridiem* » (can. 821. § 1.).

b. Quando habetur *aurora* in multis kalendariis indicatur. Astronomice aurora incipit, quando sol 18. gradum infra horizontem attigit, quod secundum regiones variatur; in Europa centrali aurora incipit circiter duas horas ante ortum solis. Variatio *ortus solis* fit secundum gradus latitudinis. Graviter peccaret qui, « *sine iusta causa,* Missam duabus horis ante auroram *absolverit,* vel eam post horam secundam pomeridianam *incohaverit* » (Vermeersch n. 311.). Quod quidem nullo modo fieri potest pro cotidiana celebratione, sed solum in casibus extraordinariis et ex iusta causa, sive ante, sive post tempus a lege statutum. Tales *iustae causae* sunt: dandi viaticum morituro, si non haberetur Sanctissimum, tunc iam media nocte incipere licet (nullo modo antea); ut opificibus, famulis praebeatur Missae adstandi occasio; si ex itinere impeditur sacerdos, quominus debita hora celebret; occasio contionis, publicae

supplicationis, collationis ordinum, matrimonii etc. (F. M. Cappello, Tract. canonico-moralis de Sacramentis, Torino 1928., I., 656.).

c. Excipiuntur inde ab anno 1953. *Missae vespertinae* quae vi facultatis ordinariae ab Ordinariis loci permitti possunt, de quibus cf. inferius (De SS. Eucharistia E.4.d.V.). Omnes hae Missae vespertinae etsi nunc temporis valde necessariae utilesque possunt esse, tamen exceptiones sunt; ordinarium tempus Missae manet tempus inter auroram et meridiem. *Triduum autem Sacrum* inde ab anno 1956. iam proprium habet tempus celebrationis et communionis ob instaurationem usus antiquae Ecclesiae factam e rationibus pastoralibus. Liturgicae enim sacri tridui actiones ad horas, ut olim, postmeridianas revocatae sunt a *Decr. gener. S.C.Rit.16.nov.1955.*, « ut omnes fideles iisdem ritibus interesse possint », quod revera, quantum scitur, ubique contigit. *Fer.V.Coenae Domini* Missa chrismatis celebrari debet post Tertiam, Missa solemnis vero vespere, non ante quartam horam post meridiem, nec ultra horam nonam, fidelibus communio distribui potest solum inter hanc vespertinam Missam, vel statim et continuo ab iis expletis (Decr. n. 1, OD 1957 n. 8.). *Fer. VI. in Passione et Morte Domini* circa horam tertiam pomeridianam celebrari debet, « si vero ratio pastoralis id suadeat, licet tardiorem seligere horam, non autem ultra horam nonam ». Communio sacra distribui potest unice inter hanc sacram actionem (Decr. n. 8., OD 1957 n. 15.). *Sabbato Sancto* Missa vigiliae incipi debet circa mediam noctem, de iudicio Ordinarii loci vigilia (non Missa!) inchoari non potest ante diei crepusculum, aut certe non ante solis occasum (Decr. n. 9.) communio fidelium solum inter hanc Missam vel statim et continuo ea expleta fieri potest (instr. n. 18.).

3°. **De supputatione temporis:**

Lex fundamentalis habetur can. 33. § 1.: « *In supputandis horis diei standum est communi loci usui,* sed:

« in privata Missae celebratione,
in privata horarum canonicarum recitatione,
in sacra communione recipienda,
et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda ».

« licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi:

« loci tempus *aut locale*:
« *sive verum, sive medium,*

« aut *legale*:
« *sive regionale, sive extraordinarium.* »

Notanda: a. Pro *publica* Missae celebratione, officii persolutione in *choro*, functionibusve aliis liturgicis « standum est communi loci usui », i.e. « usualis loci supputatio » servanda est. Quod attinet celebrationem Missae, inquantum ieiunii eucharistici obligationem secumfert, eligi potest ex enumeratis temporibus, quodcumque placet, nam tantum *celebratio* debet sequi tempus loci usuale.

b. « Loci tempus *aut locale* »: tempus locale est, quod derivatur e legibus astronomicis (1). Potest esse « *tempus verum* », seu astronomicum; Budapestini

e.gr. media nox astronomica habetur secundum tempus regionale h 11.40', Aquisgrani (Aachen) habetur media nox astronomica h.0.36'. — (2) « *Tempus medium* » resultat ex mutatione mathematica temporis veri, ideo inducta, ut dies stricte aequales per totum annum obtineantur.

c. « Loci tempus *aut legale* » : potest esse iterum duplex: (1) tempus *regionale,* seu *zonarium,* quando nempe per legem in quibusdam regionibus idem tempus observatur, etsi a vero (astronomico) tempore differat. Sic habetur tempus Europae occidentalis, centralis, orientalis etc. Notandum, quod nullus usus esse potest temporis zonarii in civitate, i.e. in statu, qui istud admittere recusaverit (Comm. Interpret. CIC 10. nov. 1925.). — (2) Tempus legale dein potest esse « *extraordinarium* », quando e.gr. hora habenda est una hora maturius tempore regionali, ergo media nox tempore aestivo iam hora 23. regionali statuitur (Sommerzeitrechnung, nyári-idöszámitás.). Patet tunc tempus tum recitationis officii divini, tum ieiunii eucharistici supputari posse ab hora 1. temporis « extraordinarii », quia haec hora est hora mediae noctis « regionalis », seu zonariae.

d. *Interpretatio extensiva* huius legis fundamentalis facta est per Commissionem ad CIC canones authentice interpretandos 29. maii 1947.: « *An, electo uno temporis supputandi modo, hic vi can. 33. § 1., in actionibus formaliter diversis, mutari possit* », ad quod dubium responsum fuit: « *Affirmative.* » Hoc usque ad hanc decisionem auctores non tenebant, putabantque talem mutationem fieri in fraudem legis, solus cl. Vermersch proposuit sententiam, quae deinde a dicta Commissione electa fuit (cf. G. Oesterle, Die Zeitrechnung des can. 33. § 1., *in*: Theol. prakt. Quartalschrift, Linz 1951., 145-149.). In actionibus ergo « *formaliter diversis* » uti possumus iure mutationis, sic e.gr. observare secundum tempus regionale (zonarium) horam a qua incipit ieiunium eucharisticum, secundum tempus autem verum (astronomicum) horam, qua finitur tempus servandi abstinentiam vel ieiunium. Budapestini ergo aliquis potest hora regionali 23.40' carnibus vesci Feria VI., nam secundum tempus verum iam media nox est, ergo sabbatum, et tamen altera die celebrare, vel s. communionem sumere, nam secundum tempus regionale (zonarium) tantum hora 23.40' habetur. — Nemo autem obligationi *breviarium* recitandi post mediam noctem temporis regionalis in Hungaria satisfacere potest, nam tempus verum media hora ante hanc mediam noctem iam elapsum est, potest autem e.gr. Aquisgrani recitationem perficere usque horam 0.36', nam tunc tantum secundum tempus verum media nox habetur, non potest autem ibi carnibus vesci Fer. VI. — *Tres Missae Nativitatis Domini* autem secundum eandem decisionem *non* possunt haberi actus formaliter diversi, ut patet.

e. Tempus non debet *scrupulose* sumi, v.gr. iam ab ictu horologii, mediam noctem indicantis, momenta possunt negligi. Plus autem non potest fieri; error est, si aliqui, ut in praxi fit, provocare solent *ad* « *tempus Romanum* ». Aliqua responsa R. Cit. Congr. (2. nov. 1634. et 6. febr. 1858.) videntur concedere, ut horae assumantur Romanae (sec. Vermeersch-Creusen n. 311.), sed quaestio est de regionibus, ubi dies vel aurora per aliquot menses perpetua est. Nullo modo ergo nec Vermeersch loquitur de tempore Romano aliis in regionibus usurpando. — Quod ceterum attinet istas *regiones arcticas,* dicendum secundum res-

ponsa Sanctae Sedis, auroram habendam esse illud tempus, quo homines surgere soliti sunt ad opera quotidiana incipienda, quod responsum similiter nequit adhiberi pro aliis regionibus, nam ubique terrarum iam permulti sunt, qui noctu debent surgere ad opera.

4°. Spatium recte celebrandi

definiri debet e principio, quod « sacerdos celebrans *accurate et devote* servet rubricas » (can. 818.). Hoc autem secundum experientiam in Missis privatis circiter semihoram exigit. Auctores ideo, S. Alphonsum secuti affirmant, si quis *infra* quartam horae partem Missam absolverit, etiam de requiem, difficile a peccato gravi excusari posse, tum propter irreverentiam festinationis, tum propter moralem necessitatem rubricas in re gravi transgrediendi (Vermeersch-Creusen n. 308.). Secundum morem Solesmensium intelligitur hora dimidia « ab amictu ad amictum », supposito, quod altare non longe distet, communicantes non adsint, Missae textus autem non est solito longior. Sic intelligitur, quomodo alii dicant Missam infra viginti minuta absolvere non esse peccatum (Arregui), hoc casu Missae tempus evidenter in altari tantum computatur.

b) De loco celebrationis.

1°. Locus ordinarius celebrationis:

est ecclesia, vel oratorium: « Missa celebranda est super altare consecratum et in ecclesia vel in oratorio consecrato *aut* benedicto ad normam iuris, salvo praescripto can. 1196 », quod nimirum « oratoria domestica nec consecrari nec benedici possunt more ecclesiarum » (can. 822. § 1.).

a. Ecclesia est « aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut omnibus christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum » (can. 1161.).

Ecclesiae species sunt:

(1) Ecclesia *cathedralis,* quae sollemni consecratione dedicata est (can. 1165. § 3.), dein,

(2) Ecclesia *collegiata,* i.e. ecclesia cui annexum est capitulum collegiatum canonicorum, quin ecclesia sit cathedralis,

(3) Ecclesia *conventualis,* « in quibus ad altare maius chorales functiones persolvendae sunt (can. 1268. § 3.), i.e. ordinum religiosorum, in quibus viget obligatio chori. — In his tribus speciebus ecclesiarum « ne ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur, opportunum est, ut ss. Eucharistia regulariter non custodiatur in altari maiore, sed in alio sacello seu altari (ib.).

(4) Ecclesia *paroecialis.* Notandum, quod ecclesiae collegiatae, conventuales, paroeciales, « quantum fieri potest » sollemni consecratione benedicendae sunt (can. 1165. § 3.).

(5) Ecclesia *funeris,* i.e. ecclesia, « in quam cadaver pro funere transferri debet » (can. 1216.).

b. Oratorium est « locus divino cultui destinatus *non* tamen eo potissimum fine, ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam » (can. 1188. § 1.).

Oratorii species sunt:

(1) Oratorium *publicum*, « si praecipue erectum sit in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum, ita tamen, ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi » (can. 1181. § n. 1.). Oratoria eodem iure reguntur ac ecclesiae (can. 1191. § 1.), plerumque etiam ecclesiae vocantur (e.gr. « ecclesia universitatis », « ecclesia castelli »). Si per benedictionem vel consecrationem sint dedicata auctoritate Ordinarii, ibidem « *omnes sacrae functiones* celebrari possunt, salvo contrario rubricarum praescripto » (can. 1191.), e.gr. non potest in iis haberi benedictio fontis.

(2) Oratorium *semipublicum*, « si in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire » (can. 1188. § 2. n. 2.). Talia oratoria sunt convictus, gymnasii, lycaei, carceris, xenodochii vel nosocomii, praesidii militum (1192. § 4.). Erigi nequeunt *sine Ordinarii licentia*, qui hanc licentiam tunc tantum concedit, postquam oratorium per se vel alium *visitaverit* et decenter instructum repererit; postea autem sine eiusdem auctoritate ad profanos usus nequit converti (can 1192. §§ 1-3.). Omnes functiones ecclesiasticae in iis celebrari possunt, « nisi obstent rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit » (can. 1193.). « Ordinarius » dicitur in canone, ergo potest esse aut loci Ordinarius, vel Superior maior religionis exemptae, qui hanc licentiam dat. *Benedictione* oratorium semipublicum *non indiget*, sed benedici *potest* benedictione oratorii publici (Vermeersch Creusen n. 314,2.). *Praeter* oratorium principale alia oratoria « *minora ne erigantur*, nisi, Ordinarii iudicio, necessitas aut magna utilitas id exigat » (can 1192. § 4.). — Oratoria *Cardinalium et episcoporum*, etiam titularium, « licet privata, fruuntur tamen omnibus iuribus et privilegiis quibus oratoria semipublica gaudent » (can. 1189.).

(3) Oratorium *privatum seu domesticum habetur*, « si in privatis sedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum sit » (can. 1188. § 2. n. 3.). Talia oratoria privata erigi possunt tantum ex indulto *Sanctae Sedis*, postquam Ordinarius oratorium visitaverit et probaverit, celebrari autem aliud non potest, « nisi *unica* Missa eaque *lecta*, singulis diebus, *exceptis festis sollemnioribus* » (can. 1195. § 1.), Ordinarius autem « dummodo iustae adsint et rationabiles causae, diversae ab eis ob quas indultum concessum fuit, etiam sollemnioribus festis permittere potest per modum actus Missae celebrationem » (can. 1195. § 2.), « per modum actus », i.e. etiam pluries, sed non habitualiter. Oratoria privata *non possunt benedici*, nisi brevi formula Benedictionis oratorii privati seu domestici (Rit. Rom. tit. IX. c. 6,2.).

c. Ad ecclesias non referuntur, ut patet, *templa haereticorum vel schismaticorum*, etsi olim rite consecrata aut benedicta fuerint (can. 823. § 1.). — Licet autem sacerdoti, si altare proprii ritus deficiat, celebrare ritu proprio in altari consecrato alius ritus catholici, non autem super Graecorum antimensiis » (ib. § 2.). — « In altaribus papalibus nemo celebret sine apostolico indulto » (ib. § 3.).

d. Non licet celebrare in ecclesiis *violatis et exsecratis* (1). *Violatur ecclesia*, tantum actibus sequentibus « certis, notoriis et in ipsa ecclesia positis » :

« delicto homicidii,
« iniuriosa et gravi sanguinis effusione »,
« impiis vel sordidis usibus, quibus ecclesia addicta fuerit »,
« sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam » (can. 1172.).

(2) *Exsecratur ecclesia,* seu consecrationem vel benedictionem amittit, si « tota destructa fuerit, vel maior pars parietum corruerit, vel in usus profanos redacta sit ab Ordinario loci » (can. 1170. et 1187.).

(3) In talibus ecclesiis solummodo post factam *reconciliationem* functiones sacrae suscipi possunt (can. 1173. § 1.). — Si violatio acciderit tempore divinorum officiorum, haec statim cessent, si ante Missae canonem vel post communionem, Missa dimittatur, secus sacerdos prosequatur Missam usque ad communionem (can. 1173. § 2.).

Scholion. In ecclesiis etc. *sacerdotes extranei* tunc tantum celebrare possunt, i.e. sacerdotes qui non sint eidem ecclesiae addicti, si exhibeat « authenticas et adhuc validas *litteras commendatitias* sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris si religiosus, vel S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orientalis » (can. 804. § 1.). Admitti autem potest, si « rectori ecclesiae de eius probitate *apprime constet* », etiam si adhuc non novit, sed scit eum esse virum ecclesiasticum bene notum et nunc eum tantum cognovit. « Si vero rectori sit *ignotus,* admitti adhuc potest semel vel bis, dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat, quovis titulo percipiat, et nomen, officium suamque dioecesim in peculiari libro signet » (can. 804. § 2.). Si ergo notus sit, non debet haec notare in libro. — *Ordinarius autem loci* dare potest « *peculiares normas* salvis huius canonis praescriptis », quae etiam a religiosis exemptis servandae sunt, « nisi agatur de admittendis ad celebrandum religiosis in ecclesia suae religionis » (ibid. can. § 3.).Bene notat Vermeersch: « Cum salva esse debeant praescripta huius canonis, peculiares episcopi normae intactum servare debent ius admissionis, sicut isto canone definitur, sed varia alia praecipere potuerunt, v.gr. ut omnes extranei sua nomina signent ». Non posset ergo praecipi, ut omnes extranei tantum post inspectionem Ordinarii in litteras commendatitias celebrare possint, hoc enim semel pro semper praecipere iuris rectorum ecclesiae laesio esset, insuper si in diebus festis Curia ordinarii adiri nequiret, nemo extraneus celebrare posset.

2°. **Locus extraordinarius celebrationis:**

habetur *in altari portatili,* i.e. sec. can. 822. § 4.: « Intra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti in loco, nunquam autem in cubiculo ».

a. Altaris portatilis nomine venit petra sacra, quae ponitur super mensam. *Duplici modo* conceditur celebratio: *primo,* per *privilegium,* quod *vel ius* concedit et quidem *Cardinalibus* (can. 239. § 1. n. 7.) et *episcopis* (can. 349. § 1. n. 1.), ita ut « non solum in domo propriae habitationis, sed ubicunque degunt, et permittendi, ut alia Missa, ipsis adstantibus, celebretur, et celebrandi in mari, debitis cautelis admissis » (can. 239. § 1. n. 7. et 8.). — vel « *indulto Sedis* tantum *Apostolicae* conceditur », tunc autem non secumfert facultatem celebrandi in mari (can. 822. § 3.). Haec intelligenda sunt de usu facultatis *per modum habitus,* i.e. semper uti possunt ea facultate. — *Secundo*: *licentia per modum*

actus et « *iusta* tantum ac rationabili de causa, in aliquo *extraordinario casu* » *licentiam* celebrandi « super petram sacram et decenti loco, nunquam autem in cubiculo » concedere potest Ordinarius loci, aut si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior (can. 822. § 4.). Facultas haec *restrictive interpretanda* est sec. decisionem Comm. Interpret. CIC (16. octob. 1919. n. 12.); casus infirmitatis sacerdotis non sufficit vel parentis eius, cum non sit extraordinarius, sed talem licentiam Nuntii apostolici concedere possunt. — Talis licentia ab Ordinario dari potest ad celebrationem «*sub divo*», vel « in castris » (Feldmesse, messa al campo, tábori mise), si ecclesia diruta est, vel reaedificatur, vel si ob magnum concursum populi non habent locum in ecclesia.

b. *In mari* non potest celebrare, qui indultum habet altaris portatilis (can. 822. § 3.). Celebratio in mari *permissa est* Cardinalibus (can. 239. § 1. n. 8.). Episcopis sive residentialibus sive titularibus (can. 349. § 1. n. 1.), Abbatibus vel Praelatis nullius (can. 323. § 1.). Alii sacerdotes ergo indigent *indulto apostolico*, quod concedi solet a Nuntiis quoque Apostolicis (n. 37. Facultatum ordinariarum). Tale indultum probabiliter *non requiritur* in mari, ubi adest cappella cum altari, est enim saltem oratorium semipublicum (sic Lopez, Periodica 1945., 42-44.). Debitae cautelae adhibendae sunt (can. 239. § 1. n. 8.): videant utrum mare sit adeo *tranquillum*, ut nullum adsit periculum effusionis SS. Specierum e calice; curent ut alter sacerdos, si adsit, celebranti rite *adsistat*, ...caveant, ne *locus* ad Missae celebrationem delectus quidquam indecens aut indecorum prae se ferat » (S. C. Prop. Fide 1. mart. 1902.); celebratio in *cellis* quoque absolute prohibita non est, « quando adiuncta omnia removeant irreverentiae pericula » (Rescr. 13. aug. 1902.). Assistentia alterius sacerdotis nunc iam non consuevit memorari (Vermeersch-Creusen n. 318.). — Ad norman n. VI. Const. Ap. « Christus Dominus » 6. ian. 1953. « Ordinarius loci, in cuius territorio est portus, in quo navis habitualiter consistit, permittere valet *Missae vespertinae* celebrationem in favorem christifidelium, qui navibus addicuntur, maritimo itinere perdurante » (S. Offic. 31. maii 1953., AAS 1953., 426.).

c) **De modo celebrationis.**

Praetermissis praescriptis maximi momenti de dispositione corporis (ieiunium eucharisticum) et animae (status gratiae), si desit, per confessionem procuranda (cf. infra De SS. Euch. E. 3. et 4.) *octo regulae* statuuntur:

I. Regula: Celebrare debet in Ecclesia Latina *sacerdos solitarius cum ministro*, ut. can. 803. edicit: « Non licet pluribus sacerdotibus concelebrare, praeterquam in Missa ordinationis presbyterorum et in Missa consecrationis Episcoporum sec. Pontificale Romanum ».

a. At etiam in Ecclesia Latina habetur concelebratio Fer. V. in Coena Domini in Ecclesia *Bracarensi*, quae suum proprium ritum retinuit; in ritibus autem *Orientalibus* catholicis quoque adhuc viget, ubi admittitur singulis concelebrantibus licere stipem pro sua oblatione percipere (Vermeersch-Creusen n. 262.).

b. Sacerdos debet celebrare *cum ministro*: « Sacerdos Missam ne celebret *sine ministro*, qui eidem inserviat et respondeat », hic autem minister debet esse sexus *masculini*, nam: « Minister Missae inserviens ne sit mulier, nisi, deficiente viro, iusta de causa, eaque lege, ut *mulier ex longinquo* respondeat nec

ullo pacto ad altare accedat » (can. 813. § 1. et 2.). Observatio *utriusque* praecepti e communi sententia theologorum *graviter* obligat, propter periculum scandali et dignitatem Missae. Celebratio sine ministro quandoque a Sancta Sede conceditur, ita tamen, ut aliquis Missae adsit. Secus sine ministro celebrare *ex epikia* tunc tantum licet, si viaticum dandum esset, — ut populus vel ipse sacerdos die festo praecepto adstandi Missae satisfacere possit — si minister incepta Missa e loco absedat — tempore pestilentiae, si sacerdos debeat per notabile tempus abstinere a celebrando (S. C. Disc. Sacr. 1. oct. 1949.).

c. Minister potest esse *etiam sacerdos;* hoc tamen prohibetur, ut « sola honoris aut sollemnitatis causa » presbyteri assistentis more se gerat, nam hoc tantum competit praelatis usui pontificalium fruentibus (can. 812.). Sacerdos caecus non caecutiens *debet* habere presbyterum assistentem (Instructio S. Rit. Congr. 12. ian. 1921.). Item ubi moris est, *neo-presbyter* primam Missam celebrans potest habere presbyterum, qui eum adiuvet (« manuductorem ») et inter suam functionem uti potest etiam stola (S. Rit. Congr. d 3515,7. die 11. iun. 1880.), vel ab initio Missae, vel ab incepto Canone sec. consuetudinem, a fortiore pluviali.

II. Regula: *Semel in die potest tantum celebrare* sacerdos iuxta can. 806.: « Non licet sacerdoti pluries in die celebrare Missas ».

a. *Excipiuntur duo dies*: (1) *Nativitas Domini,* quando omnes tres Missas, uti vidimus, titulo iustitiae potest celebrare (can 824. § 2.). Sacerdos autem *caecutiens,* qui privilegium habet semper Missam de Beata dicendi, potest ter eodem die celebrare eandem Missam (S. Rit. C. d 4356. 26. ian. 1920.). At nemo *tenetur* tres Missae celebrare, ergo qui unam tantum celebrasset, debet legere eam, quae magis respondet horae celebrationis: primam si noctu, secundam, si mane, tertiam si in die celebraverit, similiter qui duas tantum litaret. — (2) Inde ab anno 1915. in *Commemoratione Omnium fidelium defunctorum* tres Missae legi possunt, sed hoc die tantum una Missa potest pro stipendio applicari, aliae duae « ad intentionem Romani Pontificis » et « pro omnibus fidelibus defunctis »; nil interest, quali ordine applicat Missas. Qui *duas* tantum vellet celebrare, pro una stipendium accipit, alteram dicit pro omnibus fidelibus defunctis, qui *unam* maluit celebrare, licite stipendium accipit pro ea. Quod *textum* attinet: qui unam tantum celebrat, formulam primam debet adhibere, item is qui Missam cum cantu celebrat, alias autem ritu Missae lectae (Const.Apost. Benedicti XV. « Incruentum altaris sacrificium » 10.aug.1915; AAS 1915, 401-404, et Missale rubr. spec. 2.nov.). Precationes in fine Missae (Leonis XIII.) tantum in fine Missae ultimae dicendae sunt.

b. Si quis acceperit *indultum apostolicum,* pluries potest in die celebrare, etiam ter vel quater secundum indultum. *Ordinarius* autem permittere potest « non plures quam *duas* Missas eidem sacerdoti », sequentibus conditionibus:

Prudenti ipsius iudicio, si
« propter penuriam sacerdotum
« die festo de praecepto (suppressis ergo non)
« notabilis fidelium pars Missae adstare non possit »;
pars sunt sec. Vermeersch (n. 292) viginti, sec. Noldin (n. 208,2. a.) triginta

circiter personae. Pro diebus aliis, vel plus quam duae Missae, tantum a Sede Apostolica permitti possunt.

Notanda: Haec facultas plures Missas celebrandi est *realis*, ergo quilibet potest celebrare duas vel plures Missas, ubi hoc permissum est. *Dein*: in casu necessitatis, ut puta, cum aliquis sacerdos repentine morbo corripitur, potest celebrare alter pluries et Ordinarium *postea* certiorem reddere, si nec per telephonium adiri possit (Noldin-Schmitt n.208,2.).

III. Regula: *Missa debet complete celebrari*, i.e. si sacerdos celebrans deficiat inter Missam, sacrificium compleri debet per alium sacerdotem etiam non ieiunum (cf. supra C.2.b.I.Regula,3.°.).

IV. Regula: *Missa debet continuate celebrari*, seu sine interruptione, quod tum natura rei, reverentia nempe tanto sacrificio debita suadetur, tum lege positiva praecipitur: « Non debet advertere quemcumque in alio altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed *continuate* prosequi Missam suam usque ad finem » (Rit. cel. III,4.). Interruptio potest esse *ordinaria*, eo sensu nimirum, quod ipsa s.liturgia hoc praecipit vel permittit; vel, potest esse *extraordinaria*, quae propter necessitatem fit.

a. *Ordinariae interruptiones* sunt: *primario*: *functiones liturgicae* inter Missam etquidem
ordinationes sacerdotales (ordines minores et maiores, consecratio episcopi),
benedictio abbatis,
votorum religiosorum professio (ad offertorium, vel ut in Societate Jesu, post communionem celebrantis),
consecratio olei (ad orationem « Per quem haec omnia »)
benedictio sponsorum intra Missam.
Secundario autem sunt *sermones* infra Missam habendae:
praedicatio: « Si autem sit praedicandum, concionator finito evangelio, praedicet » (Rit.cel.VI,6), dein:
ante communionem fidelium, post sumptionem sanguinis sermo de SS. Eucharistia fieri potest « semel tantum ante fidelium communionem, si haec locum habeat » (Rit.Congr. d 3529. mart. 1881.).

b. *Interruptio extraordinaria*, i.e. non praevisa et ordinata per leges liturgicas, fieri potest tantum e gravissima causa, si interruptio essentialis sit, i.e. si fiat inter consecrationem unius speciei et communionem inclusive. Talis esset: mortis periculum e.gr. tempore incursus aërei, SS.Eucharistiae profanatio, vel si moribundus absolvi vel baptizari deberet. Si post consecrationem primae speciei abrumpenda sit Missa, sacerdos sumat hostiam vel eam auferat in tutum locum, ibique continuat Missam. Si *utramque speciem* iam consecravit et mortis vel profanationis periculum immineat, statim sumat utramque speciem. Si sacerdos brevem morbum patiatur vel ad necessaria naturae exire deberet, hoc potest facere, et deinde continuare Missam, ubi desiit post consecrationem, si ante consecrationem, tunc si spatium superet unam horam, debet ab initio incipere et materiam iam oblatam sumpto iam sanguine consumere.

V. Regula: « Sacerdos, Missam celebraturus, *deferat vestem convenientem quae ad talos pertingat*, et sacra ornamenta a rubricis sui ritus praescripta » (can. 811 § 1). a. Quod *sacros vestes* attinet, pronum est, eorum *usum* sub gravi

praecipi, *coloris* observatio — excluso scandalo, quod haberetur, si in summo festo nigro uteretur colore — sub veniali videtur obligare. *Omissio* vestimentorum sacrorum tamen in casibus *extraordinariis* sine dubio licita esse potest, ut ad confectionem viatici pro moribundo, lex enim divina praevalet (contra Vermeersch-Creusen n.297) legi ecclesiasticae; et in quibusdam *peculiaribus* adiunctis, uti visum est tempore incursionum aërearum. — **b.** Quod *vestem convenientem* attinet sacerdotis, quam infra ornamenta sacra defert, haec vestis ad talos debet pertingere et potest etiam in sacristia indui, quod mos est in pluribus regionibus. Sine omni distinctione clericali vestitus non debet admitti ad celebrandum (S. Congr. Conc. 28. iul. 1931.). — **c.** *Pileolum* (« zuchetto ») et annulum intra Missam tantum Cardinales, Episcopi et abbates benedicti possunt deferre, excepto tempore Canonis (can.811 § 2.).

VI. Regula: celebrans servare debet admonitionem: « Sacerdos ne omittat ad Eucharistici sacrificii oblationem *sese piis precibus disponere,* eoque expleto, *gratias* Deo pro tanto beneficio *agere* » (can. 810.). *Matutinorum* et *Laudum* absolutio secundum hodiernam opinionem doctorum directive, non praeceptive suadetur (Rit.cel.1.1), item *praeparatio,* quae in Missali habetur « pro opportunitate sacerdotis facienda ». *Gratiarum actio* autem videtur magis praeceptiva esse, nam sacerdos « redit ad sacristiam, interim dicens antiphonam Trium puerorum et Canticum Benedicite » (Rit.cel.XII.6), sed sec. Vermeersch non constat, istas rubricas obligare sub peccato.

VII. Regula: celebranti *nihil licet omittere,* nam sec. can. 818. « sacerdos celebrans accurate et devote servet rubricas », atqui omissio evidenter contra rubricas fieret, Rubricae directivae non obligant sub peccato. **a.** Alia autem diiudicantur secundum eorum momentum et coniunctionem cum Missa, num eorum omissio *grave* peccatum constituat. E Canone omittere aliquid sine dubio grave erit, S.Alphonsus exempli instar affert « decem nomina Sanctorum » in Communicantes. Melius autem est considerare, undenam habeat omissio suum fontem: si ex negligentia, nimia festinatione et distractione proveniat, grave erit; grave esset quoque omittere partes ordinarias: Confiteor etc., epistolam, graduale, evangelium, collectam primam, offertorii et communionis preces, praefationem, Pater noster. — **b.** Veniale non excederet sec. auctores omittere orationes imperatas, Gloria, Credo, sequentias, prophetias Missae, ultimum evangelium, immo passionem. — **c.** Adiici tamen debet: si per haec *scandalum* fieret, peccatum per se leve grave evaderet. Sine dubio grave esset omittere caerimonias, quae mysticam habent *significationem,* ut mixtionem aquae cum vino, fractionem et immixtionem hostiae cum sanguine, purificationem calicis, sine omni haesitatione fateri debemus, grave esse omissionem elevationis, vel ostensionis Hostiae ante communionem. *Ceteros ritus* omittere, e.gr. genuflexiones, benedictiones, inclinationes, per se sine contemptu, leve esset et si adsit causa iusta, licitum, si quis e.gr. propter morbum rheumaticum non posset genua flectere.

VIII. Regula: *nihil licet addere* Missae: « Sacerdos caveat, ne alias caeremonias aut preces proprio arbitrio adiungat » (can.818), ad quod reducendam esse etiam *qualemcumque mutationem* iure dicitur. Tempore Tridentini necessaria erat quam maxime praeceptum severum: ne celebrantes « ritus alios aut alias caeremonias et preces in Missarum celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab ecclesia probatae fuerint » (sess. XXII. decr. « Quanta cura »),

ad quod S.Pius V. 1570. adiungit: « Quam quae in hoc Missali contineantur». Nostro autem tempore iterum quando innovandi pruritus temerario ausu « novas deliberato consilio liturgicas consuetudines » invexit, vel « obsoletos iam ritus reviviscere » iubet, non defuerunt, «qui in augusto peragendo Eucharistiae sacrificio vulgari lingua » usi sunt, « nonnullos festos dies ad alia tempora transferebant, et ex legitimis publicarum precum libris sacra Veteris Testamenti scripta » expunxerunt, ut Mediator Dei conqueritur (n.58.). Tales additiones et mutationes ab Encyclica praelaudata « omnino reprobantur», *gravitas* huius peccati sine dubio iam antea certo constabat, v.gr. Vermeersch: « Quidquid animo inducendi novum ritum adiunxeris, mortale est » (n.301), quod praesertim nostro aevo valet, quia Ecclesia tales conatus vehementer reprobat. Ideo post hanc Encyclicam et can. 818. probabilitate caret sententia S. Alphonsi, non esse peccatum aliquam orationem e devotione privata addere ex iis, quae in Missali continentur. Ideo consulendum, etiam orationes iaculatorias vel elevationes animi ad Deum inter sacras functiones, puta genuflexionem, elevationem *sola* mente concipere (Noldin-Schmitt n.212, 3.). Missae *speciem* seu qualitatem mutare, secluso *scandalo* vel *contemptu*, aut *nisi frequenter*, diebus vetitis, Missae diei non convenientes dicantur, veniale non excedit (sec. S. Alphonsum, Lehmkuhl, Vermeersch).

Mutationes vel additiones non sunt, quae ex necessitate fiunt, ut si sacerdos baculo indigere debeat, vel utroque brachio inniti super altare, vel si ante communionem populi intra Missam digitos lavare debeat super calicem propter gravedinem narium (Schnupfen, nátha).

Scholion: de celebratione in ecclesia aliena:

Quaestio haec nunc decisa est per Cod. Rubricarum (n. 274-284). — 1°. *Principium* est: in ecclesia vel oratorio publico, item in oratorio semipublico *principali* seminarii, domus religiosae, collegii, nosocomii, carceris etc. quilibet sacerdos calendarium (directorium) sequitur illius ecclesiae etc. (NCR n. 275). Ideo e.gr. sacerdos dioecesanus celebrans 21. mart. in ecclesia O.S.B. debet Missam dicere propriam cum sequentia et praefatione, vel 20. iul. Missam propriam S. Eliae proph. penes Carmelitas, dum benedictinus 21. mart. in ecclesia dioecesanorum celebrans Missam dicit ferialem cum commemoratione festi. — 2°. Haec tamen non valent *de ritu*: retinere debemus enim caeremonias et Ordinarium Missae proprii ritus (NCR 284), non possumus e. gr. nos conformare ritui Ord. Praedicatorum. — 3°. *Benigna concessio*: quilibet sacerdos *potest* uti proprio calendario **a.** in oratorio *secundario* seminarii, domus religiosae etc. (NCR 276), — **b.** similiter celebrans in oratorio *privato* (NCR 277), — item **c.** *extra locum sacrum* celebrans in altari portatili (ibid.), — demum *in navi*, sed extra oratorium fixe constitutum navis, quod est publicum, simili modo qui legitime celebrat in itinere *aereo*, *fluviali*, vel *viae ferreae* (NCR 279). — 4°. *Duae restrictiones* dantur quoad hanc concessionem — **a.** si oratorium secundarium *tantum religiosis* inservit (NCR 283 d.), — **b.** si habetur festum *patroni principalis* nationis, regionis, provinciae ecclesiasticae vel civilis oppidi seu civitatis, dein in *anniversario dedicationis* ecclesiae cathedralis, demum in aliis *festis actu* feriatis, ergo quae tunc solum hac vice celebrantur (NCR 278). — 5°. Calendario *dioecesano* uti debent *religiosi* in ecclesia cathedrali v. seminariis ipsis commissis, vel si chorus adnexus sit ecclesiae cleri dioecesani, vel si careant proprio calendario (NCR 282).

4. De requisitis ad celebrationem.

Tres requiruntur res consecratae, quatuor res benedictae et quinque res non benedictae, ut Missa rite celebrari possit.

a) De tribus rebus consecratis.

Nunc agitur de iis, quae immediate ad celebrationem requisita sunt. Inquantum haec requisita debent esse consecrata, *tria* habentur, quae necessaria sunt ad Missam: *altare, calix, patena.*

1° **Altare** (ab « alta ara ») est locus celebrationis: « Missa celebranda est super altare » (can.822. § 1) est principium generale. Tres species altaris distinguuntur:

a. *Altare immobile seu fixum,* quando mensa superior una cum stipitibus per modum unius consecrantur (can.1197 § 1.n.1.). Altare immobile debet habere: (1) mensam *lapideam,* quae protendi debet ad integrum altare, et quidem lapis unicus, naturalis, non friabilis, non ergo lapis arte factus ex caemento etc. (can.1198 § 2. et 1.). (2) Mensa apte debet cum stipite *cohaerere,* « stipes autem sit lapideus, vel saltem latera seu columellae quibus mensa sustentatur sint ex lapide » (ib.). (3) Altare immobile semper *consecrandum* est etiamsi ecclesia non sit consecrata, in ecclesia consecrata saltem altare maius debet esse consecratum (can. 1197 § 2.). Ut consecratio rite peragi possit, altare immobile *distare debet* a pariete templi; commendari potest distantia saltem 1.5 m., ut thurificatio altaris per circuitionem commode peragi possit. Consecratio altaris « quamvis omni die fieri possit, magis tamen decet ut fiat *die dominico* aliove *festo* de praecepto » (can. 1199 § 3.). *Officium Sanctorum,* qui in altaris immobilis « confessione » seu sepulchro occasione consecrationis sepeliendi sunt, pridie publice debet a clericis peragi. Consecratio altaris immobilis pertinet ad *Ordinarium loci* (can. 1155.). *Titulus primarius altaris* maioris idem debet esse ac titulus ecclesiae (can. 1201 § 2), *mutari* non potest si altare immobile sit, nec de Ordinarii loci licentia (ib. § 3.). Quando altare amittit consecrationem cf. can. 1200.

b. *Altare mobile* intelligitur constitutum e duabus partibus: ex ara portatili seu petra sacra consecrata et e stipite, quae tamen non fuit una cum eadem consecrata (can.1197 § 1.n.2.). Altaris mensa potest esse etiam lignea; ab altari stricte portatili *differt* in eo, quod altare tale mobile semper in ecclesia eodem loco manet, dum ara stricte portatilis solummodo e petra consistit sacra, quae ubicunque poni potest sec. regulas iam traditas. Altaria in ecclesia tantum benedicta omnia possunt esse mobilia (can. 1197 § 2), non debent habere proprium titulum (quod sequitur e can. 1201 § 1), altare maius debet habere eundem titulum ac ecclesia (ib. § 2), hunc titulum de Ordinarii licentia mutare possunt (ib. § 3.).

c. *Altare stricte portatile* nihil aliud est ac petra sacra, quae tam ampla debet esse, ut saltem hostiam et maiorem partem calicis capiat (can.1198 § 3), debet esse ex lapide et in medio continet «sepulchrum » cum reliquiis Sanctorum.

2°. *Leges de altaribus* sunt:

a. *Orientatio altaris* secundum consuetudinem Occidentis est versus Orientem, quia ecclesiae versus hanc regionem aedificantur, altare autem iam inde a multis saeculis ad parietem adpropinquatum est. Inde altare maius quoque, a fortiori alia altaria non spectant versus populum, sacerdos autem terga vertit fidelibus. Lex quae hoc praescribat non existit, ideo nostris diebus nonnullis in locis incipiebant altaria construere « *versus populum* », praesertim in Germania et Gallia. *Leges liturgicae* adhuc vigentes supponunt, posse esse talia altaria: « Si altare sit ad Orientem versus populum » (Ritus celebr. V,3 et XII,2), quod aliquis « ius consecratum » vocavit («diritto consacrato »: V.Oderisi in Ephem.Liturg. 1946, 204-206.). *S.C.Rit.* 9.oct.1610 declaravit Missam versus populum fieri « decentius, convenientius et commodius....etiam populo », *sed* hoc decretum in collectionem authenticam non est transsumptum. *In Urbe* annis elapsis cum beneplacito Eminentissimi Vicarii Cardinalis in Catacumbis erecta sunt altaria versus populum (Oderisi l.c.). Iure autem *monere debemus*, « quae per se licent, non semper expediunt » (S.C.Rit. decr. 4. aug.1922. de Missis dialogatis), ideoque Ordinarius adiri debet propter inconvenientia facile nascitura Episcopatus Galliae ideo 20 iun. 1945 declaravit usum huius altaris a solis Ordinariis dependere (M.Michard, La célébration de la Messe face au peuple, *in*: La Maison-Dieu 1945, 2, 93-116. D.F.V. L'autel face au peuple, *in*: Quest.lit.par. 1945, 73-77.). Cf. infra Tract. XI.B.2.c.3°.

b. *Reliquiae Sanctorum* debent esse in sepulchro tum altaris immobilis, tum petrae sacrae, si altare mobile sit (can. 1198 § 4), et quidem «ad normam legum liturgicarum », quae fere sequentes sunt. « *Sepulchrum* » seu confessio in altari immobili *quadruplex* potest esse: vel in ipsa *mensa*, clausum lapide, vel in « parte *anteriore* » stipitis, vel « in parte *posteriore* stipitis », vel « in *medio* summitatis stipitis », et tunc sepulcrum per impositionem ipsius mensae clauditur — in his tribus casibus posterioribus habetur stipes, quae totum spatium subtus altare expleat, sed primus modus sepulcri commodior est aliis. In sepulcro poni debet capsula argentea, in qua reliquiae conduntur; secundum praescriptum Pontificalis Romani ibidem etiam *tria grana incensi* et *documentum* consecrationis in ea includi debent. « Pro *valida* consecratione altaris fixi vel portatilis sufficit, ut in sepulcro includantur reliquiae unius martyris *et* confessorum aut virginum *vel* unius solummodo martyris » (C. Rit d. 4180,3 16.febr. 1906.).

c. « Altaria *Beatis* etiam in ecclesiis et oratoriis quibus eorum officium et Missa concessa sunt, dedicari nequeunt, sine Sedis Apostolicae indulto » (can. 1201 § 4.).

d. « Subtus altare nullum reconditum sit *cadaver*, cadavera autem quae prope altare sepulta forte sunt, distent ab eo saltem *spatio* unius metri, secus Missam in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur » (can. 1202 § 2); ubi evidenter non intelliguntur ossa Sanctorum.

3°. **Calix** consecratus debet adhiberi in Missae celebratione, qui sec. legem Ecclesiae debet esse:
« vel aureus — vel argenteus — aut saltem habere cuppam intus deauratam — vel stanneus » (Defect.c. Missam X,1),

« ab Episcopo consecratus » (Rit.cel. I,1),
« non aerea vel vitrea » (Defect.X,1),
« non amittit consecrationem ob consumptionem vel renovationem auraturae, salva tamen, priore casu, gravi obligatione deaurandi » (can.1305 § 2);
amittit consecrationem sec. generalem regulam, si: « tales laesiones vel mutationes subierit, ut pristinam amiserit formam et iam ad suos usus non habeatur idonea » et si « ad usus indecoros adhibita vel *publicae* venditioni exposita fuerit » (can.1305 § 1),
curandum « ne calix cum patena tangatur, misi a clericis *vel* ab iis, qui eorum custodiam habent ». (can. 1306 § 1.).

4°. **Patena** easdem habet qualitates ac calix.

b) De quatuor rebus benedictis.

Quatuor res benedictae requiruntur ad celebrationem: mappae altaris — vestes liturgicae — corporale — palla.

1°. **Mappae altaris** tres requiruntur sec. consuetudinem lege sancitam Ecclesiae: « Altare operiatur tribus mappis seu tobaleis », quarum qualitates sunt:
« mundae » sint oportet, et lineae (CRit d 2600),
« ab Episcopo vel alio habenti facultatem benedictae » (cf. Rit.Rom.Tit. IX, c.9,4.).
« superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat », a lateribus ut patet;
« duabus aliis brevioribus, *vel* una duplicata » (Rubr. gener. Missalis XX.). Chrismale, i.e. linteamen cera obductum tantum post consecrationem altaris requiritur (Eisenhofer I, 353.).

2°. **Vestes liturgicae** sunt *vestimenta ima* (Unterkleider alsó ruhák) et vestimenta *summa* seu exteriora (Oberkleider, felsö ruhák), *ima*: amictus, seu humerale, — alba seu tunica et — cingulum seu subcinctorium; *summa*: planeta seu casula, — stola — manipulus.

Vestimenta ima debent esse:

linea, sec. consuetudinem legis sancitam (S.C.Rit. d 2600 18.mai.1819), sed cingulum potest etiam esse laneum vel sericum (d 3118 23. dec. 1862.).

Vestimenta summa debent esse:

a. *serica, non* possunt confici e tela linea vel « gossypio, vulgo percallo » (Baumwolle, gyapotszövet) quae « coloribus praescriptis tincta vel depicta » sunt (C. Rit. d 2769,V,3.).

b. « *coloris convenientis* officio et Missae diei » (Rubr.gen.Miss. XVIII), ad quod notanda sunt adhuc: *non* potest « color *flavus* adhiberi pro quocunque colore, nigro excepto », nec:

« paramenta confecta ex serico, variis coloribus et floribus intexta... usurpari mixtim, saltem pro albo, rubro et viridi » (C.Rit. d 2769, V. 1,2.).

c. Utraque vestimenta debent esse *benedicta* (Rit.Rom.tit.IX.c.9,1.2.). Benedicere ea possunt (Rit.Rom.tit.IX.c.1,5):

1. Cardinales et Episcopi omnes,

2. Locorum Ordinarii charactere episcopali carentes in proprio territorio,

3. Parochus pro omni territorio suo,

4. Rectores ecclesiae pro suis ecclesiis,

5. Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis.

6. Superiores religiosi et sacerdotes eiusdem religionis ab eiusdem delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesia monialium sibi subiectarum.

3°. **Corporale** debet haberi, quod debet esse:

a. « ex lino tantum », nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album» (Rit.celebr.I,1),

b. « plicatum » debet esse et super altare « extenditur » (Rit.cel.I,1 et II,2), plicatio apte fit plicando primo partem inferiorem corporalis, dein partem superiorem, item dexteram, demum partem sinistram, et

c. « benedictum » ab Episcopo vel alio facultatem habente (Rit.Rom.tit. IX. c.9,5), «alii» sunt supra enumerati.

4° **Palla** quoque praescribitur, quae debet esse

a. « *linea* » et

b. « *parva* » (Rit.cel.I,1), sed non debet esse rigida, ut moris est regionibus quibusdam, demum

c. « *benedicta* » et quidem unica formula cum corporali, quia palla unum erat quondam linteamen cum corporali eundemque habet finem.

c) De quinque rebus non benedictis.

Quinque res non benedictae requiruntur ad celebrationem: Crux — Missale — candelae — supellex altaris — demum vestimenta calicis: bursa, velum et purificatorium.

1°. **Crux praescripta est per legem:** « Super altare collocetur Crux in medio » (Rubr.gen.Miss.XX); Crux supponitur supereminere candelas, nam rubricae celebrandi idem habent « elevare oculos ad Deum, ad caelum et versus Crucem ». Non requiritur talis Crux, si imago altaris vel depicta vel sculpta Crucifixum repraesentat (C.Rit. d 1270, 2.). *Sanctissimo exposito* Crux relinqui potest, ubi consuetudo habetur, sed melius removetur (CRit. d 2365,1.). *Materia* Crucis sit ex auro, argento, vel aere deaurato, similiter candelae (Caer. Ep. I. c. 12,11.). *Monitum* Benedicti XIV. non est negligendum: « Crucifixus inter candelabra ita prominere debet, ut sacerdos et populus eundem Crucifixum facile et commode intueri possint, et imago non ita tenuis sit et exigua, ut ipsius sacerdotis et populi oculos paene effugiat » (Const. Apost. « Accepimus » 17.iul.1746.).

2°. **Candelabra** debent adesse ex eadem materia ac Crux: « Candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque (Crucis) latere » (Rubr.gen.Miss.XX.). Pro maioribus *festis* Caeremoniale Episc. vult sex candelabra, et quidem inaequali magnitudine, « quasi per gradus ab utroque altaris latere surgentia» (I, c.12,11); sed consuetudo contraria servari potest (C.Rit. d 3035,7.).

Praescriptiones quoad candelas cf. superius Stilistica sacralis D.2.c.2°.). Celebrare *sine ullo* lumine certo grave peccatum foret, et excusari posset tantum gravi necessitate vel indulto (Vermeersch-Creusen n. 331.). Sapienter monet tamen, celebrare *diverso* lumine ac candela, hodie iam non debere grave haberi, ergo deficientibus cereis, excusatio causae mediocriter gravis admitti potest (1.cit.).

3°. Requiritur **Missale,** quod semper supponitur a rubricis (Rit.cel.I.1 « ... accipit Missale, perlegit, et signacula ordinat », Missale debet poni in altari super *cussinum* Rubr. gen.XX), quod tamen substitui potest per *legile.* Sine Missali celebrare grave esset propter periculum proximum errandi. Missale tale adhibeatur oportet, quod Missas contineat etiam novissimas, secus hae Missae adiungi debent per cartulas adglutinatas. Rector ecclesiae debet advigilare, quod revera omnes Missae legi possint in eius ecclesia.

4°. **Qua supellex altaris requiruntur:**

a. *Tabella secretarum* (seu Canonis, vulgo Cartagloria) praescripta est unica: « Ad Crucis pedem ponatur Tabella secretarum appellata » (Rubr.gen. XX), vix potest ergo dici, quod sub peccato requiri non videtur (Vermeersch-Creusen n. 332.). Inde a saec. XVII. adhuc aliae duae tabellae in latere adhibentur, quod tolerari potest ad maiorem commoditatem celebrantis (Gavantus, Thes.sacr.rit. ad Rubr.gen.XX.). Tabellae hae tantum durante Missa in altari sint, postea removeri debent (C. Rit. d 3130,3.).

b. Aliae res similes sunt: *tintinnabulum,* cuius usus a rubricis praescriptus est (« parva campanula » Rubr.gen.XX), de cuius usu cf. inferius De Eccl. orante F.7.d).

c. Non est stricte praescriptum *antipendium, — conopaeum* est stricte obligatorium, sed etiam hic datur consuetudo contraria legi. Praescribuntur *ampullae, pelvicula* et *manutergium* (Rubr.gen.XX.).

5°. **Vestimenta calicis** quae non benedicuntur, sunt: bursa, velum, purificatorium. a. *Bursa* debet esse « coloris paramentorum » (Rit.cel.I,1), ut intus habeat corporale plicatum, quod nunquam nudum portari debet, ideo etiam ad communionem extra Missam corporale semper in bursa portetur oportet, quae ut sit eiusdem coloris ac stola sacerdotis, convenit » (C. Rit. d 3515,1.). b. *Velum* debet esse « sericum » eiusdem coloris ac paramenta. c. *Purificatorium* debet esse « mundum » (Rit.cel.I,1), quod impossibile est, nisi saltem per hebdomadam renovetur. Notandum, quod « purificatoria, pallae et corporalia in Missae sacrificio adhibita, ne tradantur lavanda laicis etiam religiosis, nisi prius abluta fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto, aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem » (can. 1306 § 2.).

5. De defectibus in celebratione occurrentibus.

Agendum est de defectibus occurrentibus, a) circa materiam, b) circa formam, c) circa ministrum et demum, d) circa ministerium.

a) Quod **materiam** attinet, aliqui casus discutiuntur, quid faciendum, si intra Missam deprehenderit, materiam esse corruptam aut invalidam.

1°.Si celebrans *ante consecrationem* adverteret panem esse corruptum aut non triticeum, vel vinum aut aquam non esse in calice, vel corrupta esse: tunc removet illam hostiam, *vel* statim imponit vinum cum aqua. Dein « facta oblatione saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco ubi desivit ». Si hoc deprehenderit *post* consecrationem corporis, sed *ante* consecrationem sanguinis, similiter facit incipiendo a verbis: « simili modo... »

2°. Si celebrans *post consecrationem* defectum talem essentialem deprehenderit, etiam post hostiae *vel* aquae quam vinum putavit, *vel* corrupti seu aceti (vel olei etc.) sumptionem: novam materiam apponit, mente offert et consecrat, incipiendo a « Qui pridie » et consumat, nil curando de ieiunio eucharistico, nam praeceptum de perfectione Sacrificii maioris est ponderis, quam quod a ieiunis sumatur.

3°. Si *post sumptionem* deprehenderit defectum sive quoad panem sive quoad vinum: debet apponi *novus panis* et *novum vinum* cum aqua, *si iam sanguinem* sumpserit, ergo etiam in casu, quod aliqua materia valide consecrata fuit. Fit oblatio mentalis, consecratio inde a « Qui pridie », sine elevatione ad praecavendum scandalum, et dein « statim sumat utramque, et prosequatur Missam, ne sacramentum remaneat imperfectum et ut debitus ordo servetur ». Si autem « Missa celebretur *in loco publico,* ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua (ergo non novam hostiam quoque, supposita consecratione valida hostiae!) et facta oblatione ut supra, consecrare ac statim sumere et prosequi cetera » IV,5.). Hic modus autem tantum tunc conceditur, si scandalum vitandum sit, nempe admiratio populi, quod novam Hostiam apportari iubet et talia. (Hucusque enarrata cf. copiosius in Defectibus circa Missam occurrentibus III,4-7 et IV,3-6.).

4°. *Casus extraordinarius,* si « *Hostia consecrata dispareat,* vel casu aliquo (si e.gr. cecidisset in terram et inveniri sine magno scandalo non posset), ut vento aut miraculo, vel ad aliquo animali accepto et nequeat reperiri, tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo: Qui pridie facta eius oblatione ut supra », sc. mentali (III,7.). Simili modo, si sanguis annihilaretur, praesertim per effusionem, tunc: « Si contingat totum *sanguinem post consecrationem effundi,* si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur.... Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum et aquam et consecret ab eo loco: Simili modo...facta prius tamen calicis oblatione ut supra » i.e. mentali (X,13.). In his casibus extraordinariis ergo *non* consecratur *utraque* species.

b) Quoad defectus **circa formam** conferantur dicta inferius (De SS.Eucharistia B.4.).

c) Quoad defectus **ex parte ministri** primo *intentio* celebrantis perlustratur. Monitum servandum est: « Quilibet sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet *consecrandi eas omnes,* quas ante se (hostias) ad consecran-

dum positas habet » (VII,1.). Dein: « Si sacerdos putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse *duas simul iunctas,* in sumptione sumat simul utramque. Quod si deprehendat post sumptionem corporis et sanguinis aut etiam post ablutionem, *reliquias aliquas* relictas consecratas, eas sumat, sive parvae sint sive magnae, quia ad idem sacrificium spectant » (VII,2.).

d) Quoad defectus **in ministerio occurrentes notentur sequentes casus:**

1°. *Primus* casus est, si violetur ecclesia vel si ruina timeatur, de quibus iam actum est.

2°. *Secundus* casus est, si celebrans defecerit sive morbo sive morte, de hoc conferatur quod dictum est de sacrificio complendo (C.2.b.Regula I.3°.).

3°. *Tertius* casus est, si aliquid *ceciderit in calicem* (X,5,6.). Potest esse musca vel aranea, vel aliquid venenosum, vel quod provocaret vomitum. Tunc **a.** si haec *ante* consecrationem acciderint, vinum in locum decentem proiiciendum est, novum vinum miscendum et offerendum («ut supra », ergo saltem mente, nec oratio dicenda ad mixtionem), et prosequatur Missam — supposito, quod haec iam post offertorium deprehensa fuerint. — **b.** Si *post consecrationem,* tunc distinguendum, num sanguis sumi possit sine periculo aut veneno se imbuendi aut per nauseam sanguinem evomendi. Nam e.gr. musca etc. extrahitur, lavatur vino et post Missam comburitur, sanguis autem sumitur. Si hoc non potest fieri, propter venenum vel propter nauseam, tunc: vinum consecratum reponendum et finita Missa sanguis in panno lineo vel stuppa seu bombacio repositus tamdiu servetur, donec species desiccatae fuerint, tunc comburenda est stuppa et cinis in sacrarium proiciendus. Et aliud vinum est ponendum et consecrandum (X, 6).

4°. *Quartus* casus est de *Hostia consecrata,* quae praecipue quinque calamitates pati potest. **a.** Si Hostia *fracta* inveniatur ante consecrationem, nisi populo evidenter appareat, consecretur. Secus autem alia accipiatur et offeratur. « Quod si illius hostiae iam facta erat oblatio, eam post ablutionem sumat » (X,9.). **b.** Si aliquid *venenatum* contigerit Hostiam consecratam (hodierno tempore dicere possumus: « aliquid contagiosum », vel aliquae guttulae Gazii occasione incursionis aëreae), alteram consecret modo descripto. Hostia autem servanda in tabernaculo, donec corrumpantur species, corruptae autem proiici debent in sacrario (X,7.). Ut citius corrumpantur species, possunt mitti in tabernaculo in aliquod vas mundum aqua plenum. **c.** Si sumendo sanguinem, *particula remanserit* in calice, digito eam ad labium calicis adducat, vel vinum infundere et sic sumere (X,8.). **d.** Si hostia consecrata *dilabatur in calicem,* omnia peragi debent cum parte quae non fuerit madefacta sanguine. Si tota madefacta est, relinquenda est in calice, et « omnia dicat, omittendo signa, et sumat pariter corpus et sanguinem signans se cum calice et dicat: Corpus et sanguis Domini... (X,10.). **e.** Demum, si Hostia sive maior, sive particula eius, vel Hostia parva dilabatur *in terram,* reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit, mundetur et aliquantulum radatur et pulvis seu abrasio huiusmodi in sacrarium immittatur. Si in mappam altaris vel in linteum ceciderit, hoc diligenter lavetur et lotio in sacrarium proiciatur (X,15.).

5°. *Quintus* casus habetur *de SS. sanguine.* Si in hieme *congelatur* in calice, liquefieri debet, congelatum non potest consecrari (X,11.). Si aliquid de

sanguine Christi *ceciderit* super terram seu tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur, quantum satis est, et abrasio comburatur, cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super linteamina altaris, vel in corporali, vel in vestibus sacerdotalibus ceciderit, debet ablui, et ablutio in sacrarium proiici, similiter si id in substrato pedibus panno, vel tapeto acciderit (X,12.).

6°. *Sextus* casus est, si *sacerdos evomat Eucharistiam.* Si « *species adhuc integrae* appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat », — quod fere semper contingit, nam vomitus iam nauseae signum est — « tunc enim species consecratae caute separentur, et aliquo loco reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium proiiciantur. Quod si species *non appareant*, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur » (X,14.). Vomitus huius combustio fieri potest eo, quod bombacio vel stuppa colligitur et sic comburitur.

6. De obligatione Missae adstandi.

Ad leges cultuales sacrificii Missae pertinet etiam lex Missae adstandi, quae prima pars est legis de sanctificatione festorum, secunda enim pars huius legis est cessatio a quibusdam actionibus. Tractandum ergo est: a) De fontibus obligationis, — b) de substantia obligationis, — c) de subiecto obligationis, — d) de tempore obligationis, — e) de loco obligatorio, — f) de modo obligatorio, g) de excusatione ab obligatione, — h) de rationibus Missam participandi, demum — i) de obligatione cessationis diebus festis.

a) De fontibus obligationis.

1°. Procul dubio primus fons obligationis sanctificandi quosdam festos dies pertinet *ad naturam hominis*, qui cognovit Deum ut creatorem totius universi. Idem historia religionum nobis demonstrat, aliqua festa in omnibus religionibus inveniri: cultus enim communi et publico modo ex se postulat, ut statis temporibus fiat, communitas enim quaedam solum condictis temporibus convocari potest.

2°. Certum est sanctificationem diei cuiusdam recurrentis *a iure positivo divino ordinatam* esse, dies hic est in Veteri Lege sabbatum, in Nova Lege dominica, quae indolem sanctitatis subbati haereditavit. Diem enim septimum cycli hebdomadarii dierum ipse Deus praecepit sanctificandum esse: « Memento ut diem sabbati sanctifices! Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est » (Exod 20,8-11.). Quia cultus sabbatinus ad legem abolitam Veteris Testamenti pertinebat, probabilius iam Apostoli loco huius diei coeperunt sanctificare diem primum hebdomadae, quo Dominus resurrexit, Spiritumque Sanctum misit. Probabilior sententia docet legem esse divinam positivam *aliquem* diem uniuscuius *hebdomadae* sanctificandum esse, non posse ergo determinari e.gr. nonus vel decimus dies.

3°. Electio praecise dominicae, omniumque aliorum dierum festorum *ab Ecclesiae auctoritate* procedit: « Observantia diei dominicae in nova lege succedit observantiae sabbati, non ex vi praecepti legis (sc. divinae), sed ex constitutione Ecclesiae et consuetudine populi christiani » (II-II q.122.a.4.ad 4.). Dominicae sanctificatio revera statim ab initiis Ecclesiae observatur (cf. Heor-

tologia B.1), cetera festa pedetentim evoluta et ab auctoritate Ecclesiae ordinata sunt.

b) De substantia obligationis.

1°. « *Festis de praecepto diebus Missa audienda est* », dicit can. 1248. *Gravitas* huius praecepti inculcatur a perenni usu Ecclesiae, peculiariter vero edicta fuit ab Innocentio XI. per damnationem propositionis: « Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus» (S.Offic.4.mart.1679. Denz 1202.).

2°. Iuxta consensum auctorum requiritur assistentia facta *unius integrae. Unius Missae*: i.e. nullo mod duarum Missarum quae *simultanee* leguntur, quando e.gr. in uno altari audit Missam usque ad consecrationem, eodem vero tempore in alio altari audit Missam a consecratione ad finem Missae. Hoc item damnatum fuit ab eodem Summo Pontifice Innocentio XI.: « Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit » (Denz 1203.). Si ad unius Missae consecrationem et communionem praesens fuerit, poterit partem usque ad consecrationem ex alia Missa supplere, minimum ergo est *successive* duabus Missis adstare modo dicto. *Integrae Missae* debet astare: per se ergo ab initio usque ad ultimum evangelium Missae. Veniale non excedit, si tertia pars circiter Missae omittitur, nullo modo essentia Missae, consecratio. Iuxta auctores ergo leve peccatum esset omittere partem Missae didacticam usque ad evangelium inclusive, vel solum partem offertorialem, vel solam praefationem, vel omnia post communionem sacerdotis, grave reputatur iam omissio Canonis usque ad consecrationem vel etiam a consecratione usque ad « Pater noster ».

c) Subiectum obligationis.

Iuxta legem generalem Ecclesiae tenentur ad observationem huius praecepti omnes qui baptismum receperunt, ergo per se etiam haeretici, qui tamen a peccato formali propter ignorantiam invincibilem plerumque excusantur, non tenentur ii, qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec pueri, qui, licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt (can.12), etsi commendandum est, pueros iam a teneris annis suaviter ad Missae adstantiam inducere.

d) Tempus obligationis.

Missae adstandi praeceptum latum est pro « *festis de praecepto* diebus » (can.1248), hi autem dies sunt: Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et SS.Corporis Christi. Immaculatae Conceptionis et Assumptionis BMV., S. Joseph eius Sponsi, BB. Petri et Pauli, Omnium denique Sanctorum (can.1247 § 1.). In multis regnis aliqua ex his festis transferuntur in sequentem dominicam, vel non celebrantur qua festa fori, sic in Austria, Hungaria festum S.Joseph, in Gallia festum Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi. Festa Patronorum non subiacent ecclesiastico praecepto (can.1247 § 2.).

e) Locus obligatorius

praecepto satisfaciendi est: « sub divo, aut in quacumque ecclesia vel oratorio publico aut semipublico et in privatis coemeteriorum aediculis, non

vero in aliis oratoriis, nisi hoc privilegium a Sancta Sede concessum fuerit » (can.1249), cf. in hoc tractatu F.3.b.2°. Praecepto adstandi Missae ergo in oratorio privato solum ii satisfaciunt, quibus indulto Sanctae Sedis erectum est, clausulae ergo indulti stricte observandae sunt. Si indulto comprehenduntur etiam hospites indultarii, sufficit si eo die ad prandium invitati sunt (Prümmer).

f) Modus obligationis.

Duo comprehendit:

1°. assistentiam corporalem et cultualem. *Assistentia corporalis* requiritur propter indolem cultus publici: solummodo ii possunt dici « una cum ipso sacerdote offerre » et participare sacrificium « cum Summo Sacerdote eiusque in terris administro » (MDei n.92.103), qui revera corporaliter adsunt et cum sacerdote reapse coniunguntur. **a.** Nullo modo ergo satisfaciunt obligationi illi, qui *ope radiophonii* audirent Missam, vel per telescopium eam observarent, multo minus ope apparatus « *televisionis* ». **b.** Si vero physice adsint, sufficit *coniunctio moralis* cum celebrante, omnes ergo qui intra ecclesiae ambitum continentur, etsi in capella aliqua laterali, ubi nil possunt videre, satisfaciunt, similiter qui in sacristia adstant, immo iuxta communem consensum etiam ii, qui extra ecclesiam stant etsi longius a ianua, dummodo cum turma fiedelium coniuncti sint. Secundum benigniorem interpretationem ii quoque valide adstare censeri possunt, qui e domo propinqua, puta e fenestris, Missae adsint, dummodo aliquid percipere queant, intentionemque habeant Missam participandi.

2°. Requiritur *assistentia cultualis,* quae constat e *duobus* momentis: recta intentione et attentione. **a.** *Recta intentio* quidem necessaria est, nam aliquis Missam visitare potest etiam intentione aliena, e.gr. musicam audiendi, vel mere urbanitatis causa, ut puta magistratus civiles alterius confessionis, vel unice ad ostendendas vestes etc. Intentio recta habetur, si praecepto satisfacere vult colendi Deum: ut Deo tribuendae gloriae « praeconium nunquam intermittatur et in Eucharistico sacrificio membra cum divino suo Capite copulentur » (MDei n.70.). **b.** Debita quoque *attentio mentis* requiritur, ut per se patet *interna*: fideles enim adimadvertere debent, participare Missam « non quiescenti neglegentique animo et ad alia excurrenti atque vaganti, sed tam impense, tamque actuose, ut cum summo Sacerdote arctissime coniugentur » (MDei n.79.). Certissime abest recta attentio, si quis per notabile tempus intra Missam dormiat, quod eodem modo diiudicandum est, ac si quis omitteret aliquas partes Missae; benigne debent utique iudicari opifices, praesertim agricultores tempore messis etc. Nullam habent rectam attentionem ideoque nec satisfaciunt, qui per longius tempus aliquid aspiciunt, res profanas legunt, qui ludunt, nugantur, colloquia miscent. Attentio adest, si aliquantum impediatur occupationibus liturgicis vel cultualibus, v.gr. qui Missae inserviunt, eleemosynas colligunt a fidelibus, quod ad offertorii rationem pertinet ideoque actus cultualis dici potest, qui campanas aut organa pulsant, qui cantant etc. Minus recte faciunt iuxta mentem Ecclesiae ii, qui nil curantes de Missa, viam Crucis peragunt vel ad alia altaria ante statuas Sanctorum orant, etsi confusam attentionem habentes praecepto satisfaciant. In iis vero qui confessionem peragunt toto tempore Missae, vel intra eius notabilem partem, iuxta Prümmer debita attentio videtur deesse, nisi vera necessitas eos excuset.

g) Excusatio ab obligatione.

Iuxta S.Alphonsum « excusat quaevis causa mediocriter gravis, scil. quae involvit notabile aliquod incommodum aut damnum in bonis animae vel corporis proprii vel proximi » (Th.Mor.III,n.324.). Causae excusantes sunt: necessitas, caritas, officium.

1°. *Necessitas* seu impossibilitas potest esse *physica,* sic excusatur caecus et simul surdus, aegrotus qui ob morbum ambulare non valet, detentio etc. Ob impossibilitatem *moralem* excusantur: qui sanitati suae probabiliter nocerent per adstantiam suam, qui nimie distant ab ecclesia, iuxta auctores quinque quadrantes horae itineris pedestris, quod secundum aetatem, conditionem sanitariam modificari potest, qui per adstantiam secus commodam itineris occasionem amitterent, alias die dominico vetatur proficisci, nisi ante iter aut in itinere Missam audiat (Vermeersch-Creusen n.794), vel si aliquid notabile damnum pateretur per Missae adstantiam in bonis fortunae, honoris, famae.

2°. *Ratione caritatis* excusantur, qui aegrotis assistunt, vel alios adiuvant e.gr. custodiendo eorum infantes, vel cooperantur aliis tempore calamitatis publicae.

3°. *Ratione officii* excusantur matres-familias, si infantes adhuc parvulos custodire debeant, pastores gregium, armentorum, custodes securitatis publicae, milites qui actuale ministerium debent praestare, qui in via ferrea, curribus electricis occupantur, saepe etiam tonsores, cellarii cauponae etc.

4°. Insuper etiam *dispensatio* dari potest ex causa iusta, quam concedere possunt. **a.** non solum *Ordinarius loci,* sed etiam *parochi,* in casibus singularibus subiectis sibi singulis fidelibus singulisve familiis, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinis: « a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et ieiunii vel etiam utriusque » (can.1245 § 1.). **b.** In *religione clericali exempta* Superiores (etiam locales) ad modum parochi dispensare possunt suos subditos aliosve qui in domo religiosa diu noctuque causa famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis degunt (can.1245 § 3. et 514 § 1.). **c.** Eodem iure parochorum gaudent *Rectores Seminariorum* (can. 1368.). **d.** Potestas haec dispensandi Ordinariorum, parochorum, Superiorum, Rectorum adnexa est officio, ideoque qua potestas ordinaria delegari potest (can. 199 § 1.).

h) De rationibus Missam actuose participandi.

Non sufficit praesentia solum corporalis SS.Sacrificio praestita, ut Ecclesia dicit, « opus est prorsus, ut *singillatim* homines *vitali modo* Crucis sacrificium attingant », scopum hunc a MDei (n.76) praefixum iam pius auctor Vermeersch (Vermeersch-Creusen n.796) optando expressit: « Ut fideles etiam humiliores, *doceantur modum* rationabilem, pium simul et iucundum, quo intersint sacro ». Varii modi quo interesse possunt Missae fideles, inde a tribus decenniis in usum venerunt, quos Ecclesia « Sacrificii participandi rationes » vocans dilaudat ac commendat (MDei n.104-105.). Ipsis verbis Ecclesiae enumerantur nunc hi *varii modi Missam « actuose participandi »* (MDei: « actuosa singulorum participatio » n. 77), qui omnes « eo potissimum spectant, ut *christia-*

norum pietatem eorumque intimam cum Christo eiusque adspectabili administro *coniunctionem* alant ac foveant » (MDei n.105.).

1°. *Primus modus,* « ut christiana plebs Eucharisticum sacrificium facilius salubriusque participet », est **usus Missalis Romani** in linguam vernaculam versi, « ut christifideles, una cum sacerdote copulati, iisdem eius verbis iisdemque Ecclesiae sensibus comprecentur » (MDei n.105.). Inde iam a fere centum annis tales versiones in lucem prolatae sunt, quae magnam utilitatem afferebant pietati fidelium. At non est oblivioni tradendum, quod « haud pauci e christifidelibus — praesertim rudiores — Missali Romano, etiamsi lingua vulgata exarata, uti nequeunt » (ib.n.107), ideo alii modi quoque excogitati sunt, ut « liturgia externo etiam modo actio sacra fiat, quam reapse omnes adstantes communicent » (n.105.). Ideoque habetur:

2°. *Secundus modus* actuosae participationis: (MDei n. 104) « cum nimirum universus populus, ex sacrorum rituum normis, sacerdotis verbis recto ordine *respondet* », utique lingua liturgica loco ministri talis ratio participandi consuevit appellari **Missa dialogata.** Rectae normae vero sunt: **a.** Coetui fidelium adstanti Missae simul et coniunctim respondere loco ministri sacerdoti celebranti licet ex licentia Ordinarii et ad mentem, quod evitentur « perturbationes quas sacerdotes celebrantes et fideles adstantes experiri possunt » (C.Rit. d 4375. 4.aug.1922); nunc iam in permultis dioecesibus Ordinarii rectum modum talis participationis praescripserunt. **b.** Abusus reprobandus et omnino amovendus est, quod fideles elata voce legant *Canonis verba* atque ipsa verba consecrationis (ibid.II.). **c.** Missa *stricte* dialogata est, quando fideles sacerdoti celebranti *respondent,* vel *simul cum eo* alta voce et concorde recitant Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus et Agnus Dei, quod praedictis cautelis licitum est (cf. etiam epist. Exc.Secretarii C.Rit. 30nov.1935. ad Aepp. Genuensem, Documenta Pontif. 1953.p.69.). **d.** *Missa* dialogata *latiore sensu* habetur, si fideles linguae liturgicae ignari lingua vernacula recitant responsiones (Ps. Iudica,Confiteor), textusque simili modo, qui cantantur in Missa sollemni (Introitum, Kyrie etc.), audiantque lectionem epistolae, Evangelii et praefationis a clerico quodam prolatam, talis modus late divulgatus solet vocari « *Missa recitata* », vel « *Missa communitatis* » (Gemeinschaftsmesse, Chormesse); descriptio talis participationis multoties data est (e.gr. H.Ch.Chéri, Communauté paroissiale et liturgie, Notre-Dame Saint-Alban, Paris 1947, p. 59-64.).

3°. *Tertius modus* est, si populus « *cantus edit,* qui cum variis *sacrificii partibus congruant* » (MDei 104), talis participationis modus vocatur « **Missa cum cantu** » (Singmesse), supponitur Missa *lecta,* pro Germania concessum est cantu vulgari comitari etiam Missam cantatam (cf. superius E. 4. c. 2), inde ab anno 1943. Modus hic iam a saeculis usitatus et communissimus tunc habendus est optimus, si iuxta MDei revera cantus variis partibus sacrificii congruant, et non cantantur permultae strophae eiusdem cantus vulgaris in honorem Sancti cuiusdam per totam Missam.

4°. *Quartus modus* actuosae participationis est, si populus « *utrumque facit* » (MDei n. 104), i.e. tum orationes recitet lingua vernacula e textu Missae (cautelis supra exhibitis), tum cantus edit. Talis modus participationis vocatur « **Missa dialogata cum cantu** » (Betsingmesse), quae definitur « Missa lecta,

cui fideles assistunt proferendo preces idoneas et carmina sacra lingua vulgari » (Litt. Secr. Status ad Aepp Vratislav. 24 dec. 1943; cf. Docum Pontif. p. 82.) Responsiones optime lingua latina recitentur.

5°. *Quintus et optimus modus* est participandi liturgiaeque maxime consentaneus, quando populus « **in Sacris solemnibus** alternas Jesu Christi administri precibus dat voces unaque simul cantica liturgica edit » (MDei n. 104.). Reapse multis iam in regionibus fideles cantus *invariabiles* (Kyriale) latine decantare didicerunt, optima ratio liturgiam participandi est *Missa sollemnis cum cantu populi* in lingua liturgica. Germaniae fideles indultu memorato possunt cantare etiam lingua vernacula hos textus; in Gallia aliquae dioeceses indultum acceperunt ut « in Missis sollemnibus subdiaconus post cantum Epistolae lingua latina et diaconus post cantum Evangelii, legere possint sine cantu, prior Epistolam, et alter Evangelium vulgari sermone... quo facilius populus christianus inter Missarum sollemnia divino verbo pascatur » (decr. S. Off. 2 febr. 1955, cf. Eph. Lit. 1955, 272.). Nunquam debet oblivisci monitum MDei: « ...id genus augusti sacrificii *sollemniter* peracti suffici non potest, quod quidem...peculiari fruitur dignitate sua » (n. 105.).

6°. *Sextus modus* quoque participandi Missam habetur iuxta mentem MDei (n. 107) pro iis, qui non sunt « idonei ad recte, ut decet, intellegendos ritus ac formulas liturgicas....» et non « queant precibus, canticis sacrisque actionibus, communiter habitis, eodem modo moveri ac duci ». Tales *alia ratione participandi Sacrum* uti possunt, « ut verbi gratia, Iesu Christi mysteria pie meditando, vel alia peragendo piatatis exercitia aliasque fundendo preces, quae, etsi a sacris ritibus differunt, natura tamen sua cum iisdem congruunt ».

7°. Sedulo notandum est, quod maximus labor impendi debet, ut *fidelibus Missa* veneranda et *bene nota fiat,* omnesque dies Domini sanctificare pro viribus studeant. Ideo saepe docendi sunt fideles de Sacrificii sacrosancti maiestate (cf. supra Coroll. de fidelibus exhortandis ut sacrificio frequenter intersint, in hoc tractatu post. D.5.d.).

8°. Medium quoddam Missam actuose participandi optimum est **cantus religiosus popularis,** ubi revera tota communitas tales cantus edit, ut fit praesertim in Europa centrali iam inde ab exorto Protestantismo. Recenter possidemus documentum pontificium, quod ex professo praeter musicam stricte sacralem etiam cum his cantibus se occupans, magisterii sui munere etiam hoc genus musicae sacrae optimumque medium pastorale collustrat. Ut cantus religiosus popularis finem suum assequi possit, his fere proprietatibus pollere debet, iuxta Enc. *Pii XII.* « *Musicae sacrae disciplina* » 25. dec. 1955. et Inst. SRC 3. sep. 1958 (Doc. Pont. II, 28-44. 71-102).

a. Cantus hi sunt «plerumque *lingua* vulgari concepti...lingua utantur plana », ut a populo sine ulteriore interpretatione intelligi possint. Ideo a praelaudata Encyclica praescribitur, ut hi cantus « a tumida et inani verborum profluentia immunes sint ».

b. Altera proprietas est: etsi « breves sunt et faciles, quandam prae se ferant religiosam *dignitatem* et gravitatem ».

c. Finem suum recte tunc tantum prosequi possunt si « a multitudine congregata quasi *una voce* proferuntur » non ut hucusque multis in locis factum est, exclusive a choro quodam selecto polyphonice concinente.

d. Si adhibeantur in Missis non sollemniter celebratis, « cantus illi *Sacrificii partibus recte aptentur,* ut in multis orbis catholici regionibus iam fieri magno cum gaudio novimus ». Hi cantus enim populares « in Sacris non sollemnibus celebratis mirum in modum iuvare possunt, ut christifideles S. Sacrificio non tantum, ut muti et quasi inertes spectatores assistant, sed sacram actionem mente et voce comitantes suam pietatem cum sacerdotis precibus coniungant ». (Cf. Iungmann, Lit. Erbe 1960, 451-464).

e. At nunc iuxta concessionem benignam huius documenti pontificii etiam plus potest legitime fieri: « Ubi saecularis vel immemorabilis consuetudo fert, ut in *sollemni Sacrificio Eucharistico* post sacra verba liturgica latine cantata, nonnulla popularia vulgaris sermonis cantica inserantur, si pro locorum ac personarum adiunctis existiment eam consuetudinem prudenter submoveri non posse (CIC can. 5), firma tamen lege, qua statutum est, ne ipsa verba liturgica vulgari lingua canantur ».

f. *Aliae occasiones* quibus tales cantus accommodate adhiberi possunt sunt sequentes: « Ritus *non plene* liturgici », « piae ducendae *pompae* » (processiones), « *peregrinationes* ad s. imagines », dein « religiosi sive unius sive omnium nationum Congressus », demum « iuventutis consociationes et piarum societatum conventus ».

g. Ordinarii locorum per viros peritos « huiusmodi cantica colligant et in *unum corpus* redigant », quod iam pluribus in locis factum est.

i) De obligatione cessationis.

Cessatio vocatur *pars negativa* legis de sanctificatione festorum, vi cuius « festis de praecepto diebus...abstinendum est ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis aliisque publicis emptionibus et venditionibus » (Can. 1248.).

1°. *Opera servilia* vocantur hodie *labores corporales,* quibus opponuntur labores ingenii seu *opera liberalia* quae viribus animae perficiuntur, sunt dein opera intermedia, seu *mixta.* **a.** *Opera corporalia* sunt quae in exercendis artibus agriculturae, (seminare, arare, metiri, colligere messem, triticum terere), opificum, ut sutorum, sartorum, lignariorum etc., demum operariorum, ut in fodinis et officinis (fabrique, manufattura, gyár) peraguntur. Huc pertinent quoque labores typographorum, labores quibus imagines photographicae praeparantur. **b.** *Opera liberalia seu ingenii* sunt: scribere, etiam machina, artem medicinam exercere; colores pingere (non dealbare parietes); artem sculptoriam exercere, non vero lapides secare, marmorem polire; studere, etiam in « Laboratoriis », et talia. Haec opera licita sunt, etiamsi pro iis pretium solveretur, corporalia vero per se illicita, etsi gratis fiant. **c.** *Opera mixta* seu communia sunt: iter agere; quia hoc licitum est, licet etiam labores ad iter necessarios peragere, quibus hoc officium est; licet coquere; licet exercitationibus corporalibus (vulgo Sport) vacare, etiam piscatus et venatus liciti sunt, si non ex

officio fiant, sed recreationis causa. Probabiliter licet acu pingere (sticken, embroider, ricamare, himezni) et opus denticulatum facere (häkeln, hook, travailler avec l'aiguille à crochet, uncinare, horgolni). d. In his rebus diiudicandis multum dependet *a communi aestimatione* et consuetudine temporum et locorum. Nunc temporis e.gr. mitius diiudicatur in multis regionibus, qui per totam hebdomadam occupatus laboribus ingenii tempus suum in tabulariis (Kanzlei, bureau, uffizio) ad mensam scriptoriam terit, dominica vero corporalibus laboribus in horto recreatur.

2°. Vetantur deinde *actiones forenses* i.e. actus iudiciales, ut sunt: sessiones tribunalium, actiones civiles vel criminales, tum in foro civili, tum ecclesiastico. *Dominicae* hoc ius in fere omnibus regnis excultis competit ubique, *festa* vero Ecclesiae iam saepe in foro civili strepitu iudiciali personant. Necessitas excusat omnes, qui ad talem actionem iudicialem concurrere deberent.

3°. Vetantur demum: *mercatus publici,* i.e. mercatura quae in tabernis (Laden, bottega, shop, magasin, boutique, bolt) exercetur, dein *nundinae* stato die recurrentes (Markt, foire, market, mercato, spaccio, vásár), demum aliae publicae emptiones et venditiones, ut auctiones (encan, incanto, árverés), negotiationes Bursae (Börsengeschäfte, exchange, tözsdeüzletek); privatae venditiones et emptiones vero non prohibentur. Legitimae *consuetudines* ipso iure (can. 1248) in hac materia vetitum dissolvunt.

4°. *Gravitas peccati* contra cessationem mensuratur tum a tempore (iuxta auctores ultra duas bonas horas seu duas horas et dimidiam), tum a natura operis, num laborem vere servilem exigat, vel levior sit.

5°. *Causae excusantes* fere eaedem sunt ac quoad legem Missae adstandi.

Litteratura.

Quoad obligationem celebrandi. D. Prümmer, Man. Th. Moralis III. 4. ed. 1929, n. 251-280. — *Mihályfi Akos,* A nyilvános istentisztelet (=De cultu publico), 4.ed. Budapest 1933, p. 388-406. — *A. Vermeersch-J.Creusen,* Th. Moral. III. 4.ed. 1948, n. 263-277. — *B. Merkelbach, Summa* Th. Moral. III. 8.ed. 1949, n. 362-383. — *J. Aertnys-C. A. Damen,* Th. Moral. II. 16.ed. 1950, n. 195-225. — *J. Fanfani,* Man. theor.-pract. Th. Moral. IV, 1951, p. 266-288. — *M. Conte a Coronata,* De Sacram. tract. canon. I. 2.ed. 1951, n. 195. p. 259-289. — *O. Schöllig,* Verwaltung der hl. Sakramente, 4.ed. 1952, p. 85-88. — *H. Noldin-A. Schmit-G. Heinzel,* Summa Th. Moral. III. 30.ed. 1954, n. 182-199. — *K. Mörsdorf,* Erwägungen zum Begriff des Messtipendiums, *in*: *Theol.* in Geschichte u. Gegenwart (M. Schmaus), München 1957, 103-122.

Quoad applicationem Missae. *M. de la Taille,* Examen d'un article sur les offrandes de da Messe, *in*: Nouv. Rev. théol. 1927, 241-272. — *K. J. Merk,* Abriss einer liturgiegeschichtlichen Darstellung des Messopferstipendiums, Stuttgart 1928. — *Mihályfi,* op. cit. p. 285-388. — *E. Tenbörg,* Die Messtipendien nach dem CIC, Paderborn 1934. — *Vermeersch-Creusen* 4.ed. n. 279-288. — *Merkelbach* 8.ed. 1949, n. 350-357. — *Aertnys-Damen* 16.ed. 1950, n. 188-194. — *Fanfani* p. 259-265. — *Conte a Coronata* 2.ed. 1951, n. 202-204. — *J. A. Jungmann,* Missarum sollemnia, 3.ed. 1952, II. 32-34. — *Noldin - Schmitt - Heinzel,* 30.ed. 1954, n. 176-181. — *Fl. Romita,* De Missarum satisfactione et reductione, Roma 1952. — *K. J. Merk,* Das Messtipendium, Th. QuSchr. 1956, 199-228.

Quoad circumstantias celebrationis. *Prümmer,* n. 281-296. — *Mihályfi* p. 406-420. — *Vermeersch-Creusen,* n. 289-218. — *Merkelbach* n. 387-388. — *Aertnys-Damen,* n. 226-239.— *Fanfani* p. 289-298. — *Conte a Coronata* n. 196-197. — *Schöllig,* p. 101-106. — *Noldin-Schmitt-Heinzel,* n. 200-212. — *G. van Oost,* De hora celebrationis Missae, *in*: Liturgica II (Montserrat) 1958, 401-464.

Quoad requisita ad celebrationem. *Prümmer,* n. 297-301. — *L. Eisenhofer,* Handbuch d. kath. Liturgik 2.ed. 1941, I., 342-457. — *M. Righetti,* Manuale di storia liturg. I, (1945)

p. 386-504. — *Vermeersch-Creusen*, n. 319-334. — *P. de Amicis*, Caeremoniale parochorum, 4.ed Roma 1948, 1-76. — *Merkelbach* n. 389-390. — *Aertnys-Damen*, n. 240-260. — *Fanfani* p. 298-310. — *Conte a Coronata* n. 206-210. — *Noldin-Schmitt-Heinzel*, n. 213-216.

Quoad actuosam participationem. La participation active des fidèles au culte, *in*: Cours et conférences des semaines liturg., XI. Louvain 1933. — *R. Mäder*, Zurück zur Messe, Basel 1937. — *L. Bopp*, Missa est. Buch der messliturgischen Bildungswerte, Freiburg i.Br. 1938. — *F. X. Arnold - B. Fischer*, Die Messe in der Glaubensverkündigung, *ibid.* 1953. — *L. Agustoni - G. Wagner*, Partecipazione attiva alla liturgia. Atti del III. Convegno internazionale di Studi liturgici, Lugano 1953. — *L. Agustoni*, Kirchengesang und aktive Teilnahme an der Liturgie, *in*: Anima 1954, 313-326. — *U. Bomm*, Pfarrliturgie in der Volkssprache und das Problem ihrer Tongestalt, *ibid.* 1954, 326-333. — *J. Hild*, Die aktive Teilnahme des Volkes an der Liturgie als Angelegenheit des Seelsorgers, *ibid.* 1954, 338-354. — *E. Lanne*, Die aktive Teilnahme an der Liturgie der Ostkirche, *ibid.* 1954, 368-376. — *A. Mayer*, Die geistesgeschichtliche Situation der liturgischen Erneuerung in der Gegenwart, *in*: AfLw 1955, 1-51. — *C. Vagaggini*, Vari tipi di messa, *in*: Il senso teologico della liturgia, Roma 1957, 718-724. — *C. E. Miller*, Lay participationin the Mass, Worship 1959, 187-200.

Quoad obligationem cessationis. *F. Pettirsch*, Das Verbot der opera servilia in der Hl. Schrift und in der altkirchlichen Exegese, *in*: ZfkTh. 1947, 417-444. — *L. Bergh*, Vom Sinn der Sonntagsruhe, *in*: Trierer Theol. Zeitschr. 1953, 156-163. — *J. Höffner*, Tag des Herrn und « gleitende Arbeitswoche », *ibid.* 1956, 257-265. — *R. Fischer-Walpert*, Am Vorabend z. Kirchengebot v. Sonntag, Paderborn 1956. — *K. Rahner*, Messe u. Fernsehen, *in*: Sendung u. Gnade, Innsbruck 1959, 187-200.

G. De ritibus sacrificii Missae.

Restat adhuc agendum de ritibus Missae. Solummodo de ritibus praescriptis ab Ecclesia Latina, immo strictius tantum de ritibus Missae Romani ritus universalis agendum est nobis. Describitur ritus Romanus universalis, sicuti in libris liturgicis et in legislatione liturgica Romani ritus continetur. Ubicunque liturgia viget Missalis Romani a Pio V. editi, alii ritus et modificationes iam legitimi esse non possunt, quod praesertim valet quoad ritum Missae sollemnis, quae saepius sine causa differenter celebratur. Quod tractandi modum attinet, primum proponendae sunt leges euchologicae Missae, quae tum in celebratione Missae lectae, tum in celebratione Missae sollemnis observari debent, hae leges succincte comprehenduntur in Catechismo liturgico. Deinde describuntur ritus Missae lectae, demum ritus Missae sollemnis iuxta praescriptiones ritus stricte Romani.

Agendum ergo est:

1. De legibus euchologicis Missae, seu Catechismus liturgicus.
2. De ritu servando in celebratione Missae lectae.
3. De ritu servando in celebratione Missae sollemnis.

1. De legibus euchologicis Missae.

Feliciter edito iam *Novo Codice Rubricarum* auctoritate *S. P. Joannis XXIII.* decreto motu proprio « Rubricarum instructum » 25. iul. 1960., vigere cessant inde a die 1. ian. 1961 fontes hucusque vigentes huius quaestionis de legibus euchologicis Missae et Breviarii. Quae sunt, resp. fuerunt: *Rubricae generales Missalis, Breviarii* (iuxta ed. typicam a. 1900), dein *Additiones et Variationes* utriusque libri liturgici ex anno 1911., dein retractatio horum fontium per *decr.*

23. mart. 1955. de rubricarum simplificatione, et *decreta* S. C. Rit. cum nova forma rubricarum non convenientia. Unice regitur tota quaestio a Novo Cod. Rubricarum, qui allegatur suis numeris.

1. *DE SPECIEBUS MISSAE.*

a) Missa *distinguitur* iuxta sollemnitatem eius in Missam in cantu et Missam lectam. 1°. Missa *in cantu* habetur, si sacerdos celebrans partes ab ipso iuxta rubricas cantandas revera cantu profert, et potest esse triplex: **a.** Missa *sollemnis,* si celebratur cum assistentia ministrorum sacrorum (Messa in terzo, Hochamt, nagymise), ministri sacri semper dalmatica (diaconus) et tunicella (subdiaconus) utuntur (NCR 137). — **b.** Missa *cantata* nuncupatur, si absque ministris sacris celebratur (Singmesse, énekes mise), in his Missis possunt, non debent fieri incensationes, sicut in Missa sollemni (NCR 426). — **c.** Missa *pontificalis* appellatur, si ab episcopo vel aliis facultatem habentibus celebratur cum sollemnitatibus in libris liturgicis statutis (NCR 271). Pontifex casulam induit super dalmaticam et tunicellam a quo tamen ex rationabili causa abstinere potest (NCR 134). — 2°. Missa sine cantu et sine ministris sacris celebrata vocatur Missa *lecta* (stille Messe, csendes mise), in fontibus iuris canonici et liturgiae saepius clamata etiam missa « *privata* ». Haec tamen denominatio vitetur, nam sacrosanctum Missae sacrificium est actus cultus publici, nomine Christi et Ecclesiae Deo redditi (NCR 269).

b) Missa respectu liturgico summa est *Missa conventualis* (de qua cf. NCR 285-297). 1° est illa Missa quae ab iis, qui per leges Ecclesiae choro adstringuntur, in *coniunctione cum Officio divino cotidie* celebranda est (NCR 285). — 2°. *Quot* debent dici (n. 286). Ante simplificationem rubricarum sat crebro evenit, quod plures dicendae erant Missae conventuales, nunc lex est: *una* tantum dicitur, excepto in Nativitate Domini, tunc duae dici debent in choro una in nocte, altera in die (NCR 296). — 3°. *Qualitas Missae* conventualis: principium fundamentale est, quod Missa cum officio in choro recitato concordare debet (NCR 286). Excipiuntur tamen quidam casus. — **a.** In Litaniis maioribus et minoribus fieri debet Missa conventualis *de Rogationibus.* — **b.** In die *coronationis* S. Pontificis et *anniversariis* episcoporum in ecclesiis cathedralibus et collegiatis pro conventuali dicitur Missa de ipsis anniversariis, — **c.** in anniversario episcopi proxime *defuncti* et infra octiduum Fidelium Omnium defunctorum dicitur de iisdem anniversariis, — **d.** similiter fit in anniversariis *omnium defunctorum* alicuius capituli vel religiosorum ad chorum adstrictorum, — **e.** *quolibet mense,* excepto novembri, dici debet talis Missa pro defunctis sacerdotibus, benefactoribus et aliis. Hae Missae enumeratae loco conventualis officio congruentis *obligatoriae* sunt (NCR 291. 292. 293. 294. 290 a.) — **f.** Dicta Missa celebrari *potest* qualibet hebdomada prima feria IV. cl. — 4°. *Sollemnitas* Missae conventualis **a.** Per se debet esse sollemnis vel saltem cantata, — **b.** ubi autem per leges particulares vel peculiaria indulta a sollemnitate Missae in choro dispensatum fuerit, convenit, ut chorales saltem *partes* ordinarii Missae recitent, — **c.** prohibentur vero inter talem Missam *Horas canonicas* in choro prosequi (NCR 288). — 5°. *Tempus Missae.* Antea rubricis regebatur, quando Missa conventualis dicenda sit, nunc semper dicenda est toto anno post Tertiam, « nisi communitatis moderator gravi de causa, eam post Sextam vel Nonam dicendam esse censuerit » (NCR 287). — 6°. *Praesentia choralium.* Cum episcopus

sollemniter celebrat vel eidem assistit, aut cum in choro canitur Missa officio non conformis, ratione sollemnitatis externae, chorales huic tantum interesse tenentur (NCR 297).

2. *DE INITIO MISSAE.*

a) *Oratio ante altare* (Stufengebet, lépcsöimádság) intelligitur Ps. Judica, confessio cum absolutione, versibus et duabus orationibus — haec autem omnia *omittenda* sunt in Missis quibusdam cum benedictione aliqua liturgica coniuncti, minime autem in ceteris Missis eorundem dierum. *Enumeratio* horum dierum *taxativa* est, i.e. omnes casus comprehendit: — 1°. In Missa festi *Purificationis*, — 2°. Fer. IV. Cinerum, — 3°. Dom. II. Pass. seu in palmis, — 4°. Vigiliae paschalis, — 5°. Missa Rogationum, — 6°. in certis Missis quae sequuntur quasdam consecrationes iuxta Pont. Romanum (NCR 424).

b) *Solus Ps. Judica* omittitur: 1°. in Missis de tempore a I. Dom. Passionis usque Fer. V. in Coena Domini inclusive, — 2°. in Missis defunctorum.

c) Ant. ad *introitum deest*: 1°. in Missa Vigiliae paschalis, — 2°. Gloria Patri tantum omittitur in Missis supra b, 1°. et 2°. recensitis. — 3°. Tempore paschali antiphonae ad introitum additur *duplex Alleluia*, nisi iam adest, et omittitur extra tempus paschale, nisi in quibusdam Missis aliter indicetur (NCR 427. 428. 429).

3. *GLORIA IN EXCELSIS.*

a) Dicendum est: 1°. in Missis quae respondent officio diei, si recitatum est *Te Deum* ad Matutinum (n. 431 a.), sed dicitur etiam in Coena Domini et Vigilia paschali, — 2°. in *Missis festivis sensu latiore*, i.e. in Missis de commemoratione Sancti vel de Sancto in martyrologio diei recensito celebratis (NCR 302), — 3°. in Missis *votivis I. II. III. cl.*, nisi adhibeatur color violaceus, — 4°. in Missis votivis IV. cl. de *Angelis* quocunque die, et *BMVirginis Sabbato* (cf. NCR 431).

b) *Omittitur*: 1°. in Missis, quando ad Matutinum non habetur Te Deum,— 2°. in Missis in quibus adhibetur color violaceus, — 3°. in omnibus Missis IV. cl., exceptis sub a. 4° enumeratis, — 4°. in Missis defunctorum (NCR 432).

4. *DE NUMERO ORATIONUM.*

a) Orationis nomine veniunt: oratio Missae, — officii commemorati, — commemorationis occurrentis, — orationes aliae a rubricis praescriptae, — oratio ab Ordinario loci imperata, — oratio votiva ad libitum sacerdotis diebus IV. cl. (NCR. 433).

b) *Principium generale* est: per se *una* tantum dicitur oratio, sed fieri *debent* commemorationes et orationes imperatae: universales, a rubricis praescriptae vel imperatae ab ordinario loci; fieri *possunt* orationes votivae (NCR 434). — Attamen principium vario modo applicatur:

c) *Nulla* oratio admittitur: 1°. in diebus liturgicis I. cl. — in Missis votivis I. cl. — in Missis *in cantu* (non conventualibus), — 2°. *praeter* orationem sub

unica conclusione dicendam quae computatur una cum oratione Missae (NCR 446), — et unam commemorationem privilegiatam, quae tamen in dedicatione « in actu » omittitur (NCR 333). (Cf. NCR 434, a.) — 3°. In *Dominicis II. cl.* quoque nulla alia admittitur commemoratio, praeter commemorationem festi II. cl., quae tamen omittitur si commemoratio privilegiata facienda est (NCR 434 b.).

d) *Una* oratio admittitur: aut una privilegiata aut una ordinaria: aliis diebus liturgicis II. cl., et in Missis votivis II. cl. (NCR 434 c.).

e) Duae admittuntur in diebus liturgicis III. et IV. cl. et in Missis votivis III. et IV. cl. (NCR 434. d.).

f) Addi potest, nunquam debet: una *oratio votiva* ad libitum in Missis lectis non conventualibus diebus liturgicis IV. cl. (n. 461). 1°. *Sumi potest* talis oratio e Missis quae ut *votivae* celebrari permittuntur, aut ex orationibus *ad diversa*, aut ex Missis et orationibus *pro defunctis* (NCR 462). — 2°. *Locus* orationis talis est ultimus (n. 463). — 3°. Maius privilegium habet oratio *pro seipso sacerdote*: in anniversario propriae ordinationis sub unica conclusione potest dicere orationem votivam, modo ne occurrat dies liturgicus sub. n. 1. 2. 3. et 8. in Tabella praecedentiae recensitus (v. inferius 16. c.).

g) *Bis non dicitur oratio*, i.e. repetitio spiritu liturgiae cavenda est, ideo si duae dicendae sint orationes, et in prima vel altera parte sint iisdem fere verbis compositae, oratio posterior, si est de Tempore, mutatur in aliam de sequenti Dominica vel feria, — si agitur de Sancto, in aliam mutatur de eodem vel simili Communi, — si oratio esset imperata, omittitur (NCR 438).

h) *Numerus non computatur* orationum: 1°. Oratio « *super populum* » dicenda est, etiam si tres orationes post communionem iam praecesserint (NCR 506). — 2°. In Missis cum *pluribus lectionibus* oratio *ultima* computatur tantum (i.e. illa quae praecedit ultimam lectionem seu epistolam) ad numerum orationum definiendam (n. 442). — 3°. Ad *commemorandam* feriam, cuius Missa plures habet lectiones, sumitur *prima* oratio, sc. quae dicta est in Laudibus (NCR 443).

i) Ceterum inviolabile principium est: *numerum ternarium* orationum nullo praetextu excedere licet (NCR 435).

5. *DE COMMEMORATIONIBUS.*

a) Commemoratio est celebratio liturgica non plena in officio et Missa diei currentis (NCR 5). Fit in *Missa* per orationem, secretam et postcommunionem propriam, nullo alio, nec Credo dicitur, nec praefatio propria ratione commemorationis, ut ante 1956 factum est. In *Officio* fit commemoratio in Laudibus et Vesperis per antiphonam, versum et orationem (NCR 108).

b) *Duo typi* habentur commemorationis: 1°. *privilegiata* est ea, quae fit in Laudibus et Vesperis necnon in omnibus Missis, et sunt: **a.** de Dominica (I. et II. cl.), — **b.** de die liturgico I. cl. (festo feria IV. cinerum et tota Hebd. Sancta, vigilia Nativit. et Pentec., octava Pasch. et Pent.), — **c.** de diebus infra octavam Nativit. — **d.** de feriis Quatuor Tempor. septembris, — **e.** et omnibus feriis

Advent., Quadrages. et Passionis, — f. de Litaniis Maioribus in Missa. — 2°. Ordinariae sunt omnes aliae commemorationes (NCR 108. 109).

c) *Ordo commemorationis*: 1°. commemoratio de Tempore fit primo loco, in ordinandis aliis commemorationibus servetur ordo Tabellae praecedentiae (16. c. inferius). — 2°. Quaelibet commemoratio quae numerum pro singulis diebus statutum superet, omittitur (cf. NCR 113. 114); quomodo hoc fieri debet, iam tractavimus (superius 4. c. d. e.). — 3°. Commemoratio die fixo statuta, si impediatur, non transfertur cum festo, sed fit suo die aut omittitur (NCR 94).

d) *Commemorationes « communes »* ut vocabantur, iam tantum memoriam historicam habent, vocabantur etiam « orationes pro diversitate temporum ». Medio aevo exeunte recitari coeperunt et iam ab a. 1956 non dicuntur, et erant: 2. De Beata, 3. pro Ecclesia vel pro Papa; 2. De Spiritu Sancto, 3. pro Ecclesia; 2. A cunctis, 3. Omnipotens etc.

6. *ORDO SERVANDUS IN ORATIONIBUS.*

a) *Primo loco* dicenda est: Oratio diei seu Missae propria, — dein ad summum duae orationes (supra 4. d.). — b) *Secundo loco* dicuntur orationes imperatae, per legem universalem — dein per legem particularem (infra 7. et 8.). — c) *Tertio loco* dicitur oratio ab libitum i.e. votiva (supra 4. f.), caute tamen, ne numerus trium orationum excedatur (NCR 435).

7. *ORATIONES IMPERATAE UNIVERSALES*

seu iuxta terminologiam Novi Codicis Rubricarum (433. c.) « *orationes a rubricis praescriptae* » et sunt orationes ordinatae per legem universalem et proinde ubique terrarum obligant. Hae orationes sunt sequentes.

a) *De SS. Sacramento* (« Deus qui nobis ») non dicitur iam in Missis quae durante expositione in ecclesia celebrantur, sed tantum in Missis *ad altare* ipsum expositionis celebratis, sub unica conclusione additur haec oratio de Sanctissimo orationi Missae, simul etiam *identitas mysterii* declaratur: « modo ne occurrat Dominica (quae censetur ut festum Christi), officium aut Missa aut commemoratio fiat de Christo Domino » (NCR 355).

b) Die *anniversario electionis et coronationis Summi Pontificis*: 1°. in *omnibus Missis* praeterquam defunctorum, ut patet, additur sub unica conclusione cum oratione Missae oratio pro Papa, modo ne occurrat dies liturgicus: Nativit. Dom., Epiphan., Dom. Resurrectionis, Ascens., Pentecost., SS. Trinit., Corporis Chr., Cordis Jesu, Chr. Regis, Omnium Fidel. Defunctor. (NCR 449 coll. cum n. 91, 1. 2. 3. 8). — 2°. Si haec *oratio impediatur* (una cum Missa utique) transfertur in proximiorem diem, qui non sit dies I. cl., si autem *anniversarium* perpetuo impediatur, reponitur fixe in proximiorem diem similiter non impeditum (NCR 363).

c) Die anniversario *aut* electionis, *aut* consecrationis *aut* translationis *episcopi dioecesani* etiam dicenda est oratio pro episcopo, sed nunc iam *disiunctive, non tres* hi dies possunt commemorari, sed solum *unus* ex his ab episcopo eligendus (NCR 449). Oratio eadem est ac pro Papa, mutandis mutatis, eadem quoque lex et prohibitio in casu impeditionis ac supra b).

d) Iam non memoratur a Novo Codice Rubricarum oratio « pro opportuna *novi episcopi electione* impetranda » (Caer. ep. 1. II. c. 38, 27), nec pro Summo Pontifice eligendo. Supponitur enim ordinationem in tali casu exituram esse ab auctoritate competenti, sicut semper fieri solet.

e) Orationes quaedam universali lege imperatae sunt a Novo Codice Rubricarum (n. 447-448), nuncupatae « *orationes rituales* », quae cum quibusdam benedictionibus vel consecrationibus connectuntur. — 1°. Hae orationes semper addendae sunt *sub unica* conclusione, orationi Missae. — 2°. In his Missis *excluduntur* omnes aliae orationes, praeter commemorationes privilegiatas (cf. superius 5. b. 1°.). — 3°. Orationes rituales sunt sequentes: in **a.** consecratione episcopi, — **b.** collatione sacrorum ordinum, — **c.** benedictione abbatis, — **d.** abbatissae, — **e.** benedictione et consecratione virginum, — **f.** benedictione coemeterii, — **g.** reconciliatione ecclesiae, — **h.** reconciliatione coemeterii.

f) Oratio *in die Missionum* dicenda est 1°. paenultima Dominica octobris aut alia ab ordinario loci statuta « pro missionibus »; in omnibus Missis orationi Missae additur sub unica conclusione oratio pro fidei propagatione (NCR 453),— 2°. Prohibitio eadem est ac supra b. 2°.

8. *ORATIONES AB ORDINARIO IMPERATAE*:

sunt orationes — saepe vocatae « *collectae* » — a lege particulari, ab ordinario loci nempe imperatae. Usque a. 1960 habuerunt intricatas leges, in classes tres erant divisae iuxta obligationem, quando dicendae erant, nunc vero a Novo Codice Rubricarum sobria simplicitate cum parcitate coniuncta regentur (NCR 454-460).

a) Oratio imperata *definitur* « oratio quam ordinarius loci imperare potest, occurrente gravi et publica necessitate aut calamitate » (NCR 454).

b) *Leges* orationis imperatae sunt sequentes. — 1°. « Maxime convenit, ut ordinarius loci orationem imperatam *non modo stabili* imponat, sed tantum ex causa *revera gravi* et per spatium quod tempus verae necessitatis non excedat » (NCR 456). — 2°. Oratio imperata *una tantum* esse potest, — 3°. dici debet *ab omnibus* sacerdotibus in ecclesiis etiam exemptis et oratoriis dioecesis, — 4°. *nunquam* dicitur *sub unica* conclusione cum oratione Missae, et post commemorationes privilegiatas, — 5°. *prohibetur* omnibus diebus liturgicis I. et II. cl., in Missis votivis I. et II. cl., in omnibus Missis in cantu, et quoties commemorationes privilegiatae numerum pro singulis diebus liturgicis statutum compleverint (NCR 457). — 6°. Oratio imperata *pro defunctis* dicitur tantum in feriis IV. cl. et in Missis votivis aut defunctorum lectis IV. cl. (NCR 458).

c) *Qualitas* imperatae orationis: « Tamquam imperata ab ordinario loci praescribi potest *quaelibet* oratio e Missis, quae tamquam votivae celebrari permittuntur, aut ex orationibus ad diversa, aut ex Missis et orationibus pro defunctis » (NCR 455).

d) Oratio imperata ergo iuxta desiderium Ecclesiae minime est quaedam oratio persistens, stabilis. Attamen quia possibilis est casus natura sua per longius tempus postulans orationes, a communi Patre dioecesis « in publica calamitate aut necessitate, natura sua *per longius tempus* persistente (e.gr. bello,

pestilentia et similibus) » — 1°. imponere quidem potest orationem imperatam convenientem pro *toto tempore* infausti eventus, — sed 2°. haec oratio dici potest tantum *Fer. II., IV. et VI* — 3°. et *prohibetur* insuper iisdem diebus ac supra dictum est (b. 5°.).

e) Etiam *parochus* abhinc ius habet orationem imperatam in casu peculiari imponere, sequentibus legibus: 1°. si occurrat « *urgentior*, gravis et publica necessitas aut calamitas, *nec tempus* suppetat adeundi ordinarium » (NCR 460. unde et ceterae ordinationes), — 2°. *intra fines* paroeciae suae etiam pro ecclesiis et oratoriis exemptis, — 3°. solummodo *per tres dies* continuos. — 4°. Oratio a parocho imperata *iisdem diebus* et Missis *prohibetur* ac oratio ab ordinario imperata « quae si dicenda esset, omittitur ».

9. *REGULAE DE CONCLUSIONIBUS ORATIONUM.*

Conclusiones seu clausulae orationum sunt permanentes formulae liturgicae — iuxta speciem litterariam doxologiae finales — quae finem ponunt orationi. Ob originem earum ex antiqua aetate Ecclesiae sunt summe venerandae ideoque attenta devotione proferendae.

a) *Qualitas conclusionum.* Iuxta legem liturgicam (NCR 115-116) conclusio orationum tam in *Missa* quam in *Officio* divino est: 1°. Si oratio, ut saepissime fit, dirigitur ad *Patrem*: « Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen ». — Attamen: **a.** si oratio dirigitur ad Patrem, sed in eius *principio* fit *mentio Filii,* concluditur: « Per *eun*dem Dominum » etc. — **b.** Si *in fine* talis orationis fit mentio Filii, concluditur: « Qui *tecum* vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen ». — 2°. Si oratio — ut rarius fit — dirigitur ad *Filium,* concluditur: « Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen ». — 3°. Si in oratione facta est mentio *Spiritus Sancti,* in conclusione dicitur: « ...in unitate *eiusdem* Spiritus Sancti » etc. — 4°. Servandae sunt etiam aliae *peculiares conclusiones* in libris liturgicis quandoque notatae (NCR 116). — 5°. *Extra* Missam et Officium divinum *clausulae breviores* dicuntur saltem fere semper: **a.** Per (eundem) Dominum nostrum ». — **b.** « Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen ».

b) *Propria conclusio* convenit per se orationi Missae, quae semper dicitur sub *sua* conclusione, nisi alia oratio sub *eadem* conclusione ei iungenda sit (sub c.). Sub *altera* conclusione semper dicuntur: commemorationes faciendae, oratio imperata ab ordinario, oratio « votiva » (NCR 436-7).

c) *Sub eadem* seu *sub unica* conclusione dicuntur orationes (NCR 444): 1°. orationes « *rituales* » (supra 7. e.), — 2°. oratione Missae *votivae I. et II. cl. impeditae* (cf. inferius 18. a.), — 3°. commemoratio « *inseparabilis* » (NCR 110): **a.** in officio S. Petri aut S. Pauli, oratio unius Apostoli additur sub unica conclusione orationi diei ad Laudes et Vesperas, — **b.** in Missa oratio alterius Apostoli additur sub unica conclusione orationi diei, — **c.** haec commemoratio inseparabilis immediate additur, ante omnes commemorationes. — 4°. Orationes a rubricis imperatae (i.e. imperatae *universales*), cf. superius 7. — 5°. Oratio pro seipso sacerdote (cf. supra 4. f. 3°.).

d) *Leges unicae conclusionis.* 1°. Oratio dicenda sub unica conclusione cum oratione Missae *una cum illa* computatur, et dicenda est etiam in Missa in cantu (NCR 446). — 2°. Si vero plures orationes essent dicendae iuxta rubricas, una tantum retinetur, praecedentiae ordo vero est: **a.** oratio « ritualis » — **b.** oratio Missae votivae I. II. cl. impeditae, — **c.** oratio alia a rubricis expresse indicata ut sub unica conclusione dicatur (NCR 444). Una, cui competit, retenta, reliquae omittuntur (NCR 445).

10. *PARS DIDACTICA MISSAE.*

Prima pars Missae « catechumenorum » post orationem ante altare fuit *euchologica* i.e. orationis, qua ad Deum laudandum enixeque rogandum assurgimus. *Secunda pars*, de qua nunc agitur, est *didactica* in qua doctrinam Dei nos instruentis auscultamur. Leges huius partis sunt sequentes.

a) *Lectionum* leges habentur in Ritu celebrandi et Rubricis specialibus. 1°. Quia inde ab anno 1961 Quatuor Tempora solum diebus II. cl. cedunt, Ecclesia materna pietate indulgens relaxavit Missam Sabbati Quatuor Temporum. In Missis *conventualibus* et in Missa in qua *sacri ordines* conferuntur, dicendae sunt omnes lectiones, in *ceteris* Missis sive in cantu sive lectis autem dici *potest* tantum *prima oratio* cum « Flectamus genua », si dicendum est, *ritu* abhinc sequenti: audito verbo « Flectamus genua », omnes una cum celebrante flexis genibus per aliquod temporis spatium in silentio orant, dicto « Levate », omnes surgunt et celebrans dicit orationem (NCR 440). Deinde dicitur prima lectio, postea vero *omissis ceteris lectionibus* dici potest iam « Dominus vobiscum » cum oratione ultima et commemorationibus si quae occurrant, et ultima lectio seu epistola subiungitur (NCR 468). — 2°. Celebrans in Missis *in cantu* ea omnia quae diaconus vel subdiaconus vi proprii officii canunt vel legunt, *omittit* (NCR 473).

b) *Sequentiae* 1°. *praeceptae* sunt (NCR 470): **a.** in festo et per totam octavam Pasch. et Pentec., — **b.** in festis universalibus Corporis Christi et Septem dolorum BMV., — **c.** in Missa exsequiali, — **d.** in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum, sed si quis tres Missas sine intermissione celebrat, tantum in prima Missa vel in principali debet dicere; sed si in cantu dicit, omittere non potest (NCR 399). — 2°. In Missis votivis non licet eas dicere, e.gr. in Missa votiva de Spiritu Sancto vel Septem dolorum (NCR 470). — 3°. Permissa est sequentia « Dies irae » in omnibus Missis defunctorum (NCR 399. b).

c) *Evangelii ritus* 1°. omittitur in Hebdomada Sancta, i.e. « Munda cor », benedictio, thuris incensatio, osculatio etc. (NCR 472-3). — 2°. *Homilia* brevis ad populum suadetur post Evangelium, « iuxta opportunitatem in Dominicis et diebus festis de praecepto ». Praecipitur autem, quod si fiat ab alio quam celebrante, non impediat fidelium participationem, ergo non superponatur celebrationi, sed Missa suspendatur (NCR 474).

11. *REGULAE DICENDI CREDO.*

Symbolum Missae, vulgo Credo dicitur post Evangelium vel homiliam. Legislatio nova rubricarum S. P. Joannis XXIII. iterum de novo ordinavit quando Credo dicendum sit, quando omittendum (NCR 475-476).

a) Credo *dicendum est*: 1°. In qualibet *Dominica,* etsi eius officium alicui festo locum cedat, tunc dicitur ratione Dominicae, item si Missa votiva II. cl. celebretur, — 2°. in *festis I. cl.,* et Missis *votivis I. cl.,* — 3°. in festis *II. cl. Domini et BMV.,* — 4°. per *tres octavas* etiam in Missis festorum et votivis, — 5°. in festis nataliciis *Apostolorum* et Evangelistarum, in secundariis ergo, ut Conversio S. Pauli, non, sed dicitur in festo Cathedrae S. Petri (22. febr.) et S. Barnabae ap. (11. iun.).

b) Credo *non dicitur*: 1°. in Missis Fer. V. Coenae Domini, et Vigiliae paschalis, — 2°. in festis II. cl. (exceptis supra a. 3° et 5°), — 3° in Missis votivis II. cl. (exceptis supra a. 1°.), — 4°. in ceteris Missis votivis et defunctorum quibuslibet, — 5°. ratione commemorationis occerrentis. — Uti elucet, ergo inde ab a. 1961 iam non dicitur Credo in festis doctorum Ecclesiae.

12. *PARS CENTRALIS MISSAE.*

a) Pars haec incipit cum *praefatione.* 1°. *Principium fundamentale* est: praefatio *propria* dicitur quae cuique Missae propria est — qua deficiente dicitur praefatio de *tempore* — secus communis (NCR 482). — 2°. Quia per simplificationem rubricarum a. 1955 incertum fuit, quaenam essent praefationes stricte propriae, e.gr. praefatio Nativitatis dicebatur usque a. 1956 in Missis de SS. Eucharistia et festo Transfigurationis quoque, ideo Novus Cod. Rubr. clare enumerat quae sint *praefationes propriae et de tempore* (NCR 484-499). *Sexdecim praefationes* ritus Romanus universalis habet: **a.** Praefatio de *Nativitate Domini* est propria in festo et infra octavam et in festo Purificationis BMV., de tempore infra octavam in aliis Missis et a die 2-5. ian. — **b.** De *Epiphania* propria in festo et die Commemorationis Baptismatis Domini, de tempore a 7.-13. ian. — **c.** De *Quadragesima* propria in Missis, de tempore in ceteris Missis quae carent propria, — **d.** De *S. Cruce* propria tempore Passionis et in Missis de S. Cruce, passione et instrumentis passionis, de tempore in Missis tempore passionis propria carentibus, — **e.** *paschalis* dicitur usque ad vigiliam Ascensionis propria, de tempore in Missis festivis quae propria carent, — **f.** *Ascensionis* propria in festo, de tempore simili modo in aliis Missis propria carentibus, — **g.** de *Spiritu Sancto* propria in festo et octava Pentec., et Missis festivis et votivis, de tempore in ceteris Missis eo tempore praefatione propria carentibus, — **h.** *SS. Trinitatis* propria in festo et Missis votivis de ea, de tempore Adv. et Dominicis II. cl. extra tempus natalicium et paschale, sic e.gr. si festum S. Michaelis vel dedicatio incidat, non communis dicitur, sed SS. Trinitatis. — In Missis festivis et votivis habent propriam praefationem: **i.** *SS. Cor Jesu,* — **k.** *Pret. Sanguis Domini,* — **l.** *B. Maria Virgo,* — **m.** *S. Joseph,* — **n.** *Apostoli.* — **o.** Praefatio *Missae chrismatis* semel dicitur in anno, — **p.** *communis* in Missis quae nec propriam, nec de tempore debent sumere, — **q.** *defunctorum* dicitur in Missis pro defunctis.

b) Quibusdam Missis competit infra actionem, i.e. Canonem, proprium *Communicantes,* ut in Missali notatur; infra tres octavas « Communicantes » et « *Hanc igitur* » (Pasch., pent.) dici debet in Missis quoque quae non sunt de octava, etsi praefatione propria gaudeant (NCR 501), e.gr. S. Joannes 27. dec.

c) Consecratione *peracta,* nisi « Benedictus » adhuc sit canendus, *sacrum* suadetur *silentium* usque ad Pater noster, *infra consecrationem* autem, omnis

cantus cessare *debet* et ubi consuetudo viget, etiam sonus organi et cuiusvis musici instrumenti. Post consecrationem ponatur *cantus* « *Benedictus* », si polyphonice cantatur; continue est canendus cum « Sanctus », si modulis gregorianis decantetur (Instr. de musica et lit. 3. sept. 1958, n. 27. f. e. d.).

d) « In Missis lectis totum « *Pater noster* », cum apta sit et antiqua precatio ad communionem, *a fidelibus* una cum sacerdote celebrante *recitari potest*, lingua vero *latina* tantum, et addito ab omnibus *Amen*, exclusa quavi recitatione in lingua vulgari » (Inst. mus. 1958. n. 32). In Fer. VI. Pass. et Mortis Domini vero sic recitari *debet* ab omnibus (OHS 1956 rubr. spec. n. 26). Magna idea Ecclesiae: vult, ut saltem precationem a Domino acceptam omnes fideles lingua materna Ecclesiae calleant.

e) *Ant. ad communionem* per se canenda est, dum sacerdos Sanctissimum sumit. Si autem fideles sunt communicandi, cantus tunc inchoetur, dum s. communio distribuitur, potest antiphona cum versis Psalmi decantari, licet quoque aliam cantiunculam latinam, actioni sacrae congruam decantare. Fideles insuper ter « *Domine non sum dignus* » una cum celebrante recitare possunt (Instr. mus. 1958. n. 27. c.).

13. *DE CONCLUSIONE MISSAE.*

a) *Formula conclusiva* Missae *triplex* est. — 1°. « *Ite Missa est* » per reformationem S. P. Joannis XXIII. usu ampliato gaudet quam usque 1961: dicitur enim in omnibus Missis, etiam in illis qui colorem violaceum, i.e. characterem poenitentialem habent (NCR 507). Infra *octavam Paschae* additur duplex alleluia, etiam ad sequens « Deo gratias ». — 2°. « *Benedicamus Domino* » vero ad nativum sensum reducitur, significavit enim, continuari officium alia adhuc exercitatione. Ideo dicendum est « in Missa vespertina in *Coena Domini* quam sequitur sollemnis repositio SS. Sacramenti et in aliis *Missis* quas sequitur aliqua *processio* », (NCR 507. a.), e.gr. in festo SS. Corporis Christi. — 3°. In omnibus Missis defunctorum dicitur « *Requiescant in pace* ».

b) Dicto « Placeat » datur *benedictio*, quae *omittitur* tantum, cum dictum est « Benedicamus Domino » — quod novum est usque ad a. 1961 — aut « Requïescant in pace », ut hucusque (NCR 508). — « Dum sacerdos in fine Missae fidelibus benedicit, organum sileat; sacerdos autem celebrans verba benedictionis ita pronuntiare debet, ut ab omnibus fidelibus intelligi possint » — est praeceptum Instr. mus. 1958. n. 27. g.

c) Regulae *ultimi Evangelii* ante 1956 vere intricatae simplicissimae iam per Decr simplificationis 23. mart. 1955 factae sunt, nunc autem paululum extensae per reformationem S. P. Joannis XXIII. — 1°. *Regulariter* in qualibet Missa sumi debet initium Evangelii *sec. Joannem*. Unica exceptio habetur ab. a. 1961: in omnibus Missis Dom. II. Passionis seu Palmarum dicitur Evangelium in benedictione palmarum adhibitum de ingressu Domini in templum, S. Joannis in Missa quae sequitur processionem palmarum (NCR 509). — 2°. Ultimum Evangelium penitus *omittitur*: a. in *omnibus* Missis in III. Missa Nativitatis Domini, — **b.** in *quibusdam* Missis specialibus: (1) quando dictum est « *Benedicamus Domino* », — (2) in Missa quae sequitur processionem *ramorum*, — (3) in Missa *Vigiliae paschalis*, — (4) in Missis defunctorum, cum sequitur *abso-*

lutio super tumulum, inde ab anno 1961., — (5) in certis Missis quae sequuntur quasdam *consecrationes* ex rubricis Pontificalis Romani (NCR 510).

14. *DE RATIONE DIERUM LITURGICORUM.*

Dies liturgicus definitur a Novo Codice Rubricarum: « Dies sanctificatus actionibus liturgicis, praesertim sacrificio eucharistico et publica Ecclesiae prece id est Officio divino, et decurrit a media nocte ad mediam noctem » (NCR 4). *Omnes* dies liturgici sunt I. II. III. et IV. classis (non omnes), iuxta qualitatem autem habentur: Dominicae - Feriae - vigiliae - festa - et octavae.

a) *DOMINICAE* sunt vel I. vel II. classis (NCR 10), usque 1961 erant adhuc Dominicae « minores » seu per annum. — 1°. *Dominicae I. cl.* sunt: I-IV. Adventus — I-IV. Quadragesimae — I-II. Passionis — Dom. Resurrectionis seu Paschatis — Dom. in Albis — Dom. Pentecostes (Dom. Pasch. et Pent. sunt pariter festa I. cl. cum octava) (NCR 11). — **a.** Hae Dominicae *praeferuntur* in occurrentia quibuslibet festis, excepto festo Immaculatae Conceptionis (NCR 15). — **b.** Officium Dominicae incipit a I. Vesp., Sabbato praecedenti et explicit post Completorium Dominicae (NCR 13). — **c.** Dominica celebratur suo die, qui est dies Domini initio cuiusque hebdomadae occurrens (NCR 9), si autem impediatur, nec anticipatur, nec resumitur (NCR 14). — 2°. *Dominicae II cl.* sunt omnes indiscrimatim aliae Dominicae (NCR 12). — *Praeferuntur* in occurrentia festis II. cl. Attamen festum *Domini* I. aut II. cl. (BMVirginis non!), locum tenet Dominicae, quae proinde nec commemoratur, Commemoratio Omnium Fidelium defunctorum vero cedit Dominicae II. cl. (NCR 16). — 3°. Dominica per se excludit *assignationem perpetuam* festorum, quinque *excipiuntur*: festum Nominis Jesu, SS. Familiae, SS. Trinitatis, Christi Regis, et festa Domini I. cl. quae in calendariis particularibus nunc Dominicae II. cl. assignantur. Haec festa locum tenent Dominicae, quae ideo non commemorantur (NCR 17).

b) *FERIAE* intelliguntur singuli dies hebdomadae praeter Dominicam et sunt I. II. III. et IV. classis (NCR 21. et 22). — 1°. *Feriae I.* cl. (antea vocatae « privilegiatae ») sunt: Fer. IV. cinerum — omnes feriae Hebdomadae Sanctae (NCR 23), et quidem etiam Fer. V. Coenae Domini, Fer. VI. Passionis et Mortis Domini (antea Parasceve clamata) et Sabbatum Sanctum (non: Vigilia Paschalis, quae est sui iuris et non est dies liturgicus). Olim hi tres sacratissimi dies — Triduum Sacrum — erant festa dupl. I. cl. — Hae feriae quibuslibet festis praeferuntur, et nullam admittunt commemorationem, nisi unam privilegiatam (NCR *ib.*). — 2°. *Feriae II. cl.* sunt: Feriae Adventus a die 17-23. dec. (dies de antiphona « O »), qua praeparatio proxima ad Nativitatem Domini — Feriae Quatuor Temporum Adventus, Quadragesimae et septembris (Pentecostes non nominatur: sunt dies I. cl.). — Hae feriae praeferuntur festis particularibus II. cl. ergo non universalibus, ut e.gr. festo S. Thomae ap. 21. dec., si vero impediantur, commemorari debent (NCR 24). — 3°. *Feriae III. cl.* sunt feriae Quadragesimae et Passionis (a Fer. IV. cinerum usque sabb. ante Dom. II. Passionis) et *praeferuntur* festis III. cl. (NCR 25). — Feriae Adventus usque ad diem 16. dec. inclusive quoque huc pertinent, sed inferioris iuris sunt ac praecedentes feriae, nam *cedunt* festis III. cl. — 4°. Omnes ceterae *feriae* sunt *IV. cl.* seu per annum, quae si impediantur, nunquam commemorantur. — 5°. *Officium*

feriae incipit a Matutino et explicit per se post Completorium, officium autem sabbati post Nonam, excepto Sabbato Sancto (NCR 26. et 27.).

c) *VIGILIAE* sunt dies liturgici aliquod festum praecedentes et rationem habent praeparationis ad illud (NCR 28). Sunt I. II. III. classis (NCR 29). — 1°. *Vigiliae I. cl.* sunt: Nativitatis Domini — Pentecostes. Paschalis vigilia non est dies liturgicus et modo suo proprio, pervigilio celebratur (NCR 28. et 30.). Praeferuntur quibuslibet festis et nullam admittunt commemorationem (ibid.). — 2°. *Vigiliae II. cl.* sunt: Vigilia Ascensionis — Assumptionis BMV. — Nativitatis S. Joannis Bapt. — SS. Petri et Pauli, ut vero S. Irenaeus celebrari possit, inde ab a. 1961 festum eius reponitur in diem 3. iul. (NCR Var. 10. a). Hae vigiliae praeferuntur diebus liturgicis III. et IV. cl. et si impediantur, commemorantur iuxta rubricas (NCR 31). — 3°. *Vigilia III. cl.* est S. Laurentii, ut vero vigilia celebrari possit, festum S. Joannis Vianney repositum est in 8. aug. (NCR Var. 10. b), vigilia enim III. cl. tantum diebus liturgicis IV. cl. praefertur (NCR 32). — 4°. *Vigiliae occurrentia cum Dominica.* a. Vigilia *Nativitatis* in Dominicam IV. Adv. incidens, locum tenet Dominicae, de qua inde nulla fit commemoratio (NCR 30. a). — b. Vigilia II. et III. cl. in Dominicam incidens penitus *omittitur,* item si cadat in festum I. cl. — Si autem festum cui praemittitur vigilia, transferendum esset, etiam omittitur vigilia (NCR 33).

d) *OCTAVAE* sunt celebrationes summorum festorum pro octo continuos dies protractae (NCR 63), ut sapienter a novis rubricis definitur et ita se habet res inde ab 1956. nam iam rubricarum simplificatio (23. mart. 1955) octavas delevit, tres *vere* summorum festorum praeparantes hoc actu elevando (NCR 64). Inde ab anno 1960 sunt octavae I. aut II. cl. (NCR 65), ut octavae Nativitatis singularem indolem salvare possit Ecclesia, in qua nempe Sanctos collegit ad natalicia mysteria concelebranda. — 1°. *Octavae I. cl.* sunt Paschatis et Pentecostes. Dies infra has octavas sunt dies I. cl. (NCR 66), et omnia habent privilegia tali classi eminenti congruentia. — 2°. *Octava II. cl.* est Nativitatis Domini quae modo peculiari ordinatur, ut suo loco dicetur, cf. Heortologiam C. 2. d.

15. *DE RATIONE FESTORUM.*

Festum est « dies liturgicus, in quo cultus publicus Ecclesiae peculiari modo ad mysteria Domini recolenda vel ad B. Mariam V., aut Angelos, aut Sanctos vel Beatos venerandos dirigitur » (NCR 35). Vario modo dividuntur.

a) *Ratione sanctificationis diei* per Missam et cessationem ab operibus sunt festa *feriata* seu *fori,* aliter festa *de praecepto,* in quibus Missa est audienda et abstinendum ab operibus servilibus (can. 1248), et sunt festa sine feriatione seu festa *chori.* Festa fori sunt festa quae etiam nunc celebrantur feriatione, alia autem sunt *suppressa* quae in catalogo festorum Urbani VIII. adhuc erant festa fori, in his diebus id remansit ex feriatione, quod Missa pro populo debet applicari. Catalogus talium dierum habetur in « Indice festorum in universa Ecclesia suppressorum » a S. Cong. Concilii concinnatum (decr. 28. dec. 1919, AAS 1920, 42. cf. De SS. Euch. E. 4. d. V. 2°.).

b) Ratione *obiecti cultus* distinguitur — 1°. inter festa *Domini,* inter quae referri possunt Dominicae; dedicatio et anniversarium dedicationis est quoque festum Domini, item Purificatio BMV (NCR Var. 60. et 45). — 2°. Festa *B. Ma-*

riae Virginis, — dein 3°. festa *S. Angelorum,* — 4°. demum festa *Sanctorum* et Beatorum.

c) Ratione *stabilitatis* dantur festa *immobilia* quae die semper fixo mensis celebrantur, et festa *mobilia* quae dependent a computo dominicali. Sic festa plurima mobilia a dato festo Paschatis dependent (tempus Septuagesimae, Quadragesimae, Passionis, paschale, Ascensio, Corpus Christi, Cor Jesu), alia festa ab aliis Dominicis (e. gr. festum SS. Nominis Jesu, S. Familiae, Christi Regis etc.). Insuper haec diversitas secum fert quod festa immobilia etsi semper die fixo coluntur, tamen semper singulis annis alio die hebdomadae recurrunt, sicque causa sunt illius coincidentiae « occurrentiae » nuncupatae de qua sermo statim fiet (infra 16. a).

d) Ratione *celebrationis liturgicae* distinguuntur festa, sicut etiam alii dies liturgici, iuxta *gradum* i.e. quantitatem et qualitatem celebrationis et habentur inde ab anno 1961 sec. reformationem Joannis XXIII. festa I. II. et III. classis (NCR 37). — 1°. *Festa I. cl.* « inter dies sollemniores adnumerantur, quorum officium incipit a I. Vesp. die praecedenti (NCR 37. a). Haec festa fuerunt usque 1961 festa duplicia I. cl., elenchus eorum legitur adiectus Novo Codici Rubricarum (AAS 1960, 700-701 et separatae editionis: « Rubricae Breviarii et Missalis Romani, Typis polyglottis Vaticanis 1960, p. 112-113). Ad hunc I. gradum classis elevata sunt inde ab a. 1961 dies octavus Nativitatis Domini, antea Circumcisionis, (die 1. ian.) et Commemoratio Omnium Fidelium defunctorum (NCR Var. 6). — 2°. *Festa II. cl.* officium habent quod per se decurrit a Matutino ad Completorium ipsius diei (NCR 37. b). Haec festa fuerunt usque 1961 festa duplicia II. cl. (elenchus eorum habetur AAS 1960, 701-2 et separatae ed. p. 113-114). Ad hunc gradum II. cl. sunt elevata festa inde ab a. 1961: festum S. Familiae, Cathedrae S. Petri (22. febr.), et Exaltationis S. Crucis (14. sept.) (NCR Var. 7). — 3°. *Festa III* cl., cum officio item a Matutino ad Completorium (NCR 37. b). Festa haec fuerunt usque 1961 festa duplicia maiora, aut minora et festa quae tamquam semiduplicia (ab anno 1955: simplicia) in Calendariis inscripta fuere (NCR Var. 3). Festa autem quae in Calendariis hucusque simplicia indicabantur, iam ab anno 1955 ad commemorationem reducta sunt, sicque manent etiam abhinc (NCR Var. 4). Noviter vero ab a. 1961 *alia etiam festa* ad commemorationem reducta sunt, e.gr. BMV de Monte Carmelo (16. iul.), de Mercede (24 sept.), Septem dolorum BMV. (Fer. VI. post Dom. I. Pass.) et septem festa Sanctorum quorundam (NCR Var. 5).

e) Ratione *celebrantium,* quinam ius et obligationem habeant festa colendi, distinguuntur — 1°. festa *universalia,* i.e. ea festa quae a Sancta Sede in calendario universae Ecclesiae inscribuntur, quae ab omnibus qui ritum romanum sequuntur, celebrari debent, iuxta rubricas (NCR 39). *Calendarium sec. novas rubricas* confectum adiectum legitur Novo Codici Rubr. (AAS 1960, 686-698, ed. separatae p. 98-110). — 2°. Festa *particularia* ea sunt, quae ex iure vel ex indulto S. Sedis in calendariis particularibus inscribuntur. — Sunt ergo a. festa particularia *ipso iure* inscribenda et vocantur festa « *propria* » (NCR 41). Festa propria sunt (1) festa cuiusque *nationis,* regionis et provinciae sive ecclesiasticae sive civilis (NCR 42) — (2) cuiusque *dioecesis* seu territorii cui praeficitur ordinarius loci (NCR 43) — (3) cuiusque *loci,* oppidi seu civitatis (NCR 44) — (4) cuiusque *ecclesiae,* oratorii publici vel semipublici quod locum tenet eccle-

siae (NCR 45) — (5) cuiusque *ordinis* vel congregationis (NCR 46). — **b.** Festa particularia *indulta* sunt festa quae ex indulto Sanctae Sedis in calendariis particularibus inscribuntur, e.gr. Beatus qui sodalis fuit ordinis, vel qui partes habuit in historia nationis e.gr. B. Innocentius XI. penes Hungaros.

16. *DE PRAECEDENTIA DIERUM LITURGICORUM.*

a) Quoniam dies liturgici mobiles (Dominicae, feriae, quaedam festa) cum diebus immobilibus singulis annis coincidunt, habetur factum 1°. *occurrentiae* quae est concursus seu coincidentia duorum vel plurium officiorum liturgicorum in eodem die. Occurrentia potest esse **a.** *accidentalis,* quando dies liturgicus fixus *certis* solummodo annorum intervallis simul occurrunt, e.gr. si Annuntiatio BMV. in Fer. II. Hebdomadae Sanctae occurrat, — et potest esse **b.** *perpetua,* quando duo dies liturgici *quotannis* simul occurrunt (NCR 92), e.gr. festum S. Joseph Opificis die 1. maii simul in calendario particulari festum esset dedicationis. — 2°. *Concurrentia* est partialis occurrentia, seu coincidentia officiorum quae diebus immediate sequentibus celebrantur, ad *Missam* quidem nihil refert, attingit enim solum *Vesperas*: tunc habetur enim, quando Vesperae diei liturgici currentis cum I. Vesperis diei liturgici subsequentis coincidunt seu concurrunt (NCR 103).

b) *Occurrentiae solutio* est, quod « officium diei liturgici gradus inferioris officio gradus superioris cedat » (NCR 93) et *quadruplici modo* effici potest: per minus nobilis omissionem, aut commemorationem, aut translationem, aut repositionem (ibid.). — 1°. **Omissio** officii minus nobilis. *Leges* sunt: **a.** *Festa II. et III. cl.* accidentaliter impedita non transferuntur, sed aut commemorantur aut eo anno penitus omittuntur (NCR 95. 2. pars). — **b.** *Festa III. cl. universalia* in calendario *particulari perpetuo* impedita aut commemorantur aut omittuntur (NCR 100. 2. part). — **c.** Si duo festa eiusdem Personae divinae vel Sancti simul occurrunt, fit de festo, quod praecedentia sua praevalet, aliud autem omittitur (NCR 95. 3. pars). — **d.** *Ob identitatem* omittuntur quaedam commemorationes: Officium, Missa aut commemoratio de aliquo festo vel mysterio unius Divinae Personae excludit commemorationem aut orationem de alio festo vel mysterio eiusdem Divinae Personae — eodem modo Dominica excludit de festo vel mysterio Domini et vicissim — de tempore excludit aliam commemorationem de tempore — item de BMV vel Sancto aliam in qua ipsa BMV vel Sanctus implorantur, quod tamen non valet de oratione Dominicae vel feriae in qua fit invocatio eiusdem Sancti (NCR 112). — **e.** In *Dom. II. cl.* una admittitur commemoratio, sed si privilegiata facienda sit, omittitur (NCR 111. b). — 2°. **Commemoratio,** de qua iam actum est, superius 5. — 3°. **Translatio** festi fit, quando festum alia die celebratur prohibitum suo die ob officii seu diei nobilioris occurrentiam. — **a.** *Competit* translatio solummodo festis I. cl. (NCR 95). — **b.** Translatio fit eo, quod festum impeditum transfertur in *diem proximum sequentem,* qui non sit dies I. vel II. cl. (NCR 96). — **c.** *Occurrentia multiplex* habetur si plures dies, non solum duo coincidant. Si plura festa I. cl. simul occurrant, ipso die celebratur festum quod in Tabella praecedentiae superiorem obtinet locum et alia transferuntur sec. ordinem quo in eadem Tabella inscripta sunt; item si plura festa transferri contingat quae diebus *subsequentibus* occurrunt, e.gr. festum S. Joseph 19. mart. et Annuntiationis 25. mart., servetur ordo Tabellae praecedentiae, in paritate autem officium

prius impeditum praecedit (NCR 97 et 98). — 4°. **Repositio** fit quando festum ob occurrentiam perpetuam impeditum alio die celebratur in perpetuum quod **a.** *competit* omnibus festis I. et II. cl., necnon festis particularibus III. cl. extra Adventum et Quadragesimam occurrentibus quae in tota dioecesi vel toto ordine et congregatione vel in propria ecclesia impediuntur (NCR 100). — **b.** Fit eo quod assignatur *proximiori diei* sequenti qui non sit I. vel II. cl.; si sint III. cl. assignentur proximiori diei sequenti qui non sit I-III. cl. (NCR 101). — 5°. **Sollemnitatis externae translatio** adiungenda est, quia saepe occurrit, qua concessio benigna Ecclesiae ob rationes pastorales. — **a.** Sic vocatur enim « celebratio ipsius festi *absque officio*, in bonum fidelium *vel* die quo festum impeditur *vel* in Dominica quando ipsum festum occurrit infra hebdomadam, *vel* alio statuto die » (NCR 356). Officium ergo et etiam Missa, exceptis concessis, celebrantur de occurrenti die liturgico, in quem externa sollemnitas translata sit. — **b.** Competit sollemnitas externa *ipso iure* solummodo (1) Festo SS. Cordis Jesu (in Dom. III. post Pent.), — (2) festo BMV. a Rosario (in Dom. I. octobr.), — (3) festis I. aut II. cl., quae cum quadam peculiari actione liturgica sunt connexa, *si* eadem actio liturgica, approbante S. Sede, in Dominicam transfertur, quae coniunctim cum praedicta actione liturgica celebratur, — (4) festo Patroni principalis rite constituti, — (5) anniversario dedicationis ecclesiae — (6) festo Tituli propriae ecclesiae, — (7) festo Tituli ordinis seu congregationis — (8) vel eorundem sancti fundatoris, — (9) festis I. vel II. cl., quae cum peculiari populi concursu celebrantur: cuius rei iudex est loci ordinarius (NCR 358). Sollemnitates externae per peculiare indultum iam antea concessae in vigore manent, sed non diebus I. cl. et tantum duae Missae possunt celebrari (NCR 361). — **c.** *Quo die* potest fieri externa sollemnitas: aut (1) ipso die, quo impeditur — aut (2) in Dominica immediate praecedenti vel (3) immediate sequenti officium festo impediti, iuxta rubricas (NCR 359). — **d.** *Quomodo* celebranda est externa sollemnitas: de festo cuius fit sollemnitas externa, celebrari potest *una* Missa *in cantu*, et altera *lecta, vel duae* Missae *lectae*, tamquam votivae II. cl. excepto casu de quo supra **b.** (3) egimus.

c) Opus est certo scire, quale officium, respective qualis dies liturgicus ex occurrentibus sit *nobilior*. Ad vere facilem consultationem Novus Codex Rubricarum suppeditat nobis *Tabellam praecedentiae* (NCR 91), 28 titulis constantem; « praecedentia dierum liturgicorum, sublatis quibuslibet aliis titulis vel normis, *unice* regitur » hac Tabella (NCR 91. init.).

NOTA. In Tabella praecedentiae nos adiecimus ad singulos numeros sigla *Vot.* et *Def.*, quibus significamus, quando *permittatur* celebratio Missae *votivae* vel pro *defunctis*. Ubi sigla haec desunt, prohibetur illarum Missarum celebratio, (de quibus cf. infra 20. et 21.).

TABELLA PRAECEDENTIAE.

Dies liturgici I. classis

1. Festum Nativitatis Domini, Dom. Resurrectionis et Pentecost. (I. cl. oct.).
2. Triduum sacrum.
3. Festa Epiphaniae, Ascensionis, SS. Trinitatis, Corporis Chr., Cordis Jesu et Christi Regis.

4. Festa Immaculatae Concept., Assumptionis BMV.
5. Vigilia et dies octavus (1. ian.) Nativitatis Domini.
6. Dominicae Advent., Quadrag., et Passionis, Dom. in Albis. (=Dom. I. cl.).
7. Fer. I. cl. supra non nominatae: IV. cinerum et II. III. IV. Hebdom. Sanctae. (*Def. I. cl.*).
8. Commem. Omnium Fid. defunct., locum cedens Dominicis. (*Def. I. cl.*).
9. Vigilia Pentecost. (*Vot. I. cl., Def. I. cl.*).
10. Dies infra octavas Pasch. et Pentec. (*Vot. I. cl. Def. I. cl.*).
11. Festa I. cl. Ecclesiae universae supra non nominata. (*Vot. I. cl., Def. I. cl.* cum exceptionibus infra 21. a. 7°, recensitis).
12. Festa I. cl. propria (*Vot. I. cl.; Def. I. cl.* cum exceptione infra 21. a. 8°).
13. Festa indulta I. cl., primum mobilia, deinde fixa. (*Vot. I. cl., Def. I. cl.*).

Dies liturgici II. cl.

14. Festa Domini II. cl., primum mobilia, dein fixa (*Vot. I. II. cl., Def. I. II. cl.*).
15. Dominicae II. cl. (*Vot. I. II. cl., Def. I. cl.*).
16. Festa II. cl. Eccl. universae, non Domini (*Vot. I. II. cl., Def. I. II. cl.*).
17. Dies octavae Nativ. Dom. (*Vot. I. II. cl., Def. I. II. cl.*).
18. Feriae II. cl. (*Vot. I. II. cl., Def. I. II. cl.*).
19. Festa propria II. cl. (*Vot. I. II. cl., Def. I. II. cl.*).
20. Festa indulta II. cl. primum mobilia, dein fixa (*Vot. I. II cl., Def. I. II. cl.*).
21. Vigiliae II. cl. (*Vot. I. II. cl., Def. I. II cl.*).

Dies liturgici III. classis

22. Feriae Quadrag., Passionis (Quat. Temp. sunt II. cl.) (*Vot. et Def. I. II. III. cl.*).
23. Festa III. cl. propria, dein indulta in calendariis particularibus inscripta (*Vot. et Def. I. II. II. cl.*).
24. Festa III. cl. in calendario Eccl. Universae inscripta, primum mobilia, dein fixa (*Vot. et Def. I. II. III. cl.*).
25. Feriae Adventus usque ad diem 16. dec. inclusive exceptis feriis Quatuor Temporum (*Vot. et Def. I. II. III. cl.*).
26. Vigilia III. cl. (*Vot. et Def. I. II. III. cl.*).

Dies liturgici IV. classis.

27. Officium S. Mariae in Sabbato (*Vot. et Def. I. II. III. IV. cl.*).
28. Feriae IV. cl. (*Vot. et Def. I. II. III. IV. cl.*).

Nota practica. Ope Tabellae occurrentiam facile solvere possumus. E calendario Breviarii et Missalis Romani quod adiectum habetur Novo Codici Rubricarum (AAS 1960, 686-698, ed. separata p. 98-110) deprehendi debet gradus dierum occurrentium, dein in Tabella praecedentiae inspicimus ordinem praecedentiae. E.gr. si festum Commemorationis Baptismatis Christi cadat in Dominicam, festum est II. cl., ergo praecedit Dominicam et festum celebratur, quia est festum Domini (Tab. praec. 14. 15). Si autem Nativitas BMV. cadat in Dominicam, celebranda est Dominica, nam festa II. cl. praecedit (Tab. praeced. 15. 16).

17. *MISSAE SECUNDUM ORDINEM OFFICII.*

Denominatio haec desumpta est e Rubricis generalibus S. Pii V., ac retenta a Novo Codice Rubricarum (301). *Principium fundamentale* est: Missa per se debet concordare cum officio diei currentis, dantur tamen etiam Missae extra ordinem officii (NCR 270). Missae secundum ordinem officii sunt: temporales — festivae — ad libitum eligendae.

a) *Missae temporales* seu de tempore sunt: 1°. De *Dominica*, omnes Dominicae sive I. cl. sive II. cl. sint, habent formularia propria, seu Missam propriam. Tantum Dominicae post Epiphaniam transferuntur partim inter Dominicam XXIII. et XXIV. post Pentecosten, ideo vocantur « Dominicae vagae », de quibus Heort. B. 3. f. — 2°. Missae *feriales* seu de feria: omnes feriae Quadrag. et Passionis et Quatuor Temporum habent formularium proprium; in reliquis feriis dicitur Missa Dominicae praecedentis, e qua pariter sumuntur orationes, quoties feria est commemoranda, nisi a rubricis aliter provisum sit (NCR 299). — 3°. *Sensu latiore* etiam *festa cyclorum duorum* liturgicorum (natalicii et paschalis) ad Missas temporales pertinent, proinde etiam vigiliae et octavae eorum hoc sensu huc pertinent, si contradistinguantur a festis et Missis Sanctorum, nuncupato « Sanctorale ».

b) Missae *festivae* seu de festo *sensu proprio* intelliguntur Missae de mysterio, Sancto vel Beato, celebratis secundum ordinem officii (NCR 301). — 1°. Sensu *proprio* Missae festivae sunt Domini, B. Mariae V., Angelorum et Sanctorum. — 2°. Missae festivae *sensu latiore* sunt **a.** Missa de festo III. cl. *impedita* ab alio festo eiusdem gradus, — **b.** Missa de *commemoratione* in officio diei occurrente, — **c.** Missa de mysterio, Sancto vel Beato, cuius elogium in *Martyrologio* vel in Appendice eius (pro quibusdam ecclesiis) habetur (NCR 302). — **d.** Hae Missae sensu latiore festivae iisdem omnibus iuribus liturgicis gaudent ac si festum cum integro officio celebraretur (NCR 303). *Privilegia liturgica* inde ab a. 1961 sunt: (1) ad formulam liturgicam *eligendam* (extra Missam conventualem), sumenda est Missa festiva quae in Missali habetur, sed si Missa e Communi sumenda esset, sumere licet ad libitum sacerdotis celebrantis Missam propriam, si habetur inter Missas *pro aliquibus locis* (NCR 305. a), privilegium sane non contemnendum, quod multos perpulchros textus sic devotioni publicae aperit. — (2) Aliud privilegium est, quod « quoties in *Communi* plures extant formulae, electio fit *ad libitum* sacerdotis celebrantis. In *singulis* autem Communibus Epistolae et Evangelia, quae habentur sive in ipsis Missis sive ad calcem totius Communis, sumi possunt in *qualibet* Missa de eodem Communi » (NCR 305. b).

c) *Prohibitio Missarum « eligendarum »* festivarum seu facultativarum (de quibus supra b.2°. sermo fuit). Ad libitum electio, ut supra descripsimus vetatur: 1°. in Missa *conventuali* quae ergo semper adamussim iuxta Calendarium dicenda est (NCR 305). — 2°. De festo *III. cl. impedito* dici potest tantum, si etiam festum impediens sit III. cl. (NCR 303. a). — 3°. De *commemoratione* in officio diei currentis Missa tantum dici potest, si occurrit dies liturgicus IV. cl. (NCR 303. b), sed excluditur alterius commemoratio (NCR 317), ergo in Missa de Sancto vel de festo non commemoratur Fer. IV. cl., nam si haec omittitur, numquam commemoratur (NCR 26). Proinde tempore *Quadragesimae et Passionis* iam ab anno 1961 non potest celebrari Missa festi III. cl., feriae de quibus

agitur sunt enim III. cl. quae praeferuntur festis III. cl. (25. a). In feriis vero *Adventus* usque ad diem 16. dec. inclusive celebrantur festa III. cl., non autem Missae «eligendae» (NCR 25. b). — 4°. *Prohibitio in casu particulari* habetur in ecclesiis unam tantum Missam habentibus **a.** quoties urgeat onus Missae *conventualis*, — **b.** quoties diebus Litaniarum dicenda sit, iuxta rubricas, Missa de *Rogationibus* (NCR 304).

18. *MISSAE EXTRA ORDINEM OFFICII.*

Missae extra ordinem officii sunt tales quae non concordant cum officio diei, at tales *non* sunt Missae « eligendae » seu facultativae (festivae sensu latiore: supra 17. b. 2°. et c.), nam eo die commemorantur vel in Martyrologio elogium habent. Sensu *stricto* Missae extra ordinem officii sunt Missae votivae et pro defunctis (sic NCR 270).

I. MISSAE VOTIVAE. *Votivae* appellantur, quia ad « *votum* » (=desiderium) fidelium celebrantur, ut Deus petitionem eorum exaudiat in speciali necessitate. Aliquoties etiam in honorem *Angelorum vel Sanctorum* celebrantur Missae extra eorum diem natalem (liturgicum), at non ritu festivo: etiam hae Missae vocantur votivae. E permultis Missis votivis medio aevo exeunte usitatis Missale *Tridentinum* (S. Pii V.) cauta selectione aliquas optimae notae assumpsit, quae inveniuntur in Missali Romano post Missas de Communi. Quod *valorem* harum Missarum attinet, dicendum, quod primario procul dubio ipsa Missa exserit suam vim impetratoriam, cui tamen opus operatum Ecclesiae orantis adstipulatur; ceteris paribus ergo Missa votiva plus valet ad necessitatem fidelium sublevandam, quod item dicendum est de Missis pro defunctis celebratis. Novissima legislatio liturgica *S. P. Joannis XXIII.* evidenti nisu leges Missarum votivarum ordinando et instaurando *inculcare* vult, magis quam antea, *momentum* harum Missarum.

a) *Species Missarum votivarum.* In quatuor classes nova legislatio distribuit Missas votivas. — 1°. **Votivae I. cl.** nomine intelligitur Missa votiva quae celebrari permittitur omnibus diebus liturgicis, iis tantum exceptis quae in Tabella praecedentiae sub n. 1-8 recensentur (NCR 328). — **a.** *Privilegia* earum sunt: dicuntur cum Gloria et Credo, excludunt omnes commemorationes non privilegiatas, et orationem ab ordinario loci imperatam, oratio Missae votivae *impeditae* additur sub unica conclusione orationi Missae diei (exceptis diebus n. 1-3 et 8. in Tabella praecedentiae recensitis), si in cantu celebrentur, adhibetur tonus sollemnis (NCR 330). — **b.** *Species* earum sunt: (1) Missa de *dedicatione* « in actu » consecrationis ecclesiae, — (2) Missa *in cantu* de *SS. Sacramento* in congressis eucharisticis, — (3) Missae *in cantu* de mysteriis Domini, de B. Maria V., Sancto vel Beato occasione *celebrationis extraordinariae* (NCR 331-334, 335-340. a), de quibus specialiter loco suo agetur. — 2°. **Votivae II. cl.** nomine intelligitur Missa votiva quae celebrari permittitur omnibus diebus liturgicis II. III. et IV cl., sed Missa nuptialis speciales leges habens, seiunctim tractabitur (inferius 19.). — **a.** *Privilegia* seu *ritus* harum Missarum sunt: Gloria dicitur, nisi Missa habeat colorem violaceum; Credo non dicitur, nisi ratione Dominicae vel octavae, admittunt unam tantum commemorationem et excludunt collectam ab ordinario loci imperatam, oratio Missae votivae impeditae addi debet orationi Missae sub unica conclusione, exceptis diebus sub n. 1-3 et 8. Tabellae

praecedentiae recensitis; si in cantu celebrentur, adhibetur tonus sollemnis (NCR 343). — **b.** *Species* votivarum II. cl. sunt: (1) Missa in sollemni *benedictione ecclesiae* vel oratorii *et* in consecratione altaris (NCR 345), — (2) *Rogationum* in Litaniis Maioribus et Minoribus (NCR 346-347), — (3) Missae votivae occasione *Quadraginta Horarum* aut alterius *expositionis* Sanctissimi (NCR 348-355), — (4) Missae de *sollemnitate externa* festorum (NCR 356-361), — (5) Missa in die *coronationis* Papae et *anniversariis* Papae et episcopi dioecesani (NCR 362-365), — (6) Missa pro *re gravi et publica* simul causa (NCR 366-368), — (7) Missa pro *fidei* propagatione (NCR 369), — (8) Missae in quibusdam occasionibus *peculiaribus* (NCR 370-372), — (9) Missae votivae in *sanctuariis* (NCR 373-377). — 3°. **Votivae III. cl.** nomine intelliguntur Missae quae celebrari possunt diebus liturgicis III. et IV. classis (NCR 384). — **a.** *Ritus* seu ratio ordinandi earum haec est: Gloria dicitur, Credo nunquam, admittunt duas commemorationes *aut* unam et collectam ab ordinario loci imperatam; si in cantu celebrantur, adhibetur tonus sollemnis, quoties prohibentur, non commemorantur in Missa diei (NCR 386). — **b.** *Species* earum sunt: (1) *Una* Missa de Jesu Christo, Summo atque aeterno sacerdote, — (2) *duae* Missae de SS. Corde Jesu, — (3) *una* Missa de Immaculato Corde BMV., — (4) Missa de SS. Eucharistiae Sacramento *singulis* sacerdotibus permissa diebus congressus eucharistici (NCR 385). De his Missis et quibus diebus celebrari queant speciatim agemus. — 4°. **Votivae IV. cl.** nomine venit Missa quae celebrari potest tantum diebus liturgicis IV. classis (NCR 387). — **a.** Ritus seu ratio ordinandi has Missas est: non dicitur Gloria, nisi in Missis Angelorum et BMV. Sabbato, praeter orationem Missae duae addi possunt orationes inter quas adnumerandae sunt sive commemorationes de officio diei aut in officio diei occurrentes, sive collecta ab ordinario loci imperata, sive oratio votiva, Credo nunquam dicitur; si in cantu celebratur, adhibetur tonus ferialis (NCR 389). — **b.** *Species* earum sunt illae Missae quae permittuntur celebrari ut votivae. De his agimus infra sub c).

b) *Regulae Missarum votivarum generales.* Iam actum est de *ritu singularum* classium Missarum votivarum, nunc adhuc restat paucis resumere normas omnibus Missis votivis *communes.* — 1°. *Identitas mysterii.* Quaevis Missa votiva de mysteriis Domini, de BMV. vel Sancto, prohibetur, quoties occurrit dies liturgicus I. vel II. cl. in quo fit officium de eadem Persona. Tunc loco Missae votivae dicenda est Missa de officio currenti. Occurrente vero die liturgico III. vel IV. cl., *eligi* potest Missa *aut* de officio diei *aut* Missa votiva, exclusa alterius commemoratione (NCR 317). — 2°. Si Missa votiva impediatur, *oratio sub unica* conclusione orationi diei tantum in Missis votivis I. vel II. cl. additur, modo ne occurrat dies sub n. 1-3 et 8. in Tabella praecedentiae recensitus (NCR 318). — 3°. *Sequentia* si qua habetur, in Missis votivis omittitur (NCR 321). — 4°. *Praefatio* dicitur cuique Missae propria, qua deficiente dicitur praefatio de tempore aut communis iuxta normas generales (NCR 322., cf. superius 12. a.). — 5°. *Color* paramentorum in Missis votivis est cuique Missae conveniens, de quibus in Paramentica agitur. *Privilegium* novum additur: in Missis lectis IV. cl. non conventualibus adhiberi potest etiam color *diei*, servato tamen colore violaceo in nigro pro Missis unice quibus competit (NCR 323). — 6°. Nisi in rubricis particularibus aliud statuetur, Missa *votiva* potest esse *aut in cantu aut lecta* (NCR 324). Ante reformationem S. P. Joannis XXIII. votiva publica debuit esse in cantu.

c) *Quaenam Missae possunt celebrari tamquam votivae.* Missae votivae possunt esse: 1°. De **mysteriis Domini a.** in Ecclesia *universa* sumitur Missa de respectivo festo, nisi expresse indicetur aliam esse adhibendam, aut peculiaris Missa votiva (NCR 314), sed celebrari nequeunt tamquam votivae quae referuntur ad mysteria *vitae* Domini, ut factum est medio aevo, quando e.gr. legebant Missam de nativitate, circumcisione etc. (NCR 308 in fine). In *singulis* ecclesiis (i.e. quibus concessum est specialiter) sumi possunt omnes Missae de festis Domini in calendario particulari inscriptae et votivae specialiter concessae (NCR 308 in fine). — **b.** Missae autem de *mysteriis Domini* haec recensentur: (1) de SS. Trinitate, — (2) de SS. Nomine Jesu, — (3) de SS. Corde Jesu, — (4) de pretiosissimo Sanguine Jesu, — (5) de Christo Rege, — (6) de SS. Eucharistiae Sacramento, — (7) De Jesu Christo summo et aeterno sacerdote, — (8) de sancta Cruce, — (9) de passione Domini, — (10) de Spiritu Sancto. E quibus de festo sumuntur n. 2. 3. 4. et 5., ceterae habent peculiarem formulam votivam. (NCR 308). — 2°. De **B. Maria Virgine** celebrari possunt: — **a.** *S. Mariae* in *Sabbato* assignata, necnon Missae de *festis* BMV. in calendario universali inscriptae, sed nequeunt adhiberi ut votivae quae ad mysteria *vitae* eiusdem BMV. referuntur, e.gr. nativitatem, praesentationem, excepta Missa de eiusdem Immaculata Conceptione (NCR 309). — **b.** in *singulis* ecclesiis, quibus nempe specialiter concessum est, celebrari possunt Missae de festis in calendariis particularibus inscriptis et aliae Missae votivae specialiter concessae, ut. e.gr. Missa BMV. de Cella BMV. (Mariazell in Styria). Partes *variandae* iuxta diversa anni tempora in his Missis deficientes sumendae sunt e *Communi* festorum BMV. (NCR 309). — 3°. De **Angelis** celebrari possunt tamquam votivae Missae de singulis festis SS. Angelorum, sed non de apparitione S. Michaelis archangeli, nisi specialiter indulgeatur, e.gr. Monti Gargano, et Missa votiva de SS. Angelis Fer. III-ae assignata. (NCR 310). — 4°. De **Sanctis** celebrari possunt tamquam votivae Missae de quolibet Sancto *canonizato* elogium habente in Martyrologio Romano, quod intelligi videtur tamquam norma, nam e.gr. sensu hodierno iuris multi, ut martyres aevi antiqui, prophetae V.T. non sunt canonizati, sed elogio decorantur in Martyrologio, dein etiam ii Sancti pro respectivis ecclesiis, quorum elogium in Appendice Martyrologii habentur (NCR 311). Missae votivae de *Beatis* permittuntur ex apostolico indulto *unice* in triduo quod in honorem eorum celebratur intra annum a beatificatione (NCR 312). — **N. B.** Quoad Missas numeris 2°. 3°. 4°. recensitas *privilegium* datur, simile ac quoad Missas « eligendas » seu facultativas (cf. supra 17. b. 2°): pro Missa votiva BMV., Angelorum, Sanctorum sumi potest etiam Missa inter Missas votivas pro *aliquibus locis*, nisi alia Missa tamquam votiva in missali expresse indicetur. Quodsi festum in Missali desit, sumitur e Communi. Quoties in eodem *Communi plures* exstant formulae electio fit *ad libitum* sacerdotis celebrantis. In singulis autem Communibus, Epistolae et Evangelia quae habentur sive in ipsis Missis sive ad calcem totius Communis, sumi possunt in qualibet Missa de eodem Communi (NCR 315). — 5°. Pro peculiaribus circumstantiis vel necessitatibus habentur in missali Missae antiquitate excellentes, sapore liturgico nitentes: Missae votivae « **ad diversa** », et quidem in Missali vel eius Appendice (NCR 313). Hae Missae nominantur sec. necessitatem occurrentem, duae novam nactae sunt denominationem: Missa « contra paganos » inscribi debet « *Missa pro Ecclesiae defensione* » et « ad tollendum schisma » abhinc (ab a. 1961) appellanda est « *Missa pro unitate Ecclesiae* », Inter « *orationes*

diversas », quae adhiberi possunt orationes Missae votivae, vero nova inseritur loco orationis delendae « pro imperatore romano », oratio: « *pro res publicas moderantibus* » (NCR Var. 62 et 63). Si aliqua causa seu necessitas non habeat specialem formulam, adhibetur Missa « *pro quacunque necessitate* » et adhibentur loco orationum huius Missae necessitatibus occurrentes orationes, si inter « orationes diversas » inveniuntur (NCR 316).

II. MISSAE PRO DEFUNCTIS. Missae pro defunctis fidelibus oblatae quae celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum, sunt *iuxta* ordinem officii, omnes aliae Missae sunt *extra* ordinem officii (NCR 390). Iuxta novissimum ius liturgicum (NCR 392) in quatuor classes dividuntur.

a) *Missae defunctorum I. cl.* Huc pertinent Missae Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum et Missa exsequialis (NCR 402). Quia priores pertinent ad Missas iuxta ordinem officii, agendum est hac vice solummodo de *Missa exsequiali* — 1°. quae est « *unica* Missa pro defunctis, quae directe connectitur cum exsequiis alicuius defuncti » (NCR 405). Per se celebranda est *praesente* cadavere, celebrari potest etiam, rationabilem ob causam, *absente* vel iam *sepulto* (ibid.). — 2°. *Ritus Missae exsequialis.* Legitur Missa in die *obitus seu depositionis* defuncti (hic dies ex mente Ecclesiae non est naturalis dies, sed totum tempus a momento mortis usque ad depositionem defuncti, i.e. sepulturam); pro defunctis sacerdotibus et pontificibus semper sumi debet « *Missa I.* », i.e. formularium primum e tribus Missis in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum (NCR 394). *Oratio* dicitur pro laicis oratio Missae depositionis, mutato sexu, pro clericis vero orationes inter diversas respectivae. *Sequentia* semper est dicenda (NCR 399). Missa sicut quaelibet Missa defunctorum potest esse in cantu aut lecta (NCR 400).

b) *Missae defunctorum* II. cl. sunt tres. 1°. Pro *die obitus* intelliguntur « Missae quae pro aliquo defuncto celebrantur a die obitus usque ad diem sepulturae » (NCR 412), non est ergo unica, possunt etiam *plures* celebrari, ideo *differunt* ab exsequiali quae unica est et pars est exsequiarum, etsi formula eadem sit. Hae Missae possunt celebrari in *oratorio privato* defuncti, modo cadaver sit physice praesens in domo; sive in *ecclesia loci* ubi defunctus obiit, sepelitur vel habuit domicilium; sive *in ecclesia* in qua celebratur Missa *exsequialis* etsi a funere defuncti seiuncta (NCR 412. a. b. c.). — 2°. Missa *post acceptum mortis muntium* est « *unica* Missa quae pro aliquo defuncto dici potest in *qualibet ecclesia* vel oratorio, opportuniore die post acceptum mortis nuntium » (NCR 413), ergo non primo die libero, et non solum in iis locis, ubi missae in die obitus. — 3°. Missa *in ultima defuncti sepultura* intelligitur « *unica* Missa, quae dici potest *in ecclesia* vel oratorio illius loci, ubi corpus defuncti iam humatum *ad definitivam sepulturam* defertur, *eo ipso die* eiusdem definitivae sepulturae » (NCR 414). Est Missa quae celebrari potest in casu exhumationis, et quasi-exsequialis respectu liturgico.

c) *Missae defunctorum III. cl.* sunt quatuor. — 1°. Missa in *die III., VII. et XXX.* ab obitu seu depositione i.e. sepultura et est etiam *unica;* dici potest *ut in die obitus,* adhibitis orationibus propriis quae in fine huius Missae de obitu inveniuntur. Quoties haec Missa impeditur a rubricis, *transferri* potest in proximiorem diem liberum. *Plures* tunc possunt esse huiusmodi Missae, si dies habetur IV. cl. (NCR 417). — 2°. Missa *in anniversario stricte* sumpto est

Missa annui recursus diei obitus seu sepulturae alicuius defuncti, *late* sumpto est Missa in anniversario ex fundatione extra diem obitus vel sepulturae semel quolibet anno celebranda *aut* Missa celebrationis quae pro omnibus defunctis alicuius coetus semel quolibet anno habetur (NVR 418). In qualibet ecclesia vel oratorio permittitur *unica* Missa dicenda ut in anniversario. Quoties prohibetur, transferenda est in proximum diem non impeditum (NCR 419). — 3°. *Missae in ecclesiis et sacellis coemeterii.* Hoc nomine intelligitur « *ecclesia* vel *oratorium* publicum *principale* coemeterii, in quo actu cadavera sepeliuntur, dummodo huiusmodi ecclesia vel oratorium adnexum non habet onus chorale aut curam animarum », *sacellum* autem vocatur locus sacer particularis sepulcreti intra fines coemeterii, rite erecti (NCR 420). *Plures* Missae possunt celebrari, dummodo defunctis applicentur; dici possunt de requie, adhibita « Missa quotidiana » cum oratione convenienti. — 4°. *Missae intra octiduum* Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum. Octiduum a die ipso inclusive computandum est ergo *dies 2.-9. novembris; omnes* Missae quae applicantur pro omnibus *vel* quibusdam defunctis, dici possunt de requie, adhibita Missa « quotidiana » cum oratione convenienti (NCR 422).

d) *Missae defunctorum IV. cl.* — 1° *Omnes aliae* Missae defunctorum sunt IV. cl. seu « *quotidianae* », quae loco Missae officio diei respondentis in feriis IV. cl. tantum celebrari possunt, sed *excepto tempore natalicio* (sic NCR 423). Quoniam tempus « natalicium » tempus « Nativitatis » et tempus « Epiphaniae comprehendit (NCR 72), ideo diebus 2-5. et 7-12. ianuarii hae Missae prohibentur. In feriis post Ascensionem et (Fer. VI. usque Fer. VI. ante vigiliam Pentec.) abhinc iam non habetur talis prohibitio. — 2°. Adiicitur lex rubricalis *directiva,* qua maternum monitum Ecclesiae: « Maxime convenit, ut hae Missae defunctorum IV. cl. tunc tantum dicantur, cum *revera* pro defunctis, *aut* in genere *aut* certo designatis applicantur » (NCR 423), non ergo solummodo praesumuntur, si tantum « ad intentionem dantium » assignatae sint.

19. *MISSA NUPTIALIS.*

Missa nuptialis est Missa quae post ritum Sacramenti matrimonii dicitur et intra quam fit specialis benedictio nubentium. Potest esse Missa *votiva* II. cl. iuxta leges liturgicas (NCR 378-381) *vel* Missa *officii currentis* item cum benedictione nuptiali intra Missam. Sive haec sive illa Missa *permittitur,* quoties nuptiae celebrantur, sive extra tempus « clausum » sive etiam tempore clauso, si loci ordinarius, ex iusta causa, solemnem nuptiarum benedictionem permiserit (NCR 378).

a) Missa votiva « *pro sponsis* » celebratur colore albo (NCR 121. d), Gloria dicitur, Credo non, nisi ratione octavae occurrentis, 2. oratio est diei currentis, sed non Feriae IV. cl. quae non commemoratur; collecta ab ordinario loci imperata excluditur, praefatio dicitur de tempore vel communis (NCR 343). Quoties haec Missa votiva prohibeatur, dicitur:

b) Missa *de officio currenti* — 1°. tunc, si benedictio nuptialis quidem permittitur, sed *Missa votiva non;* dicitur oratio Missae pro sponsis sub unica conclusione cum oratione officii currentis et quidem etiam iis diebus, quibus commemoratio Missae votivae II. cl. prohibetur (supra 18. I. a. 2°. a.); oratio ergo addenda est etiam in Missis in festis Nativitatis, Resurrectionis (si benedictio

nuptialis permittatur), Pentecostes. — 2°. *Dies* quibus benedictio nuptialis in Missa *impertiri potest,* sed cum Missa officii currentis sunt: **a.** omnes dies liturgici I. cl., — **b.** omnes Dominicae, I. et II. cl. (NCR 379), in quo differt Missa « pro sponsis » a ceteris Missis votivis II. cl., quae omnibus Dominicis minime prohibentur.

c) Missa *tum* « pro sponsis » *tum* de officio currenti *prohibentur,* nisi ordinarius loci dispenset: *Tempore clauso,* i.e. a Dom. I. Adventus usque ad Nativitatem Domini inclusive, et a Fer. IV. cinerum usque ad Dom. Paschatis inclusive (can. 1108 § 2). Quia dispensatio ordinarii loci « salvis legibus liturgicis » fit (can. 1108 § 3.), tempore clauso quoque legenda est Missa votiva, si non prohibeatur (ut supra b.), secus Missa de die (NCR 378).

d) *Omnino prohibetur* tum Missa de die, tum votiva pro sponsis cum benedictione nuptiali: in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum et in Triduo Sacro (NCR 381. d). — In casibus prohibitionis Missae nuptialis una cum benedictione *translatio* fieri potest in opportuniorem diem non impeditum, post celebratum matrimonium (NCR 380).

e) Postquam iam editio typica 1952. Ritualis Romani benedictionem habet *matrimonii* iubilaei, i.e. ritum gratiarum actionis *in 25-o vel 50-o anniversario* a celebratione matrimonii, nova legislatio addit licentiam *Missam* celebrandi ante hanc benedictionem Ritualis (tit. VIII. c. 7). Missa haec est votiva II. cl., celebrari potest aut Missa de SS. *Trinitate* aut de *B. Maria V.*, addita oratione pro gratiarum actione sub unica conclusione cum prima (NCR 382).

20. *PROHIBITIO MISSARUM VOTIVARUM.*

a) *Prohibitio Missarum votivarum I. cl.* Permittuntur omnibus diebus liturgicis, iis tantum exceptis qui sub Tab. praeced. 1-8 recensentur. *Prohibentur* ergo 1°. Festo Nativit. Domini, Dominica Resurrectionis et Pentecostes. — 2°. Triduo Sacro. — 3°. Festa Epiphaniae, Ascens., SS. Trinitatis, Corporis Christi, Cordis Jesu, Christi Regis. — Item 4°. festis Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Deiparae, — 5°. Vigilia et die octavo Nativitatis (1. ian.), — 6°. Dominicis Advent., Quadrag., Passionis et Dom. in Albis, — 7°. Fer. IV. cinerum et Fer. II. III. et IV. Hebd. Sanctae, — 8°. die Omnium Fidelium defunctorum (NCR 328). — Missa dedicationis in actu excipitur, habet leges speciales (NCR 332).

b) *Prohibitio Missarum votivarum II. cl.* Permittuntur diebus liturgicis II. III. et IV. cl., prohibentur ergo *omnibus* diebus I. cl. (cf. Tabellam praecedentiae n. 1-13.). Ad supra a. 1°.-8°. enumeratas prohibitiones accedunt adhuc dies, quibus prohibentur Missae votivae II. cl., sequentes: 1°. Vigilia Pentec., — 2°. Octavae Pasch. et Pentec. — 3°. Omnia festa alia I. cl., — 4°. Festa I. cl. propria, — 5°. Festa I. cl. indulta (NCR 341).

c) *Prohibitio Missarum votivarum III. cl.* Permittuntur tantum diebus liturgicis III. et IV. cl., prohibentur ergo praeter dies supra a. 1°.-8°. et b. 1°.-5°. enumeratos adhuc sequentes: 1°. Festa Domini II. cl. — 2°. Dominicae II. cl. — 3°. Festa II. cl. Ecclesiae universae, quae non sunt Domini, — 4° Octava Nativit. Domini, — 5°. Feriae II. cl. — 6°. Festa propria II. cl. — 7°. Festa indulta II. cl. — 8°. Vigiliae II. cl. (NCR 384).

d) *Prohibitio Missarum votivarum IV. cl.* Permittuntur tantum diebus liturgicis IV. cl., id est si officium est S. Mariae de Sabbato vel Fer. IV. cl. (NCR 387). Ex hoc ergo sequitur, quod etiam in S. Mariae in Sabbato possunt celebrari, immo etiam tempore natalicio (2-5. et 7-12. ian.), quia heic non fit exceptio sicut penes Missas defunctorum IV. cl. (NCR 423). — In omnibus aliis diebus ergo prohibentur.

e) *Generalis prohibitio in casu particulari* Missarum votivarum omnium adest in ecclesiis *unam tantum Missam* habentibus, quoties: 1°. urgeat onus Missae conventualis, cui per alium sacerdotem satisfieri nequeat, exceptis illis Missis votivis, quae certis diebus pro Missa conventuali dici *possunt* (Missae votivae in missali pro Missa conventuali per hebdomadam dispositae et quaelibet alia Missa quae tamquam votiva permissa est NCR 289) aut *debent* (supra 1. b. 3°.) — 2°. Si fiat benedictio candelarum die 2. febr. — 3°. Si dicenda sit Missa de rogationibus (NCR 326).

21. *PROHIBITIO MISSARUM PRO DEFUNCTIS.*

a) *Prohibitio Missarum de requiem I. cl.* seu Missa exsequialis, impeditur sequentibus in diebus (NCR 406-409): 1°. in festis Nativitatis Domini — Resurrectionis — Pentecostes. — 2°. in Triduo Sacro — 3°. festis Epiphaniae — Ascens. — SS. Trinitatis — Corporis Christi — Cordis Jesu — Christi Regis, — 4°. festis Immac. Concept. et Assumptionis BMV. — 5°. Vigilia et die octavo Nativit. Domini (1. ian.) — 6°. Dominicis Advent., Quadrag. et Passionis, Dom. in Albis — 7°. in festis S. Joseph (19. mart.) — Petri et Pauli (29. iun.), Omnium Sanctorum (I. nov.), — 8°. anniversario dedicationis et in festo Tituli ecclesiae, in qua funus peragitur vel si in ecclesia funeris festum Tituli vel Sancti fundatoris ordinis vel congregationis agatur, — 9°. in festo patroni principalis oppidi vel civitatis. — 10°. *Translatio* quoties Missa exsequialis prohibetur vel ob rationabilem causam in ipso actu funeris celebrari nequit, fieri potest in proximiorem diem similiter non impeditum (NCR 408).

b) *Prohibitio Missarum de requiem II. cl.* Impediuntur diebus liturgicis I. cl. et quavis Dominica (NCR 411. b). Recolentur ergo dies prohibiti pro Missis votivis II. cl. (supra 20. b.), quibus adduntur etiam omnes Dominicae.

c) *Prohibitio Missarum de requiem III. cl.* eadem est ac pro Missis votivia III. cl., cf. supra 20. c.

d) *Prohibitio Missarum de requiem IV. cl.* eadem est ac pro Missis votivis IV. cl., cf. supra 20. d.

e) *Prohibitio generalis in casu particulari* omnium Missarum de requiem adest 1°. quando in ecclesia vel oratorio, quavis ratione habeatur expositio SS. Sacramenti, toto expositionis tempore, et tantum Missae in die Commemor. Omn. Fidelium Defunctorum excipiuntur, dici debent enim in colore violaceo (NCR 393. a., 130. d). — 2°. In ecclesiis unam tantum Missam habentibus, sicut penes Missas votivas (cf. supra 20. e.), cui addenda est Fer. IV. cinerum (NCR 393. b. c.).

Nota practica ad prohibitionem Missarum votivarum et defunctorum. Si quis cogitet, liceatne Missam sive votivam sive pro defunctis tali die celebrare,

sufficit scire, ad qualem classem Missarum votivarum vel de requiem Missa quam celebrare intendit, pertineat. Tunc inspicitur e calendario (Directorio) gradus diei liturgici occurrentis, in qua illa Missa diceretur et e Tabella praecedentiae detegere potest, num illa Missa seu votiva seu pro defunctis celebrari possit necne.

22. *VOX CLARA, SECRETA, CANTUS.*

Reformatio S. P. Joannis XXIII. etiam rationem vocis clarae, secretae et cantus in Missis tum in cantu tum lectis ordinat, quae ideo breviter enarrari debent (NCR 511-516).

a) *In Missa lecta* quaedam clara voce, quaedam secreto proferri debent, *alia* ratio vocis ergo in Missa lecta non habetur; etsi Ritus celebrandi loquatur de voce « mediocri » (VII, 8), « intelligibili » (X, 1), « aliquantulum elevata » (IX, 3; X, 4), duae tantum voces abhinc distinguuntur. — 1°. *Voce clara* dici debent sequentia: **a.** integra « oratio ante altare »: ergo Ps. Judica, confessio etc., secreto autem orationes duae « Aufer a nobis » et « Oramus a te, Domine », — **b.** ant. ad introitum, — **c.** « Gloria in excelsis », — **d.** orationes cum « Dominus vobiscum » etc. — **e.** lectiones, graduale etc. Evangelium, — **f.** Credo, — **g.** « Dominus vobiscum, Oremus », et ant. ad offertorium, necnon verba « Orate fratres », — **h.** praefatio et « Sanctus-Benedictus », — **i.** verba « Nobis quoque peccatoribus » et « Pater noster », dein « Per omnia saecula saeculorum » et « Pax Domini sit semper vobiscum »; « Agnus Dei », verba « Domine non sum dignus » ante communionem celebrantis; formulae ad communionem fidelium; ant. ad comm., « Dominus vobiscum » et postcommuniones, necnon verba « Humiliate capita vestra Deo » et oratio super populum, — **k.** « Ite, missa est » vel « Benedicamus Domino » aut « Requiescant in pace »; benedictio et ultimum Evangelium. — *Omnia cetera* dicuntur *secreto* (NCR 511). — 2°. *Modus vocis clarae et secretae.* — **a.** « Sacerdos maxime curare debet, ut ea quae *clara voce* dicenda sunt: (1) distincte et apposite proferat, (2) non admodum *festinanter*, ut advertere possit quae legit, — (3) nec *nimis morose*, ne audientes taedio afficiat, — (4) neque etiam *voce nimis elata*, si in altari secundario celebrat, ne perturbet alios qui fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrant, — (5) neque *tam submissa*, ut a circumstantibus audiri non possit ». — **b.** « Quae vero *secreto* dicenda sunt, ita pronuntiet, ut ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur » (NCR 512).

b) *In Missa solemni* celebrans 1°. *cantare debet* sequentia: **a.** « Dominus vobiscum », quoties occurrit, praeterquam in versibus post confessionem; orationes; « Oremus » ante ant. ad offertorium; praefationem, « Pater noster » et « Pax Domini », — **b.** *incipit* in cantu seu « intonat » Gloria et Credo. — 2°. *Dicere debet* — **a.** *clara* voce formulas ad communionem fidelium et verba benedictionis in fine Missae, — **b.** « dicit *voce convenienti* partes quibus ministri sacri respondere debent » (NCR 513. d), ergo nequaquam nimis elata voce ut suam vocem quasi superponat cantui sacro, — **c.** « *secreto* dicit *alia*, quae in Missa *lecta* dicuntur clara voce » (ibid. e.), quae sunt: ant. ad introitum, graduale etc., textus « Gloriae in excelsis » et Credo, ant. ad offertorium, Sanctus-Benedictus, Agnus Dei, « Domine sum dignus », ant. ad communionem. — **d.** *Omittit* ea, quae a ministris sacris vel a lectore (ut in Missa cantata episto-

lam) proferuntur (NCR 513. f), quae sunt: Epistola, Evangelium, aliae lectiones, « Ite Missa est », vel « Benedicamus Domino » aut « Requiescant in pace ».

c) *In Missa cantata sc.* sine ministris sacris, celebrans omnia cantat ut supra, insuper tenetur partes ministris sacris proprias cantu proferre. « Epistola a lectore cani potest, quod si non cantetur a lectore, satius erit, quod legatur sine cantu ab ipso celebrante (ut patet voce clara) qui tamen potest epistolam more solito cantare » (NCR 514).

d) *Modus cantus* intelligitur « tonus » in cantu orationum, praefationum et « Pater noster ». — 1°. Tonus *sollemnis* adhibendum erit: **a.** In Dominicis, — **b.** in Missis festivis et in Missa de officio S. Mariae in Sabbato, — **c.** in vigiliis I. cl. — **d.** Fer. V. in Coena Domini et in Missa Vigiliae paschalis, — **e.** per octavas, — **f.** in Missis votivis I. II. III. cl. (NCR 515). — 2°. Tonus *ferialis* adhibendus est: **a.** in feriis, — **b.** in vigiliis II. et III. cl., — **c.** in Missis votivis IV. cl. — **d.** in Missis defunctorum (NCR 516).

Litteratura.

Quoad leges liturgicas usque 1960 vigentes. *P. Piacenza,* In Constitutionem « Divino afflatu » SS. D. N. Pii Papae X. de nova Psalterii in Breviario Romano distributione et in Rubricas ad normam ipsius Constitutionis servandas Commentarium, 2. ed. Romae 1912. — *F. X. Hecht,* Rubricae generales Breviarii, Romae 1941. — *A. Bugnini,* Documenta Pontificia ad instaurationem liturgicam spectantia, Romae I. 1952. II. 1959. — *A. Bugnini - I. Bellocchio,* De rubricis ad simpliciorem formam redigendis Commentarium, Romae 2. ed. 1955. — *W. Lurz,* Die neuen Rubriken des Missale Romanum, München 1958.

Quoad reformationem Joannis XXIII. Rubricae Breviarii et Missalis Romani *in*: AAS 1960, 593-740. — Ed. separata, Rubricae Breviarii et Missalis Romani et Documenta adnexa, cum Indice Analytico, Typis polyglottis Vaticanis 1960. — *G. Löw,* Il Motu proprio « Rubricarum instructum » e il nuovo Codice di rubriche per il Breviario e il Messale Romano, *in*: Osservatore Romano 1960. 2. sett. — *F(erd.) H(olböck),* Die neue Rubrikenreform, *in*: Oesterreichisches Klerusblatt 1960, 228-229. — Ordo divini officii recitandi Sacrique peragendi iuxta calendarium Ecclesiae universae, Romae, Edizioni liturgiche 1960. — *C. Braga,* In novum Codicem Rubricarum, *in*: Eph. Lit. 1960, 217-257.

2) De ritu servando in celebratione Missae lectae.

Ritui Romano addiscendo fundamenti instar datur lex liturgica Missalis Romani « Ritus servandus in celebratione Missae », seu aliter Rubricae Missalis, inde a Missali S. Pii V., quae rubricae quoad maximam partem identicae sunt cum rubricis editis a Burchardo, caeremoniario Papae Alexandri VI., anno 1502. Quia hae rubricae non semper statim intelligi possunt, textus quem prae manibus supponimus, interpretari debet iuxta Caeremoniale Episcoporum, decreta Congr. Rituum et secundum auctores. Divisio servatur eadem ac in « Ritu celebrandi » (Breviter: «RCel. »).

I. De praeparatione sacerdotis celebraturi.

Monitum praevium. Praeparatio est virtute religionis obligatoria « ad eucharistici sacrificii oblationem sese piis precibus » disponere ideoque et lex ecclesiastica praescribit. Nunquam haec omittatur, prex potest esse mentalis, vel verbalis.

RCel. I, 1-3. textus. **Commentarius.** 1. « *Saltem matutino cum laudibus absoluto* »: lex haec nunc iam directiva habetur, commendari tamen debet. « *In Sacristia...perquirit Missam, perlegit* », perlectio commendatur antequam in sacristiam sese reciperet, praesertim primo sacerdotii anno. « *Praeparat calicem* », quod quidem iuxta legem ecclesiasticam etiam alius facere potest, qui ad hoc deputatus est. — 2. Infra albam secundum RCel. portare debet « *Rochettum vel Superpelliceum* », hoc praescriptum autem ubique terrarum iam in desuetudinem abiit. « *Dicens ad singula singulas orationes* », quae ideo iam obligatoriae habentur, et memorialiter retinendae. — 3. Alba induitur caput submittens, minister in induendo celebrantem stet a sinistris eius, cingulum autem retro ei applicet. Adiicimus *elenchum orationum,* quas celebrans *memoriter addiscere debet,* ut pulchre queat celebrare: 1. Orationes ad indumenta. 2. Psalmus « Judica », Confiteor etc., versiculi, duae orationes. 3. Gloria in excelsis, Munda cor meum, Jube Domne...Credo. 4. Suscipe sancte Pater, Deus qui humanae substantiae, Offerimus tibi, In spiritu humilitatis; Veni sanctificator, Lavabo, Suscipe S. Trinitas, Orate fratres, Sanctus... 5. Initium orationum: Te igitur, Qui pridie, Simili modo, Supplices. 6. Tres orationes ante communionem. 7. Quid retribuam, Quod ore sumpsimus, Corpus tuum Domine. 8. Placeat tibi, Domine, Benedicat vos... 9. Trium puerorum cantemus hymnum....

II. De ingressu sacerdotis ad altare.

Praevium monitum. Velit sacerdos in mentem sibi revocare; quod exactissime et pulcherrime observet rubricas, quod omnia verba clare, distincte, absque festinatione proferat in tota actione, quod semper ad sensum eorum attendat, nihilque aliud cogitet. In se collectus, nihil curiose inquirens procedat, humiliter salutans Crucifixum, altare maius et Eucharistiam.

RCel II, 1. Textus. **Commentarius.** « *Bursam manu dextera super calicem tenens* », ita ut cubitus sinister recto angulo stet et sic calicem ante pectus, non ante ventrem demissum portet. Cubitus dexter corpori adhaereat. « *Oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore* »: non circumspiciens, non festinanter, leviter incedens, non demisso capite. « *Facta reverentia* »: in sacristia inclinatio capitis, ante altare maius inclinatio corporis profunda. Fieri potest, si mos est, inclinatio versus ministrum in sacristia. Si sacerdos celebraturus proprio episcopo vel legato apostolico occurreret, dum ad altare accesserit, caput coopertum versus eos inclinare potest. Aliis hoc non suadetur, nec se signare in aditu templi vel ianuam sacristiae aqua benedicta (d 2514, 4.). Quoad Eucharistiam, servanda sunt: si « *ante locum SS-i* » transit, sive quod plerumque contingit, hoc in altari maiore asservetur, sive in alio altari, cooperto capite genuflectit. Si in Missa qualicumque altari celebrata elevatio sit, vel distribuatur communio, servetur rubrica, ad quam adiungenda est sollemnis expositio SS-i. « *Similiter genuflectat* » in his casibus intellegenda est prostratio, i.e. genuflexio duplex, hoc modo peragenda: 1°. duplex genuflexio. 2°. capitis detectio. 3°. inclinatio mediocris corporis. 4°. opertio capitis. 5°. surrectio et prosecutio itineris cooperto capite, etsi SS-um expositum sit (Instr. Clementina § 7.). Si SS.-um post administratam communionem iam ad altare reportatum sit, simplex genuflexio facienda est, cooperto capite. Quod Missas attinet in altaribus aliis, quando celebraturus transit ante ea, non debet curare,

num inter consecrationem et communionem stet Missa, solummodo si ultro advertet hoc, faciat genuflexionem simplicem (d 4135.).

RCel II, 2. Textus. **Commentarius:** « *Genuflectens debitam facit reverentiam* »: in plano altaris, non in gradu altaris primo. Corporale « *extendit in medio altaris* »: ita, ut extremitas eius 1-2 digitis absit a fronte altaris, ne se vertendo corporale forte deiiciat. « *Calicem velo coopertum collocat* » sinistra manu tenens nodum infra cuppam, dextra velum superimpositum, ita collocans calicem, ut locus remaneat osculo sacerdotis, quin calicem tangat capite suo vel, quod absit, caput contorqueat osculando altare.

RCel II, 4. Textus. **Commentarius:** « *Accedit ad cornu epistolae* » sine inclinatione, quae tantum facienda est, si transit ante medium, vel si descendat. Accessus hic fit sec. generalem rubricam manibus iunctis. Ipse sacerdos aperiat Missale « *super cussino* » vel super « legile » positum, minister hoc prohibetur facere (d 2572, 5 et 3448, 14.). « *Rediens...facta primum Cruci reverentia* »: sec. aliquos inclinatio corporis mediocris, rectius inclinatio capitis profunda. Supervacaneum esset descendendo ad planum hoc non in medio altaris facere, sed versus latus evangelii, nam nullo verbo insinuatur (ut Lurtz commendat p. 119.).

III. De principio Missae et confessione facienda.

Praevium monitum. Haec pars, ultima praeparatio sacerdotis et populi ad sacrificium, liturgica caret denominatione, vocabatur medio aevo « *oratio ante altare* », dein « *ante gradus* » (Staffelgebet, lépcsöima), vel simpliciter « *confessio* ». Scopus eius est: affectus ciere sacris mysteriis mox incepturis, quod fit per *Ps. 42.*, excitando et exprimendo desiderium vivum erga locum sanctum et altare Dei, dein adiutorium petendo contra « hominem iniquum et dolosum », quo diabolus, saeculum et mala propensio humana intelliguntur. Dein dicitur « *apologia* » sacerdotis et populi, dicatur cum sensu doloris pro propriis et aliorum peccatis. Apologia introducitur per versum « Adiutorium nostrum in nomine Domini », quo dicere volumus nos non confidere in nostra virtute, sed in Omnipotente, qui fecit caelum et terram, quemque rogamus, ut peccata nostra condonet. Post confessionis recitationem *oratio deprecativa* pro remissione, post eam autem *Versiculi* iam supponunt eam factam. Duabus orationibus ascenditur ad altare, ut « ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire ».

RCel. III, 1. 4. 6. 7. 9. 10. Textus. **Commentarius.** 1. « *Junctis manibus ante pectus* », hunc gestum perficiendo ulnas leviter ad latera tua adclina, manus autem ante pectus, non ante stomachum angulo semi-recto versus ima dirige. « *Cruci vel altari* » « *profunda reverentia* » facienda est, sc. corporis, manus autem iunctae ne inclinentur versus terram. « *Facta genuflexione* », si ibi sit tabernaculum, sc. in primo gradu altaris, etiam tunc, si ibi adsit expositio Sanctissimi. — 6. Ad Gloria Patri «*caput Cruci inclinat*», inclinatione profunda capitis, usque ad verba « Spiritui Sancto » inclusive. — 7. Ad Mea culpa « *ter pectus dextera manu percutit* », ergo non tantum leviter tangit, manus in pugnum stringenda est sec. communem consuetudinem, non autem palma extenta. Cum dicit: « *Vobis fratres* » et « *Vos fratres* », in Missa lecta non se vertit ad ministros. In textu Confiteor semper tantum « *tibi pater... et te pater* » dicendum, etiam ipsi Summo Pontifici, religiosi aliqui speciale indultum ha-

bentes possunt inserere nomen fundatoris post nomina apostolorum. Si minister nesciat Confiteor, sacerdos semel tantum dicit hanc orationem et adnexas. Sec. Rubricas supponitur, quod Confiteor *per « circumstantes »* quoque fit, per eos « qui intersunt etiamsi ibi fuerit Summus Pontifex » (nr. 9. et 10.). — 10. «*Inclinatus*» dicit Versiculos « Deus tu conversus » sc. inclinatione corporis mediocri inclusive usque ad « Oremus ».

IV. De Introitu, Kyrie eleison et Gloria in excelsis.

Praevium monitum. Sacerdos osculatur prima vice altare, quod dein pluries facit, signum hoc amoris fervore faciendum est, altare enim Christum significat. — Attendendum est *introitum* dicendo ad affectus et ideas, quae hoc cantico evolvuntur, semper autem ad « Gloria Patri » attendendum et inclinatione SS. Trinitas devote adoranda. — *Kyrie eleison* dicendo tres personas adorare debemus divinas, novies cum novem choris angelorum iungendo precationem nostram. — Dum Kyrie desiderium redemptionis exprimit, *Gloria in excelsis* conscientiam redemptionis significat, huius hymni verbis « Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus Jesu Christe » affectum reverentiae et amoris excitemus erga Redemptorem.

RCel. IV, 1.2.3. Textus. — **Commentarius.** 1. « *Dum dicitur*: « *Aufer a nobis* »: ergo statim, ut Oremus pronuntiavit, conscendit altare ibidem orat usque ad osculationem altaris, deinde statim: 2. « accedit *ad cornu eius sinistrum* », nec inclinationem capitis faciens, nec in medio complens orationem, sed in via recta ad cornu epistolae. Incedendo ad cornu habitus corporis haud sit ambiguus: latus vertatur plene ad altare, dum incedit, quod semper observandum est. — « *Cornu epistolae* », ergo in parte extremo altaris, non in medietate inter « cornu » et medium altaris consistendo, quod abusus est, nec pulchrum. — Dicendo « Gloria Patri » versus Crucem inclinat caput profunde, non solum caput, sed etiam corporis partem superiorem aliquantulum ad Crucem vertit. — *Ad Kyrie attendendum*, quod tantum in medio altaris dicatur, non incedendo versus medium. — 3. *Ad Gloria in excelsis* oculi non sunt elevandi, inclinatio capitis ultima est. Inclinationes intra Gloria faciendae sunt profundae capitis, inclinationes ad « *adoramus te* », et « *gratias agimus tibi* » distincte fieri possunt, verba autem tunc lente sunt pronuntianda, *vel* duae hac inclinationes contrahi possunt, ne citius fiant duae inclinationes una post aliam.

V. De oratione.

Praevium monitum. Salutatio populi per *Dominus vobiscum* dicenda est intimo affectu, quo optamus, ut Deus det omnem benedictionem adstantibus, totique Ecclesiae. *Orationes* attente recitandae nomine Ecclesiae, clausulam « *Per Dominum* » dicendo offerenda sunt merita Christi cum magna fiducia iacta in orationem, quae fit ad Patrem in nomine Christi. « Expendes autem verba orationum, quae et per se magni ponderis et efficaciae sunt, et, cum in persona Ecclesiae a celebrante recitantur, facilius postulata impetrant ob sacrificii praestantiam » (Card. Bona).

RCel. V, 1.2.3. Textus. — **Commentarius.** 1. Cum sacerdos « *dicit*: *Oremus* », gestus concinne faciendus est et cum gravitate, non leviter et festinando. Minus rectum est caput Cruci tunc inclinare, dum manus adhuc extentae

sunt; manus extenduntur, corporis pars superior vertitur versus Crucem, fit manuum iunctio et tunc simul inclinatio cum « Oremus », sic exprimitur optimo modo gestus fervidae obsecrationis. — Post « Oremus » statim incipit dicere textum orationis primae; inter orationes non est ponenda mora, sed statim, ac celebrans dixit clausulam, quaerat aliam orationem, ut absoluta clausula eam incipere possit. — Bene notandum, quod si oratio concludatur « *Qui tecum* » vel « *Qui vivis* », manus extensae manent usque ad « in unitate », et tunc solummodo iungendae. — 2. « *Cum nominatur* » *in oratione nomen* « *Jesus* », caput in signum latriae profunde versus Crucem inclinandum est, sic etiam in epistola. Si « *nomen B. Mariae vel Sanctorum* », inclinatio capitis simplex facienda. Sancti intelliguntur, de « quibus dicitur vel fit commemoratio », quod etiam in Canone faciendum est; similiter ad nomen Summi Pontificis regnantis, si nominetur hae inclinationes faciendae sunt. Caput flectitur ante librum, versus medium altaris autem, si ibi imago aut statua sit eorum. — De altari « *versus populum* » vide superius dicta (F. 4.a.2°.a.).

VI. De epistola, graduali et aliis usque ad offertorium.

Praevium monitum. Secundam partem tractamus nunc Missae catechumenorum, *partem nimirum didacticam.* Usque nunc Ecclesia precabatur, nunc autem Deus respondet per doctrinam Scripturae Sacrae. Epistola vel aliquando Prophetia revelat eius voluntatem et doctrinam, Evangelium autem ipsissimum verbum Filii eius, maxima cum reverentia ergo tractanda sunt, legenda et auscultanda, ac si ipsi prophetae, apostoli et Dominus praesentes essent ac loquerentur. — *Graduale* dicatur qua reflexio quaedam et responsio ad Epistolam; Alleluia autem, qua praeparatio ad lectionem Evangelii. — Quae *ad Evangelium fiunt,* actus homagii sunt in conspectu Christi Regis, liber deosculatur, honoratur, quia symbolum est Christi. Signemus nos triplici signo crucis, *in fronte,* ut Evangelium credamus, in *ore,* ut eum palam adnuntiemus, *in corde,* ut verba semina sint ibi centuplum afferentia.

RCel. VI, 1.2.3. Textus. — **Commentarius.** 1. Ad « *Deo gratias* » celebrans ministro aliquod signum det, elevando manum sinistram, vel ad eum respiciendo. — Missale iterum in cornu Evangelii, ergo in extrema parte altaris collocetur, non versus medium altaris, item « *respiciat ipsum cornu altaris* » ergo liber oblique stet, ut sacerdos sit « *stans versus illum* », i.e. ut faciem non ad parietem post altare, sed ad cornu posterius evangelii vertere possit. — 2. Ante Evangelium « *iunctis manibus ante pectus* » facit inclinationem corporis profundam et manus sic manent, nec ponuntur in altari, dum dicit « Munda cor meum ». — « *Pollice signat librum etc.* », reliqui digiti autem manent extensi et leviter iuncti, ita ut palma dextera respiciat celebrantem inter seipsum signandum. Sinistram vero inter signationem libri super librum, dein infra pectus ponit, seipsum signando. — Post Evangelium « *elevans parumper librum* » deosculatur illum, utraque manu tenens librum, seipsumque paululum inclinet ad librum, nullo modo autem se totum inclinans, nec librum levans. Dein Missale movet utraque manu versus medium altaris, sed extra corporale. — 3. *Cum dicit: Et incarnatus est, genuflectit,* inclusive ad verba: Et homo factus est, quod ut pulchre fiat, lente fieri debet, nec genu dextrum immorari debet in suppedaneo.

VII. De offertorio et aliis usque ad Canonem.

Praevium monitum. Incipit iam nunc actio ipsa sacrificalis, et ideo « maiori fervore pietatis sensu singula verba proferenda sunt » (Card. Bona). *Panis* offertur ut symbolum nostri *laboris* et vitae, *vinum* qua signum *passionis*, uvae enim comprimuntur, et *laetitiae*: damus ut accipiemus. Quando ergo panem in patena offert celebrans, recogitet in ea ponendum etiam cor suum et omnium coofferentium, ut convertatur per virtutem divinam sicut etiam panis convertetur in corpus Christi. Dum in *calicem fundit vinum* memor sit intimae unionis, qua Christus divinam et humanam naturam in se copulavit, et cuius unionis dignati sumus esse participes. — Dicendo brevem oratiunculam: « *In spiritu humilitatis* » cogitet ad orationem longam e qua excerpta est haec, ad eam nimirum, quam dicebant Azarias et socii eius in fornace ardente, qui typi nostri fuere in miseriis huius vitae. — *Dum manus lavat*, symbolice exprimere et petere vult, etiam verbis Psalmi 25. internam munditiam cordis, tam necessariam ad incruentum sacrificium. — Deinde dicat orationem antiquitate venerandam « *Suscipe sancta Trinitas* », qua memoriam facit Christi et Sanctorum intercessionem efflagitat. — Postea conversus ad populum, extensis manibus, ac si omnibus viscera pandat, dicit «Orate fratres», confugit ad circumstantium suffragia, ut pro eo orent pro acceptabilitate sacrificii. — Demum ipsam precem sacrificalem exorditur, *secretis orationibus* dictis, considerans, quod nunc, dicendo Dominus vobiscum, iam non se vertit ad populum, significare volens, eum iam debere terrenis abductum et ad Deum conversum essa (Card. Bona). — Gratiarum actionis et divinae laudis summam precem concludat cum summa reverentia semetipsum coniungendo choris angelorum, recitando *Trisagion*.

RCel. VII, 1-8. Textus. — **Commentarius.** 1. Offertorium dicit « *stans ad altare* », non versus librum et iunctis manibus. — 2. « *Discooperit calicem* »: velum calicis apte complicat, ita ut pars exterior videatur et collocat id versus dexteram partem corporalis super altare. Dein manu dextera accipiens calicem « *ad cornu epistolae sistit* », dein subito eadem manu pallam tollens, eam collocat super velum plicatum, manuque dextera sumit patenam et statim eam accipit ambabus manibus. Quod aptissime fieri potest, si patenam summitatibus digitorum coniunctorum tenet. — 3. « *Patenam utraque manu tenens* » priusquam cum ea signum daceret Crucis, pusillum demittit versus corporale pollicesque ponit super patenam, reliquis digitis infra eam manentibus, sicque efformat signum Crucis. — Patenam ponit « *aliquantulum* » subtus corporale, mediam partem eius occultans subtus corporale, sinistra sec. regulam generalem in corporali manente. — 4. Dein quia debet esse « *in cornu epistolae* » illuc vadit, manibus iunctis, et ibi, in extrema parte altaris (in « cornu »), sinistra tenens calicem infra cuppam ad nodum, extergit, dein purificatorium pollici manus sinistrae appendit et ad latus cuppae premit, ita ut contegat pedem quoque calicis. Infundendo vinum, potest uti *parvo cochleari*, (C.Rit.d 3064,4), quod aptissime in purificatorio ponitur super calicem, ne laedat sacrum vas. Post infusionem vini et aquae *potest* guttas in interiore parte cuppae aspersas purificatorio *extergere*, quod indici dextrae involvit (C.Rit.d 2572,14), sed non *debet* hoc facere. Inter infusionem aquae dicit orationem « *Deus qui humanae substantiae* »; quando vero pronuntiat verba « *Jesus Christus* », caput profunde inclinat versus Crucem, dein sinistra calicem adpropinquat medio altaris, purificatorium autem plicatum super patenam collocat et manibus iunctis vadit in

medium altaris — *vel* si melius placet, purificatorium digitis appensum portat in medium et ibi collocat super patenam. — 5. Calicem « *ambabus manibus elevatum tenens* » offert; non intelligitur elevatio sicut post consecrationem, sed sufficit, si cuppa fere ante oculos sit celebrantis. — « *Aliquantulum inclinatus* » dicit: « *Suscipe...* », sc. inclinatione mediocri corporis. — Benedictionem ad « *Veni sanctificator* » dat per manuum elevationem sine inclinatione capitis sed attollendo oculos. — « *Signat manu dextera communiter super hostiam et calicem* », quod semper ita faciendum est: antea manus iungit, dein sinistram ponit super altare, parvum digitum dextrae vertit ei cui benedicit, nunc ergo supra medietatem pallae inde linea recta deducit manum ut etiam totam hostiam benedicat, sed non demittit manum super hostiam, deinde eadem manu a sinistro angulo pallae ad dextrum ducit transversam lineam super oblata, demum iungit statim manus (non ducit lineam retro in mediatatem pallae). Commendandum benedictionis signa cum gravitate facere. — 6. « *Lavabo* » fit tantum in « *extremitatibus digitorum pollicis et indicis* », ceteros digitos extensos teneat procul ab aqua, ad « Gloria Patri » faciat inclinationem capitis versus Crucem, et iunctis manibus vadit in medium altaris. — Notandum quod ampulla specialis ad Lavabo ad iura pontificalia pertinet (C.Rit. d 4100,4). — 7. « *Suscipe sancta Trinitas* » fit inclinatione mediocri corporis. — Dicto « *Orate fratres* » non exspectat, sed statim revertitur, continuando textum, perficiens circulum. — 8. Ante « *Per omnia saecula saeculorum* » praefationis moram parvam interponat, ut possit stare in medio altaris, « *depositis super eo manibus hinc inde extensis* ». — Ad « Gratias agamus » *primo*: iungit manus sine elevatione, *secundo*: elevat oculos, *tertio*: inclinat caput, quod ut pulchre fiat, in Missa lecta lente fieri debet. — Ad « *Sanctus* » mediocriter se inclinat.

VIII. De Canone Missae usque ad consecrationem.

Praevium monitum. Canon incipit cum « *Te igitur* », quod « igitur » remittit sacerdotem ad angelos, quorum vocibus suam iunxit, et qui quasi viam parant ei ad thronum maiestatis Dei, quam colere et placare vult per oblationem sancti sacrificii. — *Memento* dicat pro vivis, primo memoriam faciens coniunctorum, secundo pro iis, qui ei molestiam parabant, tertio pro iis, qui orationibus eius semet commendarunt, demum pro iis, quorum Deus meminisse vult et quorum nemo meminit. — *Ad duas orationes oblatorias* ante consecrationem humiliat se, considerans dictum: « Ecce appropinquat hora et Filius hominis tradetur in manus peccatorum », ad « *Qui pridie* » recogitet se nunc personam Christi gerere, verba autem sacrosancta proferat attente, oculis fidei cernens Eum, qui in manibus celebrantis se nunc iterum Patri sacrificat.

RCel. VIII, 1-7. Textus. — **Commentarius.** 1. Post « *Sanctus* » celebrans dextra super altari posita, sinistra primo vertit folia ad Canonem, deinde *primo*: extendit et elevat manus et oculos ad Crucem, *secundo*: iungit manus et oculos demittit, *tertio*: profunde se inclinat et iunctas manus altari imponit, *quarto*: incipit « Te igitur ». Iuxta alios auctores verba haec iam *comitari* possunt gestus suprascriptos. — Cum dicit verba « *Haec dona, haec munera etc.* » parvum moram interponat, ut signa Crucis cum gravitate faciat et simul cum verbis. — 2. « *Si celebrans est episcopus* », etiam titularis tantum, dicit « et me indigno servo tuo ». — 4. Ad « *Hanc igitur* » « *expandit manus simul super oblata* », ita ut pollices manuum iuncti maneant sicut prius fuerunt, sed supra non vero infra manus (C.Rit. d 1275,5). — « *Signat super hostiam et*

calicem simul », conferenda, quae dicta sunt supra ante Lavabo. — Dein « *separatim signat* », « semel super hostiam » Crucem formans in mensura hostiae, et « semel super calicem » item in mensura pallae formans Crucem. — Ante « *Qui pridie* » « *extergit, si opus fuerit, pollices et indices* », si hoc facit, faciat in extremis partibus corporalis. — Accipit « *pollice et indice dextrae manus hostiam* », sed antea, ut hoc sine incommodo facere possit, sinistra manu aliquantulum premat hostiam in dextram accepturam. Dein ambabus manibus tenens eam, digitos tres reliquos quibus non tenet eam, extensos et iunctos habeat retro hostiam. — 5. Ad ipsissima verba consecrationis « *cubitis super altare positis* » stet, quod fieri tunc tantum potest, si bracchiis anterioribus accumbit mensae; « *stans capite inclinato* » includitur iam in tali corporis situ. — Verba consecrationis proferat « *distincte* » (deutlich, érthetöen), nam hoc pertinet ad sensibilitatem signi sacramentalis, « *reverenter* », i.e. sine festinatione, vel nutibus capitis, oris contorsione, « *secreto* », ergo non elata voce e nimia scrupulositate; dein adiungere possumus e rubrica de calicis consecratione adhuc: « *Attente et continuate* », non licet ergo moras interponere inter singula verba. — Dein « *genuflexus eam adorat* », quod fiat sine signis specialis devotionis, e.gr. caput inclinando, immorando in genuflexione et talia. — « *Populo reverenter ostendit adorandam* », ergo linea recta cum gravitate, nec festinanter, nec nimis lente elevet hostiam et aliquantulum teneat eam super caput suum, sed sic, quod oculos ipse quoque in hostiam, resp. in calicem figat. — « *Deinceps pollices et indices non disiungit* » et quantum potest manus suas intra fines corporalis locat, quoties manus extensae super altari poni debent, hoc autem nullo modo valet de manibus extensis ad orationem. — 7. Ante consecrationem calicis in eum, « *si opus sit, extergit digitos* », quod fit per fricationem digitorum, et quidem in medio calicis. — Calicem etiam « *erectum quantum commode potest, ostendit populo adorandum* », caveat, ne nimis se in altum tendat; calix videri commode potest, si cuppa eius superet caput celebrantis, quod fit si pes calicis fere ante frontem sacerdotis habetur.

IX. De Canone post consecrationem usque ad Orationem Dominicam.

Praevium monitum. Venerandam *anamnesim* proferens, consideret celebrans, se non nudam facere commemorationem, sed simul cum « hostia pura, et immaculata », quam nunc iam manibus portavit. — « *Supra quae* » oblata dona sublimia Deus « propitio ac sereno vultu » respicit, quod gaudio impleat sacerdotem, qui dein inclinatus petit, ut una cum coofferentibus « omni benedictione et gratia repleatur ». — Orationem « *Nobis quoque* » recitet sciens se hanc pro seipso dicturum esse, qui offert nomine Christi sacrificium. — *Doxologia finalis* autem qua clauditur Canon actionis, sit actus supereminens latriae totius diei, *per* Christum enim, ut Mediatorem Dei et hominum colit Deum, « *cum ipso* », nam persona secunda est Trinitatis, « *in ipso* » colit eum, quia in eius persona adoranda humana et divina iunguntur.

RCel. IX. 1-3. Textus. — **Commentarius.** 1. In oratione « *Supplices* », quam « profunde inclinatus » dicit (rubr. spec.) seipsum signat celebrans « *sinistra posita infra pectus* »; cavendum, ne pollex et index manus casulam tangat, ideo sinistram digito parvulo applicet casulae. — 3. Ad « *Nobis quoque* » « *dextera manu pectus sibi percutit* » et quidem tribus digitis extensis, cavendo ne pollice et indice iuncto casulam tangat, similiter faciendo ad « *Agnus Dei* ». Ad

doxologiam finalem hostiā signando inter calicem et pectus, attendat, ne hostiam extra corporale trahat. Elevationem parvam peragat sic, ut ratio huius elevationis cerni possit: « *aliquantulum* » revera elevans hostiam super calicem, puta in altitudinem 1-2 dm.

X. De Oratione Dominica et aliis usque ad factam Communionem.

Praevium monitum. « *Amen* » ad finem Canonis signavit novae partis initium: Communionis, quae cum oratione mensae Dominicae incipit, cum « *Pater noster* », quae sit devotissima precatio diei inter sacra mysteria nomine Ecclesiae recitata, ideo praecise cavendum, ne festinanter recitetur. — *Embolismus* (« Libera nos quaesumus Domine ») ultimam petitionem explicat et amplificat, (« sed libera nos a malo »), ut liberemur a malis « *praeteritis* », i.e. peccatis, « *praesentibus* », quae sunt cotidiana nostra peccata et vitae miserae calamitates, « *futuris* », i.e. tentationibus et miseriis quas timemus. — *Pax optatur* per triplex signum Crucis cum hostia fracta etiam triplex: *cum Deo*, quae consistit in eius familiaritate; *cum seipso* rectum habendo ordinem in vita spirituali; *cum proximis*, ut omnes teneantur vinculo caritatis: Eucharistia. — « Probet seipsum homo » ante communionem, ideo supplicatur per triplex « *Agnus Dei* » misericordia Dei, ideo dicuntur *tres orationes praeparatoriae*: *pacis*, quia sine hac indignus esset ad communionem; *secunda*: efflagitans remissionem peccatorum et finalem perseverantiam, cuius remedium efficacissimum corpus et sanguis est Christi; *tertia*: timoris, ne Eucharistia « proveniat in iudicium et condemnationem », et fiduciae, ut « prosit ad tutamentum mentis et corporis ». *Ultima vox* ante sumptionem, quam celebrans dicere debet, est triplex confessio indignitatis per « *Domine non sum dignus* ».

RCel, X, 1-6. Textus. — **Commentarius.** 1. Embolismum celebrans dicit, patenam « *tenens super altare erectam* », dextera nimirum patenam subducit subtus corporali, eam extergit, purificatorium relinquit in suo loco, ubi fuit, et patenam « erectam », i.e. verticaliter tenet dextera, sic ut pars interior patenae versa sit ad medium altaris, super corporale. — 2. Deinde « *patenam ipsam osculatur* » et quidem in ora, seu parte superiore (C.Rit. d 1711,5). — Hostiam deinde « indice sinistro accommodat super patenam », sic nempe, quod indice et pollice manus sinistrae premit paululum hostiam, patenam submittens ei, collocat ad pedem calicis, ne tangat locum ubi in corporali sita fuit hostia: si hoc non sit possibile, alio loco corporalis ponit patenam. — Hostiam « *reverenter frangit per medium* », incipiendo ab inferiore parte hostiae (C.Rit. d 1275,6). — 4. Ad communionem « *dextera manu accipit* » hostiam, sinistra manus promoveat (spinge) partes hostiae in manum dexteram, quae arripit ambas partes et inter pollicem et indicem dexterae ponat, non super indicem superpositas, sed iuxta se positas, ut forma rotunda hostiae appareat. — « *Domine non sum dignus* » dicit mediocriter inclinatus, directus versus altaris medium. Dein se erigit, et hostiae partem sinistram superimponit parti dextrae et « *ex sinistra accipit ambas partes praedictae hostiae inter pollicem et indicem dexterae manus* ». Quando « *cum illa supra patenam signat seipsum signo Crucis* », attendat, quod ad nomen Jesu inclinationem capitis profundam tunc faciat, cum signum ducens deorsum ducit hostiam. — Cum « *quiescit aliquantulum in meditatione SS. Sacramenti* », « *manus ante faciem iungit* », quod tunc evenit, si vel inclinato capite stet, *vel* si revera manus elevaret usque ad faciem, quod

minus verisimile videtur, *vel* simpliciter idem significare potest ac « ante se ». — Deinde « *inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena* », quod commode tunc fit, si manu sinistra removens calicem paululum retro, corporalis oram sinistram aliquantum elevet manu sinistra. Cum iam corporale sic purificavit, sinistra calicem ante se ponit, et « *patenam quoque diligenter cum pollice et indice dexterae manus super calicem extergit et ipsos digitos* », quod diligenter, sed non scrupulose faciendum est, hostiae enim hodiernae plerumque fervore electrico coctae paucissimas habent micas. — 5. « *Signans se signo Crucis cum calice* » linea recta sursum movens calicem ne ultra oculos id faciat, cum deorsum ducit calicem, pronuntiet nomen Jesu Christi, patenam vero inter sumptionem pretiosissimi Sanguinis infra mentum suum teneat. « *Reverenter sumit totum Sanguinem* »: caveat ergo, ne audiatur sumens calicem, item, ne nisu « totum » sanguinem sumendi, ducatur ad nimiam et indecentem elevationem calicis, ita, ut pes calicis videntibus supra caput celebrantis appareat. — « *Cum particula in calice posita* » sumit sanguinem, si autem particula casu calici adhaereat, non debet digito particulam extrahere, sed infundendo vinum eam sumat. — *Tunc seipsum vino « purificat »*, sed antea si qui sunt communicandi eos communicat, de quo inferius n. XIV. Purificatio suiipsius et calicis secundum rubricam in cornu epistolae videtur praescribi, iuxta usum communem seipsum purificans remanet in medio altaris, calicem versus cornu epistolae porrigit ministro, qui vinum infundit, quod eodem modo sumitur, ac Sanguis sumebatur, vinum aliquantulum in calice versare potest, ut abluat cum eo interiorem partem calicis. Deinde patenam ad latus sinistrum corporalis ponit, pollices et indices supra cuppam, reliquos digitos infra cuppam calicis ponens, vadit ad cornu epistolae et « *super calicem* » abluit digitos, i.e. « *pollices et indices* » « super calicem », non ergo tantum summitates, ut ad Lavabo. Postea eodem modo reportat calicem in medium, digitos « *abstergit purificatorio* », et tunc « *ablutionem sumit* », manu quidem dextera tenens calicem, infra mentum suum autem purificatorium. Dein « *extergit os* » postquam calicem deposuit, statim manu sinistra, postea vero « *calicem purificatorio* »: manu sinistra accipiat calicem, digitis eum amplectens infra cuppam, ne calix laedatur, et dextera manu extergat interiorem partem calicis, curet, ut etiam oram superiorem exterioris partis abstergat, ne ibi remaneant vestigia labiorum eius. Calicem purificatum potest ponere extra corporale versus partem sinistram, ut corporale melius plicare possit.

XI. De Communione et Orationibus post Communionem dicendae.

Praevium monitum. Gratiarum actio liturgica orationibus fit concisa brevitate compositis, quae tamen pulcherrimas habent ideas relate ad communionem factam, quae vocatur « sacrosancta mysteria, divina mysteria, Sacramenti perceptio salutaris, pignus redemptionis aeternae, munera sacra, tanta munera, salutaria semper dona, caelestia sacramenta, qua pasti sumus mensa caelestis, sanctificationes, tuorum largitas donorum, caelestes deliciae, sacramenti tui veneranda perceptio, caeleste alimentum, cibus potusque caelestis, sacrificia quae sumpsimus » et sic porro; uberrimam praebent hae orationes materiam ad gratiarum actionem.

RCel. XI, 1.2. Textus. — **Commentarius.** 1. Post orationes dictas « *claudit librum* », sic, quod libri apertura vertatur ad sinistram celebrantis. Si autem loco evangelii S. Joannis aliud evangelium dicendum est, liber melius apertus

maneat, et textus evangelii revolutus. — 2. In Quadragesima dicitur « *Oremus. Humiliate capita vestra Deo* », quod potest fieri sic, quod « Oremus » more solito dicto versus Crucem, reliqua dicat capitis inclinatione profunda ante se facta, vel forsan melius cum « Oremus » etiam haec verba versus Crucem dirigantur.

XII. De Benedictione in fine Missae et Evangelio S. Joannis.

Praevium monitum. Ad orationem « *Placeat* » ultima vice offerat sacerdos sacrificium ea intentione, quae verbis exprimitur. Benedictionem populo impértiatur toto animo inhians exuberantem copiam caelestem donorum, nunc in via constitutis et demum in patriam perventuris. — *Ultimum Evangelium* S. Joannis beneficium Incarnationis revocat in memoriam, cuius imitatio quaedam facta est in Missa nunc persoluta, gratanti ergo animo legendum est.

RCel. XII, 1. Textus. — **Commentarius.** «*Benedicat vos omnipotens Deus*» dicatur coniunctim cum actionibus praescriptis; verba ergo lente pronuntianda sunt, reliqua autem benedictionis verba dicuntur post moram factam, dum se vertit ad populum, inter benedictionem signo Crucis expeditam ad verbum « *Filius* », manuque dextera recta ad oculos usque elevata peractam. — Deinde « *circulum perficiens* » vadit ad cornu Evangelii, manibus iunctis, ibique stet oblique sicut ad Evangelium praescriptum est (C.Rit. d 3792), eodemque ritu legat ultimum Evangelium, signans altare signo Crucis, vel librum, interea manu sinistra super altari posita. Si e Missali debeat Evangelium legere in Dom. Palmarum, post lectionem non debet textum Evangelii deosculari.

XIII. De precibus post Missam lectam a Leone XIII. praescriptis.

Anno 1884. Leo XIII. Pontifex Maximus praescripsit recitationem « Salve Regina » et aliarum precum adnexarum flexis genibus cum populo dicendarum. *Sanctus Pius X. 1904.* trinam invocationem « Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis » commendavit, non praescripsit (percussio pectoris ad « miserere nobis » non praescribitur, ad summum consuetudo est), *Pius XI. 1929.* has orationes observandas esse praecepit. Post Missam sollemnem vel cantatam non dicuntur, tantum post Missam lectam.

Sacerdos post ultimum Evangelium vadit in medium, ibique facere potest inclinationem capitis ante Crucem, quod nec praescribitur, nec prohibetur, dein ad lubitum vel in suppedaneo (in supremo gradu altaris) vel in infimo gradu altaris genua flectens recitat orationes (C.Rit. d 3637,8).

Multum disputatum fuit, quando *omitti possunt* preces hae, plurima quoque decreta a S. Cong. Rituum edita fuere. Nunc spiritu omnia simpliciora reddendi editum est *decretum CRit 9. mart. 1960* (AS 1960, 360), iuxta quod preces hae « Leonianae » omitti possunt:

1°. « Cum Missa celebretur pro *sponsis* aut occasione *primae* communionis, *generalis*, sacrae *confirmationis*, sacrae *ordinationis*, vel religiosae *professionis* ». — Sic fuit iam inde a decreto n. 4305 CRit.

2°. « Cum Missam *immediate* ac *rite* subsequatur aliqua alia *functio* seu pium *exercitium* ». Talis *functio* potest e.gr. esse: praedicatio ex altari, cantus hymni « Te Deum », benedictio fidelium post primam Missam (lectam) novi

sacerdotis: S. communionis autem distributio, opinamur, non potest haberi talis functio, S. Cong. Rituum enim pluries declaravit (e.gr. 3682 et 25. nov. 1932): si s. communio post Missam quoque dispensanda erit, prius recitentur preces Leonianae, dein distribuatur s. communio. — *Pia exercitia* possunt esse e.gr.: Preces in honorem SS. Cordis Jesu vel BMV., preces in honorem Christi aeterni et summi sacerdotis, vel aliae preces pro sanctificatione cleri fundendae prima Fer. V. aut Sabbato cuiusvis mensis, preces novendiales ad Spiritum Sanctum ante Pentecosten, vel quando aliquae preces et pia exercitia ab ordinario loci *actu* ordinentur.

3°. « Cum infra Missae celebrationem habeatur *homilia* », quod indultum hucusque singulis dioecesibus aliquoties concessum fuit, nunc vero extenditur.

4°. « Cum fit Missa *dialogata,* diebus *Dominicis et festis* tantum », Ecclesia ergo minime vult praetextu liturgiae preces Leonianas abolere.

5°. « Insuper locorum ordinarii permittere possunt, ut praedictae preces dicantur *lingua vernacula,* textu ab ipsis approbato », summe desiderandum est, quod in regione seu regno aliquo translatio uniformis vigeat, a conferentia ordinariorum adornata.

XIV. De Communione infra Missam.

1°. Post sumptionem Sanguinis, antequam purificet celebrans calicem admovet in corporali versus sinistrum, operit eum palla, aperit tabernaculum, genua flectit, pyxidem seu ciborium educit e tabernaculo, detegit. Confiteor iam non dicitur (NCR 503). In sinistram sumit ciborium seu pyxidem, cum qua potest tenere etiam manutergium in altari praeparatum, ad detergendos digitos, si casu alicuius linguam tetigisset, vertit se ad populum, in medio altaris, unam particulam inter pollicem et indicem tenet « aliquantulum elevatam super pyxidem », ergo non nimis alte, et dicit clara voce: « *Ecce Agnus Dei...* » et « *Domine non sum dignus* ».

2°. Totum textum clara voce debet dicere, non sicut in Missa ante communionem sacerdotis. Ter dictis his verbis, accedit ad communicantes in latere epistolae et unicuique *porrigit Sacramentum,* faciens cum eo signum Crucis — reverenter et non nimis festinus — super pyxidem, quod tamen unicuique communicanti fit, qua benedictio sacramentalis et dicit verba praescripta, singulis communicantibus.

3°. Dein revertitur ad altare, purificat « *patinam* », quae adhibenda est in distribuenda communione, (« parva patina, ex metallo confecta, subter eorum mentum apponenda », Instr. S.C. de discipl. Sacr. 26. mart. 1929). Praescriptum de *purificatione patinae*: « Fragmenta autem, quae in patina post sacram fidelium communionem exstabunt, quoties haec intra Missam fuerit distributa, *in calicem* sedulissime, digiti ope, iniiciantur, *in pyxidem* vero, si extra Missam s. Synaxis a fidelibus recipiatur » (cf. Collect. decretorum supra cit. p. 120. nr. 7). Deinde celebrans pergit in Missa, seipsum purificando; benedictionem, ut patet, post communionem non licet dare infra Missam, nec recitare ant. « O sacrum convivium » (RCel. X, 6).

4°. Si sacerdos particulas consecratas in patena habuit ad communionem distribuendam, debet post communionem fidelium locum, ubi particulae erant in corporali, cum eadem patena extergere, et si qua in eo fuerint fragmenta, in calicem immittere (RCel, X, 6).

N. B. Communicantes in accessu et recessu unico genu genuflectunt (sic CRit d Sabarien. 1687/42. die 18. jul. 1942, textum cf. Eph. Lit. 1954, 370).

XV. De communione extra Missam.

1°. *Praeparanda in altari.* Debet esse vasculum cum aqua prope tabernaculum in parte epistolae; manutergium; patena ad communicandum; corporale, quod sacerdos secum portare potest, semper in bursa, eiusdem coloris ac stola sacerdotis (C.Rit. d 2932). Stola sit alba, vel coloris diei, excepto nigro, tantum immediate ante vel post Missam potest colore nigro paramentorum Missae communionem distribuere.

2°. *Ante communionem* sacerdos aperit tabernaculum, genuflectit, extrahit ciborium, et super corporale ponens discooperit. Interea minister vel circumstantes recitant *Confiteor;* si lingua vernacula hoc fiat, saltem minister debet latine recitare, in defectu ministri sacerdos profunde inclinatus dicit Confiteor. Tabernaculum clausum manet, excepto si nihil in eo sit. Sacerdos iterum genuflectit et ad populum se vertit, dicens « *Misereatur* » et « *Indulgentiam* », semper in plurali, etiam si unus tantum communicaret; in singulari dicuntur orationes solummodo in communione infirmi. Cetera sicut in communione distribuenda intra Missam.

3°. *Post communionem* revertitur ad altare, **a.** deponit ciborium et genuflectit, dein purificat patenam communicantium in ciborium, digitos in vasculo parato abluit et detergit. Postea ciborium operculo suo tegens reponit in tabernaculum, et iterum genuflectit, et reserat ostium tabernaculi. Inter has actiones debet recitare orationes: « *O sacrum convivium...* », versiculos et orationem « *Deus qui nobis...* » tempore paschali « *Spiritum nobis Domine...* », quae ideo memorialiter addiscendae sunt (cf. C.Rit d 3792,10 et 3975, III,1). Demum benedictionem dat; altare non osculatur, oculos elevat, extendens elevans et iungens manus caputque Cruci inclinans, dicit: « Benedictio Dei omnipotentis », dein vertit se ad populum et continuat: « Patris et Filii † et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper ». — **b.** *In paramentis nigris* celebrans potest communionem distribuere (C.Rit. d gen. 3177) « immediate post Missam defunctorum, data autem rationabili causa immediate quoque ante eamdem Missam, in utroque autem casu *omittenda est benedictio* ». — **c.** *Diaconus* omnia similiter facit, quam sacerdos, excepta stola transversa, ergo etiam benedictionem dat more sacerdotum. — **d.** *Episcopus* autem trinam dat benedictionem pontificalem, si fidelibus extra Missam communionem ministraverit (C.Rit. d 3731,5).

XVI. De purificatione ciborii seu pyxidis.

Regula praevia: *Semper* fieri debet purificatio, *quoties species renovantur, dein*: fit *intra Missam* post sumptionem Sanguinis antequam seipsum purificet. Si opus est, particulas superfluas sumit, dein indice ciborium a micis purgat

eas colligens in calicem. Dein vinum in ciborium infundit et circumagit et vinum in calicem transfundit, sumitque ut primam purificationem. Dein digitos supra pyxidem vino et aqua abluit, ablutionem infundit in calicem et sumit ut secundam ablutionem. Dein pyxidem extergit purificatorio convenienter altero, ac quod ad purificationem calicis adhibet, et pyxidem cum operculo super altare ponit versus partem Evangelii.

XVII. Ritus Missae pro defunctis.

Non dicitur *Ps. 42. Judica,* sed statim post ant. Introibo ad altare Dei dicitur: « Adiutorium nostrum... » et fit confessio. Ad *introitum* sacerdos non seipsum signat, sed versus librum facit signum Crucis, in Missa enim defunctotum omnis benedictio defunctis competit; sinistra interim in altari ponitur. *Non dicuntur* Gloria Patri (ad introitum, ad Ps. Lavabo), nec Gloria in excelsis, nec Alleluia; ad *Evangelium* non petitur benedictio (« Jube Domine benedicere »!), nec datur (« Dominus sit... »). *Non osculatur* librum post Evangelium, nec dicitur « Per evangelica dicta... » *Aqua* in calicem fundenda non benedicitur, oratio autem « Deus qui humanae substantiae » dicitur. Ad « *Agnus Dei...* » dicitur: « ...dona eis requiem », ad tertium additur « ...sempiternam ». Interea pectus non percutitur, nam non dicitur « miserere ». *Prima oratio* ante communionem omittitur et non datur pax. In fine dicitur « *Requiescant in pace* » et *non* datur benedictio. *Sequentia* ad arbitrium sacerdotis legenda est in Missis, excepta exsequiali et principali Missa 2. nov. (NCR 399).

XVIII. Ritus Missae coram SS. Sacramento exposito.

Sacerdos accedens ad altare, biretum tunc tantum deponit et in plano prostrationem facit. Post confessionem factam ad altare conscendit et genuflexio tunc actus est ultimus. Item genuflectit in medio altaris, quoties a latere ad medium altaris regreditur, genuflexio tunc primus actus est. Ad *Lavabo* stet conversus ad populum in plano vel in gradu. Quoties se *ad populum convertit,* nunquam vertit terga Sanctissimo, sed prius unum passum recedit versus latus Evangelii, postquam genuflexit, et ibi se vertit ad populum, circulum autem non perficit, nec ad « Orate fratres », nec ad benedictionem. *Secundam ablutionem* potest accipere in medio altaris, non in cornu epistolae. Ad *benedictionem* in fine Missae omnia facit more solito, sed caput non inclinat, nam eius loco genuflectit, et ad latus Evangelii recedens benedicit. Dein non perficiens circulum, ad sinistram se vertens accedit, sine genuflexione, nam non est in medio, ad cornu Evangelii, ibique non signat altare, si in mensa sit Sanctissimum, sed tabellam, legit *Evangelium,* genuflexionem autem facit versus Sacramentum ad verba: « Et verbum caro factum est ».

3. De ritu servando in celebratione Missae Sollemnis

— Concinnavit Dr. Th. Lad. Bozzay caer. aeppalis. —

ABBREVIATIONES:

CE = Caeremoniale Episc.
d = Decretum S.C.Rituum.
NCR = Novus Codex Rubricarum 1960.
RC = Ritus celebrandi.

1. *Notio.*

Missa Sollemnis ea est, quae cum Sacris Ministris, cantu, thurificatione, pacis osculo, et aliis caeremoniis a Rubricis praescriptis celebratur.

2. *Ministri sacri.*

In Missa Sollemni semper adhibendi sunt Ministri Sacri, scilicet Diaconus et Subdiaconus (RC, II,5). Deficiente tamen Subdiacono et dum non adest, vel Sacerdos vel clericus in maioribus Ordinibus constitutus, potest alius saltem clericali tonsura initiatus, si adsit rationabilis causa, officio Subdiaconi fungi (C.Rit. d 4181,1).

3. *Alii.*

Requiruntur insuper *duo Acolythi* ceroferarii (RC. II,5) et unus *Thuriferarius* (RC. IV,4), et quamvis tres Acolythi in Missa Sollemni sufficiunt, in omnibus functionibus solemnioribus bene adhibetur aliquis in sacrarum actionum scientia rite instructus, ad *Caeremoniarii* officium exercendum. — Usus celebrandi Missam Sollemnem cum solo Diacono vel Subdiacono, cum praesto non sit aliquis Ministrorum, tolerari nequit (C.Rit. d 3104,2), excepto Hebd. Sancta.

4. *Praeparanda.*

Super Altari locatae erunt tres tobaleae, sex candelabra cum Cruce (CE. I, 12,11), tabellae secretarum, Missale apertum, Calix vero et alia necessaria (parvum velum Calicis complicatum, liber Epistolarum et Evangeliorum, pelvicula cum ampullis vini et aquae, linteum ac tintinnabulum) praeparentur in Credentia cooperta velo humerali (RC. II,5).

5. *Scamnum.*

Item praeparetur scamnum oblongum, coopertum aliquo tapete, aut panno, a latere Epistolae iuxta Altare. S. Rituum C. pluries interdixit sedes camerales (C.Rit. d 3104,4., 3804,11).

6. *Paramenta.*

In Sacristia *Celebrans* eadem paramenta, et eodem modo induit, ac pro Missa privata. *Diaconus* vero et *Subdiaconus* super albam induunt manipulum et Diaconus stolam eamque ita aptat, ut medium stolae ubi est crux, sit super humerum sinistrum, et sub suo brachio dextro firmiter alligari faciat (CE. I,9,1). Diaconus et Subdiaconus demum Dalmatica et Tunicella utuntur. Nunquam iam adhibentur planetae plicatae (NCR 137).

7. *Acolythi* habitu clericali et cottis induti serviant (CE. I,11,2). a. *Duo ceroferarii* debent aequales eligi, ut lumina aequaliter deferant: cumque sumpturi sunt candelabra, accipient quidem manu dextera, ita, ut qui a parte dextera incedit, ponat manum sinistram ad pedem candelabri, dexteram vero ad medium candelabri globum; incedens vero a parte sinistra, ponat dexteram ad pedem, sinistram ad eundem globum: cumque reverentias erunt facturi, illas aequaliter

et eodem tempore faciant. Quod si dum cantatur Evangelium, genuflectendum sit, ipsi stabunt simul cum Subdiacono librum tenente, ac si immobiles essent (CE. I,11,8). — **b.** *Thuribulum et naviculam* incensi ministraturus, debet aequaliter ac elevatis manibus tenere, videlicet: thuribulum dextera, pollice in anulum maiorem immisso, medio vero eiusdem manus digito minorem anulum catenulae elevans, coopertorium thuribuli appositum reget, et sustinebit; sinistra manu pedem naviculae cum incenso (CE. I,11,7). — **c.** *Caeremoniarius* cottam super habitum induat, in functionibus certum locum non habet, sed ubique assistere et discurrere potest, ut ordo necessarius servetur (CE. I,5,4; C.Rit. d 3398,1; 108).

8. *Ingressus ad Altare.*

Facta reverentia Cruci, vel imagini illi, quae in sacristia erit (RC. II,1), praecedit primo Thuriferarius cum thuribulo (secus ad sinistram Caeremoniarii), secundo Ceroferarii cum candelabris, quae deinde collocantur super Credentia (RC. II,5), postea Caeremoniarius, deinde aliqui ministri cottis induti, si adsint, tum Subdiaconus tecto capite, Diaconus similiter, et ultimo Celebrans etiam tecto capite omnesque iunctis manibus (CE. II,3,1; C.Rit. d 2578,2).

9. Cum perveniunt ad Altare, stabunt omnes recta linea, sed Caeremoniarius in cornu Epistolae facie ad cornu Evangelii versa, Ceroferarii erunt omnium postremi hinc inde a lateribus (CE. II,3,2), Celebrans in medio inter Diaconum, a dextris, et Subdiaconum, a sinistris (RC. II,5), dextera deponunt bireta, et ad signum Caeremoniarii, Altari seu imagini Crucifixi Celebrans profunde se *inclinat* (RC. II,2), Diaconus vero et Subdiaconus (nisi sint Canonici ecclesiae cathedralis), genuflectere debent (C.Rit. d 1741, 1.2), ita etiam ceteri de clero (CE. I,18,3). Si autem in Altari sit *Tabernaculum Sanctissimi* Sacramenti etiam Celebrans genuflectens debitam facit reverentiam, et quidem in accessu et recessu omnes in plano presbyterii, Celebrans in infimo gradu quoties insuper genuflectere occurrat (RC. II,2; C.Rit. d 2682,47).

10. *Principium Missae et Confessio.*

Facta reverentia Celebrans inchoat Missam recitans Ps.42.Iudica, ac Confessionem faciens alternatim cum Diacono et Subdiacono. At dum pronuntiat « vobis fratres » et « vos fratres », nec non « misereatur vestri », sese ad illos convertit; itemque ministri quum respondebunt: « Misereatur tui... », deinde cum dicent: « tibi Pater... » et « te Pater... » (CE. II,8,31), Thuriferarius genuflexione peracta sese ante Credentiam confert et facie ad Altaris latus conversa in plano genuflectit, agitans thuribulum. Similiter et Ceroferarii procedunt simul, et in angulis posterioribus Credentiae candelabra cum candelis accensis deponunt, ibidemque genuflectunt prior a dextris, alter a sinistris Credentiae.

11. *Incensatio.*

a. Confessione facta Celebrans ascendit cum Ministris in medium Altaris et *ponit incensum* in thuribulum, ministrante Diacono naviculam et Thuriferario thuribulum (RC. IV,4), qui e latere ascendit fere ad medium suppedanei. Navi-

culam statim Diacono tradit, atque dextera manu thuribulum aperit. Diaconus parum inclinatus versus Celebrantem dicit: « Benedicite Pater reverende », osculaturque cochlear et manum Celebrantis ante et post. Celebrans ter incensum ponit dicens: « Ab illo benedicaris... », et deposito cochleari producens manu dextera signum Crucis super thus et thuribulum illud *benedicit.* Postea Diaconus dimissa navicula accipit thuribulum et dat Celebranti osculata prius catenularum summitate et manu illius dextera; qui facta Cruci profunda reverentia eam ter incensat nihil dicens (RC. IV,4).

b. Diaconus et Subdiaconus hinc inde *assistunt* Celebranti, cum incensat, et cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt (RC. IV,7), Thuriferario deficiente Caeremoniarius Missale ab Altari amovet, postea reponit. Celebrans autem facta iterum Cruci reverentia, *incensat Altare,* ter ducens thuribulum aequali distantia, prout distribuuntur candelabra, a medio eius usque ad cornu Epistolae, ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, bis ducto thuribulo: et conversus ad Altare, elevans manum incensat eius planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens thuribulum usque ad medium: ubi facta Cruci reverentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu usque ad cornu Evangelii: et pariter incensata inferiori et superiori parte ipsius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc stans ibidem elevat thuribulum, et ter incensat superiorem tabulae partem versus medium Altaris, ut fecit in cornu Epistolae: deinde manu aliquantulum demissa, incensat anteriorem eius partem, seu frontem, ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium Altaris, et facta Cruci reverentia, incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Evangelii: ubi reddito thuribulo ipsi diacono, ab eo *ipse solus incensatur.* Diaconus in planum descendit et eum triplici ductu incensat, ante et post reverentia facta, Thuriferarius vero stat aliquantulum post Diaconum a quo postea recipit thuribulum, quod in Sacristiam reportat, statimque redit et ante Credentiam stat, vel sedet.

12. Si vero *in Altari fuerint Reliquiae* seu *Imagines Sanctorum,* incensata Cruce, et facta ei reverentia, antequam discedat a medio Altaris, primum incensat eas, quae a dexteris sunt, id est, a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum, et iterum facta Cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quae sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolae: deinde prosequitur Altaris incensationem, ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiam si in eo essent plures Reliquiae vel Imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra (RC. IV,5).

Si in Altari fuerit tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipit incensationem, *genuflectit,* quod item facit, quotiescumque transit ante medium altaris (RC. IV,6).

13. *Introitus, Kyrie.*

Celebrans Diacono a dexteris eius, Subdiacono a dexteris Diaconi stantibus in cornu Epistolae et fere semicirculum efficientibus, legit ant. ad *introitum* ut in Missa privata, signans se; Ministri et ceteri clerici similiter faciunt (C.Rit. d 4057,5). Eodem modo in cornu Epistolae stantes alternatim dicunt « *Kyrie eleison* ». Cum a Choro ultimum decantatur « Kyrie », Celebranti et Ministris

signum dat Caeremoniarius ad medium Altaris accedendum, ibique stant a tergo Celebrantis unus post alium (RC. IV,7).

14. *Sessio.*

Celebrans et Ministri, si cantus « Kyrie » protrahatur, priusquam Celebrans progrediatur in Missa, poterit cum Ministris sedere in scamno (RGM. XVII,6). Celebrans itaque facta Altari profunda *reverentia*, vel simplici genuflexione sequens Diaconum per latus Epistolae, *per breviorem*, ad scamnum progreditur, ibique medius inter Ministros *assidet*, *caput cooperit*, ac manus super planetam prope genua extensas tenet. Haec eadem servabit, dum ad Gloria et Credo, vel etiam ad Graduale et Epistola sedendum erit. (CRit. d 290). Sedet porro usque ad ultimum « Kyrie », ad nutum Caeremoniarii *consurgant* Diaconus et Subdiaconus, qui dum assurgunt, caput aperient, et sinistram pectori applicabunt, biretum in scamno suo loco relinquent, Celebrans nudabit caput, biretum tradet Diacono, qui ponet illud super scamno. Deinde *Celebrans assurgit* et cum Diacono dextrorsum et Subdiacono sinistrorsum ad Altare, *per longiorem* progrediuntur. Post *reverentiam*, vel genuflexionem Celebrans ascendit ad Altare, Diaconus in gradu superiori infra suppedaneum post Celebrantem, Subdiaconus autem in plano post Diaconum, ut iam supra dictum est.

15. *Gloria.*

Celebrans intonat « Gloria in excelsis Deo », his decantatis verbis et non prius, Diaconus et Subdiaconus *ascendunt* ad altare, Diaconus a dexteris, Subdiaconus a sinistris Celebrantis et cum eo *recitant* hymnum (RC. IV,7), cum solitis inclinationibus et in fine simul se signant (C.Rit. d 4057,5). Si non sit sedendum, Diaconus et Subdiaconus *perstant iunctis manibus* a dexteris et a sinistris, et tantum circa finem Hymni, quin genuflectant, descendunt in gradum a tergo Celebrantis. Si autem *sedendum* sit, in suppedaneo simul genuflectunt, et per breviorem, i.e. per gradus laterales Epistolae pergunt ad scamnum et observant omnia, quae supra de « Kyrie » dicta sunt. Cum autem a Choro cantatur, vel sub organorum sono recitantur, ad verba, quae *inclinationes* exposcunt, caput detegunt ponentes biretum prope genu dexterum, et capitis inclinationem faciunt (C.Rit. d 1563,1:, 3457,3).

16. *Oratio.*

Celebrans cantat: « *Dominus vobiscum* » deinde ad cornu Epistolae secedit cantaturus « *Oremus* », Orationem, vel Orationes. Diaconus per eundem secundum gradum, Subdiaconus vero per planum, nulla facta genuflexione una se conferunt cum Celebrante ad cornu Epistolae et *stant retro* post Celebrantem. Si post « Oremus » « *Flectamus genua* » occurrerit, hoc dicitur a Diacono et omnes, una cum Celebrante, flexis genibus per aliquod spatium orant in silentio; dicto « Levate », omnes surgunt (NCR 440).

17. *Epistola, Graduale, Tractus, Sequentia.*

Diaconus post finem ultimae orationis sine reverentia accedit ad dexteram Celebrantis, eique assistit, *si Caeremoniarius desit*, etiam ad Orationes. Cantata vero Epistola, recedit.

Subdiaconus circa finem ultimae Orationis accipit ambabus manibus Librum Epistolarum a Caeremoniario, vel a Ceroferario, deferens illud supra pectus et facta Altari genuflexione in medio (in infimo gradu, C.Rit. d 2682,47), vadit ad partem Epistolae contra Altare, et ipsemet sustinens Librum, *cantat Epistolam,* quam Celebrans non legit (NCR 473), sed assistente sibi Diacono a dexteris, legit *Graduale, Tractum etc.* usque ad « Munda cor ». Si vero legendo Epistolam *genuflexio* praescripta sit, Celebrans genuflectit, quando verba cantantur a Subdiacono, cum Celebrante Diaconus simul cum Subdiacono genuflectunt. Similiter, si « Adiuva nos », « Veni Sancte Spiritus » a Choro cantantur (C.Rit. d 4057,6). Subdiaconus Epistola cantata librum clausum deferens facit iterum genuflexionem in medio Altaris, per planum redit ad Celebrantem in cornu Epistolae et in ora suppedanei genuflectens, *osculatur* eius manum libro superpositam, et ab eo benedicitur nihil dicens (RC. VI, 4). Subdiaconus surgit, et librum tradit Caeremoniario vel Ceroferario.

18. *Evangelium.*

Celebrans non legit Evangelium (NCR 473), sed accedit ad Altaris medium, imponit ac benedicit *incensum* in thuribulo, ut ante Introitum (RC. VI, 5). *Diaconus* in cornu Epistolae ministrat naviculam, per gradus laterales descendit in planum, a Caeremoniario librum accipit, quem utraque manu ante pectus elevatum tenens, in medio facta genuflexione Altare conscendit et *librum in medio deponit* (C.Rit. d 4077,3). Mox ante Altaris medium in ora suppedanei genuflexus inclinato capite et manibus iunctis dicit: « *Munda cor...* », surgit et accipiens librum Evangeliorum de Altari, in superioris gradu Altaris similiter genuflexus et versus Celebrantem capite profunde inclinato *petit benedictionem* pronuntians « Iube, domne benedicere » acceptaque benedictione et osculata Celebrantis manu vertens se ad sinistram in planum descendit.

19. *Thuriferarius* cantata Epistola thuribulum et naviculam accipit, Celebranti thuribulum ministrat sicut ante Introitum, e latere Epistolae; mox in planum descendit, ibi *Ceroferarii* candelabra accipiunt, et dum Diaconus accipit benedictionem Thuriferarium sequentes ad Altare pergunt et se sistunt retro post Ministros. Ad signum Caeremoniarii facta ibidem simul ab omnibus genuflexione *procedunt* ad locum, ubi Evangelium cantari solet. Et primo quidem procedit Caeremoniarius, mox Thuriferarius, postea Ceroferarii, dein Subdiaconus et in fine Diaconus librum clausum ante pectus sustinens.

20. Itaque in plano presbyterii (C.Rit. d 192), ad Evangelii cornu consistit *Subdiaconus medius* inter Ceroferarios, facie ad parietem versa videlicet ad Epistolae latus (CE. II,8,44), *Diaconus* autem librum aperiet, apertumque tradet Subdiacono, qui ambabus manibus ad partem inferiorem librum sic ante pectus elevatum tenet, ut facies et oculi tegantur. Deinde Diaconus iunctis manibus cantat « *Dominus vobiscum* »; deinde sinistram ponit super Evangeliarium (C.Rit. d 2572,11), pollice autem dextera signum Crucis *signabit* in principio Evangelii, quod erit cantaturus, interim cantans « Sequentia... », deinde seipsum signat, sinistra infra pectus posita. Thuribulum accipit a Thuriferario, qui post ipsum stat a dextris, vel Caeremoniario, et tunc Thuriferarius stat a sinistris, et *ter librum ipsum incensat*: in medio, a dextris et a sinistris ipsius Evangeliarii, quod correspondet sinistris et dextris Diaconi, et prosequitur Evangelium iunc-

tis manibus. Ad *nomen* « Iesu », Mariae et Sancti, versus librum caput inclinat. Si vero in Evangelio verba cantantur ad quae *genuflectendum* sit, Subdiaconus et Ceroferarii non genuflectunt, Diaconus versus librum, Celebrans et omnes alii versus Altare genuflectunt (NCR 519).

21. Interim *Celebrans* post datam Diacono benedictionem retrahens se ad cornu Epistolae, ibi *stat* iunctis manibus facie ad Altare versa, donec Diaconus cantet « Dominus vobiscum », tunc *vertit* se ad illum usque ad finem Evangelii. — *Subdiaconus* finito Evangelio librum declinet, Diaconus manu dextera indicet Subdiacono textus principium. Subdiaconus librum elevatum deferens via recta absque ulla Altaris vel Celebrantis reverentia (CE. II,8,46), ad Celebrantem accedit, dextera initium cantati Evangelii ei ostendit. Celebrans dicit: « Per Evangelica dicta... » et *osculatur textum. Subdiaconus* claudens librum et facta capitis inclinatione, Altari vero debita reverentia in planum *descendit* traditque Librum Caeremoniario. — Interim *Caeremoniarius ducit* Ceroferarios, Thuriferarium et Diaconum *ad Altare,* in medio genuflectunt omnes, *Diaconus* a Thuriferario accipit Thuribulum et postquam Celebrans librum osculatus fuerit, triplici ductu (RC. VI,5) eum *incensat,* profunde se ante et post inclinans, thuribulum tradit Thuriferario, Ceroferarii vero statim ad Credentiam redeunt ac candelabra deponunt.

22. *Credo.*

Celebrans stans in medio Altaris versus ad Crucem incipit si dicendum sit Credo, stantibus *post eum Diacono et Subdiacono,* deinde ad Altare accedentibus et cum eo prosequentibus, ut dictum est ad Gloriam; si vero *sedendum* sit, accedunt ad scamnum. Ad: « *Et incarnatus est... homo factus est...* » caput discoopertum inclinant (C.Rit. d 1563,1; 2915,6; 3457,3). — In diebus autem *Nativitatis Domini* et *Annuntiationis B.M.V.* ad nutum Caeremoniarii Celebrans et Ministri detecto capite ante medium Altaris accedunt et in infimo gradu genuflectunt cum profunda capitis inclinatione (Nov. Cod. Rubric. 518. b), deinde iterata reverentia redeunt. Ceteri suis in locis id perficiunt. — *Diaconus* post verba « Crucifixus » invitante Caeremoniario vel Ceroferario primus se per breviorem ad Credentiam confert, et sumpta *bursa* eam ambabus manibus usque ad oculos elevatam per longiorem, cum solitis reverentiis affert ad medium Altaris, in quo explicat Corporale (RC. VI,7), et per breviorem ad scamnum redit. Si *non sit sedendum,* perstant iunctis manibus, ad verba paulo ante « Et incarnatus » Celebrans cum Ministris descendunt ad secundum gradum in ora suppedanei utrumque flectunt genu cum profunda capitis inclinatione (C.Rit. d 2915,6). Diaconus in suppedaneo peracta genuflexione per breviorem ad Credentiam se confert ut supra.

23. *Sermo.*

Si autem sit praedicandum, Concionator finito Evangelio, seu post incensationem praedicet (RC. VI,6), Celebrans et Ministri per breviorem descendunt, ut alias, ad scamnum. Concionatori salutanti caput discooperient. Sermone sive contione expleta dicatur Credo, vel si non sit dicendum, cantetur Offertorium (C.Rit. d 1772,5; RC. VI,6).

24. *Offertorium.*

Celebrans osculatur Altare ut ante orationem et cantet « Dominus vobiscum » ac « Oremus ». — *Diaconus* facta reverentia ad dexteram Celebrantis ascendit. — *Subdiaconus* genuflectit in infimo gradu, ad Credentiam pergit, accipit circa humeros a Ceroferario secundo *velum sericum* (CE. I,10,5), ac manu sinistra Calicem cum purificatorio, Patena, hostia ac palla, — quando non dicitur Credo etiam bursa cum corporali, — velo oblongo contegit, extendensque dexteram super velum per latus Epistolae ascendit a dextris Diaconi eique *Calicem tradit* (RC. VII,9).*Ceroferarius primus* immediate sequitur Subdiaconum portans ampullas vini et aquae. *Diaconus* Celebranti *patenam* porrigit cum osculo prius patenae dein manus (CE. I,16,16). Mox Subdiaconus Calicem extergit purificatorio, ampullam vini *Diacono* tradit, qui Calicem sinistra accipit iuxta nodum et ad beneplacitum Celebrantis vinum infundit, *Subdiaconus* interim ostendens ampullam aquae Celebranti dicit: « Benedicite... », qui facto versus eam signo Crucis, dicit Orationem: « *Deus qui humanae...* ». Subdiaconus infundit paulum *aquae* in Calicem, et de manu Diaconi accipit ampullam vini, utramque Ceroferario primo tradit. *Diaconus calicem* Celebranti dat, et pedem Calicis tangens seu brachium dexterum Celebrantis sustentans, cum eo dicit oculis ad Crucem elevatis: « *Offerimus tibi...* », quem postea positum in Altari, ut supra Palla cooperit. — *Subdiacono* stanti in cornu Epistolae ponit in dextera manu *patenam,* quam cooperit extremitate veli ab eius humero pendentis, qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris, et, facta genuflexione ibi stat sustinens eam elevatam usque ad finem Orationis Dominicae (RC. VII,9).

25. *Incensatio.*

Dicto a Celebrante « *Veni Sanctificator...* » imponit et benedicit *incensum,* ut ante Introitum, sed loco « Ab illo benedicaris... » recitat formulam: « *Per intercessionem Beati Michaelis...* », et accipiens thuribulum e manu Diaconi, nulla facta tunc Cruci reverentia (RC. VII,10; CE. I,23,10), ter facit signum Crucis cum eo super *Calicem et Hostiam simul* in modum crucis, et ter circa Calicem et Hostiam, bis a dextera ad sinistram, et semel a sinistra ad dexteram, Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextera, dispensans verba in qualibet incensatione, « Incensum istud... ». Deinde facta reverentia incensat *Crucem,* Reliquias, si adsint, et *Altare,* ut supra, assistente Diacono, interim dicens: « *Dirigatur, Domine, oratio mea...* » etc. Cum incensatur Crux, Diaconus amovet Calicem ad partem Epistolae, mox reponit in loco suo. Cum vero *reddit* thuribulum Diacono, dicit: « Accendat in nobis... » et *Celebrans incensatur* ab eo, triplici ductu (RC. VII, 10; CE. I,23,11.12; 23,32). Postea *lavat manus* ministrantibus Ceroferariis ampullam aquae, cum pelvicula et manutergio. Subdiaconus usque ad Sanctus stat in plano ante medium Altaris, et ad « *Orate fratres* » Celebrantis respondet, saltem si diaconus ab incensatione nondum reversus fuerit.

26. *Diaconus* incensato Celebrante, si habeatur Chorus, Altari debitam facit reverentiam, et antequam Subdiaconum incenset, procedit ad *incensandum Chorum* comitante Thuriferario, vel Caeremoniario. Thurificatio semper incipienda est a parte, in qua dignior ex praesentibus sedet, quando Hebdoma-

darius non sedet in Choro, secus in parte, in qua sedet hebdomadarius (C.Rit. d 3059,25); Episcopi thurificantur triplici ductu, Dignitates et Canonici duplici ductu, inferiores unico ductu. — Thurificatio Crucis, Altaris, sacrarum Imaginum, libri Evangeliorum, Episcopi, Celebrantis, Ministrorum, Canonicorum, Beneficiatorum aliorumque de Choro et Altari, iis exceptis, qui non singillatim incensantur, perficienda est duplici ictu in quolibet ductu (C.Rit. d 3110,20; 4048,9; 4057,2). Diaconus Choro incensato revertitur ad Altare, et ibi facta reverentia ad *Subdiaconum* conversum, eum *incensat*. Si *Chorus non habeatur*, Diaconus immediate post Celebrantem incensat Subdiaconum et reddito thuribulo Thuriferario, ad secundum gradum ascendit et convertens se ad *Thuriferarium* stantem in cornu Epistolae, *ab eo thurificatur* duplici ductu (RC. VII,10). Thuriferarius postea incensat *Caeremoniarium* et *Ceroferarios* unico ductu, tandem *populum* stans prope aditum Presbyterii *triplici* ductu, in medio a parte Epistolae et a parte Evangelii, se ante et post mediocriter inclinans (RC. VII,10).

27. *Praefatio, Sanctus.*

Cum dicitur Praefatio, Diaconus et Subdiaconus stant *retro post Celebrantem* (RC. IV,7), Caeremoniarius vero prope librum. Antequam « Sanctus » dicitur, facta reverentia accedunt ad Altare, ubi cum Celebrante *hinc inde* stantes dicunt « *Sanctus* » et quae sequuntur usque ad Canonem. Interim Ceroferarius parvam *campanulam* pulsat, etiam in Missa Sollemni (RC. VII,8; C.Rit. d 4377), inde Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, Subdiaconus vero stat post Celebrantem (RC. VII,11). *Thuriferarius* post populi incensationem, facta genuflexione, se ad Sacristiam confert, et dicto Sanctus, *Acolythos cum intorticiis* saltem duos, ad summum octo (RC. VIII,8; CE. II, 8,68), antecedens vadit cum thuribulo et navicula et in medio Presbyterii inter illos, facta genuflexione, ad Epistolae cornu pergit, ibique in plano utrumque flectunt genu. Acolythi vero hinc inde a lateribus Subdiaconi collocant se genuflexi, vel si magis commodum, ad latera Altaris (CE. II,8,68); *revertuntur* cum Thuriferario post Elevationem Calicis, nisi aliqui sint communicandi, tunc enim exeunt post Communionem; in diebus etiam ieiuniorum tenentur accensa usque ad Communionem (RC. VIII,8). In accessu et recessu semper *unicum* flectant genu (C.Rit. d 4135,3).

28. *Consecratio et Elevatio.*

Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolae *ter incensat* Hostiam, cum elevatur, et similiter Calicem posito incenso in thuribulo absque benedictione, sive a Caeremoniario, sive a seipso (RC. VIII,8; CE. II,8,70). Cum Celebrans dicit: « *Quam oblationem* », *Diaconus* accedit ad eius dexteram, et ibi in superiori Altaris gradu genuflexus, cum Sacramentum *elevatur*, posteriorem partem *planetae* elevat (RC. VIII,8; CE. I,9,5; C.Rit. d 3535,2), et quando opus est, se erigens *Calicem* discooperit et cooperit et cum Celebrante genuflectit. Subdiaconus manet genuflexus in loco suo. Interim dum Celebrans elevat Hostiam, Ceroferarius dextera manu *pulsat campanulam* ter ad unamquamque elevationem vel continuate, quousque Sacerdos deponat Hostiam super Corporale et similiter postmodum ad elevationem Calicis (RC. VIII,6), etiam in Missa Sollemni (C.Rit. d 4377). Reposito Calice Diaconus redit ad Librum, ceteri surgunt et stant in locis suis (RC. VIII,8).

29. *Canon, Oratio Dominica.*

Cum Celebrans dicit: « *Per quem haec omnia...* » *Diaconus* facta Sacramento genuflexione, accedit *ad dexteram* Celebrantis, et quando opus est. discooperit Calicem, et cum Celebrante adorat. Cum incipit « *Pater noster* », vadit retro post Celebrantem, facta prius genuflexione (RC. IX,4). — Cum dicitur: « Et dimitte nobis debita nostra... », iterata genuflexione ascendit cum Subdiacono ad Celebrantis dexteram, *patenam* a Subdiacono latam detegit et purificatorio extergit et dat Celebranti, illius manum osculando, et quando opus est, discooperit et cooperit Calicem. — *Subdiaconus* deposito velo genuflectit et descendit retro post Celebrantem; *Ceroferarius* ascendens cum genuflexione illud plicat et deponit (RC. X,8; CE. II,8,73). *Diaconus* et *Subdiaconus* ad latera Celebrantis simul dicunt « *Agnus Dei* », et ad « miserere nobis » et « dona nobis pacem » ter percutiunt pectus (C.Rit. d 3535,3).

30. *Pax.*

Subdiaconus facta genuflexione redit ad locum suum post Celebrantem, *Diaconus* vero ad dexteram Celebrantis in ora suppedanei genuflexus, expectat *pacem*, et cum Celebrans recitata Oratione: « *Domine Jesu Christe...* » osculatur Altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra Corporale, et a Celebrante dicente: « *Pax tecum* » brachiis Celebrantis sua supponens genamque suam sinistram sinistrae illius propinquans pacem recipit, ei « Et cum spiritu tuo » respondens; dein genuflectit, vertit se ad Subdiaconum retro post Celebrantem, et similiter dat ei pacem (RC. X,8; CE. II,8,75). Qui *pacem dat*, nullam reverentiam facit, manus quasi supra accipientis humeros ponit et suam genam sinistram sinistrae alterius appropinquat, dicendo: « Pax tecum », et se *tantum* pace data inclinat. Qui vero *accipit pacem*, brachia sua dantis brachiis supponit et genam suam sinistram sinistrae alterius adiungit respondens: « Et cum spiritu tuo », et se *ante et post* inclinat (CE. I,24,5; C.Rit. d 2915,7).

31. *Communio.*

Diaconus et Subdiaconus a sinistris et dexteris stant infra « *Domine non sum dignus* » corpore mediocriter inclinato, sed non debent dicere verba neque pectus percutere (C.Rit. d 3535,3). Profunde vero se inclinant versus Altare dum *Celebrans se communicat* sub utraque Specie, similiter et alii Ministri (RC. X,8).

Subdiaconus accepta pace vadit ad dexteram Celebrantis et quando opus est, discooperit Calicem, accipit ampullam vini et infundit, quando Celebrans se purificat, *Ceroferarius* pelviculam, vinum et aquam ad Altare defert cum genuflexione et Subdiacono porrigit, *alter Ceroferarius* velum Calicis portat ad cornu Evangelii: facta in medio genuflexione et statim redit.

32. *Orationes post Communionem.*

Postquam Celebrans digitos abluerit, *Diaconus* accepto Missali cum legili, cum *Subdiacono* in medio Altaris genuflectentes, defert illud ad cornu Epistolae atque sistit in secundo gradu post Celebrantem. *Subdiaconus* vero accedit ad

cornu Evangelii, purificat Calicem ac vestit, tandem defert ad Credentiam, facta genuflexione ante medium Altaris, et petit locum suum retro post Celebrantem.

Celebrans recitat *antiphonam Communionis* et in medio versus populum cantat: « *Dominus vobiscum* », in cornu Epistolae « *Oremus* » et Orationes. *Diaconus*, si Caeremoniarius desit, claudit librum (RC. XI,3), cum Celebrans et Subdiaconus se conferunt ad medium Altaris et cantato a Celebrante « Dominus vobiscum », Diaconus ita se volvit per latus suum dexterum, ut terga vertat Celebranti et manibus iunctis cantat « *Ite Missa est* » Celebrans stat versus populum, sed nihil dicit (NCR 473), similiter si dicendum sit « *Benedicamus Domino* », *Diaconus* vero facie ad Altare conversa canit eadem verba. In feriis Quadragesimae, in quibus canenda est *Oratio super populum*, cantato a Celebrante « Oremus », Diaconus sine reverentia Altari facta, vertens se ad populum iunctis manibus absque inclinatione capitis cantat: « *Humiliate capita vestra Deo* » (RC. XI,3).

33. Celebrans eadem voce et modo, quo in Missis privatis, benedicit populo et dicto Evangelio ultimo discedit cum Ministris ordine et modo, quo venerat (RC. XII,7).

34. *Appendix I. Sacra Communio.*

Si S. Communio administranda erit, *Caeremoniarius* ad Offertorium defert *pyxidem* ad Altare, ac prope corporale ad latus Epistolae deponit. — *Diaconus* ad Offertorium et ad Consecrationem Pyxidem *detegit*, ac postea suo operculo contegit. — Celebrans post sumptionem Sanguinis, antequam se purificet, facta genuflexione cum Diacono et Subdiacono ante Tabernaculum apertum, cum Subdiacono e cornu Evangelii se parum convertet ad cornu Epistolae, *Diaconus* pyxidem in medio ponit, operculum tollit et extra corporale collocat, omnes genuflectunt (C.Rit. d 2209,3), et *Celebrans* facta genuflexione capit pyxidem ad nodum, pollice et indice vero apprehendit unam particulam eamque elevatam tenens convertit se ad populum et elata voce dicit: « *Ecce Agnus Dei...* », quae verba semper proferenda sunt *latine* (C.Rit. d 2725,5). Deinde Celebrans unicuique porrigit sacramentum, faciens cum eo signum Crucis, *Diaconus* a dextris sub mento Communicantium patenam (non vero patinam) tenet, *Subdiaconus* vero a sinistris iunctis manibus assistit. Communione peracta Celebrans cum Ministris ad Altare redit, ubi genuflectunt, Diaconus pyxidem cooperit ac in Tabernaculo reponit (RC. X,6; CE. II,29,3).

35. *Appendix II. Missa Sollemnis de « Requiem ».*

Altare nullo ornatu festivo, sed simpliciter, et nullis imaginibus, sed sola Cruce et sex candelabris cum cera communi paretur (CE. II,11,1). Super credentiam Calix cum parvo velo nigro tegitur, et *Subdiaconus* non utitur velo oblongo. *Thuriferarius* parabit se tantum ad Offertorium et ad elevationem Sanctissimi Sacramenti, ad introitum et ad Evangelium enim non thurificatur. *Ceroferarii* portant candelabra cum candelis ex cera communi. Ad *Orationes* Thuriferarius et Ceroferarii genuflectunt. Subdiaconus post *Epistolam* non osculatur manum Celebrantis, nec petit benedictionem. — Ad *Sequentiam* sedere possunt, sed prius eam Celebrans legere debet (C.Rit. d 2956,7), non vero cum Ministris. —

Ad *Evangelium* Diaconus profert « Munda cor... » sed non imponitur incensum, Diaconus non petit benedictionem, non portantur luminaria, sed Ceroferarii stant iunctis manibus. Non incensatur liber, nec in fine defertur liber ad osculandum. — Subdiaconus *sine velo* defert Calicem, ad infusionem aquae non petit benedictionem. — Omnia *oscula* reverentialia omittuntur (RC. XIII,2; C.Rit. d 4193,3), Subdiaconus non tenet Patenam, sed assistit a sinistro Celebrantis ad incensationem. Oblata, Crux, Altare *incensantur* ut supra, sed in fine solus Celebrans. — *Ceroferarii ad* « *Sanctus* » deferunt intorticia, at non discedunt, nisi post sumptionem Sanguinis. — *Subdiaconus* incensat Sanctissimum Sacramentum tempore *elevationis* a parte Epistolae, sed impositio vel a Caeremoniario vel a Thuriferario fiet (CE. II,11,8). Thuriferarius, Ceroferarii et alii omnes manent genuflexi usque ad « Per omnia saecula... » ante « Pax Domini » (ibid.). — *Non datur Pax,* neque percutitur pectus ad « *Agnus Dei* ». — Ad *Postcommunionem* Thuriferarius et Ceroferarii genuflectunt. Diaconus cantat: « *Requiescant in pace* » versus ad Altare, quod Celebrans non recitat (NCR 473). — Cetera ut in aliis Missis.

Litteratura.

Io. Card. Bona, De sacrif. Missae continens praxim attente, devote et reverenter celebrandi, Romae 1658 (Pustet 1913). — *P.J.B. de Herdt,* Sacrae liturgiae praxis, iuxta ritum Romanum, vol. 3. ed.10. Lovanii 1902. — *Idem,* Praxis Pontificalis seu Caeremonialis Episcorum practica expositio, 3 vol. ed.2. Lovanii 1904. — *P. Martinucci - I. B. Menghini,* Manuale Sacrarum Caeremoniarum in libros octo digestum, 4 vol. ed.3. Ratisbonae-Romae 1911-14. — Caeremoniale episcoporum, ed.4. Taurini 1924. — *M. Gatterer,* Praxis celebrandi functiones ordinarias sacerdotales, ed.2. Oeniponte 1926. — Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum, 7 vol Romae 1896-1927. — Memoriale Rituum, ed. secunda Taurinensis iuxta ritum Romanum seu De sacris functionibus in partes septem digestum, 4.vol. Taurini 1936. — *J. Nabuco,* Pontificalis Romani Expositio iuridico-practica, 3 vol., Petropoli-Brasilia 1945. — *Collectio Decretorum* ad S. Liturgiam spectantium ab anno 1927. — ad annum 1946, Romae 1947. — *A. Crogaert,* Les rites et les prières du Sacrifice de la Messe, I-III. 2.ed. Averbode 1947. — *B. Botte - Chr. Mohrmann,* L'ordinaire de la Messe, Paris 1952. — *M. Dubois,* Cérémonial des servants et du clergé, Québec 1952. — *Idem,* Cérémonial du célébrant et des ministres sacrés, Québec 1952. — *P. Bruylants,* Les oraisons du Missel Romain. Text et histoire I.II., Louvain 1952. — *Th. Schnitzler,* Die Messe in der Betrachtung, Freiburg i.Br. 1955. — *J. Musante,* De quibusdam usibus in s. communione distribuenda, *in*: Eph. Lit. 1955, 281-286. — *I. P(izzoni),* De precibus post Missam imperatis, *ibid.* 1955, 54-60 et 287-289. — *C. Braga,* De precibus in fine Missae omittendis, *ibid.* 1956, 41-43. — *J. B. O'Connell,* The celebration of the Mass. A Study of the Rubrics of the Roman Missal, Milwaukee 1956. — *J. B. Müller - J. B. Umberg,* Zeremonienbüchlein 25.ed. Freiburg i.Br. 1958. — *L. Gromier,* Commentaire du Caeremoniale Episcoporum, Paris 1959. — *L. Trimeloni,* Compendio di liturgia pratica, Torino 1959.

II. Tractatus secundus
de Ecclesia orante
seu
de Liturgia epaenetica

Liturgiae Pastoralis seu Theologiae sacramentalis partis secundae secundus tractatus agit, postquam absolvimus tractatum de Sacrificio Missae, de Ecclesia orante. *Obiectum principale* huius tractatus est Officium divinum seu *liturgia epaenetica* (i.e. laudis) *stricte dicta*. Officium divinum, ut Enc. Mediator Dei evolvit, *e privatis* Deo admotis *supplicationibus ortum est*: publica enim et communis supplicatio antiquissima aetate certis diebus solummodo habebatur, praesertim Dominicis, feriisque poenitentialibus. At non solum in coetibus liturgicis, sed etiam in privatis domibus, interdum una cum vicinis et amicis, Deo supplicabatur, cui supplicationi peculiaria tempora deputata fuere, praecipue ultima diei hora, dein nocte ad finem vergente, prima hora versus ortum solis, demum alia diei momenta, hora sc. tertia, sexta et nona. « Variae eiusmodi supplicationes ...decursu temporis cotidie magis perficiuntur, ac pedetentim Ecclesiae auctoritate in ipsum sacrae liturgiae usum inducuntur » (MDei n. 138 s.).

Quia cultus epaeneticus officialis S. Ecclesiae sic e privatis precibus ortum ducit, non licet privatas et populares preces *nec nunc dispicere*, nam « inter s. liturgiam ceterasque religionis actiones — si modo eadem recto ordine contineantur ad rectumque propositum spectent — veram repugnantiam interesse non posse » docetur ab Ecclesia (MDei n. 171), quinimo existunt quaedam « pietatis exercitia, quae Ecclesia clero religiosisque sodalibus summopere suadeat ». Iamvero — ut continuatur in eadem Encyclica — « ab huiusmodi exercitiis christianum quoque populum non alienum esse volumus » (n. 172). Inter has preces censentur « alia praeterea *pietatis exercitia, quae quamvis ad s. liturgiam districto iure non pertineant*, peculiari tamen momento dignitateque pollent, ita ut in liturgicum ordinem quodammodo inserta censeantur » (MDei n. 180), praecipua dein modo exemplificativo enumerantur. Quoniam haec pietatis exercitia pro liturgia pastorali maximi sunt momenti, a nobis iure meritoque videntur pertractari.

In hoc tractatu ergo agendum est nobis:

A) De notione officii divini.
B) De historia et evolutione officii et breviarii.
C) De legibus cultualibus officii divini.
D) De ritibus psalmodiae.
E) De notione pii exercitii.
F) De piis exercitiis quovis tempore peragendis.

G) De piis exercitiis statis temporibus peractis.
H) De sacris processionibus.
I) De cura Ecclesiae pro mortuis gerenda.

A) De notione officii divini

1. Definitio Officii Divini

Iuxta Enc. MDei officium divinum est:

« ...*mystici Jesu Christi Corporis precatio,* quae *christianorum omnium nomine eorumque in beneficium adhibetur Deo,* cum a sacerdotibus aliisque *Ecclesiae ministris* et a religiosis sodalibus fiat, *in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis* » (n. 140).

Singula dilucidantur elementa huius definitionis.

a) « **Mystici Jesu Christi Corporis precatio** ».

1° Christi corpus mysticum est Ecclesia, quae continuat per saecula opus Christi redemptivum in terris: ipsa Ecclesia, qua Christus docet, gubernat, et sanctificat, i.e. habet munus sacerdotale Christi. Sed *ad sacerdotem pertinet, ut semper adoret divinitatem* « in diebus carnis suae preces supplicationesque offerens », et hoc *continue faciat*: «Semper vivens ad interpellandum pro nobis» est Christus, proin et Ecclesia. Ecclesia ergo debet non solum sacrificium offerre nomine Christi, sed etiam continue precari.

2° Haec *precatio* Ecclesiae debet esse non solum interna, sed *etiam externa,* ut Card. *Caietanus dixit*: « Cum enim Ecclesia ex sensibilibus creaturis constet, oportet sensibiles, ac per hoc vocales per suos ministros orationes offerre » (Comment. in II-II q.83.a.12.). Similiter *Conc. Provinc. Coloniense 1860*: « Nec potest esse verus et sincerus cultus ille, qui pectoris ambitu contineatur nec unquam erumperet foras, nec potest diu in mente foveri illud, quod externis actionibus non incenditur et inflammatur ».

3° Precatio haec *continua esse stricto sensu non potest,* etsi oportet semper orare et nunquam deficere. Ideo ab aevo Apostolorum tempora aliqua destinabantur ad precationem, iuxta monitum S. *Chrysostomi*: « Quoniam homines cum simus, facile ad segnitiem relabimur, exacta una alterave aut tertia post precationem hora, ubi senseris pristinum illum fervorem paulatim frigescere, recurre quantocius ad preces, frigescentemque mentem rursus accende » (Sermo IV. de Anna, matre Samuelis PG 54,666). Sic orta est precatio publica Ecclesiae per tempora distributa, per quam adorationi Deitatis factae sacrificio eucharistico, adiungebatur sacrificium vocis, precatio nempe vocalis, ut S. *Thomas* dicit: « Adiungitur vocalis oratio quasi ad redditionem debiti » » (II-II q.83.a.12.). — Inde oriuntur alia:

4°. *Nomina huius precationis Ecclesiae*: « Sacrificium laudis, hostia laudis », « sacrificium labiorum, i.e. fructus labiorum confitentium nomini eius » (Heb 13,15). Dein: « Officium divinum, Officium ecclesiasticum » e *debito Ecclesiae* laudes Deo persolvendi, « Opus Dei, opus divinum » (S. Benedictus), *ob relationem intimam* quam haec precatio ad Deum habet. Item: « Preces

Horariae, Preces canonicae » (i.e. regulatae per regulas), « Horae canonicae » (seu regulares), *propter distributionem temporis* in horas orationis. « Divina psalmodia » e contentu principali huius precationis, Psalmis nimirum, denominationem sumpsit. Vocatur adhuc divinum officium *nominibus a communitate exortis* « Synaxis », Latine « Collecta » (i.e. collectio fidelium), « Agenda », « Cursus », in antiquitate christiana etiam « Missa », praesertim « Missa vespertina » vocabatur. Inde a saec. XI. passim vocitari coepit « Breviarium », et nunc temporis saepe sic nuncupatur officium divinum.

b) **« Christianorum omnium nomine »**

offertur Deo haec precatio. Christiani etenim *repraesentant coram Deo totum genus humanum,* quod debito stringitur Deum laudandi. Omnes et singuli homines, communitatesque humanae a familia usque ad statum debitum habent Deum adorandi, eiusque dominationi sese submittendi. Sicque intelligitur, « viguisse semper divini cultus et laudis studium a primis parentibus in Paradiso usque ad Christum Salvatorem » (Card. Bona De div. psalmod. c. 1,3). Loco humani generis Ecclesia e christianis fidelibus constans praestat Deo hanc precationem laudis, nam ipsa unita Capiti suo Christo, qui verum Caput quoque est generis humani, optime potest Deoque placenter hoc pensum servitutis generis humani persolvere.

c) **« Eorumque in beneficium adhibetur Deo ».**

Officium divinum, quod est sacrificium laudis, eosdem *fructus* habet, ac sacrificium eucharisticum, sed *opere operantis Ecclesiae,* quae preces suas una cum Capite Patri Aeterno tribuit. Habetur ergo fructus *latreuticus, gratiarum actionis, impetratorius et propitiatorius.* Ratione autem *participantium* heic quoque habentur fructus *generalis,* obveniens toti Ecclesiae, *ministerialis* cuius particeps fit, qui beneficium fundavit in laudem Dei, *specialis,* fructus eorum, qui conferunt ad publicam Ecclesiae precem participando vel adiuvando, et fructus *specialissimus* eius personae, quae ad officium persolvendum ab Ecclesia deputata est.

d) **« Ab Ecclesiae ministris »**

tribuitur Aeterno Patri sacrificium laudis, « a sacerdotibus aliisque Ecclesiae ministris, et a religiosis sodalibus », qui ergo sunt personae officiales cultus publici laudationis divinae. Omnes hi ministri sunt Ecclesiae, nam Ecclesia agit et orat per ministros, ut S. Bernardinus Senensis dicit: « *Sacerdos publica persona et totius Ecclesiae os* » est. Quod semper prae oculis habendum est, etsi hodie plerique ministri hi, personae publicae privatim et solitarii recitent officium divinum scientes, se non devotioni privatae satisfacere, sed personam gerere omnium christianorum, Ecclesiaeque nomine persolvere laudes divinas. Ut Encyclica praelaudata dicit, « prisca aetate frequentiores christifideles horariis hisce precibus aderant, sed hoc pedetemptim exolevit, atque in praesens earum recitatio clero solummodo ac religiosis sodalibus officium est. Nihil igitur districto iure *laicorum ordini* hac in re praecipitur, verumtamen summopere optandum est, ut horarias illas preces, recitando vel canendo, actu participent... » (n. 148).

e) « **In hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis** »

ministris persolvendum est officii divini debitum. Officium enim divinum est « publica ac communis supplicatio quae ad omnibus una simul admovetur Deo » (MDei n. 138), *atqui* « uni Summo Pontifici ius est quemlibet de cultu divino agendo morem recognoscere ac statuere », (MDei n. 57), ergo delegare quoque aliquos ad persolvendum officium divinum nomine totius Ecclesiae. Apposite dicit Suarez: « Solus Summus Pontifex habet potestatem constituendi hoc ministerium deprecandi nomine totius Ecclesiae, et illud committendi sacerdotibus et ministris » (De horis canon. c. 1,11).

2. De structura officii divini

a) **De Vigiliis.**

Nomen nativum maioris partis officii, servitii sc. nocturni sic sonat, nunc nominatur « Matutinum », quia in choro saepe dicitur horis maturis matutinis; Matutini (sc. hymni) primitus vocabantur Laudes.

1°. *Sensus vigiliarum.* Nocturni temporis consecratio per orationem mos maioribus nostris carus fuit.

a. *Exemplum Domini* secuti sunt nocturna precatione, qui saepe pernoctavit in oratione Dei. « Quodsi ille orabat — dicit *S. Cyprianus* — qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare! Etsi ille per totam noctem iugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare » (De or. dom. c. 29. PL 4,538).

b. Noctis tempore anima *promptior et expeditior est* ad orationem, ut *S. Chrysostomus dicit*: « Non ideo facta est nox, ut per totam dormiamus et otiemur, quod testantur artifices, negotiatores, mercatores. Ecclesia Dei media surgit nocte. Surge et tu et vide stellarum chorum, profundum silentium, quietem multam... Purior tunc est anima, levior, subtilior, sublimis, expedita » (Hom. 26 in Act. Ap. 3,4,PG 60,2025).

c. Noctu somnum intermittere *abnegatio est non minima,* ideoque etiam ex ascesi exercebatur, ut videri potest ex effatis Patrum. *S. Ambrosius* e. gr. dicit: « Ille, qui castigat corpus suum et sui sollicitus gubernator est,... hic lavat per singulas noctes lectum suum. Non dormiamus ergo totis noctibus, sed maximam partem earum lectioni et orationi deputemus » (Sermo 7. in Os 118,30 PL 15, 1291 s). — Propter haec oratio nocturna *effectum habet expiatorium,* ut *Chrysostomus* affirmat: « Crede mihi, non sic ignis rubiginem purgat, ut nocturna oratio rubiginem peccatorum nostrorum » (l. c.).

2° *Structura Vigiliarum.* a. *Exordium Vigiliarum* constituunt *versus* « Domine labia mea aperies », et « Deus in adiutorium meum intende », quae iam saec. VI-o in Regula S. Benedicti praescripta sunt. *Invitatorium* est semper ab antiquissimis temporibus *Ps. 94.* « Venite exultemus Domino », cantatus cum antiphona intercalari, i.e. inter singulos versus Psalmi posita et iugiter repetita. Post invitatorium canitur *hymnus,* etiam in Ecclesia latina inde a sec. IV-o quando *S. Ambrosius* in ecclesia Mediolanensi introduxit usum hymnorum hebdomada sancta anni 385: « Tunc hymni et psalmi ut canerentur sec. morem

orientalium partium, ne populus moeroris taedio contabesceret, institutum est, et ex illo in hodiernum retentum » — dicit testis oculatus S. Augustinus (Conf. 9,7 PL 32,770).

b. Dein sequitur *corpus ipsum* Vigiliarum: *Psalmodia cum lectionibus.* Diebus ritus simplicis, i.e. festis simplicibus et feriis dicuntur novem Psalmi, postea tres lectiones, aliis diebus tres nocturni recitantur, tres Psalmi cum suis antiphonis, dein tres lectiones cum suis responsoriis. *Psalmi,* ut dicit *Cassiodorus,* « nobis gratas faciunt esse vigilias, quando silenti nocte psallentibus choris humana vox erumpit in musicam,... et cum angelis Dei, quos audire non possumus, laudum verba miscemus, per illum scilicet, qui venit ex semine David, Dominum Jesum Christum » (Praef. in Psalter. PL 10,10). Psalmorum utilitas saepe extollitur a Patribus, *Nicetius Trevirensis* († 566) e. gr. sic laudat eos: « Quid in Psalmis non invenies ad utilitatem et ad aedificationem, ad consolationem humani generis... Psalmus tristes consolatur, laetos temperat, iratos mitigat, pauperes recreat, divites ut se agnoscant admonet, et ne superbiant, increpat, omnibus se suscipientibus aptam medicinam contribuit psalmus, nec peccatores despicit, et quod his omnibus est excellentius, Christi sacramentum cantat » (De vigil. servorum Dei c. 3 PL 68,374 s).

c. Psalmi recitantur cum *antiphonis,* quae semper aliquam ideam tempori vel festo convenientem exhibent, sub cuius respectu psalmus ille orandus est, et quasi tabula marginata (Rahmen, cornice, keret) includitur. Reformatio *S. P. Joannis XXIII.* instauravit antiphonarum antiquum splendorem: inde ab 1961. dicuntur semper integrae ante et post Psalmos et cantica ad omnes Horas (NCR 191).

d. Psalmodia absoluta dicitur *Versus,* i.e. *acclamatio* quaedam antiquissima *quasi e corde erumpens* iuxta adagium: « Frigus caritatis silentium cordis est, flagrantia caritatis, clamor cordis est » (S. Augustinus, Enarr. in Ps. 37,14 PL 36,404). In genere hi versus ex orationis affectu clamant ad Dominum, e. gr. « Non amovit Dominus orationem meam — Et misericordiam suam a me », vel: « Mirifica Domine, misericordias tuas — Qui salvos facis sperantes in te ». In variis autem anni cyclis liturgicis hi versus ideas temporis vel festorum resplendent.

e. Deinde dicitur *Pater noster,* quae oratio dominica ex iisdem causis recitanda est in officio sicut etiam in Missa; non deceret enim orationes solum ab Ecclesia compositas dicere, illam vero, quam Christus nobis dedit, omittere. Dum Versus adhuc ad psalmodiam pertinent, absolutio vero et benedictiones ad lectiones, Pater noster inter haec elementa positum *culmen quasi Nocturni constituit;* iuxta Regulam S. Benedicti in Laudibus et Vesperis clara voce a hebdomadario recitandum est, quod in ritu Romano solummodo diebus poenitentialibus fit, in aliis Horis secreto dicitur, tamen « momentum culminans est actionis » iuxta Bugnini (De rubricis p. 40 s.):

Pater noster

Ps. III. Lectio I.
Ps. II. Lectio II.
P. I. Lectio III.

f. *Absolutione* sumunt initium lectiones, i.e. Sacramentali quodam, ut corda audientium ad recipienda verba Dei pura sint, sicut etiam ante Evangelium in Missa dici debet « Munda cor. » Absolutionis *talis sensus* clarissime aperitur in hoc textu: « A vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos omnipotens et misericors Dominus ». Absolutiones solum inde a saec. XI-o dari coeperunt, sed multo plures numero erant quam hodie; singula festa speciales absolutiones habebant. De absolutionibus cf. NCR 208-210.

g. *Lectiones*, data benedictione, leguntur. De Psalmis valet, quod S. *Augustinus* dicit: « Oratio tua locutio est ad Deum », de lectionibus vero: « Quando legis, Deus tibi loquitur, quando oras, Deo loqueris » (Enarr. in Ps 85,7 PL 37,1086). Pulchre evolvit *utilitatem lectionum Cassiodorus* l. cit.: « Psalmis delectamur, et orationibus irrigamur, et interpositis lectionibus pascimur. Oratio ipsa fit pinguior, dum mens recenti lectione saginatur et currit per imagines divinarum rerum, quas nuper audivit ». Lectiones sumuntur in *I. nocturno* e *S. Scriptura, in II-o* e scriptis SS. *Patrum* vel Legendis Sanctorum, *in III-o* vero post lectionem symbolicam Evangelii *ex homiliis* Patrum de textu evangelico diei. In officio Dominicae et ordinario I. II. lectio est de Script., III. de homilia v. de festo; in Feriis tres de homilia v. de Script. (NCR 217-222).

h. Post singulas lectiones *responsorium* dicitur, quod saepe e textibus S. Scripturae sumitur, sed frequenter etiam libere compositum est; textus hi pulcherrimi fere omnes iam in fontibus liturgicis saec. VIII-i inveniuntur. Omnia responsoria *ideas lectionum repetunt* ad modum brevis cantici, in quo animi orantis veritatesque contemplantis sensus concinne exprimuntur.

i. Vigiliae seu Matutinum finitur in officiis dominicalibus et festivis per « *Te Deum* », quod loco Resp. IX-i dicitur, non dicitur « Te Deum » in Dominicis Adventus, Septuagesimae, Quadragesimae et Passionis et in officiis ferialibus; *loco eius* dicendum est Resp. nonum respective Resp. tertium (NCR 237-238). Sublimis haec doxologia gratias agit Deo officio terminato, laudando SS. Trinitatem et Filium Redemptorem ob acceptas gratias et illuminationes decursu officii divini. In feriis et tempore poenitentiali *ideo omittitur*, quia laus gratiarumque actio qua quoddam gaudiosum concipitur, « Te Deum » ideo semper tunc tantum dicendum est, si in Missa « Gloria in excelsis Deo » canitur. Post « Te Deum » in choro statim incipiuntur Laudes, in recitatione privata hae separari possunt a Matutino, tunc dicenda est oratio diei, Dominus vobiscum, Benedicamus Domino, et Fidelium animae.

b) **Laudes**

secunda pars sunt officii divini, primitus nominatae « Matutina » (sc. laus), vel « Matutini » (sc. hymni), nomen « Laudes » accepit a Ps 148-150, semper dicendis in fine omnium Laudum, quod a Sancto Pio X. abolitum est.

1°. *Sensus et indoles Laudum.* Iuxta maiores nostros « et mane orandum est, ut *resurrectio Domini* matutina oratione celebretur » (Cyprian. De or. dominica c. 35 PL 4,542); quando Christus « sol iustitiae » a mortuis resurrexit, simul etiam ortum solis memoriae Christi Redemptoris dicavit. Ideo *indoles gaudiosa* Laudum, quod indicatur Psalmis Laudum quinto loco dicendis, qui semper vocabulis « Lauda » vel « Laudate » incipiunt (Ps 116. 134. 145. 146. 147. 150).

Simul etiam ortus novae lucis Christum significantis celebratur in hymnis, capitulis et Psalmis, qui secundo semper loco dicendi sunt ac in quibus *allusio ad tempus matutinum* occurrit (Ps 5. 64. 89. 142. 91.). Gratiarum actio pro *redemptione* Christi in fine Laudum indicatur per canticum Zachariae « Benedictus », hymnum eximium Redemptionis.

2° *Structura Laudum.* Sicut Laudes oratio sunt matutina, ita Vesperae preces constituunt vespertinas, utraque hora eandem structuram possidet. Post introductorias preces (« Deus in adiutorium ») *quinque* dicuntur Psalmi cum antiphonis, dein sequitur lectio brevissima e S. Scriptura, « *capitulum* » vocatum, postea canitur *hymnus,* post eum *Versus. Culmen totius actionis* liturgicae attingitur in cantico Redemptionis « *Benedictus* », post quam dicenda est *oratio* conveniens. *Preces feriales* sunt dicendae ante orationem Fer. IV. et VI. Adventus, Quadragesimae et Passionis, necnon Fer. IV. VI. et Sabb. Quatuor Temporum, excepta octava Pentecostes, hae preces characterem poenitentialem exhibent. *Commemorationes* si quae occurrant, dicendae sunt post orationem.

c) **Prima**

vocatur alia Hora minus sollemnis Laudibus post eamque exorta, qua dies laboris incipitur.

1°. *Sensus et indoles Primae.* Haec hora initium signat operae diei consecratque totum diem Domino. *Hymnus* dicitur « *Iam lucis ortus sidere* » saec. IX-o iam in Hibernia occurrens, per decursum vero saec. X-XI-i in tota Europa divulgatus (Chevalier, Repert. Hymnologicum V, 1921, 208), quo Deus supplex oratur, ut in diurnis actibus servos servet a nocentibus criminibus, quae dein omnes enumerantur. *Versus* dicitur « Exsurge Christe, adiuva nos », eo fine secundum Amalarium, « ut Dominus sit sui gregis per totum cursum itineris (diei) adiutor et liberator propter suam misericordiam » (De ord. antiph. c. 6,10 Hanssens III 1950, p. 32).

2° **Structura Primae. a.** *Ipsa hora canonica* eandem habet compositionem quam ceterae Horae minores, i.e. Tertia, Sexta, Nona: dicitur *hymnus,* postea recitantur *tres Psalmi,* sequitur *capitulum,* dein *Responsorium breve* « Christe, Fili Dei vivi » cum versu « Exsurge Christe adiuva nos, « demum — quia preces « dominicales » inde ab 1956 iam semper omittuntur — statim *oratio* semper eadem « Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos pervenire fecisti », in qua Deum precamur, ut non declinemus ad ullum peccatum, sed eius iustitiam faciamus, demum cum « Benedicamus Domino» *clauditur* ipsa Hora.

b. Quae nunc sequuntur pertinent ad « *Officium capituli* ». Saec. VIII-o enim incipiebant « *capitulum* » Regulae post hanc horam congregatis monachis e Regula S. Benedicti, canonicis vero e Regula S. Chrodegangi legere, a quo nomen huius officii derivatum est. Paulatim evolutum est hoc officium, quod dein in loco huic officio destinato celebrabant et « capitulum » vocabant. In hoc officio etiam *Martyrologium* sequentis diei legebant, dein *Necrologium* fratrum et benefactorum defunctorum, *operamque diei* orationibus Deo commendaverunt.

c. *Prima pars* ergo huius officii est lectio *Martyrologii*, quod in choro semper debet fieri, et « laudabiliter fit etiam extra chorum » (Brev. rubr. spec.). Postea dicitur *Versus*, etiam in recitatione a solo: « Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius », et *oratio* pro intercessione Sanctorum (« Sancta Maria et omnes Sancti... »).

d. *Secunda pars* huius officii est *consecratio operae cotidianae*. Olim monachi ibant « ad capitulum, et quod eis iniunctum fuerit, laborant usque ad illum signum, quod pulsare solent » (B. Albers, Consuetud. monast. III. 109). Nunc remanserunt orationes, ter invocatur Deus ut adiuvet servos suos cum antiquissima acclamatione « Deus in adiutorium meum intende », quam teste Cassiano, saepe in die repetere soliti sunt, adiungunt « Gloria Patri », ut finem laborum determinent, gloriam nimirum Dei; sequitur ad eundem finem prex litanica « Kyrie eleison », cum versiculis « Respice in servos tuos », ut Deus opera manuum nostrarum dirigat, iterum cum « Gloria Patri ». Totum actum terminat robusta oratio « Dirigere et sanctificare », de qua aptissime dicit Amalarius: « Dirige Domine *corda*, id est cogitationes, *sensus*, scilicet oculos, et aures ac nares, et *sermones* nostros, qui per os efferuntur, et opera manuum nostrarum... et sic tandem securi properamus ad opera necessaria » (Lib. official. IV, c. 2,25 Hanssens II. p. 413).

e. *Tertia pars* est huius officii « *absolutio capituli* », seu lectio « capituli », loco capituli Regulae legitur brevis lectio, quae iuxta tempus liturgicum variatur, de Tempore ut in Ordinario (NCR 242). In fine datur benedictio « Dominus nos benedicat », quo Prima terminatur (NCR 179. b.).

d) **Horae minores**

ceterae sunt: Tertia, Sexta, Nona.

1°. *Sensus harum horarum* egregie declaratur iam a S. *Cypriano*: « In orationibus celebrandis invenimus observasse cum Daniele tres pueros in fide fortes et in captivitate victores horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet Trinitatis, quae in novissimis temporibus manifestari habebat... Manifestata postmodum res est, sacramenta olim fuisse, quod ante sic iusti precabantur. Nam super discipulos hora *tertia descendit Spiritus Sanctus*, qui gratiam dominicae repromissionis implevit... Et Dominus hora *sexta crucifixus*, ad *nonam* peccata *nostra sanguine suo abluit*, et ut redimere et vivificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit » (De or. dom. c. 34 PL 4,541). At hymni harum Horarum a S. *Ambrosio* ipso compositi etiam aliud momentum extollunt, partem nempe diei solis applicant ad statum animae. Hymnus *Tertiae* « Nunc Sancte nobis Spiritus » quidem exclusive missionem Sancti Spiritus celebrat, sed hymnus *Sextae* « Rector potens verax Deus » horae meminit meridianae, quando sol medium iter peragens copiam luminis maximam effudit (« ignibus meridiem »), precaturque Deum ut veram pacem cordium largiatur, extinctis flammis litium. Hymnus etiam *Nonae* « Rerum Deus tenax vigor » solem in mentem revocat, qui tunc iam versus horizontem declinans ad occasum festinat, obsecratque Deum, qui immutabilis est (« Immotus in se permanens »), ut nos inter praetereuntia constitututos, ipse qui « tenax vigor » est largiatur nobis « lumen vespere », finem scilicet felicem vitae, seu « praemium mortis sacrae » in statu gratiae finalis.

2°. *Structura Horarum minorum* simplicissima est: post « Deus in adiutorium » sequitur hymnus, dein tres Psalmi cum antiphonis, dein capitulum, cum responsorio brevi, et statim dicitur oratio conveniens — preces etiam hic ab 1956 omittuntur — « Benedicamus Domino » et « Fidelium animae », quo Hora finitur.

e) **Vesperae**

dicuntur inde iam ab antiquitate ideo, quia « recedente sole ac die cessante necessario rursus orandum est, quando oramus et petimus, ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum luci aeternae gratiam praebiturum » (Cypr. De or. dom. c. 35 PL 4,542). Eodem modo est hora sollemnis, quam Laudes, ideo etiam ad canticum redemptionis huius Horae, ad « Magnificat » in celebratione sollemni altare incensandum est: in altari enim renovatur opus redemptionis, sacrificium nimirum Crucis, idcirco dum ecclesia resonat canticum redemptionis, thure honoratur. Structura Vesperarum eadem est ac Laudum. — Ultima et novissima Hora est:

f) **Completorium**

cuius auctor est S. Benedictus, Patriarcha monachorum occidentalium. Per multa saecula in ipso dormitorio recitabatur post lectionem Collationum, cuius vestigium adhuc conspicitur in oratione huius Horae: « Visita quaesumus Domine habitationem istam ».

1°. *Sensus* huius Horae est: *ultima prex vespertina ante decubitum*, Vesperae enim iam iuxta Regulam S. Benedicti maturius absolvendae erant lucescente adhuc lumine diei. Officio huius Horae *completur* seu consumitur — ut Amalarius dicit — « esus, potus, collatio et omne commune opus, omnia membra dereliquuntur a suffugio humano, soli Deo, qui non dormit, neque dormitat, committuntur. Somnus enim est imago mortis » (De ord. antiph. c. 7,28, Hanssens III, 35). Completorio simul etiam absolvitur totus cursus officii divini.

2°. *Structura* huius Horae peculiaris est. **a.** Incipitur per *lectionem* semper eandem, quae nunc locum tenet lectionis continuae Collationum Cassiani. — **b.** Dein dicitur ad excitandam contritionem de peccatis et omissionibus totius diei « *Confiteor* », cum liturgica absolutione. — **c.** *Psalmi* dicuntur *tres*, classica psalmodia Completorii est psalmodia dominicalis Completorii, cuius tres Psalmi aptissimi sunt ad orationem vespertinam, quique semper omnibus diebus recitati fuerunt usque ad reformationem Sancti Pii X. et nunc quoque semper dicuntur in officio monastico. — **d.** Expletis Psalmis dicitur *Hymnus* « *Te lucis ante terminum* », — **e.** sequitur dein *capitulum cum responsorio brevi*, quibus anima Deo commendatur: « In manus tuas Domine, commendo spiritum meum ». — **f.** Tertium et brevissimum canticum redemptionis dicitur « *Nunc dimittis* », optime aptum ad exprimendam precationem dormire volentium « Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes » (antiph. cantici). — **g.** Preces iam nunquam dicuntur, sed statim sequitur *oratio*: « Visita quaesumus », qua Domino supplicatur, ut angeli nos custodiant in pace. — **h.** *Benedictione* « Benedicat et custodiat nos » finitur Completorium. — **i.** Deinde dicitur una e quatuor *antiphonis finalibus* BM.Virginis: « *Salve regina* » et « *Alma Redemptoris Mater* » probabilius auctorem habent Hermannum Contractum († 1054), « *Regina*

coeli laetare » et « *Ave regina coelorum* » ortae sunt saec. XI-XII. Inde a saec. XIII-o cantatae sunt post Completorium, qua devotio quadam specialis erga Virginem Matrem, totum officium diei per manus virginales Deiparae sic oblatum est Aeterno Patri. In breviario Curiae Fratrum Minorum saec. XIII.iam quatuor nunc usitatae continentur, inde a saec. XVI-o usque 1956 toties dicendae erant, quoties a choro discessum fuit, in recitatione privata post Laudes et Completorium.

Tabella Officii

MATUTINUM	LAUDES	PRIMA
Domine labia mea (super os ✝)	*Deus in adiutorium.*	*Deus in adiutorium.*
Deus in adiutorium	Gloria Patri etc.	Gloria Patri etc.
All. vel Laus tibi (1)	Quinque Pss	Hymnus
Invitatorium	Gloria Patri Antiph.	Tres Pss
(Venite exultemus)	*I. Schema Psalmor.*	Gloria Patri. Antiph.
Hymnus	ordinarie dicitur	Capitulum
Officia trium Nocturn.:	*II. Schema Psalmor.*	Deo gratias
(festa I. II. cl. Trid. S., 2. nov.)	in Dom-cis Sept.	Respons. breve
Tres nocturni:	Quadr. Pass.	Vers. Exsurge Christe
tres Pss cum Gloria ant-ae (in toto officio integrae dicuntur, ante et post Pss.) (2)	Omnib. feriis:	Dominus vobiscum
	Adv. Sept. quadr.	Oratio (Dom. Deus omnipot. qui ad principium)
	Pass., quat. temp.	Dominus vobiscum
	Sept., Vigil. I. II. III. cl.	Benedicamus Domino
Versus, respons.	Capitulum. Deo gratias	*Officium capituli*:
Pater (sine Amen)	Hymnus	Martyrologium (in choro)
Absolutio. Amen	Versiculus	Pretiosa.
Benedictio	Ant. integra	Sancta Maria
Tres lectiones	Benedictus	Deus in adiutor. (ter sine Cruce)
Tu autem Domine	Ant. integra	Gloria Patri (semel)
Responsorium	(Preces feriales, si dicendae sint)	Kyrie. Pater etc.
Post IX. lectionem:	Dominus vobiscum	Respice in servos
Te Deum, nisi IX. resp.	Oremus (Oratio diei) (3)	Gloria Patri
Officia unius nocturni:	Commemorationes si faciendae sint	Oratio (Dirigere)
(Dom-cae, feriae, vigiliae, festa III. cl. dies octavae Nativ., S. Mariae Sabb.)	Dominus vobiscum	*Absolutio capituli*:
	Benedicamus Domino	Jube Domne benedic.
Novem Pss, tres lectiones cum Respons.	Fidelium animae.	Bened. Dies et actus
Si ibi terminatur:		Lectio brevis.
Dominus vobiscum		Adiutorium nostrum
(In recit. a solo semper: Dom. exaudi orat.)		Benedicite. Deus.
		Benedictio (Dominus nos benedicat)
Oratio officii.		
Benedicamus Domino		
Fidelium animae.		

(1) et sic in omnibus aliis Horis
(2) similiter ad omnes alias Horas
(3) cum conclusione longiore, ad Ant. finalem B.M.V. cum brevi

TERTIA, SEXTA, NONA	VESPERAE	COMPLETORIUM
Deus in adiutorium	*Deus in adiutorium*	Iube Domne (Domine)
Gloria etc	Gloria etc	Noctem quietam
Hymnus	Quinque Pss	Amen
Tres Pss. Gloria Patri antiph.	Gloria Patri. Antiph.	Lectio brevis (Fratres, sobrii)
Capitulum	Capitulum	Tu autem Domine
Deo gratias	Deo gratias	Deo gratias
Responsorium breve	Hymnus	Adiutorium nostrum
Versiculus	Versiculus	Pater noster (totum secreto)
Dominus vobiscum	Ant. integra	Confiteor (in privata: sine tibi Pater)
Oremus	Magnificat	Misereatur
Dominus vobiscum	Ant. integra	Indulgentiam †
Benedicamus Domino	(Preces feriales si dicendae sint)	Converte nos † (super pectus)
Deo gratias	Dominus vobiscum	*Deus in adiutorium*
Fidelium animae	Oremus	Gloria Patri etc.
Amen	Oratio diei	Tres Pss
	Commemorationes si faciendae sint	Gloria Patri. Antiph.
	Dominus vobiscum	Hymnus
	Benedicamus Domino	Capitulum (Tu autem in nobis es)
	Deo gratias	Deo gratias
	Fidelium animae	Responsorium breve (In manus tuas)
	Amen	Versiculus (Custodi nos Domine)
		Canticum: Nunc dimittis cum Antiph.
		Dominus vobiscum
		Oremus (Visita quaes.)
		Dominus vobiscum
		Benedictio (Benedicat et custodiat)
		Amen
		Deinde dicitur una ex finalibus antiphonis BMV
		Divinum auxilium.
		Amen.

Litteratura. Cf. adhuc Litt. sub B).

Jo. Card. Bona, De divina psalmodia, Romae 1653. — *L. Thomassin*, Traité de l'office divin, Paris 1686. — *L. Bacuez*, Du saint office, considéré au point de vue de la piété, Paris 1872. Germ. Ueber das göttliche Offizium u. seine innere Verbindung mit dem inneren Gebet, Düsseldorf 1951. — *Ch. Willi*, Le bréviaire expliqué, I.II. 2.ed. St Étienne 1922. — *K. Kastner*, Praktischer Brevier-Kommentar, I.II. Breslau 1923/24. — *St. Stephan*, Das kirchliche Stundengebet oder das Römische Brevier, übersetzt und erklärt. I. München 1926. II. Regensburg 1928. — *P. Parsch*, Breviererklärung, Klosterneuburg 1940. Gallice: Mulhouse 1947. — *J. B. Müller - J. B. Umberg*, Zeremonienbüchlein, 19. ed. Freiburg i.Br. 1941, 243-267. — *Szunyogh X. F.* A szent zsolozsma (=De officio sacro) I.II. Budapest 1942. — *J. Pascher*, Gestalt und Vollzug des kirchlichen Stundengebetes, *in*: Lit. Jahrbuch 1951, 128, 151. — *J. Lechner*, Liturgie des römischen Ritus, 6. ed. Freiburg i. Br. 1953, 352-269. — *K. Kastner*, Lateinschlüssel zum Römischen Brevier, Limburg o. d. Lahn 1955. — *G. Little*, The sacrifice of Praise, New York 1958.

B) Historia et evolutio officii divini et breviarii

Prima aetas officii divini est ea, quando Ecclesia adhuc aevo persecutionum vitam degebat. Post pacem Constantinianam (313) autem evolvitur officium divinum et paulatim fit proprium religiosorum et clericorum (saec. IV-X), Demum agendum de evolutione et sortibus breviarii (saec. XI-XX).

1. Prima aetas officii divini.
2. De evolutione officii divini (saec. IV-X).
3. De evolutione et sortibus breviarii (saec. XI-XX).

1. Prima aetas officii divini

a) Minus recte affirmaretur *vigilias* fuisse hoc aevo exclusive praeparationem quandam Missae. Fuerunt enim etiam tribus prioribus saeculis vigiliae sine Missa subsequente, ex altera autem parte Missae quoque celebratae sunt quibusdam in casibus sine vigilia praecedente (cf. De Ecclesia sacrificante E.l.d.). Priora tria saecula statum embryonalem demonstrant quoad vigilias.

b) Hoc autem contingit etiam *quoad alias partes officii divini*: sicut vigiliae ipsae quoque aderant, etsi non omni die, non solum pro clericis, sed pro tota communitate christiana, ita etiam aliae partes iam quasi in nucleo inveniri possunt hac aetate. Duae erant horae, quae in familia et coetibus privatis celebrabantur: quarum prior est oratio matutina, vocata Graece *orthros*, Latine *matutini*, vel *matutinae*, i.e. *laudes*. De hac hora orationis scribit *Athanasius* ad virgines Christo dicatas: « Matutina hora dicite psalmum: Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea. Sub diluculum vero: Benedicite omnia opera Domini Domino, Gloria in excelsis Deo et in terra pax, in hominibus beneplacitum. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te et sic porro » (De virginit. c. 20 PG 28,276).

c) Sicuti ortum solis, imaginis Jesu Christi, solis iustitiae, celebrare debebant, ita etiam ad occasum solis, quando sol occubuit et advesperascere incipiebat, lampadibus in domibus accensis precabantur. Hae preces vespertinae nuncupabantur Graece *epilychnicon*, Latine autem *lucernarium*. Sicut in Oriente dicebatur Psalmus « idioticus », i.e. privatus seu scriptus extra Canonem S. Scripturae ad matutinas preces, sc. « Gloria in excelsis », ita etiam ad vespertinas preces canebatur talis psalmus privatus, et canitur usque hodie, sc. « *Phôs hilaron* »:

Lumen hilare sanctae gloriae, 20
Immortalis Patris caelestis,
et sancti beati Filii:
O Jesu Christe!
Hora qua sol iam occumbit,
hora adest lucernae accendendae,
cantemus Patri et Filio
et Spiritui Sancto Dei.
Dignus enim es omni tempore,
ut celebreris vocibus innocuis,
Fili Dei, vitam donans,
ideoque te mundus glorificat.

d) Ut orationes domesticas, privatas cognoscebant maiores nostri tempore persecutionum *sanctificationem etiam horarum publicarum*, i.e. horas iuxta computationem Imperii Romani *Tertiae* (nonae horae matutinae), *Sextae* (meridiei) et *Nonae* (tertiae horae pomeridianae). Tertullianus dicit de his horis: « Tres istas horas ut insigniores in rebus humanis, quae diem distribuunt, quae publice resonant, ita et sollemniores fuisse in orationibus divinis (intelligimus) » (De ieiunio c. 10). Similiter eodem saeculo III-o ineunte *Clemens Alexandrinus* scribit, quod « nonnulli certas ac definitas horas constituunt precationi, ut tertiam, et sextam et nonam » (Stromat. 6.).

e) *Elementa huius officii divini* primae aetatis erant lectiones depromptae e Scriptura Sacra, quae proferebantur lectione continua; tantum summis festis — i.e. Paschate et Pentecoste — legebantur lectiones his festis correspondentes; Cantica autem populi erant *Psalmi*, quorum laus resonat in scriptis Patrum et scriptorum. *S. Basilius* e.gr. enuntiat: « Psalmus fugat daemones, accersit angelorum patrocinium, ministrat arma contra nocturnos timores, diurnorum laborum est requies, infantium securitas, ornamentum iuvenum, senum consolatio, convenientissimum mulierum decus. Frequentat solitudines, forum emendat. Psalmus incipientibus initium est, incrementum proficientibus, vox est Ecclesiae, laetificat dies festos, eam, quae secundum Deum est, tristitiam creat » (Hom. in Ps 1,2 PG 29,212). Apposite *S. Ambrosius*, ab Enc. MDei praelaudatus: « Psalmus benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium sermo universorum, vox Ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis laetitia, clamor iucunditatis, laetitiae resultatio » (Enarr. in Ps, 1,9 PL 14,968). Excellentiam Psalmorum prae ceteris Scripturis extollit magnus *S. Athanasius*: « Omnis nostra Scriptura, cum vetus tum nova, divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur... at Psalmorum liber, quasi paradisus omnium reliquorum (sc. librorum) fructus in se continens, cantus edit, et proprios insuper ipsis inter psallendum exhibet » (Ep. ad Marcellinum in interpret. Psalm. n. 10). — *Utilitatem Psalmorum pro vita Spirituali* saepissime inculcant, ut idem Athanasius dicit: « Mihi quidem videtur psallenti Psalmos esse instar speculi, ut et seipsum et proprii animi motus in ipsis contempletur atque ita affectus eos recitet » (ibid. n. 2.), optimumque concinnavit *Hodoegum* pro usu Psalmorum in variis vitae vicissitudinibus, sive paenitentiam egerit quis, vel si tentatione vel tribulatione torqueatur, si effugerit laquea diaboli, si tristis vel afflicta fuerit anima, si laudare et benedicere vellet Dominum vel Ei gratias exhibere: omnia haec docent Psalmi divini (hodoegum hunc confer in eadem epist. PG 27,25-37). Rectissime igitur *Ambrosius* vocat Psalterium « commune animarum gymnasium, quoddam stadium virtutum » (Enarr. in Ps 1. PL 14,967).

2. De evolutione officii divini (s. IV-X.)

Prima periodus evolutionis officii divini est a) « aetas aurea » (saec. IV-VI.), secunda est b) aetas mutationum complementariarum (saec. VI-VII), tertia c) aetas evolutionis ulterioris (saec. VIII-X.).

a) Aetas aurea evolutionis (saec. IV-V.)

1°. Decursu horum saeculorum « cursus nocturnus » cotidianus fiebat, i.e. quod elapsis saeculis diebus tantum dominicis celebrabatur, nunc quotidie cantari coepit in basilicis urbium ac in monasteriis virorum et mulierum. Iam

tractavimus, quantum influxum habuere quoad Missam magna aedificia, quae indecenter vacua remanere non potuerunt per totam hebdomadam, dein quomodo « asketeria », i.e. associationes virorum et virginum Deo famulantium partes habuerunt in hac evolutione. **a.** Sic primum vigiliae non solum dominicis et festis diebus celebrabantur, sed *omnibus diebus,* in qua celebratione argumenta quoque scripturistica adhibuerunt Patres. *S. Basilius* e.gr. ideo commendat vigilias nocturnas, quia « mediam noctem nobis ad orandum necessariam esse tradiderunt Paulus et Silas, quemadmodum Actorum historia declarat his verbis: Media autem nocte Paulus et Silas laudabant Deum, et psalmista, cum ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustitiae tuae » (Regulae fusius tractatae 37,5 PG 31,1016). *S. Athanasius* etiam virginem solitariam adhortatur, ut domi surgat ad celebrationem vigiliae: « Media nocte excitaberis et hymnis celebrabis (hymnêseis) Dominum Deum tuum. Ea enim ipsa hora resurrexit Dominus noster e mortuis et Patrem suum hymnis celebravit, quare iniunctum nobis est, ut ea ipsa hora hymnos Deo dicamus... Quod si tecum fuerint virgines, ipsae quoque psallant, et alia post aliam orationem absolvite » (De virginitate 20. PG 28,276). — **b.** Ad cursum nocturnum pertinent *oratio publica matutinalis* (matutinum, orthros) *et vespertina* (lucernarium, hesperinon, vesperae). Praesertim hae horae in ecclesiis cum quadam maiore sollemnitate celebrabantur, ut videri potest e relatione Aetheriae: hora decima (i.e. quarta pomeridiana sec. nostrum computum) convenitur ad ecclesiam, lumina multa accenduntur ad hoc officium, vocatum « licnicon » (epilychnicon), « apud nos lucernare », psalmi lucernares canuntur, dein « pisinni », i.e. pueri cantant Kyrie eleison ad invocationes diaconi, episcopus autem benedicit catechumenis et fidelibus. Similiter omni die aperiuntur portae ecclesiae Anastasis, ingrediuntur « monazontes » (monachi) et « parthenae » (virgines Deo dicatae), dein etiam laici viri et feminae, « qui volunt maturius vigilare », et ad ortum solis cantantur « ymni matutini », i.e. psalmi « matutini » (laudum).

2°. Etiam « *cursus diurnus* » in orationem publicam cotidianam evolutus est. Horae ad « Tertiam », « Sextam », et « Nonam » inde a saec. IV-o quotidianae et publice celebratae fiunt, quae saeculis praeteritis tantum precationes privatae fuerunt. *S. Basilius* Magnus item argumentis e Scriptura depromptis hortatur ad observandas has horas diurnas: « *Tertia hora* surgatur ad precandum fratresque convocentur, etiamsi divisi alii aliis operibus fuerint occupati, et ita Spiritus donum circa tertiam horam apostolis collatum in memoriam redigentes, omnes uno eodemque animo illum venerentur... *Sexta quoque hora* necessariam esse precationem sanctorum exemplo iudicavimus, qui dicunt: Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo et exaudiet vocem meam (Ps 54,18), et ut liberemur ab incursu et daemonio meridiano, etiam eodem tempore recitetur nonagesimus psalmus. *Nonam autem horam* ad orandum necessariam esse apostoli ipsi nobis prodidere in Actis, in quibus narrantur Petrus et Joannes ascendisse in templum ad horam orationis nonam » (Regul. fus. tract. 37,3.4 PG 31,1013). *S. Hieronymus* iam tamquam legem usu sancitam habet haec tempora orationis: « Quamquam apostolus semper orare nos iubeat, et sanctis etiam ipse somnus oratio sit, tamen divisas orandi horas habere debemus, ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam diluculum quoque et vesperam, nemo qui nesciat » (Ep. 22,37 PL 22,421). *Rationem* huius usus, quo variantur orationis

tempora, reddit S. *Basilius* dicendo: « In *aequalitate* torpescit saepe nescio quomodo, animus, atque *praesens absens est*, mutatis vero et *variatis* psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur eius desiderium et attentio instauratur » (Reg. fus. tract. 37,5 PG 31,1016).

3°. Hac aetate aurea *modus psallendi* quoque in alium mutatur; dum aetate praecedenti « *psalmus responsorius* » colebatur, i.e. fideles singulis versibus Psalmi eodem textu respondebant, nunc introductus est usus hunc textum (antiphonam) initio et fine Psalmi tantum canere, ipsos versus autem Psalmi cantare per duos choros distinctos, sicut in theatro et Odaeo aetatis antiquae fiebat. Modus hic vocatur « *cantus antiphonicus* », ratio introductionis eius in ecclesiis fuit praeprimis vastitas earum et magnus numerus adstantium, propter quod « tamquam undis refluentibus stridet ecclesia » (Ambros. In Hexaem. 3,15); Ambrosius etiam dicit, eo tempore « quantum laboratur in ecclesia, ut fiat silentium, cum lectiones leguntur » (Enarr. in Ps 1,9.).

4°. Quotidiana recitatio officii divini simul cum novo modo psallendi introducta fuit *Antiochiae a Diodoro,* qui ibidem asketerion fundavit versus 360, cuius discipuli erant Theodorus Mopsuestenus et Joannes Chrysostomus: « Hi primi psallentium choros duas in partes diviserunt et davidicos hymnos alternis canere docuerunt » (Theodoret. Hist. eccl. VII, 24). *Diodorus* autem ex ecclesiis Syriacis hunc novum modum cognoscebat. *Caesareae* modum psallendi antiphonicum et quotidianitatem officii S. *Basilius* anno 375. introduxit, quem Diodorus 372. exsulans visitavit; introductio haec autem non sine murmure cleri Cesareensis facta est. Eodem tempore *Mediolani* haec reformatio officii divini facta est a S. *Ambrosio,* qui tum modum psallendi antiphonicum, tum quotidianam recitationem, tum morem orientalem canendi hymnos introduxit, ut eius biographus testatur. « Hoc in tempore primum antiphonae, hymni ac vigiliae in ecclesia Mediolanensi celebrari coeperunt. Cuius celebritatis devotio usque in hodiernum diem non solum in eadem ecclesia, verum per omnes paene Occidentis provincias manet » (Vita Ambrosii 13. PL 14,31). Hoc — teste S. Augustino — hebdomada sacra anni 385 factum est, quando « excubabat pia plebs in ecclesia, mori parata cum episcopo suo, servo tuo... Tunc hymni et psalmi, ut canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus moeroris taedio contabesceret, institutum est, et ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac paene omnibus gregibus tuis et per cetera orbis imitantibus » (Confess. IX, 7). — *Constantinopoli* versus 400 *Chrysostomus,* Antiochia oriundus introduxit novum modum psallendi, Arianos imitatus, quia hic modus psallendi « iuxta morem antiphonarum » (kata ton tôn antiphônôn tropon epsallon) populo placebat, et « Joannes (Chrysostomus) veritus, ne quis ex ecclesia sua per haec in fraudem induceretur, plebem, quae sub ipso erat, ut similiter psalleret, incitavit », sic Sozomenus (Hist. eccl. VIII, 7,8 PG 67,1538). — Num *Romae* iam saec. IV-o haec omnia introducta fuerint, non constat; si affirmative responderi posset, hoc fiebat certe sub Damaso, forsan in Concilio Romano anni 382, cui etiam episcopi Graeci et Syri interfuerunt (sic Righetti II, 428).

b) **Aetas mutationum complementariarum (saec. VI-VII).**

1°. Decursu saeculi VI-i decretum est, quod *etiam clerus interesse debet* horis officii divini. In *Oriente hoc Iustinianus* praescripsit lege anno 528. lata:

« Sancimus, ut omnes clerici per singulas ecclesias constituti, per se ipsos nocturnas et matutinas et vespertinas preces canant... Si enim multi laicorum, ut suae animae consulant, ad sanctissimas ecclesias confluentes, studiosos circa psalmodiam se ostendunt, quomodo non fuerit indecens, clericos ad id ordinatos non implere munus suum » (Cod. Iust. lib. I. tit. III. De episc. et clericis l. 42, § 10). — In *Occidente* paulatim per Concilia haec obligatio inculcata est; e.gr. in *Synodo Agdensi a.* 506: « ...ymni matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur », pro Hispaniis *Synodus Tarraconensis* anni 516: « ut presbyteri cum clericis septimanas observent... die dominico sollemnitas cum omnium praesentia celebretur... omnibus diebus vesperas et matutinas celebrent ».

2°. Ad officii « horas minores » (Tertia, Sexta, Nona) accesserunt *duae aliae horae*: *Prima et Completorium*. « *Prima* » *hora* quidem iam saeculo IV-o nata est in aliquo monasterio Bethleemitico, horae huius ortum Cassianus comperit, quando Bethleem visitavit. Monachi enim ibidem degentes post « Matutinas laudes » iterum quiescere potuerunt, quam quietem aliqui usque ad Tertiam protrahentes, huius excessus poenas luere coacti sunt per introductionem novae horae, quae quasi oratio diem inducens laboremque cotidianum sanctificans habebatur (Cassian. De institutis coenobiorum III, 4 PL 49,126 s.). Nomen tamen et ultimam dispositionem hora haec accepit a S. *Benedicto*, sicuti ultima hora diei, *Completorium*, omnino ab eo instituta fuit (Regula c. 42.). Multis enim in monasteriis, sicut etiam in ecclesiis, Vesperae canebantur, dum adhuc lux fulgebat, postea habebatur caena, ideoque ante decubitum necessarium visum est diem per orationem claudere, quae oratio vespertina quasi « complevit » etiam totum officium divinum eiusdem diei.

3°. Hac aetate evolutus est « cursus (i.e. modus dicendi) *monasticus* », « cursus *Romanus* », et « *Gallicanus* », in ecclesiis Romam imitantibus ille, in ecclesiis typi liturgici Gallicani hic, in monasteriis cursus prior. Cursus *monasticus* retinebat numerum duodenarium: in dominicis et festis 6+6, i.e. 12 psalmi canebantur in duobus nocturnis, in III-o tria cantica, et 12 lectiones recitabantur, 4 in unoquoque nocturno. Cursus Romanus autem his diebus novem Psalmos, novem lectiones et responsoria persolvebat. Haec differentia principalis per decursum temporum usque ad hodiernum diem remansit.

c) **Aetas evolutionis ulterioris (saec. VIII-X).**

Aetas haec Carolingica producebat triumphum cursus monastici in monasteriis, dein suppressionem cursus Gallicani per cursum Romanum, quae suppressio simultanea fuit suppressioni ritus Missae Gallicanae in Regno Francorum, dum cursus Gallicanus in Hispania, ut cursus officii Mozarabici, adhuc per saecula vigebat; demum evolutio effecta est *cursus Franco-Romani*, sicut etiam Missae ritus Franco-Romanus hoc tempore, ut vidimus, ortus est.

1°. Notandum est, quod *cursus monasticus et Romanus* solummodo in diebus dominicis et festis differunt, ceterum textus antiphonarum, responsoriorum, ordo lectionum eadem sunt. a. *Cursus Franco-Romanus* autem differt a cursu, qui remansit pure Romanus praesertim in eo, quod Romae celebrabant festa Sanctorum cum ritu « duplici » versus 750, sc. in Vesperis dicebantur quinque Psalmi dominicales cum antiphonis de Sancto. Officium nocturnum feriale autem non omittebatur, sed Sanctus habebat nocturnum aliud, supplementare et distinctum

a nocturno feriali. Ritus hic « *duplex* », non solum nomine, sed etiam re, Romae usque ad saec. XII. in usu remansit, dum in Regno Francorum iam saec. IX-o officium nocturnum solummodo de Sanctis persolvebatur. — **b.** Alia differentia inter cursum Romanum et Franco-Romanum est, quod in Regno Francorum utebantur « *Psalterio Gallicano* », i.e. secunda recensione Psalterii Latini, quam fecit S. Hieronymus anno 382. recensens textum veteris versionis Latinae e textu hexaplari, dum ecclesiae Romanae usque ad Pium V. (1568.) retinebant primam recensionem Hieronymi factam super textum Veteris Latinae e versione LXX. Inde a S. Pio V. hoc Psalterium sec. primam recensionem, vocatum « *Psalterium Romanum* », solummodo in Basilica S. Petri in usu fuit. Distributio autem psalmorum per hebdomadam eadem fuit in utroque « cursu ». — **c.** Tertia differentia inter utrumque cursum fuit, quod *Romae hymni non canebantur*, sed in Regno Francorum e cursu monastico transsumpserunt usum hymnorum in officio divino, ut *Amalarius Metensis* dicit: « Sicut mos est monachis... sic nos solemus eos imitari in Ambrosianis hymnis » (De eccles. officiis IV, 48). Inde a saec. X-o iam etiam Romae adhibuerunt hymnos. — **d.** Quarta differentia invenitur *in ordine lectionum*: cursus Romanus in I. nocturno legebat e Veteri Testamento, in II-o nocturno e scriptis Patrum, in III-o epistolas S. Pauli, quae pluries integrae lectae sunt per annum. *Carolus Magnus* autem mandavit *Paulo Diacono,* monacho Cassinensi, « ut studiose catholicorum Patrum dicta percurrens veluti e latissimis eorum pratis certos flosculos legeret, et in unum, quae essent utilia, quasi sertum aptaret» (PL 95,1160). Homiliae hae in III-o nocturno legebantur, dum in I. nocturno epistolae Pauli. Mos hic Ecclesiae Romanae perduravit fere usque ad saec. XII., ubi in basilica S. Petri et in curia papali in Dominicis Adventus et Quadragesimae in III-o nocturno Epistolas S. Pauli legebant (duas lectiones) et homiliam super evangelium. Liber Homiliarii Pauli Diaconi tamen suppressus est per *homilias S. Gregorii Magni,* cuius 40 homiliae ubique in usum venerunt et sunt usque hodie.

2°. Hac aetate culmen attingit evolutionis *tota bibliotheca librorum liturgicorum* ad officium divinum pertinentium. Usque ad saec. IV. liber officii divini sola S. Scriptura fuit, e qua desumebantur Psalmi et responsoria, dein lectiones. Ad finem saec. X-i iam multi libri existunt officio divino inservientes:

1. Biblia.
2. Psalterium.
3. Martyrologium.
4. Hymnarium.
5. Antiphonarium.
6. Lectionarium.
7. Passionarium.
8. Homiliarium.
9. Collectarium.
10. Capitularium.

Ad 3. *Martyrologium* quod ad Primam legendum erat, primo a Synodo in Aix-la-Chapelle anno 817 habita praescribitur: « Venientibus in capitulum, hebdomadarius petat benedictionem, et benedictus a priore, denuntiet aetatem mensis, et lunae et natales Sanctorum, quorum festa crastinus excipiat dies » (Mansi, Concilia XIV, 305.).
Ad 4. *Hymnaria* vetustissima apparent in manuscriptis inde a saec. VIII-o; saepe appendicis instar adiiciuntur ad Psalterium.
Ad. 5 *Antiphonarium* antiphonas complectebatur, Liber antiphonalis officii missus est a Paulo I. versus 764 Pippino regi Francorum, ut modum canendi Romanum introduceret in Gallia, sed certum haberi debet, quod iam ante hoc tempus existebant antiphonaria, nam S. Gregorius Magnus certissime ordinavit iam Antiphonarium praeiacens. Notanda est terminologia: *Antiphonarium Missae* seu « Cantatorium », in Regno Francico vocabatur « Gradale » (sic!) et usque hodie sic nuncupatur (*Graduale*). *Antiphonarium « officii »* sc. divini autem a Romanis distinguitur in « *Responsoriale* », quod continebat *responsoria* officii divini,

et « *Antiphonarium* » stricte dictum, quod continebat solummodo *antiphonas* officii divini, dum Franci antiphonas et responsoria in unum volumen, vocatum Antiphonarium, coegerunt. Inde ab *Amalario* haec nomenclatura praevaluit: « Ego secutus sum nostrum usum et posui mixtim responsoria et antiphonas secundum ordinem temporum, in quibus sollemnitates nostrae celebrantur » (Prolog. antiphonarii n. 18. ed. Hanssen I, 363).

Ad 6. *Lectionarium* habetur duplex: Lectionarium, seu « *Liber comitis* » vel « Liber comicus », in quo lectiones Scripturae Sacrae in pericopis divisa et festis seu feriis ordinata habentur, et *evangeliaria*, quae pericopas evangelicas continent. Lectionaria saepe tantum initium et finem lectionis exhibent cum assignatione festi vel feriae, tale lectionarium vocatur « *Capitulare* ». Lectionaria, quae iam totam pericopam exhibent, sunt « Lectionaria *plena* », primum exemplum talis lectionarii est Lectionarium Luxoviense, typi Gallicani e saec. VII-o.

Ad 7. *Passionarium* continet « passiones » martyrum; iam Cassiodorus saec. VI-o meminit talis libri, dicens: « Passiones martyrum legite constanter » (Inst. divin. litter. PL 70,1147). Prima manuscripta e saec. VII-o existunt. Jo. Belethus s. XII-o distinctionem fecit inter « *passionarium* » et « *legendarium* », quod tantum vitas Sanctorum confessorum, non-martyrum continebat, sed plerumque vitae martyrum et confessorum mixtim inveniuntur in passionariis. Saepe non possumus scire, numquid Passionarium vel Legendarium indolem liturgicam vel solummodo hagiographicam prae se ferat, liturgica indoles probabilis est, si Passionarium seu Legendarium in ordine Kalendarii liturgici vitas affert, certa tunc tantum, si numeris adiectis etiam lectiones officii adnotentur.

Ad 8. Quod *homiliaria* adtinet, eadem regula adhibenda est ad cognoscendam liturgicam indolem alicuius libri homilias continentis, nam permulta existunt homiliaria in praedicatione sacra adhibita. Primae collectiones homiliarum in officio divino usurpatarum saec. V-o iam inveniuntur.

Ad 9. *Collectarium* continebat collectas officii divini; tales collectiones speciales collectarum iam inde a saec. V-o habentur.

Ad 10. *Capitularium* non est idem ac « capitulare », quod lectionarium significat, imo aliquoties « capitulare » etiam totum antiphonarium officii divini designat. Capitularium *stricto sensu* continet capitula brevia in officio divino legenda, saepe habentur capitula et collectae a praeside chori dicenda in uno libro collata, qui tunc vocatur « Capitula et collectae ».

3. Evolutio et historia breviarii (saec. XI-XX)

a) Primordia breviarii (saec. XI-XII).

1°. Hucusque nondum inventum est breviarium anterioris temporis, quam saec. XI., et etiam hoc saeculum rara adhuc possidet breviaria manuscripta. Dum millenium primum historiae ecclesiasticae numerosos libros liturgicos habebat ad officium divinum persolvendum, inde ab ineunte saeculo XI-o apparet *unum volumen*, in quo materia totius officii in fere decem libris comprehensa, abbreviata quidem, sed tamen continetur. Volumen hoc modestum nuncupabatur « *breviare* » vel « *breviaris* » vel « *breviarium* », quod nomen datur etiam aliquoties « Missalibus plenis », vel « Agendis » seu « Ritualibus ». Ratio autem, cur decursu huius saeculi XI-i breviaria divini officii orta sunt, est: *recitatio privata officii*. Usque ad saec. XI. officium divinum fuit obligatio publica et communis; qui interesse vero non potuit, tenebatur quidem ad horas, sed sic tantum debebat recitare, ut potuit, sicut Regula Monasteriorum praescribebat: « Qui in itinere directi sunt, non eos praetereant horae constitutae, sed, *ut possunt*, agant sibi et servitutis pensum non neglegant reddere » (Reg. S. Benedicti cap. 50.). Psalmos omnes « ex corde » i.e. memoriter tenebant, etiam aliquos hymnos, sed lectiones, ut patet, non potuerunt recitare et alia, quae variabiles partes sunt officii. *Saeculo X-XI-o autem mutatio facta est*: motio magna reformationem morum poscens et in seipsis hanc etiam efficiens maiori austeritati et rigori studuit, ideoque nisus est officium divinum, non solum « ut

possunt », i.e. quod memoriter sciunt, recitare, sed adamussim persolvere. Saeculo XI-o, quando novissimae reformationes cum vita monastica etiam eremiticam vitam coniunxerunt (S. Nilus, Romualdus, Camaldulenses, monasterium S. Alexii in Monte Aventino, Monasterium Fontis Avellanae, S. Petrus Damiani), etsi hi reformati officium in choro persolvebant, ob rigorem eorum pro itinere et pro cella reclusionis necessarium erat « breviarium ». Sic intelligi potest, cur sit maxima pars e breviariis manuscriptis saeculi XI-i originis monasticae (V. Leroquais e 51 breviariis manuscriptis s. XI-XII-i 42 breviaria monastica reperit). Sacerdotes saeculares autem hanc opinionem severiorem secuti, ipsi quoque incipiebant uti talibus breviariis; Conc. Trevirense e.gr. anno 1227. iam praescripsit, « ut omnes sacerdotes habeant breviaria sua, in quibus possint horas suas legere, quando sunt in itinere ».

2°. *Duplici modo* concinnabant breviaria: *per modum iuxtapositionis,* vel modum *fusionis.* a. *Iuxtapositio* habetur, si breviarium constat partibus iuxta se positis ex antiquis liturgicis libris officii divini. Sic inveniuntur manuscripta breviaria adhuc in saec. XIV. tali ordine concinnata:

1. Kalendarium.
2. Psalterium.
3. Hymnarium.
4. Responsoria.
5. Lectionarium.
6. Capitula.
7. Collectae.
8. Elementa liturgica varia.

b. *Fusio* habetur, si singula elementa horum librorum liturgicorum inter se conserantur, sicque libri hi liturgici per fusionem unum quoddam non solum externum, sed etiam internum constituunt. Sic ortum est Breviarium veri nominis, tali ordine compositum:

1. Kalendarium.
2. Psalterium, cum hymnis ferialibus.
3. Temporale, saepe vocatum « Dominicale », continens antiphonas, versiculos, responsoria, capitula et collectas partis De tempore.
4. Sanctorale, seu « Ordo Sanctorum », « Liber Sanctoralis », « Mysteria seu ordinationes Sanctorum », « Cursus Sanctorum et Sanctarum », « Sanctuarium », « Series de Sanctis », « Proprietates Sanctorum », cum materia liturgica supra descripta pro festis Sanctorum.
5. Commune Sanctorum.

3°. Initio breviaria concinnabant solummodo pro usu privato, talia vocantur « *breviaria cameralia* ». Inde a saec. XII-o, praesertim autem a XIII-o et in usum chori conficiebant breviaria « choralia »; breviarium camerale semper molis est exiguae, dum *breviarium chorale* maioris est magnitudinis. Existunt etiam breviaria cum notis musicis praedita, quam cl. Leroquais merito denominat « *breviaria notata* » (breviaire noté), etsi a multis, praesertim catalogis bibliothecarum nomen « antiphonarii » minus recte accipiebant. Dum breviaria cameralia plerumque uno volumine totam materiam officii divini totius anni comprehendebant, breviaria *choralia pluribus constabant tomis.* Rarius constant duobus tomis, seorsim Temporale et Sanctorale complectentibus, sed plerumque continebant totum annum *duo* tomi, unus *aestivus,* alter *hiemalis;* vel annus

tribus tomis (ab Adventu usque Pascha, a Paschate usque Festum Trinitatis, et a Trinitate usque Adventum) comprehendebatur. Rarius inveniuntur breviaria in medio aevo quatuor tomis constantia. — Breviaria *cameralia* lectiones valde breves continent, saepe tantum 4-5 lineas in duabus columnis, dum breviaria choralia multo longiores afferunt lectiones (cf. uberius Leroquais, Les bréviaires I. p. XXXV-LXII).

b) **Origo et divulgatio Breviarii Curiae Romanae (XIII-XV s.).**

1°. Decursu saeculi XII-i Curia Summi Pontificis a magnis basilicis omnino independens fiebat, quia inde ab Eugenio III. (1145-53) per quadraginta annos Summus Pontifex sedem suam saepe mutans, Romae tantum septem annos moratus est. Tunc incipiebant officium antiquum Romanum, prout in basilicis Romanis celebrabatur, *abbreviare*, ut *Radulphus de Rivo* scribit: « Clerici capellares... officium Romanum semper breviabant et saepe alterabant, prout domno Papae et cardinalibus congruebat observandum, et huius officii ordinarium vidi Romae a tempore Innocentii III. recollectum » (De canonum observantia prop. 22). Exeunte saec. XII-o tempore Innocentii III. revera *novum breviarium abbreviatum* iam absolutum erat (1198-1216). In basilicis Romanis officium vetus Romanum in usu mansit; sed tantum aliquibus summis festis participabat Curia papalis et Summus Pontifex officio divino in basilica stationali (Dom. III. Adv., Nativitatis Domini, Epiphania, Ascensio, Pascha, Pentecostes, S. Joannis Bapt., Petri et Pauli, Andreae apost., Assumptionis Deiparae); extra haec festa *Curia papalis* semper novo officio abbreviato usa est.

2°. « *Breviarium secundum ordinem Curiae Romanae* » inde ab anno 1223. per totam Ecclesiam *divulgatum fuit per novum ordinem Fratrum Minorum*, nam S. Franciscus Assisinatus mandavit, quod « clerici faciant divinum officium secundum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae », intelligendo hoc praescripto ordinem Curiae Romanae. Gregorius IX. hoc ministro generali Haymoni de Faversham in perpetuum concessit, 7. jun. 1241. rescribens ei: « Vestrae igitur precibus devotionis inducti, ut observantia *moderni officii*, quod in breviariis vestris exacta diligentia correctum a nobis ex statuto regulae vestrae iuxta ecclepetuo ». (Sbaralea, Bullar. Francisc. Roma 1759, I, 296).

3°. Acceptatio « moderni officii », i.e. breviarii Curiae Romanae *duas habebat sequelas*. a. Prima erat *divulgatio* non solum in ordine Fratrum Minorum, sed *ubicunque*, saec. enim XIII-o Minores quam maxime lateque diffusi ubique novum breviarium commendabant, quod propter eius breviorem formam et auctoritatem S. Sedis rapido modo assumptum est. « Et illud officium breviatum secuti sunt fratres minores, inde est quod breviaria eorum et libros officii intitulant secundum consuetudinem Romanae Curiae » — dicit Radulphus de Rivo. — b. *Altera consequentia* erat, quod fratres Minores breviarium « modernum » *etiam corrigebant*, ut Joannes a Parma dicit, officium hoc fuerat « pio correctum studio et per Sedem Apostolicam confirmatum » (1249. cf. Wadding, Annales Minorum III, 209). « Correctio » haec in eo constabat, quod *numerus festorum duplicium immoderate auctus fuit* ex una parte incrementum accipiendo per nova festa Sanctorum Ordinis Minorum, ex altera parte autem, quod brevitati studentes festa duplicia multiplicare nitebantur. Ratio autem

multiplicationis festorum fuit, quod in diebus ferialibus inde a saec. XI-o sub influxu Clunyacensium mos invaluit paulatim obligatorius, recitandi praeter officium satis longum etiam 15 Psalmos graduales excepto tempore paschali, horas B. Mariae Virginis omni tempore, in Quadragesima septem Psalmos paenitentiales, et officium defunctorum, exceptis sabbatis et festis. In festis « duplicibus », i.e. novem lectionum autem haec omnia non erant recitanda: multiplicatione festorum ergo brevitati consulebant officii. (Cf. F. de Sessevalle, Histoire générale de l'Ordre de S. François, Paris, I, 268).

4°. Breviarium Curiae Romanae *etiam Urbem occupavit*, Nicolaus III. 1280. eius usum in ecclesiis Romanis praescripsit; inde ab anno 1307. etiam Basilicae Lateranensi eius usus praeceptus fuit, « ut membra se capiti conforment ».

Breviaria typi Franco-Romani inter alios Fratres Praedicatores et Carmelitae retinuerunt, et quidem secundum usum Parisiensem saeculi XIII., Praemonstratenses quoque breviarium typi Franco-Romani retinebant. Secunda parte saec. XV-i autem iam multa multis displicuerunt in breviario: pars de tempore iam fere omnino oblivioni dedita est propter nimiam multitudinem festorum Sanctoralis, partes legendariae lectionum de Sanctis criticam provocaverunt, lectiones e Scriptura occurrenti nimis ieiunae erant, displicuere hymni, a quorum stilo spiritus humanisticus litterarum renascentium abhorruit.

c) **Reformatio breviarii saec. XVI-o.**

1°. Talis fuit rerum status quoad officium divinum per tot saecula usitatum, quando saec. XVI-o Novatores etiam in hac materia viam *radicalismi absoluti* ingressi sunt, officium canonicum simpliciter superfluum et superstitiosum declarantes et ideo abrogantes. Catholici enim sec. *Apologiam Confessionis Augustanae* (1531): « Canunt Psalmos, non ut discant aut orent, sed cultus causa, quasi illud opus sit cultus, aut certe mercedis causa » (art. 15,40). Revera *Lutherus* iam anno 1529. enuntiavit, quod « inutiles laboriosaeque demurmurationes precularum canonicarum, ut vocantur, desierint, harum loco mane, meridie et vesperi aliquot saltem paginas vel in catechismo, vel in precationibus vel in novo testamento evolverent », et eodem anno enuntiat, quod « diffiteri non possumus, eas orationes, quae hactenus factae sunt, stentoreis clamoribus in ecclesiis vociferando et tonando, non fuisse orationes » (Catechismus maior, J. T. Müller, Symbolischen Bücher der. ev. luth. Kirche 375.463.). — Similiter *Confessio Helvetica posterior* Calvinistarum: « Sponte item precandum est, non coacte, neque pro ullo pretio. Neque decet orationem superstitiose adstrictam esse loco, quasi alibi non liceat, nisi in templo precari. Neque oportet preces publicas quoad formam et tempus, in omnibus ecclesiis esse pares... Horas canonicas, id est, preces ad certas in die horas compositas, a papistis cantatas aut recitatas, nescivit vetustas... sed et absurda non pauca habent, ut nihil dicam aliud, proinde omittuntur recte ab ecclesiis, substituentibus in locum ipsarum res salutares ecclesiae Dei universae » (art. XXIII.).

2°. Sicut in quaestione de Missae sacrificio, quidam Catholici saeculi XVI. *radicalismum mitigatum* prosequentes, quoad essentiam quidem retinuerunt officium divinum, sed multa tamen sine pietate traditioni debita suppresserunt. Inter opera talis radicalismi maximum successum habuit novum breviarium a Clemente VII. (1523-34) pro usu facultativo approbatum, quod *Quiñones*, Car-

dinalis S. Crucis concinnavit, quodque ideo « *Breviarium S. Crucis* » nuncupatum est. Antiphonae et hymni in toto breviario omissa sunt, omnes horae aequaliter tribus constant Psalmis, Psalterium per hebdomadam integre recitatur, quod iam inde a saeculis nunquam fiebat, nam Psalmi festivi semper supprimebant magnum numerum aliorum Psalmorum; in breviario fere tota S. Scriptura legenda venit. Successum huius breviarii ostendit quod inter annos 1536-1572. centies editum est (Jungmann, Lit. Erbe 1960, 265-282).

3°. Quod in editione Missalis novi contigit, hoc etiam quoad breviarium factum est: non aliquid omnino novum editum est mandato Concilii a S. Sede Apostolica, sed *repristinatione* usi, sicut penes Missale Romanum, *ediderunt anno 1568. Breviarium Romanum.*

a. Adhuc Clemens VII. dedit licentiam fundatoribus ordinis Theatinorum. S. Caietano et Caraffae 1529. ut huic ordini breviarium concinnarent. Labor eorum permansit in manuscripto etsi Cardin. Caraffa Summus Pontifex electus est (Paulus IV.). Manuscripto hoc usi sunt membra *commissionis a Pio IV. 1563.* constitutae: Card. Scotti, theatinus, Massa et Sirletus, qui intra quinquennium opus perfecerunt, quod deinde anno 1568. editum est prima vice et praescriptum intra sex menses omnibus qui breviarium annis ducentis antiquis non habebant.

b. Hoc « *Breviarium Romanum ex decreto sacrosancti Concilii Tridentini restitutum Pii V. Pont. Max. iussu editum* » bonum opus est repristinationis, in quo optima vetera elementa restaurantur et multa abusiva corriguntur. (1) Kalendario huius breviarii *festa Sanctorum* quae iam percrebruerunt usque S. Pium V., nunc reducta sunt. Festa Sanctorum remanserunt duplicia 70, semiduplicia 34, dies infra octavas liberae: 26, in totum ergo 130 festa Sanctorum, non computatis utique festis Domini in Proprio de tempore. — (2) *Rubricae generales* valde utiles novae sunt, nam antiquia breviaria tales non habebant. — (3) *Psalterium* inductum fuit « *Gallicanum* », i.e. secunda versio Hieronymi, tantum Romae in Basilica S. Petri, Venetiae in basilica S. Marci et in ritu Ambrosiano retinuerunt Psalterium Romanum. *Distributio* Psalmorum eadem mansit, quae erat iam inde a saec. VII-VIII., recitatio Psalmorum omnium in unaquaque hebdomada tamen valde raro contingebat. — (4) In *Proprio de Tempore* iuxta desiderium multorum dominicae et feriae in I. nocturno accipiebant lectiones e Veteri Testamento vel ex epistolis S. Pauli, in II. et III. nocturnis multae novae homiliae et sermones locum inveniebant, quae ex opere Pauli IV. transsumpta fuerunt. — (5) In *Proprio Sanctorum* praeter reductionem magnam factam, nova quaedam festa inserta sunt, sic praeprimis festa Patrum Graecorum. — (6) *Commune Sanctorum* fere semper habebat in I. nocturno lectiones e Patribus, nunc lectiones accepit scripturisticas.

4°. Breviarium Romanum Pianum (S. Pii V.) quoad essentiam immobile permansit. *Hymnos* quidem *Urbanus VIII.*, et ipse poeta, valde retractavit, imo de novo fere composuit, quia etsi antiquitate venerandi essent, sapor eorum sensui humanistico acidus evasit. Hymnorum textum antiquum et originalem solummodo breviaria monastica (Benedictinum, Cisterciense, Carthusianum) dein breviaria O. Praem., O.P., et O.Carm. calceatorum retinebant. Exempli instar adiicimus hymnum Vesper. Adventus:

Textus primigenius:	*Textus novus:*
Conditor alme siderum,	Creator *alme siderum,*
aeterna lux credentium,	*aeterna lux credentium,*
Christe, Redemptor omnium,	Jesu, *Redemptor omnium,*
exaudi preces supplicum.	intende votis *supplicum.*
Qui condolens interitu	*Qui* daemonis ne fraudibus,
mortis perire saeculum,	periret orbis, impetu
salvasti mundum languidum,	amoris actus, languidi,
donans reis remedium.	mundi medela factus es.
Vergente mundi vespere,	Commune qui mundi nefas,
uti sponsus de thalamo,	ut expiares ad crucem,
egressus honestissima,	e virginis sacrario.
virginis matris clausula.	intacta prodis victima.
Cuius forti potentiae	*Cuius* potestas gloriae,
genu curvantur omnia,	nomenque cum primum sonat,
coelestia, terrestria,	et coelites et inferi,
nutu fatentur subdita.	tremente *curvantur genu.*
Te deprecamur, hagie,	*Te deprecamur,* ultimae
venture iudex saeculi,	magnum diei iudicem,
conserva nos in tempore,	armis supernae gratiae
hostis a telo perfidi.	defende nos ab hostibus.

5°. Festa autem Sanctorum decursu saeculorum tamen creverunt, ita ut *Temporale* per ea iterum *obscuratum est.* Tabella sequenti illustramus factum incrementi festorum inde a Pio V.

Festa Sanctorum:

	Anno 1568:	*Anno 1738:*	*Anno 1911:*
Festa duplicia:	70	131	190
Semiduplicia:	34	60	53
Dies infra octavas liberae:	26	26	23
SUMMA:	130	217	266

Nova ergo reformatione sine dubio opus erat, quam attulit Sanctus Pius X.

d) **Reformatio breviarii Romani per S. Pium X. (1911).**

1°. Die 1. Novembris anni 1911. prodiit *Constitutio Apostolica* « *Divino afflatu* » a Sancto Pio X. edita, per quam Breviarium Pianum (Pii V.) iterum instauratum est. (Textus: Doc. Pont. I, 47-50).

a. Praecesserunt huic reformationi legitimae *conatus illegitimi,* et quidem in Gallia spiritu Gallicanismi imbuta, ubi sine approbatione Sanctae Sedis multa breviaria et missalia vocata « *Gallicana* » edita sunt, quae nihil commune habent cum veteri ritu Gallicano medii aevi incipientis. Ritum habent et retinent Romanum, sed tum quoad Missam tum praesertim quoad officium divinum novos textus afferunt, quos partim desumebant e veteribus libris liturgicis (sic. permultas novas Collectas habent), partim autem de novo concinnabant, nam *antiphonas* venerandas, iam saec. VIII-o descriptas reiiciebant et solummodo e S. Scriptura mutuantes textus, novas et saepe vi accommodatas antiphonas et novos *hymnos* composuerunt.

b. Primum in lucem prodiit anno 1680. *Breviarium et Missale Parisiense,* quae hunc novum *typum* « *neo-gallicanum* » prae se ferebant et exemplum evaserunt permultis aliis breviariis omnino novis et artefactis fere omnium dioecesium Galliae. Sic factum est, ut communiter recitare officium divinum solummodo sacerdotes eiusdem dioeceseos potuerunt, et quando anno 1801. post Concordatum initum inter Sanctam Sedem et Galliam, dioecesium limites de novo circumscribebantur, in una dioecesi quinque vel sex talia breviaria Gallicana in usu erant. Multi ergo sacerdotes uti coeperunt Breviario Romano, quod initio episcopi vetabant, post longam discussionem autem declarabant aliqui episcopi hoc saltem veniale esse peccatum! Etiam in aliquibus dioecesibus Germaniae fuerunt talia breviaria neo-gallicana.

c. Anarchiae huic inde *ab anno 1839. fuit bellum indictum* sub signo instaurandi loco liturgiae neo-gallicanae Romanam. Hoc anno episcopus de Langres praescripsit usum breviarii Romani in tota sua dioecesi, et eodem anno edidit primum volumen suarum « Institutions liturgiques » Prosper Guéranger, qui dein primam abbatiam benedictinam post magnam revolutionem in Gallia fundavit. Praesertim operae infatigabili et permultis laboribus exantlatis huius viri referri debet, quod « antequam ipse ex hac vita migravit, cunctae Galliae dioeceses Romanae Ecclesiae ritus amplexi sunt », iuxta elogium Pii IX. post mortem abbatis benemeriti Solesmensis (1875).

2°. *Conatus legitimus* ante S. Pii X. reformationem factus est in *Concilio Vaticano,* ubi inter quaestiones a Sacrosancto Concilio pertractandas locum obtinuit reformatio quoque breviarii. Varia proposita Patrum urgebant reformandam esse distributionem Psalterii, eliminandas legendas Sanctorum criticae historicae iudicio inconvenientes, reducendum officium Dominicarum et translationem festorum. At Concilium propter eventus anni 1870 dissolvi debuit et ideo hanc quaestionem iam non potuit pertractare. *S. Pius X.* hoc fecit « *hisce* postulationibus et votis — ut dicit in Constitutione praelaudata — quae Nostra quoque ante susceptum Pontificatum fuerant » concedendum ducens.

3°. Constitutio Apostolica « *Divino afflatu* » *sequentia reformavit.*

a. *Inquantum* potuit, revocavit « consuetudinem veterem recitandi per totam hebdomadam *totum Psalterium*... cauto tamen, ne... ex una parte quicquam de sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius divini officii onus clericis, immo temperatius evaderet ». Hoc autem consecutus est Sanctus Pontifex *Rubricis* suis ad normam Constitutionis « Divino afflatu » editis, quae praescribunt, quod « in festis *duplicibus, etiam maioribus* et in feriis temporis paschalis semper dicantur Psalmi » ut in Psalterio occurrenti. Festa Sanctorum Sanctus Pius X. noluit imminuere, et per hunc typum, ut dici potest, «*officii mixti*» tamen finem suum feliciter consecutus est.

b. *Nova Psalterii dispositio* elaborata est, vetus distributio traditionalis enim Psalmorum ortum duxit ex iis temporibus, quando clerus saecularis solummodo Vigilias nocturnas, Vesperas et Matutinas (laudes) absolvere debuit, et ideo Psalmi 1-108 Nocturnis horis et Laudibus, 109-144 autem Vesperis fuerunt assignatae, Horis autem diurnis semper repeti debuit 365. vice in anno Psalmus 118. per has horas distributus. Nova ergo distributio Psalterii loco 18 vel 12

Psalmorum nocturnis invariabili modo semper 9 Psalmos assignavit; omnibus Horis novos semper Psalmos selegit, principii instar tenens, quod Psalmus ne repetatur, sicque multi Psalmi, qui semper antea recitabantur ad nocturnos, nunc distributi sunt ad varias Horas. Ut semper habeantur 9 Psalmi ad nocturnos, 4 ad Laudes, 5 ad Vesperas, 3 ad unamquamque horam, in toto ergo 15, pro unaquaque die ergo 33 Psalmi, per hebdomadam itaque 231 Psalmi, hunc necessarium numerum novum Psalterium eo obtinuit, quod Psalmos prolixiores in duas vel plures partes divisit.

c. Rubricae Constitutionis statuunt, quod « in recitando divino officio *lectionibus statutis Sacrae Scripturae* cum responsoriis de tempore occurrentibus debitus honor restitueretur ». Hoc eo obtinuit, quod in duplicibus et semiduplicibus lectiones de feria occurrente dicuntur.

d. Haec et alia vero « *primum gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem* » faciunt, ut S. Pius X. affirmat, et promittit, « mox Consilium seu Commissionem, ut aiunt, eruditorum » constituturum esse 25. martii anni 1914. S. Rituum Congr., per decretum introducens *editionem typicam* Breviarii novi, edixit, longa studia adhuc necessaria esse: « Donec praesidio optimorum codicum et veterum monumentorum absolutis omnibus, quibus perficiendis longius tempus requiritur, nempe textu sacro recognito, lectionibus historicis emendatis hymnisque revisis, Patrum et Doctorum homiliis et sermonibus ad veram lectionem revocatis, extremam manum operi admovendam Sedes Apostolica iusserit », in Litteris autem circularibus eodem tempore ad Ordinarios missis opinabatur « spatium ad minus triginta annorum necessarium (esse), ut Breviarii reformatio feliciter absolvatur » (Righetti II, 493).

e) Breviarium sub pontificatu Pii XII. et Joannis XXIII.

1°. Spatio hoc triginta annorum vix elapso, emendatio quidem ultimae manus nondum effecta est, sed opus per gressum maximi momenti a Sede Apostolica continuatum est. Litteris Apostolicis « *In cotidianis precibus* » (24. mart. 1945.) annuntiata fuit nova versio Psalterii « quae et textus primigenios presse fideliterque sequeretur, et veteris venerandae Vulgatae... rationem haberet... et Psalmorum sensum ac vim adeo clare exhiberet, ut sacerdotes facile perspicientes, quid Spiritus Sanctus per os Psalmistae significare voluerit, divinis hisce eloquiis efficaciter ad veram genuinamque pietatem excitentur ac moveantur ». Versio haec nova, exinde « *Psalterium Vaticanum* » vulgo appellari solita, decreto SCRit. 29. jun. 1945. in lucem prolata « sive *in privata* sive *in publica recitatione* ad libitum » adhiberi potest. In editionibus inde adornatis tamen iam exclusive haec versio nova legitur et procul dubio haud post longum tempus totum terrarum orbem occupabit.

2°. Instauratio liturgica provisorio modo simplificationem nacta est per celebre *decr. CRit 23. mart. 1955.* de rubricis simpliciori formae reddendis (cf. supra De Eccl. sacrific. E. 4. c. 3°). Qui status rerum solummodo per quinque annos perduravit et deinde coronata est sub pontificatu *S. P. Joannis XXIII.* per editionem *Novi Codicis Rubricarum* 25. iul. 1960. Novae hae rubricae *quoad breviarium* continuant et complent salubrem instaurationem a Sancto Pio X. initiatam Pioque XII. ulterius productam. Quae reformatio quoad officium divinum nunc solum per summa capita perstringetur a nobis.

a. Quod structuram attinet officii, maioribus alterationibus *Matutinum* fuit subiectum, ita ut inde ab 1961 plurimi dies liturgici unum tantum nocturnum habebunt. Celebrationem protractam liturgicam tantum festa I. et II. cl. habent, I. Vesperas solum festa I. cl. habent et Dominicae. Matutinum quintuplicis *typi* potest esse. — (1) Officium *festivum* (tres nocturni cum 9 Psalmis et 9 lectionibus); officium incipit a I. Vesp., tale officium competit solummodo festis I. cl.; omnia sumuntur e proprio et communi (NCR 161 et 167). — (2) Officium *semifestivum* (tres nocturni, 9 Pss. 9 lectiones) incipit a Matutino, competit festis II. cl. Matutinum ut supra, ad Horas minores antiphonae et Pss e Psalterio de currenti hebdomadae die sumuntur (NCR 168), sicque vitatur frequens recitatio Ps. 118. — Officia cetera tantum unico constant nocturno (9 Psalmi, tres lectiones), e quibus eminet: (3) Officium *dominicale* incipiens a I. Vesp. Lectiones I. et II. dicuntur de Scriptura ut in Proprio, prima autem lectio est ea, quae in breviario nunc est I., altera vero efficitur ex II. et III. in unam coniunctis, omisso responsorio intermedio, lectio III. dicitur de homilia in Evangelium diei, quae nunc est I. lectio III. noct. (NCR 220 et 223 b.). — (4) Officium *feriale* habent omnes feriae (exceptis Tridui Sacri) et omnes vigiliae (NCR 162. b. c.). Sumitur e Psalterio et Ordinario, lectiones de Scriptura currenti, in vigiliis lectiones propriae (NCR 222). — (5) Officium *ordinarium* habent festa III. cl. et dies infra octavam Nativit. et S. Mariae in Sabbato (NCR 162 d. e. f.). Officium vocatur « ordinarium », nam etiam in Matutino sumuntur Pss, ant-ae et versus e Psalterio nisi propria aut de communi assignentur. Te Deum dicitur in festis III. cl. Lectio III. dicitur de festo sc. propria, quae antea communiter vocabatur « contracta », qua deficiente dicuntur lectiones propriae (olim II. nocturni) simul coniunctae, si vero festum careat propriis lectionibus, sumitur IV. de Communi (NCR 221. b). — Sic, uti S. P. Joannes XXIII. dixit, « officium divinum *paulisper contrahitur*... intuitu praesertim sacerdotum multorum, qui in dies magis magisque pastoralibus sollicitudinibus onerantur ».

b. Elementa aliqua iam in simplificatione rubricarum anni 1955 aderant et sic manserunt. (1) *Initium* et *finis* Horarum canonicarum: omittuntur « Pater, Ave, Credo » et etiam « Aperi » et « Sacrosanctae ». Antiphona finalis BMV. claudit cursum totius officii et dicitur tantum finito Completorio, indulgentiae et indultum orationis « Sacrosanctae » huic sunt antiphonae finali coniunctae (NCR 178-180. Var. 15). — (2) *Hymni* proprii quorundam Sanctorum amplius iam non transferuntur, quilibet hymnus semper dicitur sub conclusione quae ipsi in breviario assignatur, exclusa quavis conclusionis mutatione, ratione festi vel Temporis, officium commemoratum numquam inducit doxologiam propriam in fine hymnorum officii diei (NCR 185-189). — (3) *Preces feriales* dicuntur tantum temporibus poenitentialibus Fer. IV. VI. Sabb. Adventus, Quadragesimae, Passionis et Quatuor Temporum, excepta Pentecost.). Omnes aliae preces — aliis Horis, aliis diebus — omittuntur, e.gr. preces dominicales (NCR 269). — (4) *Suffragia Sanctorum* et *Commem. de Cruce* temp. paschali prorsus omittuntur (NCR Var. 13). — (5) Symbolum « *Quicunque* » dicitur tantum festo SS. Trinitatis, cui est proprium (NCR 203). — (6) *Lectiones* Scripturae occurrentis, si die assignato dici nequeant, omittuntur, etsi agatur de initiis librorum, excepto initio epistolae I. ad Cor., quod cum die 13. ian. occurrit Dom. I. post Epiphaniam, Sabbato praecedenti legitur (NCR 213). — (7) Novum est prorsus, quod *antiphonae integre* debent dici in omnibus officiis omnium dierum, sublata est enim distinctio inter officium « simplicem » et « duplicem », quando dupli-

cari deberunt antiphonae (NCR 191). — (8) Novae sunt *determinationes temporis* Horarum dicendae, mutata est lex anticipationis, in recitatione « a solo » loco « *Dominus vobiscum* » dicendum est « Domine exaudi orationem meam ». (NCR 247).

Litteratura.

J. Grancolas, Commentaire historique sur le Bréviaire Romain, Paris 1727, latine Venetiis 1735. — *P. Batiffol*, Histoire du bréviaire, Paris 1895. 2. ed. 1911., anglice London 1912. — *S. Bäumer*, Geschichte des Breviers. Versuch einer quellenmässigen Darstellung des altkirchlichen und römischen Offiziums, bis auf unsere Tage, Freiburg i.Br. 1895., gallice revisum, ampliatum per *R. Biron*, Histoire du bréviaire I. II. Paris 1905. — *J. Baudot*, Le bréviaire Romain. Les origines, son histoire, Paris 1908. ed. 2. 1929. — *H. Leclercq*, Bréviaire, in: DAL II, 1 (1910) 1262-1316. — *Cl. Blume*, Brevier und Messe, Regensburg 1918. 2. ed. 1919. Hispanice Barcelona 1952. — *A. Le Carou*, L'office divin chez les frères mineurs au XIII-e siècle, Paris 1928. — *L. Eisenhofer*, Handbuch der Liturgik, Freiburg i. Br. 1933. ed. 2. 1941, II, 481-560. — *J. Brinktrine*, Das römische Brevier, Paderborn 1932, italice 1947. — *M. Righetti*, L'anno liturgico e il Breviario, *in*: Storia liturgica II (Milano 1946) 2. ed. 1955. — *E. Mercenier - F. Paris*, La prière des églises de rite byzantin, tome I. L'office divin, liturgie, sacrements, Chevetogne 1947. — *J. B. Card. Nasalli Rocca*, De Breviario Romano et Kalendario eiusdem Breviarii reformando, Bologna 3. ed. 1948. — *A. Bugnini*, Per una riforma lit. generale, Eph. Lit. 1949, 166-184. — *P. Bayart*, De Breviario (de gener. reformatione liturgica, ibidem 1949, 318-324. — *Th. Klauser*, De ratione reformandi Breviarii Romani, ibid. 1949, 406-411. — *B. Fischer*, Die Psalmenfrömmigkeit der Märtyrerkirche, Freib. i. Br. 1949. — *Ph. Oppenheim*, De vetustioribus Breviariorum manuscriptis, Torino 1949. — *J. A. Jungmann*, Beiträge zur Geschichte der Gebetsliturgie, *in*: ZfkTh 1950, 66-79, 223-234, 360-366, 481-486, 1951, 85-92. — *C. Sanchez-Aliseda*, El Breviario Romano. Estudio histórico-liturgico sobre el oficio divino, Madrid 1951. — *J. Hessing*, De correctione breviarii, *in*: Eph. Lit. 1951, 187-199. — *J. M. Hanssens*, Nature et genèse de l'office des matines, Roma 1952. — *J. Leroy*, Le cursus canonique chez S. Théodore Studite, *in*: Eph. Lit. 1954, 5-19. — *J. Pascher*, Das Stundengebet der römischen Kirche, München 1954. — *C. Marcora*, La vigilia nella liturgia. Ricerche sulle origini e sui primi sviluppi, Milano 1954. — *T. A. Jorio*, Normae servandae in divini officii recitatione et in Missa iuxta decr. generale SCR 23. martii 1955. cum adnotationibus, Napoli 1955. — *V. Raffa*, Più antichi i primi o i secondi Vespri?, *in*: Eph. Lit. 1955, 313-335. — *J. A. Jungmann*, Der Gottesdienst der Kirche, Innsbruck 1955, 167-198. — *Idem*, Die vormonastische Morgenhore im gallisch-spanischen Raum des 6. Jahrhunderts, *in*: ZfkTh 1956, 306-333. — *A. Baumstark - O. Heiming*, Nocturna laus. Typen frühchristlicher Vigilienfeier, ihr Fortleben vor allem im römischen und monastischen Ritus, Münster i. W. 1956. — *J. A. Jungmann*, Brevierstudien. Referate v. Assisi 14-17. Sept. 1956, Trier 1958. — *O. Perler*, Das Gebet der Frühkirche, *in*: Anima 1958, 13-22. — *B. Piault*, La prière de l'Église. Le Bréviaire Rom. Paris 1958. — *Jungmann*, Lit. Erbe 1960, 139-264.

C. De legibus cultualibus officii divini

Agendum est nobis:

1. De obligatione officii divini.
2. De forma officii divini.
3. De modo persolvendi officium divinum.
4. De causis a recitatione excusantibuus.
5. De participatione actuosa fidelium in officio divino.

1. De obligatione officii divini

a) Qui sint obligati

ad officium, quaeritur. Obligantur:

1°. « *Clerici in maioribus* ordinibus constituti,... tenentur obligatione quotidie horas canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos

libros » (can. 135). — Haec obligatio incipit a momento receptionis subdiaconatus; si ergo ordinatur hora decima antemeridiana, obligatur inde a Sexta ad recitandum (Vermeersch-Creusen, Th. Mor. 4. ed. 1948, III. n. 30).

Excipiuntur can. 135: *Can. 214.*: « Clericus, qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit, nec postea, remoto metu, eundem ordinem ratum habuit saltem tacite per ordinis exercitium », sed ut patet hoc per sententiam iudicalem Ecclesiae debet constare; item redacti ad statum laicum (c. 213).

Secus autem *omnes alii* clerici tenentur obligatione recitandi, omnes, qui depositi, suspensi, excommunicati, vel interdicti sunt. Verum quidem est, quod tales non possunt nomine Ecclesiae orare, sed tamen tenentur ad officium divinum, ne aliquid emolumenti capiant e nequitia sua.

2°. *Religiosi votorum sollemnium ad chorum adstricti,* iuxta can. 610: « In religionibus sive virorum, sive mulierum, quibus est chori obligatio... *sollemniter professi,* qui a choro abfuerunt, debent, exceptis conversis, horas canonicas privatim recitare » (§ 1. et § 3.). — Haec obligatio cumulative sumenda est: sollemniter professus in tali religione ubi viget obligatio chori. Tenetur ergo monachus, religiosus mendicans, non tenetur autem clericus regularis, solummodo si iam subdiaconatum acceperit. « Conversus », ergo *frater laicus* nunquam tenetur, quia neque in choro participat. Iuxta Vermeersch-Creusen (n. 33.) *moniales,* habentes vota sollemnia, si solummodo officium B. Mariae Virginis debent recitare, et non officium canonicum, *levi* tantum obligatione tenentur privatim recitandi.

3°. *Beneficarii* iuxta can. 1475, § 1: « Beneficiarius tenetur pecularia onera beneficio adnexa fideliter adimplere, et praeterea canonicas horas quotidie recitare ». — Si beneficiarius non satisfecerit obligationi, « *fructus* pro rata omissionis *non facit suos,* eosque fabricae ecclesiae aut Seminario dioecesano tradat vel in pauperes eroget » (ibid. § 2.). In adnotatione huius canonis citatur Constitutio Apostolica Pii V. « Ex proximo » (22. sept. 1571.), iuxta quam ille, qui uno die integrum officium omiserit, restituere debet 365-am partem annui reditus. Intelligitur omissio culpabilis, « nullo legitimo detentus impedimento » (ibid.).

b) **Qualiter obliget recitatio**

officii divini, edicitur sequentibus:

1°. Officii divini recitatio est obligatio *ex genere suo gravis,* admittit ergo parvitatem materiae. Actus aliquis etenim graviter obligat, si finis eius gravis est, *atqui* finis officii divini, ut omnium christianorum nomine Corpus Christi mysticum suas preces Deo offerat est gravis, *ergo* etiam obligatio eorum, qui nomine Ecclesiae has preces persolvere debent. Hoc clare edicitur etiam Constitutione citata « Ex proximo »: « Grave peccatum intelligant se commisisse ».

2°. Haec obligatio se extendit etiam ad *partem notabilem* officii divini, ergo ad partem in qua salvatur ratio totius officii. Consensu auctorum pars notabilis censenda est materia aequivalens *uni horae canonicae,* nam omissio unius horae integrae iam laedit finem ab Ecclesia intentum. *Materia aequivalens* uni horae canonicae est ergo sine dubio unus nocturnus cum lectionibus, item omnes novem lectiones, nam materiam iam notabilem constituunt, non autem solum

tres lectiones sec. Vermeersch-Creusen (n. 38.), « cum lectiones non sint propriae precationes, augendam dicunt quantitatem ad grave peccatum requisitam ». Ut in similibus rebus theologiae moralis, etiam quoad officium divinum dicendum est, quod materia *coalescit*, i.e. si parvae per se partes omittantur, evadunt materia gravis, si unius horae quantitatem attingunt.

3°. Peccatum omissionis *uno actu* voluntatis committitur, nam recitare officium unius diei unico praecipitur actu Ecclesiae, ergo unum peccatum constituit.

4°. Obligatio recitandi officium divinum est obligatio *ad finiendam obligationem*, qui ergo omisit officium unius diei vel partem notabilem, altera die non tenetur ad recitationem, quia officium divinum sec. leges liturgicas affixum est diei liturgico.

2. De forma officii divini

a) **Forma substantialis officii divini.**

Quatuor requiruntur ad hoc:

1°. Ut recitatio fiat « *secundum proprios et probatos liturgicos libros* » (can. 135). Constitutio Apostolica « Quod nobis » 9. jul. 1568., Breviarium Romanum praescribens edixit, « neminem nisi hac sola forma satisfacere posse », exceptis utique, qui libros habebant ducentis annis antiquiores et hos retinere maluerunt. Auctores ante CIC dixerunt et aliqui hucusque dicunt, ut Noldin-Schmitt quod « sacerdotes et religiosi, qui in choro uti debent proprio, non Romano breviario, privatim officium recitare possunt iuxta breviarium Romanum. Sic sacerdos Mediolanensis, vel monachus Benedictinus, qui studiorum causa extra diocesim vel monasterium moratur, uti potest breviario Romano. Attamen eorum superiores usum breviarii Romani etiam in privata recitatione prohibere possunt » (ed. 28. 1944., nr. 759). Nobis quidem haec sententia post can. 135. minus videtur probabilis. Constitutio enim Pii V., ad quam auctores provocare solebant, in adnotatione huius canonis iam non citatur, quo videtur ostendi, Ecclesiam hoc canone novam voluisse condere legem, quod benemeritus quondam Cardinalis J. Serédi († 1945.) magnas partes habens in Commissione CIC praeparante nobis expresse affirmavit. Revera, lex prout iacet (can. 135.), ne verbulum quidem de Breviario Romano loquitur, sed « proprios et probatos » inculcat libros. Carens ergo ad tempus breviario « proprio », si e.gr. omiserit vel oblitus est id secum sumere, non *debet* uti breviario Romano, quia omnino certum non est, eum posse per recitationem eius satisfacere obligationi officium divinum recitandi.

2°. *Etiam partes accessoriae* officii divini debent persolvi. Partes tales accessoriae hodie solummodo sunt:

Litaniae omnium Sanctorum cum suis precibus et orationibus sine Psalmis poenitentialibus privatim dicendae sunt ab iis « qui non intersunt processioni »:

a. Inde ab a. 1961 tantum in Litaniis Maioribus, in Minoribus non. Persolutio fit lingua latina, sed satisfacit qui una cum fidelibus patria dixerit lingua Litanias (NCR 84-85.90).

b. Quod *obligationem* attinet, hae Litaniae sunt de praecepto recitandae (C. Rit. d 2740. ad 8. 12. mart. 1836), vix ergo dici potest cum aliquibus obligationem non esse gravem, « non quod materia gravis non sit, sed quod ipsa ex verbis rubricae videtur sub gravi non obligare » (Ballerini-Palmieri, Noldin-Schmitt II. nr. 760.). Rubrica enim praescribit: « Qui non intersunt processioni, privatim post Laudes *dicant* »: cur non possit hoc praeceptum grave esse, praesertim cum etiam decretum Congr. Rituum inculcat, obligationem esse praeceptum?

3°. Officium divinum debet *lingua liturgica* absolvi, quod ad substantiam utique officii pertinet, nam solummodo lingua liturgica sunt approbati libri liturgici officium continentes. Sic etiam iuxta CRit (d 3. iun. 1904.): « Qui ad recitationem divini officii et cuiuscunque partis breviarii Romani sunt obligati, tantum in lingua latina haec recitare debent, aliter non satisfaciunt obligationi » (cf. Oesterle, Anima 1958., 45.). Similiter Vermeersch: « Non satisfecerit legi, qui officium divinum lingua vernacula recitaverit » (Epitome iur. can. 7. ed. I, n. 253). Pro sodalibus laicis religiosis et sororibus nunc exceptio dari solet (cf. infra 5. e.).

4°. Ratione *quantitatis et qualitatis* officium non potest esse notabiliter diversum, quod item ad substantiam officii pertinet. Si ratione seu quantitatis seu qualitatis officium diversum esset, habetur *mutatio officii* quae potest esse:

a. *Ex industria,* si quis sciens et volens hoc faceret. Hoc in casu non satisfaceret obligationi, si materiam gravem attingeret, quod declaratum est per propositionem ab Alexandro VII. damnatam: « In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto » (Denz. 1134.). Ratione enim qualitatis notabilis differentia haberetur in casu propositionis damnatae, obiectum enim omnino aliud est (passio-resurrectio), et etiam ratione quantitatis habetur diversitas notabilis: officium enim paschale multo brevius est. — Si mutatio ex industria non excedit materiam levem, veniale peccatum committitur, si quis e.gr. non haberet aliquod officium prae manibus proprium, tunc potest recitare aequale vel simile, sumendo officium de Communi Sanctorum. Sed sufficiens causa debet adesse, quae non censetur devotio, si quis e.gr. officium votivum vellet dicere ex devotione, non satisfacit obligationi (C. Rit. decr. 1334. ad 1.), sed si ideo mutaret, ut recitet cum socio vel in choro tunc licet (NCR 157).

b. *Ex errore* habetur mutatio officii, si quis nesciens hoc fecit. In hoc casu attendi debet, num ratione *quantitatis* minus persolverit, vel non; si minus persolverit, debet hoc supplere, e.gr. si officium novem lectionum debet persolvere, et tantum trium lectionum recitavit, supplere debet omissas lectiones et omnia, quae plus dicunt ad id, quod absolvit. Secus autem valent regulae sequentes quoad *qualitatem* officii:

c. « *Officium pro officio* », i.e. si ex inadvertentia aliud recitaverit, e.gr. officium S. Vincentii in die S. Agnetis, nil faciendum est, excepto, si quantitas sit notabiliter diversa, ut iam dictum est. Si autem quis eadem die bis recitaverit Primam, debet omnes alias horas recitare, nam non servaret formam officii, iuxta quam *omnes* horae debent dici, hoc autem non fecit bis recitando Primam. Qui in casu supradicto recitavit officium nondum occurrens (die 21. jan. officium Vincentii occurrens die 22.) *non debet* die quo officium iam recitatum iuxta leges liturgicas recurrit, (ergo in casu allato die 22. jan. festo S. Vincentii) recitare

officium ex errore omissum (i.e. die 22. jan. recitare officium S. Agnetis), nam eo die non hoc officium praecipitur, error involuntarius autem non debet per errorem voluntarium corrigi.

d. « *Error corrigitur ubi corripitur* » est aliud axioma i.e. si errorem adverterit quis, tunc statim eum corrigat, non curans de textibus iam recitatis, e.gr. si ex errore diceret Psalmos feriales, tunc dicto uno Psalmo, deprehendens errorem, reliquos iam sumit festivos praescriptos; nec probanda videtur opinio, quod pro lubitu etiam inceptum absolvere potest, hoc enim tum spiritui liturgiae, tum principiis moralibus contradicit: error enim tolli debet, quando deprehenditur.

b) **Officium proprium.**

« Proprium » vocatur illud officium, quod non pro universa Ecclesia praescriptum est, sed pro aliqua eius parte:

1°. Est officium proprium *generale*, si aliqua pars Ecclesiae universae maior ad id tenetur, officia propria alicuius dioeceseos, vel ordinis religiosi vel Regni alicuius. Haec prascripta sunt per calendarium (Directorium) dioecesanum, vel Ordinis religiosi vel inveniuntur in Proprio Sanctorum Regni (Bavariae, Hungariae etc.).

2°. Dein officium proprium potest esse *speciale*, si persona aliqua moralis praedictae partis (dioecesis, ordinis religiosi etc.) ad officium proprium tenetur, ut sunt: festum patrocinii alicuius ecclesiae (cathedralis, paroecialis, religiosae etc.), vel festum tituli ecclesiae (e.gr. B. Mariae Virginis mediatricis gratiarum), anniversarium dedicationis ecclesiae, festum peculiare Sanctorum vel reliquiarum alicuius ecclesiae.

3°. *Classes eorum qui ad proprium officium* seu calendarium tenentur. *Principium fundamentale* est: officium divinum absolvendum est iuxta calendarium proprium, vel eo deficiente, iuxta calendarium Ecclesiae universae (NCR 148).

a. *Clerici dioecesani* (saeculares) sequi debent calendarium: (1) suae *ecclesiae* i.e. calendarium dioecesanum, ubi habentur festa propria et indulta dioecesis et propriae ecclesiae, si sint *beneficiarii* (NCR 149). Huc pertinent *canonici* et *episcopus*, si episcopus plures habeat dioeceses, potest sequi calendarium alterutrius dioecesis, sed convenit, ut calendarium sequatur dioecesis, ubi actu commoratur (CRit d 3993,1). — (2) Sic quoque clerici *ecclesiae* vel oratorio *stabiliter addicti* seu adscripti, ii, qui curam exercent animarum vi sui muneris, ab ordinario ad hoc missi. — (3) Qui *nulli ecclesiae* vel oratorio sunt *addicti* et tales censentur qui aliud munus habent ac curam pastoralem, e.gr. magistri, praefecti oeconomi, etsi semper in eadem ecclesia celebrant vel etiam confessiones audiant: calendarium sequuntur *dioecesis*, non ecclesiae particularis (NCR 150). — (4) Si *extra dioecesim diutius* versetur quis ecclesiae *non addictus*, calendarium sequitur dioecesis *suae*, additis festis loci in quo domicilium habet, *aut* calendarium *loci* in quo commoratur (NCR 150).

b. *Religiosi utriusque sexus* sive choro adstricti sive non: (1) Si *habent calendarium proprium*, illud servant. In alia domo sui ordinis vel congregationis quando choro intersunt, calendarium sequuntur domus in qua actu versantur (NCR 151). Similiter faciunt religiosi choro non adstricti si in alia domo officium

in communi recitant (NCR 152). Ex quo sequitur, quod si religiosus in aliqua domo non intersit choro vel recitationi in communi, potest calendario propriae domus conformari. — (2) Si religiosi *non habent calendarium* proprium, servant calendarium suae ecclesiae, additis tamen festis propriis et indultis (NCR 153).

c. Degentes in *seminariis* vel *collegiis clericorum* (tum alumni in sacris constituti, tum magistri, superiores): (1) In seminario *dioecesano*, ut patet, calendarium loci sequi debent, i.e. dioecesis cum festis propriis loci. Si seminarium *religiosis* commissum sit, facultas datur adiungendi festa Tituli vel sancti fundatoris religiosorum (NCR 154), si religiosi una cum clericis officium in communi dicunt. — (2) In seminariis et collegiis *interdioecesanis* (pro sodalibus omnium dioecesium regni vel provinciae), *regionalibus* (pro pluribus dioecesibus), *nationalibus* (egr. Coll. Anglicum, Germanicum), *internationalibus*: si in communi absolvant officium, adhibendum est calendarium Ecclesiae universae, additis festis propriis patroni principalis nationis, etc., anniversario dedicationis ecclesiae cathedralis et festis seminarii (NCR 155). — Ex quo sequitur, quod si non in communi absolvant officium, se tenere debent ad praecepta supradicta supra **a.** (4).

d. *Benigna concessio* datur his, qui officium in choro vel in communi persolvunt: « *Quivis* tamen clericus *dioecesanus* aut quivis utriusque sexus *religiosus*, officio divino *quolibet* titulo adstrictus, qui officio participat in *choro* vel in *communi* iuxta aliud calendarium aut alium ritum quam suum, hoc modo suo muneri, quoad hanc officii partem officii, satisfacit » (NCR 157). Quo privilegio, hucusque tantum particularibus coetibus dato, nunc vero in perpetuum extenso in quemvis clericum, revelatur mens Ecclesiae, qua impense commendare vult persolutionem communem officii.

3. De modo persolvendi officium divinum

Ab auctoribus octo regulae afferri solent quoad modum recitationis officii divini.

I. regula recitationis oralis.

1°. Per decursum saeculorum officium divinum simplici modulatione quidem, sed semper *decantabant*. Fratres ordinis Praedicatorum incipiebant recitare, sed semper in choro, officium divinum, ut ad studia tempus habeant, fratres minores ordinatione S. Joannis de Capistrano saec. XV-o transsumebant ritum recitationis « in directum », tantum Vesperas decantabant. Inde ortum est per consuetudinem ius vigens, quod etiam in *recitatione* a solo oraliter seu vocaliter debent omnia pronuntiari. Vocaliter, quia officium precatio est vocalis, non mentalis, ut meditatio. In omnibus functionibus liturgicis ab Ecclesia oratio vocalis praescripta est, ergo etiam in recitandis horis canonicis. Verba ergo ore: i.e. *labiis et lingua* debent formari, etsi sine voce audibili. Convenit, ut hi qui soli divinum officium recitant, Signa Crucis faciant (NCR 261).

2°. Quod *recitationem cum aliis* attinet, pronum est, recitationem debere esse factam voce « clara », nam sibi invicem alternant in recitatione. Regulae pro hac recitatione communi sunt sequentes: **a.** Fit in *choro*, « si absolvitur a communitate per leges ecclesiasticas choro obligata; *in communi* vero, si idem fit a communitate, quae choro non est adstricta, etsi fiat a duabus vel

tribus personis tantum » NCR 140-141). — **b.** Recitatio debet fieri alternatim, ita, ut unus recitans, vel pars una chori unum, alter alterum versum Psalmi, stropham hymni etc. dicat, non possent ergo ternis vicibus, tres partes chori faciendo psallere. Lectiones omnes possunt ab uno legi, non ab omnibus, vel alternatim, nam ratio lectionis postulat, ut unus legat, alteri autem audiant. Similiter collectae et capitula ab uno dicuntur. — **c.** Invicem *audire debent,* nam qui non recitat eam partem, quam alter dicit, eam saltem audire debet, nullo modo pronuntiare vocaliter, vel oculis textum sequendo in suo libro. Qui autem *non audit,* ut surdus, inhabilis est ad recitationem communem, et tali in casu deberet partes, quas ipse non recitat, submisse oraliter dicere. Quia autem communitas persolvit totum officium, iste, qui *aliquam functionem habet* liturgicam, e.gr. pulsat organum, librum perquirit, exit ad lectionem ad pulpitum, dum Psalmi adhuc dicuntur et sic aliquid non dicit, vel non percipit, ad nihil tenetur. — **d.** Recitatio communis debet fieri distincte, non simultanee, nec partialiter. (1) *Distincte*: verba non licet obtruncare propter nimiam festinationem, ita ut intelligi non queant, quod secus etiam in recitatione solitaria (a solo) vetitum est. — (2) *Non simultanee,* i.e. eo modo, quod eodem tempore dicatur unus versus Psalmi, dum alter, quia tunc invicem non possent intelligere et opus Dei actio fieret histrionica. — (3) *Nec partialiter* potest haec simultaneitas fieri, sed unus expectet alterum, dum absolverit suam partem.

II. regula: intentionis debitae.

Intentio eadem esse debet, quam Ecclesia habet in persolvendo officio divino: « Non de recitatione tantum agitur... sed potissimum *de ascensu mentis* animique nostri ad Deum, ut eidem nosmet ipsos, omnesque actiones nostras Jesu Christo coniuncti, penitus addicamus » (MDei n. 143). Intentio haec ascensionis mentis ad Deum adesse potest *habitualiter,* vel virtualiter implicite, si breviarium in manus sumitur, ut officium quis persolvat. *Actualis* fit, si adtendatur ad officii introductoriam precem « Domine labia mea aperies » et alias preces, quae omnes hanc intentionem volunt excitare in animis precantium. — Quando propter impedimentum aliquod e.gr. ebrietatem non fit actus humanus, tunc deficiente intentione, non satisfaceret obligationi.

III. regula: attentionis requisitae.

1°. *Attentio* est actus intellectus quo ad dicta vel ad facta reflectitur. In oratione praesertim necessaria est attentio, ut S. Benedictus dicit, in opere Dei, i.e. in officio divino niti debemus, « ut mens nostra concordet voci nostrae ».

a. Sancti Patres infatigabiles sunt in commendanda *attentione interna* et non dubitant enuntiare, *fructu orationis privari* eos, qui sine attentione orant. S. *Chrysostomus* sic hortatur ad eam: « Multi intrant in ecclesiam et mille versus orando profundunt et egrediuntur, nec sciunt, quid dixerint, labia moventur, nec ipsi audiunt. Tu ipse non audis orationem tuam et Deum vis ut exaudiat orationem tuam? Flexi — ais — genua! Verumtamen mens tua foras evolabat, corpus tuum intus erat in ecclesia, sed cogitatio foris, os tuum dixit orationem, sed mens supputabat usuras, pacta, contractus, agros, possessiones, amicorum consortia. Diabolus enim, cum malignus sit, sciens nos tempore orationis magnopere proficere, tunc advenit » (Hom. de Chananaea 10. PG 52,457). — **b.** Attentio interna necessaria est, nam secus, si mens tempore psalmodiae foris vagatur,

non possunt Psalmi et textus scripturistici « *veritates in mentem revocare,* spem repetere, mirifica in luce ponere Jesu Christi gloriam, beneficos eius labores eiusque in nostram redemptionem profusum sanguinem » (MDei n. 146).

2°. *Ad validitatem* tamen attentio *interna non* est necessaria, etsi verum sit, quod eius defectus inquantum voluntaria fuerit peccatum sit veniale, et multum aufert e fructibus orationis publicae. **a.** Omnino necessaria ad officium divinum est *attentio externa,* i.e. exclusio actionum externarum, quae mentis attentionem internam impediant. Attentionem internam *graviter impedirent,* proin sub gravi prohibentur: pingere, scribere, alios cum magna attentione audire loquentes, attente legere, imagines vel statuas attente considerare; *leviter impedirent,* itaque sub levi prohibentur: vestibus se exuere vel induere, manus lavare, regionem, agros, prata, montes, aedificia aspicere, focum instruere (Noldin-Schmitt II. nr. 767.). — **b.** Doctrinae huic quidam, ut Prümmer, adversantur, at *etiam in ritibus* sacris aliquoties praescribitur actio quaedam inter orationem, sic e.gr. quando celebrans aquam in calicem infundit, guttulas attendendo calicem extergit, interea vero recitare debet orationem « Deus qui humanae », vel quando manus lavans dicit Ps. Lavabo. Tali modo etiam *Patres in deserto* per totum diem labore manuum occupati texendo storeas (Matte, pré, stuoia, gyékény) psalmos et cantica recitabant, imo meditationi vacabant. Attentio ergo externa hoc sensu possibilis videtur, supposito quod ad actionem fere nulla attentio requiritur. Patet attentione externa uti licere solum per exceptionem urgentis cuiusdam occupationis.

IV. regula: recitationis integrae.

Recitatio integra comprehendit duo.

1°. Recitationem *omnium partium officii,* i.e. quod nihil omittatur, de quo iam supra actum est (2. a).

2°. Recitationem *singulorum verborum,* quae non debent truncata proferri. Nimia festinatio adeo proficere potest, quod verba sensum suum amittant, imo, quod integrae propositiones omittantur; si hoc per notabilem partem fieret officii, gravis culpa committeretur, recitatio enim esset invalida. Praesertim commendandum est, partes saepe occurrentes officii (Benedictus, Magnificat, officium capituli, Te Deum etc.) non semper memoriter dicere, sed etiam legere, nam frequens recitatio facile generare potest truncationes et omissiones. Si truncatio aliqua propter vitium linguae balbutientis fieret, omni culpa vacaret.

V. regula: recitationis continuatae.

1°. Recitatio continuata intelligitur recitatio officii sine interruptione. *Interruptio* nullo modo vocari potest ea, quae fit *inter horas singulas officii,* nam haec « separatio » est naturalis, horis enim per diem distributis Ecclesia *sanctificare vult totum diem.* Officium divinum est etenim cultus, per quem « diei horas, hebdomades, cunctumque anni cursum amplectatur » Ecclesia, « omniaque tempora variasque humanae vitae condiciones attingat » (MDei n. 136). Ideo non est interruptio, si *Laudes* ab officio nocturno separantur etiam per totam noctem, nam Laudes « cum sint precatio matutina, *in choro* et *in communi* primo mane dicuntur » (NCR 145). Singulos *nocturnos* separare licet, etiam sine causa, etsi nocturni nec antiquo tempore nec in recitatione chorali separari debent.

2°. Interruptio habetur, si *partes alicuius horae* ab invicem separantur. Interruptio talis etiam *sine causa* nunquam constituit peccatum grave, nam ad substantiam officii pertinet quod intra spatium unius diei naturalis, i.e. intra 24 horas absolvatur. Procul dubio interruptio sine causa alicuius horae peccatum veniale esset. Ex *iusta autem et rationabili causa* nullum habetur peccatum, tales sec. S. Alphonsum sunt utilitas propria vel aliena; devotio; executio mandatorum superioris; exceptio confessionum, sacerdos ergo in confessionali semper licite recitare potest officium etsi praeviderit se id interrumpere debere. — Quae semel iam recitata sunt, nunquam debent repeti, etsi commendari potest, psalmum vel lectionem, in quantum possibile est, complere.

VI. regula: recitationis ordinatae.

Ordo duplex distinguitur, externus et internus.

1°. *Ordo externus* horarum est ordo, quo Horae canonicae se invicem excipiunt seu succedunt: Matutinum, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, Completorium, qui ordo servari debet, etsi inversio huius ordinis praescripti nunquam grave peccatum constitueret. a. Sine causa *veniale* esset peccatum, e causa iusta autem nullum. *Tales causae iustae sunt*: Si quis horas minores recitaret, quia Diurnale secum habet, breviarium non; vel si quis in choro vel cum socio vellet psallere, etsi alias horas praecedentes nondum persolverit; si tarde advenerit in chorum, tunc quoque potest statim cum aliis concinere, et omissa postea supplere. — **b.** Inversio ordinis externi etiam tunc licita est, *ut Prima* dicatur, qua precatio matutina *mane, Completorium vero ante decubitum,* etiamsi iam recitaverit Matutinum sequentis diei. Ecclesia nunc commendat iam hunc usum: « Completorium, ab *omnibus* qui ad recitationem divini officii obligantur, praesertim in religiosis familiis, *valde opportune* dicitur tamquam precatio ultima *in fine diei,* etiam si, ob iustam causam, matutinum diei sequentis *iam anticipatum* fuerit. Hoc in casu, *Pater noster,* alias dicendum post versum *Adiutorium nostrum,* omittitur et eius loco, *in choro* et *in communi,* fit examen conscientiae per rationabile tempus protractum; deinde dicuntur *Confiteor* et reliqua more solito; quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo* facta » (NCR 147).

2° *Ordo internus* horarum est successio partium singularum alicuius horae. Inversio ordinis inter diversas partes sec. auctores veniale non excedit, et e rationabili causa sine peccato fieri potest. Talis casus potest esse, si quis curru vehitur et ad parcendum tempori recitare vellet, tunc potest lectiones omittere et eas postea supplere. Conditio autem est, quod tamen officium divinum suam rationem retineat, nam in casu, quem audivi, alicuius sacerdotis, qui separatim recitabat omnia Pater etc. et omnia Gloria Patri, dein separatim in continuo legens omnes antiphonas, separatim Psalmos, et in continuo omnes lectiones, — vix quidem servatur ratio officii divini.

VII. regula: recitationis situ et loco debito.

1°. *Locus* recitationis *publicae* est chorus ecclesiae. Officium enim divinum liturgiae pars est, quae in loco sacro persolvi debet. Recitatio *a solo* ubicunque fieri potest, Deus enim ubique praesens adorari ubique potest. Commendandum tamen est sacerdoti breviarium recitanti, quod sic hoc faciat, ut aedificet et non scandalizet alios. Secus non videtur adesse causa, cur prohibeatur aliquis a

recitando officio divino in plateis, vel locis publicis, curru ferreo vel electrico. — Ecclesia tamen suadet omnibus etiam in recitatione *a solo* locum sacrum, immo recitationem coram Sanctissimam Eucharistiam. « Clerici in sacris constituti, si *integrum* officium vel qui officium in alias preces commutatum rite obtinuerint, coram Sanctissimo, sive publicae adorationi exposito, sive in tabernaculo adservato, devote recitaverint » : indulgentiam lucrari possunt plenariam suetis conditionibus; si ex parte tantum persolverint officium coram Sanctissimo, pro unaquaque hora canonica indulgentiae 500 dierum participes esse possunt (Enchiridion Indulgentiarum, ed. 2. Romae 1952. nr. 736.).

2°. *Situs corporis* adamussim praescribitur a Rubricis breviarii, Caeremoniali Episcoporum et Decretis S. Congr. Rituum pro recitatione officii *publica*. Pro recitatione *privata* leges liturgicae quidem nullam fecere distinctionem, per multa saecula privatim recitantes omnia peregerunt, sicut in choro. Nunc « convenit signa Crucis facere » (NCR 261), secus dici debet, recitantibus breviarium *in solo* non debere sequi praescriptiones caeremoniales actionum, eos teneri solummodo ad recitationem textuum. *Commendari* debet tamen, si sine admiratione aliorum id facere potest, etiam in recitatione privata facere crucissignationes, genuflexiones et similia. Sine tamen omni peccato haec omitti possunt, et nulla causa exigitur, ut aliquis deambulando, sedendo recitet officium. Causa autem rationabilis permittit, ut etiam decumbendo recitet, non utique solum aegroto, sed etiam sano, qui noctem insomnem ducit. — Usus tabaci fumantis inter recitationem vix potest excusari propter irreverentiam a veniali peccato.

VIII. regula: recitationis tempestivae.

Recitatio tempestiva significat, quod officium divinum suo tempore debito celebretur. Praesertim haec oratio publica Ecclesiae determinatis horis affixa erat per saecula et etiam a personis privatim recitantibus observabatur, ideoque etiam nomen usitatum « horarum canonicarum » accepit. Tempus triplex distingui potest recitationis, tempus primario, dein secundario praescriptum, demum tempus privilegiatum.

1°. *Tempus primario praescriptum* est, quod substantiam attingit officii: intra *spatium unius diei naturalis* absolvi debet. Dies autem secundum computationem iuridicam incipit a media nocte et durat ad mediam noctem (NCR 4. et 143.). Tempus computari potest solummodo in privata officii recitatione variis modis (de quibus cf. De Eccl. sacrificante F. 3. a. 3°. **d.**).

2°. *Tempus secundario praescriptum* est per se ipsa hora, quam *denominatio Horae* canonicae assignat. Haec hora autem nunc nec in publica nec in privata recitatione iam adamussim servari debet, sed tantum circiter. « Horae canonicae officii divini ordinantur, ex earum constitutione, ad *sanctificationem* diversarum horarum diei *naturalis*. *Praestat* proinde, sive ad diem revera sanctificandum sive ad ipsas Horas cum fructu spirituali recitandas, ut in earum absolutione, tempus servetur quod *proxime accedat* ad tempus *verum* uniuscuiusque Horae « canonicae » (NCR 142). Qui sine causa rationabili hoc tempus praefixum et per haec iam latius determinatum non observat, veniale peccatum committit. *Causae rationabiles* sunt, ut quis antevertat vel differat tempus: tempus aptius pro studiis, lectiones dandae vel audiendae, iter, superventura occupatio, labores.

3°. *Tempus privilegiatum* est « *anticipatio* » officii nocturni (Matutini non Laudum) in horas pomeridianas diei antecedentis obligationem. — **a.** Pro recitatione *in choro* privilegium anticipationis *dabatur* indulto S. Sedis, potuit adesse per consultudinem legitimam, ante horam quartam pomeridianam autem in choro non potuit fieri anticipatio. — **b.** Nunc vero inde ab anno 1961 lex nova et simplex lata est: « Matutinum, ex iusta causa, horis postmeridianis diei praecedentis *anticipare* licet, *non* tamen *ante horam quartamdecimam* » i.e. ante horam 2. postmeridianam (NCR 144). Iuxta Motuproprio 25. iul. 1960 (n. 3) privilegia et indulta revocantur, etiam decreta et responsa S. Cong. Rituum, quae non conveniunt cum novis, ergo ante horam 14. invalide anticiparetur, privilegia hucusque data iam non valent sine novo privilegio. Sed ad hanc horam — opinamur, salvo meliore iudicio Ecclesiae — licet anticipare ex iusta causa *etiam in choro*, a fortiori in communi, nulla enim restrictio edicitur.

4°. Alius et novus ordo praescriptus est inde ab 1956. *pro Triduo Sacro* (Decr. SCRit. de ordine Hebdom. Sanctae instaur. 16. nov. 1955., cum Instructione). — **a.** In Triduo Sacro, si officium peragatur *in choro* i.e. si canonici vel regulares ad chorum adstricti psallant; vel *in communi*, si alii clerici ad chorum non adstricti recitent officium, tunc « Matutinum et Laudes *non anticipantur de sero*, sed dicuntur *mane* hora competenti. In ecclesiis tamen, ubi feria V. in Coena Domini Missa chrismatis mane celebratur, Matutinum et Laudes eiusdem fer. V. anticipari possunt de sero » (decr. n. 5). — **b.** *Matutinum* Dominicae Resurrectionis omittitur, *Laudes* dicuntur intra Missam, qui vero solemni vigiliae paschali non interfuerint, tenentur haec supradicta dicere sec. Brev. Romanum (Rubr. spec. OHS 1956 Sabb. Sancti n. 4.). — **c.** *Vesperae* Fer. V. et Fer. VI. Pass. Mort. Domini omittuntur in choro, qui his officiis non interfuerint, debent eas recitare (decr. n. 5. et Rubr. spec. Fer. V. n. 1). — **d.** *Completorium* Sabb. Sancti in choro omittitur, in privata recitatione persolvendum est (decr. n. 5. et Rubr. spec. Sabb. Sancti n. 1. et 3.).

4. De causis a recitatione excusantibus

a) **Normae generales.**

1°. Qui non potest recitare *totum, tenetur ad partem*. Hoc enim resultat e propositione damnata per B. Innocentium XI.: « Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur » (Denz. 1204.). Ergo secundum voluntatem Ecclesiae, qui potest vel unam horam minorem recitare, hoc debet praestare. Ratio est, quia hora minor est illa pars, in qua adhuc salvatur ratio finis officii, glorificatio nempe Dei.

2°. Qui a recitatione legitime *excusatur, non tenetur* nec *alias preces* dicere, e.gr. Rosarium, nec debet loco suiipsius personam aliquam *conducere*, officium divinum est etenim obligatio personalis.

3°. Si quis solus non potest recitare, potest autem *cum socio*, hunc sibi comparare debet, si hoc gratis et facile fieri potest. — Sed *beneficiarius* e fructibus beneficii debet conducere socium, vel petat dispensationem.

b) **Causa excusans: impotentia physica.**

Qui *amisit vel oblitus est* breviarium secum ferre, ad nihil tenetur, donec id habere potest. Per se intelligitur quod si possibile est, debet sibi commo-

dare breviarium alterius, sed non debet iter incoeptum abrumpere. — Qui *caecus* est, vel adeo caecutiens ut iam legere non possit, iterum ad nihil tenetur. sed quod memoriter recitare potest, ad hoc tenetur.

c) **Causa excusans: impotentia moralis.**

Haec potest esse triplex:

1°. *Infirmitas,* quae potest esse ex morbo *interno.* Si infirmus dubitet, num teneatur ad partem, ad nihil tenetur, ne ansa praebeatur dubiis et anxietatibus. — Aegrotus decumbens e causa *externa,* e.gr. propter fractionem crucis, iam potest et ideo tenetur recitare officium, si dolores non habuerit. — Aegrotus *ambulans* excusatur, si etiam occupationes consuetas subire non potest. — Aegrotus *convalescens* tunc tantum excusatur, si recitatione officii timeatur grave incommodum, ut notabilis defatigatio, virium lassitudo, capitis vel stomachi malum. In dubio standum est iudicio medici vel infirmarii timorati.

2°. *Occupatio,* sed statim animadverti debet, quod praesertim aevo nostro nimio activismo immerso inculcari praestat principium S. Benedicti: « Operi Dei nihil praeponatur ». Occupatio eo facilius excusat a persolutione officii divini, *quanto propius accedit ad Deum.* Si ergo quis v.gr. ad infirmum vespere vocatus fuerit, si confessiones exceperit, si verbum Dei praedicaverit. Non autem si occupatio *differri* potest, v.gr. scribendi librum et talia, quae non facile excusant, solummodo si ageretur de damno gravi proprio vel alieno. Recte moneri debet ideo: « Falsum est eum a recitatione officii excusari, qui per septem, imo per decem horas gravibus et urgentibus laboribus occupatur, nisi forte adeo defatigatus sit, ut officium sine notabili difficultate recitare non possit » (Noldin-Schmitt II. nr. 779.).

3°. *Speciales circumstantiae,* quando quis in talibus adiunctis versaretur, ut non possit prodere se esse sacerdotem, vel si laborem amitteret, vel aliud damnum grave pateretur.

d) **Causa excusans: dispensatio.**

Hanc dare potest:

1°. *Summus Pontifex;* saepe Nuntii Apostolici habent quoque talem facultatem, sed dispensatione data semper inculcatur obligatio recitandi preces, e.gr. Rosarium.

2°. *Ordinarii proprii* (episcopi etc. et superiores maiores religionis exemptae) dispensare possunt tantum:

a. Si vi can. 81. « difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni ». Sic tempore belli vel occupationis hostilis.

b. *In dubio de impotentia morali,* ius habent quaestionem, num in his adiunctis personae alicuius incommodum sat grave haberi possit, per dispensationem dirimere.

c. Si Ordinarii acceperunt *facultatem delegatam* dispensandi, sicut in Hungaria octobr. 1950.

5. De participatione actuosa fidelium in officio divino

a) Ecclesiae Magistrae monita sequentes multi pastores optimo successu fideles iam assuefecerunt *ad Missam* actuose participandam, pronum ergo erat eosdem ad fontes limpidos *sacri officii* quoque adducere. Notandum est, quod per saecula medii aevi fideles exculti multo magis sueti erant partes activas praestare *in officio divino*, quam in sacrificio Missae; ad hunc finem concinnatus est immensus numerus *Librorum horariorum* (livre d'heures), qui partim ex officiis liturgicis, partim vero ex officiis votivis et etiam devotionibus mere privatis compositi sunt. Quantum scio perquam raro scripserunt codices *ad Missae* participationem inservientes pro laicis; exemplum quoddam inveni in manuscripto Missali Musaei Nationalis Budapestinensis (« Nyelvemlékek » n. 17.), quod in usum Balthasar Batthyány capitanei arcis Köszeg anno 1489. concinnatum est. Codex latine exaratus nomina Missarum hungarice quoque exhibet. Kalendarium eius ex toto hungarice scriptum est, rubricae vero eius latine quidem, sed ad ipsum virum laicum directae sunt, non ad sacerdotem, e.gr.: « Prius incendisti ad quamlibet collectam unam candelam, ita et nunc ad quamlibet postcommunionem extingue unam et dic unum Pater noster et similiter istos versus: Judica Domine... Exaudi... » (fol. 41. Cf. Radó, Libri liturgici mss biblioth. Hungariae, I. Budapest 1947., 169-172.). Nostro autem saeculo innumerabiles iam editiones Missalium in linguas vernaculas versorum in lucem prodiere, simulque inde a triginta fere annis conatus exstant fideles *ad officium quoque divinum participandum* educare.

b) Ecclesia quidem *nullo modo obligat laicos* ad officium divinum: « Prisca aetate frequentiores christifideles horariis hisce precibus aderant, sed hoc pedetentim exolevit... Nihil igitur districto iure laicorum ordini hac in re praecipitur, verumtamen summopere optandum est, ut horarias illas preces recitando vel canendo, actu participent, quae diebus festis sub vesperum in sua cuiusque curia habentur » (MDei n. 148.). *Vesperarum* ergo *participatio valde commendatur*, revera permultis in locis fideles iam sueti sunt psalmos Vesperarum canere, Completorium quoque sat frequenter visitatur.

c) At *plus quoque faciendum est*: « Ex integris divitiis opibusque divinis cultus, qualis hic ab Ecclesia ratus est habitus et exercetur, hauriant christifideles, quantum possunt et quidquid possunt », ut SS. P. Pius XII. dixit (AAS 1947., 455.). Ideo sicdicta « *parva breviaria* », seu officium divinum laicis accommodatum, concinnata sunt, quorum rationem idem Summus Pontifex dilaudat: Fideles « tum optime orant, ubi ipsi cum Ecclesia orant, cui datus est spiritus gratiae et precum iucunde servatis temporum vicibus et festorum dierum varietate. Quapropter Sanctitas sua libenter cupit, ut Parvum Breviarium apud religiosos sodales, quibus id statutae ipsis normae permittunt et apud laicos homines in usu versetur » (Ep. Secretariae Status 15. nov. 1952., Bugnini, Docum. Pont. p. 192.).

d) Parva breviaria *iam historiam habent*, quae optime enarratur a cl. Bugnini (Eph. Lit. 1954., 172. s.). — 1°. Prima phasis est quando *editiones bilingues* ad exemplum Missalium editae sunt, quae Vesperas dominicales et festivas, forte etiam Tertiam, Completorium, et quaedam Matutina festorum summorum continebant, e.gr. *E. Battisti*, Breviario dei fedeli, Torino 1922; *P. Parsch*, Stundengebet für Laien, Klosterneuburg 1923; *F. X. Szunyogh*, Officium

divinum, Budapest 1924. — 2°. Altera phasi iam totum Breviarium *translatum in linguas vulgares* editum fuit, servata plerumque sola lingua vulgari. Tales versiones integri breviarii confectae sunt in Italia, Anglia, Flandria, Gallia, Germania, Hispania. Ubique terrarum integri coetus convenerunt ad recitandum officium divinum maioribus in festivitatibus, saltem praecipuas Horas, praesertim occasione Congressuum vel Hebdomadarum studii; insuper etiam associationes ad talem finem exortae sunt, ut Societas « Magnificat » anno 1927. in Anglia. — 3°. Inde post bellum mundiale 1939-45. composita sunt permulta « *breviaria parva* » *sensu stricto*. Quantum opinari licet ad notionem breviarii parvi pertinet, quod typum servans breviarii canonici, ob pastorales rationes tamen iam *non vertit* in vulgarem linguam breviarium liturgicum, sed varias modificationes peragens *novum typum creat breviarii ad usum privatum laicorum*. Breviaria parva ergo non sunt iam vera et propria breviaria, utilitatem tamen *maiorem* praestare possunt versionibus breviarii integri. Fere omnes ad Matutinum semper unicum habent nocturnum cum tribus Psalmis et lectionibus, in quibusdam Horae unum habent tantum Psalmum, Completorium fere ubique solummodo Dominicae affertur; aliqua breviaria etiam Psalmos seligunt captui faciliores; ubique inveniuntur breves explicationes pro vita spirituali accommodatae, Psalmi saepe alio ordine disponuntur ac in breviario, plerumque omittuntur Psalmi imprecatorii vel historici. Fere omnia solummodo lingua vulgari sunt composita.

e) Notandum est, quod fideles talibus breviariis parvis utentes Vesperas vel Completorium in ecclesia non liturgico modo recitent, i.e. ritibus psalmodiae, sacerdos ergo vestitus vestibus liturgicis ne assistat tali devotioni. Notandum est, quod Sancta Sedes concedere solet *sodalibus laicis religiosis et sororibus* usum cuiusdam breviarii parvi; pro religionibus iuris *pontificii* S. C. Religiosorum, pro religione iuris *dioecesani* Ordinarius loci, et quidem « ad experimentum ad quinquennium ». Rescriptis quaedam clausulae solent adiungi: 1°. ubi difficultates et incommoda timenda sint, cautissime procedendum est. — 2°. In religionibus iuris pontificii negotium examinandum erit in Capitulo generali et in decisione positiva exspectatur quaedam unanimitas. — 3°. Mutatio non debet turbare ordinem domesticum. — 4°. Cavendum ne in traditione religionis quid obstet parvo breviario inducendo, periculum schismatum praecavendum est (cf. *Gutierrez*, Com. pro religios. 1953, 263-266; *A. Bugnini*, Eph. Lit. 1954, 178-179; Theol. u. Glaube 1954, 460-461).

f) Quaedam *specimina breviarii parvi sunt*:

1°. *Abtei Maria-Laach*, Laienbrevier. Tagzeitengebet im Geiste liturgischer Erneuerung, I. II. Berlin 1928-29. — 2°. *Abtei Seckau*, Volksbrevier, Seckau 1933. — 3°. *H. Fleischmann*, Officium divinum parvum, Freiburg i. Br. 1933. ed nova: Bearbeitet im Auftrag der Fuldaer Bischofskonferenz (ed. bilinguis et monolinguis), 1951. Versio italica Milano 1953. — 4°. *J. Dillesberger*, Das Stundenbuch. Ein Laienbrevier, 3. ed. Salzburg 1940. — 5°. *Th. Stallaert*, Klein-Brevier, Haarlem-Antwerpen 1950. — 6°. *C. Sanchez-Aliseda*, El breviario de los fieles, Barcelona 1951. — 7°. *St. John's Abbey*, (Collegeville, Minnesota), A Short Breviary for Religious and the Laity, Collegeville 1951. — 8°. *A. M. Henry*, Bréviaire des fidèles, Paris 1951. — 9°. *Abbaye d'Encalcat*, Livre d'heures latin-français, Dourgne-Tarn 1952. — 10°. (*A. Bea*), Kleines Marianisches Offizium. Erweiterte Ausgabe, Torino-Roma 1953. — 11°. *A. Mistrorigo*, Breviario Romano dei fedeli. Latino-Italiano, Vicenza 1954.

Litteratura.

Quoad leges cultuales. *M. Gatterer*, Annus liturgicus, 4. ed. Oeniponte 1925, 169-182. — *Mihályfi Ákos*, A nyilvános istentisztelet (=De cultu publico), 4. ed. Budapest 1933, 323-

350. — *C. Callewaert,* De Breviarii Romani liturgia (Instit. Lit. II.), 2. ed. Brugis 1939. — *L. Eisenhofer,* Handbuch d kath. Liturgik, 2. ed. Freiburg i. Br. II. 1941, 481-560. — *A. Vermeersch - J. Creusen,* Theol. Moralis, 4. ed. Romae 1948, III, n. 31-46. — *J. Aertnys - C. A. Damen,* Theol. Mor. ed. 16. Taurini 1950, II, n. 1106-1131. — *H. Noldin-A. Schmitt-G. Heinzel,* Summa Theol. Moralis ed. 30. Barcelona 1954, II. n. 753-779. — *A. Santamaria,* Utrum attentio requiratur in recitatione officii divini, *in*: Angelicum 1955, 359-367. — *G. Osterle,* Erfüllt der Priester mit der Rezitation des Breviers in der Muttersprache seine Pflicht? *in*: Anima 1958, 43-53. — *Schmidt,* Intr. 1960, 438-456 (notitiae technicae).

Quoad participationem actuosam fidelium. *J. Stadthuber,* Das Stundengebet der Laien im christlichen Altertum, *in*: ZfkTh 1949, 129-183. — *F. Vandenbroucke,* Bréviaire des Fidèles et Livres d'Heures, *in*: Questions lit. paroiss. 1953, 114-118. — *A. Gutierrez,* De parvo breviario in linguis vernaculis, *in*: Comment. Relig. et Mission. 1953, 263-266. — *J. M. Hum,* Les fidèles et l'office divin, *in*: Maison-Dieu cah. 34. 1953, 157-163. — *A. Bugnini,* I laici e la laus perennis, *in*: Osservat. Romano 1953 24. dic. — *H. Schmidt,* Recensiones librorum supra sub n. f. 5°, 6°, 8°-11°. — *A. Bugnini,* Parva breviaria fidelium, *in*: Eph. Lit. 1954, 171-179. — *Schmidt,* Intr. 1960, 469-483.

D. De ritibus psalmodiae

Agere debemus de sequentibus:
1. Regulae psalmodiae generales.
2. De singulis psalmodiae partibus.

1. Regulae psalmodiae generales

a) **Regulae vestitus.**

1°. *Clerici chorales* habitu talari superpelliceoque induti, biretum ante pectus tenentes in loco stationis, vel in sacristia exspectant. — 2°. *Canonici* super cottam vel qui eo utuntur rochetum induunt cappam choralem, quam deponunt, si vestimento stricte liturgico, puta pluviali, induuntur. Mozzetam illi assumunt, qui ad hoc ius habent, in propria ecclesia; usus mozzetae in functionibus omnibus choralibus, processionibus, et etiam in concione permissus est, sed stricte vetitus in administratione Sacramentorum, (cf. Adnotationes ad d 2578. in vol. IV. Decr. authentic. p. 164-165). — 3°. *Celebrans* induitur superpelliceo et pluviali, sine stola, non obstante contraria consuetudine (C. Rit. d 2956,5 et 4162,1); in matutino pluviale assumit ad cantum IX. lectionis. — 4°. *Ministri sacri* paramenta sacra assumunt.

b) **Regulae ingressus.**

1°. Induti paramentis sacris *cooperto* capite incedunt, induti vero simplici chorali habitu *detecto* capite, biretum tenentes in manibus ante pectus. — 2°. Si cum celebrante parato incedunt, *praecedunt* iuniores, si sine celebrante, praecedunt digniores. — 3°. Si ad altare maius pervenerint, bini faciunt *genuflexionem,* seque vertentes capitis inclinatione salutant, si habeatur consuetudo, dein occupant loca sua eo ordine quo e sacristia egressi sunt; si Celebrans perventus ad altare, genuflectit, omnes cum eo genuflectunt, dein se signant et aliquantulum orant in silentio. — 4°. *Usus bireti*: caput tegitur, si sedent; genuflectendo et stando detegunt caput. Primum est semper caput detegendi, ultimum semper caput operiendi bireto. — 5°. *Tarde venientes* statim genuflectunt versus altare, parumper orant, mox surgunt, faciunt reverentiam altari debitam, salutant circumstantes in choro et vadunt ad locum suum (Caer. ep. lib. I. c. 18,4). — 6°. Sacramento exposito omittendae sunt salutationes in choro.

c) **Regulae de corporis habitu.**

1°. *Standum est*: initio uniuscuiusque Horae usquedum primus psalmus intonatus est, tunc sedent operiuntque caput bireto, dein: post ultimum psalmum usque ad finem uniuscuiusque Horae; insuper: ad matutinum ad « Pater noster » et subsequentem primam benedictionem, ad textum evangelii usque ad verba « et reliqua »: ad Antiphonam finalem B. Maria Virginis, quae inde a simplificatione 1955. solum post Completorium dicenda est (NCR nr. 181), stari debet per omnes dominicas a sabbato incipiendo et per totum tempus paschale. — 2°. *Sedendum est*: iuxta praedicta ad ceteras partes officii divini. Stando caput, ut dictum est, semper detectum manet, sedendo coopertum. — 3°. *Genuflectendum est* utroque genu: ad *stropham* quorumdam hymnorum (Hymni Ambrosiani « Te ergo quaesumus... redemisti », « Tantum ergo » et « Genitori », ad primam stropham « Veni Creator Spiritus » et « Ave maris stella », in hymno « Vexilla regis » ad « O Crux ave...dele crimina »), — ad *Preces feriales*, quae ab a. 1956 dicuntur solummodo in Vesperis et Laudibus feriarum IV. et VI. tempore Adventus, Quadragesimae, Passionis necnon feriarum IV. VI. et sabbato Quatuor temporum, excepta octava Pentecostes, quando officium fit de feria (Novus Codex Rubricarum 1960. 260). — in *Triduo sacro* ad « Christus factus est » usque ad finem Horae, ad Antiphonam finalem BMV, extra tempus superius assignatam (c. 1°.). (Cf. de his NCR 266-8).

d) **Modus psalmodiae.**

1°. Psalmi canuntur choris alternantibus, vel a Schola, alternante toto choro, « partim saltem gregorianis modulis cantari debent, vel alternis psalmis, vel alternis versibus eius psalmi » (Innstr. 3. sept. 1958. nr. 44). — 2°. Ad *asteriscum*, etsi officium solum recitetur, pausa facienda est (NCRubr. n. 202).— 3°. « *Textus liturgicus* canendus est, prout exstat in libris, nullo postposito, indebitis iterationibus et syllabarum abruptionibus prorsus amotis, atque ita semper, ut ab audientibus percipi possit » (Motu proprio Sancti Pii X. 1903. nr. 9), prout in editione typica iacet (C. Rit. d 4203). — 4°. *Totus chorus* concinat: ad primum versum psalmorum et ultimam stropham hymnorum, ad stropham hymni, ad quam genuflectitur, etiamsi praecedens stropha quoque communiter cantata fuerit (Caer. ep. lib. I. c. 28,6). — 5°. *Partes aliorum* in psalmodia: a. vehementer commendatur a Pio XI. ut « scholae *puerorum*, non modo apud maiora templa cathedrales, sed etiam penes minores et paroeciales sedes excitentur »; — b. dein, ut « cantus gregorianus, in iis, quae spectant ad *populum*, in usum populi restituatur,... ut vocem suam sacerdotis vel scholae vocibus ad praescriptas normas alternent » (Divini cultus 20. dec. 1928. n. VI. et IX.). Pius XII. speciatim edixit, ut laici « horarias illas preces recitando vel canendo, actu participent, quae diebus festis sub vesperum » habentur, i.e. Vesperas (MDei n. 148). — c. Quoad *mulieres*: prohibetur quominus *in choro* cantent, sive super tribuna, vel in media sacrae aedis aula, vel super maiorem ecclesiae portam, ubi organum est constitutum (C. Rit. d 4210,2 et S. Pii X. Motu proprio n. 13.), at iuxta mentem huius decreti, ubi officiatura choralis non habetur, admittitur etiam cantus exclusivus mulierum, « ex gravi causa ab Ordinario cognoscenda et caute semper ut quaevis inordinatio vitetur », praesertim exigitur, ut « viri a mulieribus et puellis sint omnino separati » (C. Rit. d 4231). Causa vero habetur iuxta De Amicis, « in pluribus

ecclesiis paroecialibus, ubi, nisi femineus populus, puellarum maxime, in cantu exequendo erudiatur, vix possent vesperae cantari et missae » (Caer. parochor. p. 106.).

2. De singulis psalmodiae partibus

a) **De Matutino et Laudibus.**

1°. Celebrans, cum ad altare pervenerit, biretum caeremoniario dat, debitam facit reverentiam, et statim ad scamnum se confert et absolute inchoat officium dicendo versum « *Domine labia mea aperies* », sine Pater, Ave, Credo quae ab a. 1956 non dicuntur (NCR 178), dum hunc versum dicit, pollice dexterae manus sibi labia crucis signaculo signat, sinistra infra pectus posita, quod omnes quoque faciunt. Dein se signans totum, incipit competenti tono « *Deus in adiutorium meum intende* ». — 2°. *Invitatorium* cantatur vel recitatur a duobus cantoribus in medio chori seu presbyterii, quo finito celebrans intonat hymnum et antiphonam I. nocturni. Post intonatum primum psalmum omnes sedent, cooperiuntque caput. — 3°. Psalmo tertio cuiusque nocturni ad finem perducto, intonato versiculo, omnes surgunt, celebrans intonat « *Pater noster...* et ne nos inducas », dein dicit *absolutionem*. — 4°. *Lectiones* cantantur in medio chori, ubi legile positum est, quod solummodo diebus festis serico panno ornari potest. Caerimoniarius cum inclinatione invitat lectorem et a sinistris comitatur cum ad legile ibique ambo ad altare genuflectunt, et chorum salutant, prius partem epistolae, dein evangelii, omnes respondent eorum inclinationi detegendo caput. Lector dein ad celebrantem se vertit manibus iunctis et inclinatus petit *benedictionem*, qua accepta cantat vel legit lectionem, manus tenens ante pectus iunctas, vel ponens eas super legile (C. Rit. d 3059,6.) Celebrans dando benedictionem detegit caput et surgit. Lectione peracta, lector unicum genu flectit ad « Tu autem Domine, miserere nobis », choroque salutato, ut supra, redit ad suum locum. — 5°. Post lectionem VIII. acolythi surgunt, ad altare vadunt ibique accendunt candelabra sua, seque conferunt ante celebrantem, qui interea pluviale coloris officio conveniens assumpsit, dein in loco suo benedictionem postulat, si adsit, a sacerdote digniore, secus ipsemet sibi benedictionem impertitur, *lectionemque IX.* ibidem legit vel cantat, in fine ad « Tu autem Domine » seipsum solum versus altare inclinans. — 6°. Omnibus ultra stantibus intonat « *Te Deum* », acolythi vero candelabra ad latera altaris deferunt. — 7.° Hymno Ambrosiano dicto, celebrans incipit *Laudes*, ubi omnia fiunt, sicut in Vesperis, et ad Benedictus altare incensat (C. Rit. d 3410,4).

b) **De Vesperis.**

1°. Celebrans ad altare facit debitam *reverentiam*, dein acolythi statim ad latera altaris se conferentes, ibi deponunt ad gradus altaris, candelabra eaque extinguunt (Caer, ep. lib. II, c. 3,2). — 2°. Celebrans in choro stans absolute inchoat Vesperas dicendo « *Deus in adiutorium* » primamque antiphonam intonat. — 3°. Post quintum psalmum surgitur, celebrans legit *Capitulum*, deinde intonat *hymnum* in loco suo, deinde *antiphonam* ad Magnificat, intra quam sedet. Intonato Magnificat per cantores, surgit, ad altare se confert cum ministris, et altare osculans, thus imponit, id more solito benedicens. Dein *thurificat*

altare, ut in Missa, dein altari debitam praestans reverentiam ad scamnum suum se confert, ibique a thuriferario *incensatur;* dein incensantur alii, ut in Missa sollemni. Acolythi cum candelabris se ante eum sistunt, stantque a dextra et sinistra libri, dum celebrans dicit « Dominus vobiscum » et *orationem.* Demum recitat « *Fidelium animae* » etc. quo Vesperae absolutae sunt. Antiphonae *semper integrae* dicuntur ante et post Psalmos (NCR 191).

c) **De Completorio.**

1°. Completorium *simplicius* dicitur Vesperis, organum non pulsatur, celebrans non paratur. — 2°. Completorium inchoatur *absolute* a « Iube Domne, benedicere », psalmi dicuntur sedendo. — 3°. *Benedictione* data per celebrantem (« Benedicat et custodiat vos » etc.) finitum est officium (NCR 1960, 179 c). — 4°. Completorio finito, concluditur *totum* cotidianum officium divinum, sueta *antiphona BMV.,* dein dicitur versiculus: « *Divinum auxilium* ». Iuxta decr. C. Rit. allegatum « indultum et indulgentiae, *olim* pro recitatione orationis « Sacrosanctae » concessa, eidem antiphonae finali adnectuntur » oratio ergo praelaudata abhinc iam omitti debet (NCR Var. 15).

Litteratura.

M. Gatterer, Praxis celebrandi, 2. ed. 1926, 333-389. — *Mihályfi Ákos,* A nyilvános istentisztelet (=De cultu publico) 4. ed. 1933, p. 343-345. — *L. Eisenhofer,* Handbuch der kath. Liturgik, 2. ed. 1941. II. 500-560. — *J. B. Müller - J. B. Umberg,* Zeremonienbüchlein, 19. ed. 1941, 151-155. — *P. de Amicis,* Caeremoniale parochorum, 4. ed. 1948, p. 300-321.— *G. Baldeschi,* Sacre ceremonie 9. ed. 1, p. 145-163. — *L. Hébert,* Leçons de liturgie, 9. ed. 1952, I, 145-163. — *R. Lesage,* Dict. pratique de liturgie Romaine, 1952, 858.

E. De notione piorum exercitiorum.

Sub piis exercitiis seu « devotionibus » intelligimus exercitia pietatis ad s. liturgiam districto iure non pertinentia (MDei n. 180), « sive in ecclesia sive extra, sacerdote quoque praesente vel praeeunte » peracta (Instr. de musica s. et s. liturgia, 3, sep. 1958 n. 1). Haec exercitia fiunt « sec. consuetudines et traditiones locorum aut coetuum, a competente auctoritate ecclesiastica approbata (ibid. n. 12). Haec exercitia non sunt adeo in omnibus stricte circumscripta, quam liturgicae exercitationes, tamen etiam illae pertinent ad pietatem ecclesiae. In oppositione ad liturgiam sacrificialem, epaeneticam seu laudis (officii divini) et sacramentalem *secundarium* quidem locum tenent, dum illae *honorem primatus* habent: « Liturgica precatio, cum publica sit privatis precibus potiore excellentia praestat », dicit MDei (n. 37). Ideo hucusque sat multi auctores haec exercitia devotionis publicae solebant vocare exercitia «extraliturgica», sed nunc videtur melius esse, si haec exercitia « *non stricte liturgica* » vocentur, ut magisterium Ecclesiae facit («...alia pietatis exercitia quae quamvis ad s. Liturgiam districto iure non pertineant » MDei n. 180). Quae sint pietatis exercitia ad s. Liturgiam stricte pertinentia, dictum est; huc pertinent processiones et exsequia quoque, de quibus inferius separatim agendum est (sub H. et J.). Nunc vero restat considerandum vastum mare devotionum publicarum, e quibus praecipua seliguntur. De his statuitur:

THESIS: (1) Pietatis exercitia ad liturgiam stricte non pertinentia cum ea non pugnant, (2) sed peculiari momento dignitateque pollent, (3) et in liturgicum ordinem quodammodo referuntur.

Doctrina catholica ex Encyclica:

Mediator Dei: « Alia praeterea pietatis exercitia habentur, quae quamvis ad sacram Liturgiam districto iure non pertineant, peculiari tamen momento dignitateque pollent, ita, ut in liturgicum ordinem quodammodo inserta censeantur, et ab hac Apostolica Sede sacrorumque Antistitibus etiam atque etiam comprobata sint ac dilaudata. Quorum in numerum supplicationes referuntur, quae vel per mensem *Maium* ad Deiparam Virginem, vel per *Iunium* mensem ad sacratissimum Cor Jesu admoveri solent, itemque *novendiales* vel *triduanae* preces, ac Jesu Christi *ad Calvariam iter* per Stationes recolitum, nec non cetera eiusmodi » (MDei n. 180). — De popularibus devotionibus Hebdomadae sanctae vero dicit *Instr. SCRit. 16 nov. 1955.*, Instr. n. 23: « Edoceantur fideles, de summo valore s. liturgiae quae semper et his praesertim diebus, ceteras devotionis species et consuetudines quamvis optimas, natura sua longe praecellit ».

Probatur I. pars: Non pugnant cum liturgia.

1°. *Pugnarent,* si haec exercitia non stricte liturgica *independentia* essent ab auctoritate ecclesiastica. At Ecclesia aliquo modo omnes devotiones publice peractas *instituit,* aliquas quidem *in specie* ut e.gr. omnes devotiones eucharisticas, quae adorationem erga Eucharistiam extra Missam exercent, de quibus inferius agitur (De SS. Eucharistia F. 6. et J. 8.), vel Orationem XL Horarum, quam adeo stricte instituisse censenda est, quod Instructio Clementina in ordinem librorum liturgicorum inseratur. Alias devotiones Ecclesia saltem *in genere* instituit, eas enixe commendando, indulgentiis publicam exercitationem talium devotionum uberius privata ditando, ut e.gr. preces novendiales ante Natale, Pentecosten etc., ulterior modus talia exercitia non stricte liturgica peragendi vero relictus est Ordinariis determinandus.

2°. *Repugnantia* cum exercitiis stricte liturgicis ideo quoque non invenitur, quia **a.** S. *Congr. Rituum* fere iam ab initio semper permulta decreta tulit circa haec quoque exercitia non stricte liturgica, sic e.gr. *positivas* edendo ordinationes circa novendiale ante Nativitatem Domini, ante festa Sanctorum, multas circa recitationem publicam SS. Rosarii, circa cultum SS. Cordis Jesu (cf. Collect. authent. Decr. S. C. Rit. tom. V, p. 323, 435, 129-130 et VI, 159). — **b.** Item eadem S. Congregatio *negative* quoque multa edixit circa haec exercitia non stricte liturgica, e.gr. reprobando devotionem erga Cor S. Joseph (d 3304), prohibendo Litanias in honorem S. Antonii, S. Matris Annae, vetuit quominus Litaniae speciales Apparitionis BMV. de la Sallette in ecclesiis recitentur; edixit, quod Litaniae S. Familiae recitari nequeunt a sodalibus Archiconfraternitatis *communiter* in ecclesiis et oratoriis publicis, etiam ianuis clausis; in genere enuntiavit, Ordinarios posse Litanias approbare, at nonnisi pro privata et non liturgica recitatione et multa alia (cf. decreta 995. 1723. 3419,5. 3980. 3555). — **c.** *Atqui* S. Congr. Rituum praecise instituta fuit ad augendum « filiorum Ecclesiae pietatem et *divinum cultum ritibus et caere-*

moniis conservandis instaurandisque » (Sixtus V. Bulla institutionis « Immensa aeterni Dei » 22. jan. 1588); *item* iuxta CIC huic S. Congregationi competit « ius videndi et statuendi ea omnia, quae *sacros ritus et caeremonias* Ecclesiae Latinae proxime spectant » (can. 253), nullum *ergo* dubium haberi potest, quod haec exercitia pietatis non stricte liturgica *secundario ad ambiens liturgicum* pertinent, proinde cum ea non possunt pugnare.

3°. Etiam haec exercitia non stricte liturgica, sed publice peracta pertinent ad genus *privatarum et popularium precum,* quae ab iis in tantum differunt, quod communiter peraguntur. *Atqui* Ecclesia expresse declaravit, « inter sacram Liturgiam ceterasque religionis actiones... *veram repugnantiam interesse non posse* » (MDei n. 171), ideo idem Sanctus Pater monuit, ne nimietate peccemus, nam « possunt inveniri, qui, liturgicas formas priscae aetatis nimium extollentes, seriores facile contemnant, ac privatas et populares preces despicentur ». His edicitur actus pietatis *non liturgicos despici non posse,* a fortiori ergo actus non stricte, sed tamen *aliquo vero modo liturgicos,* ut sunt devotiones publicae. Idem Summus Pontifex eadem homilia videtur insinuare, haec exercitia non stricte liturgica *latiore modo* ad s. liturgiam pertinere, cum sic pergat: « *Est liturgia omnis cultus Ecclesiae auctoritate constitutus,* quidpiam durabile et vivum, quod per saecula adolevit, si cui placet iuvenilis aetas, maturiores anni despiciendi non sunt. Quid vero de orationibus et pietatis exercitiis, quae Ecclesiae probantur? Ex *integris divitiis* opibusque *divini cultus,* qualis hic ab Ecclesia ratus est habitus et exercetur, hauriant christifideles, quantum possunt et quidquid possunt » (Homilia Pii XII. 18. sept. 1947. ob exactum XIV. saeculum ab obitu S. Benedicti Nursini, AAS 1947. 455.).

4°. Neque in eo pugnant exercitia stricte non liturgica cum ipsa s. liturgia, quod in his exercitiis iuxta usum per decreta quoque S. Congr. Rituum legesve alias Ecclesiae *lingua vulgaris* sat late adhibetur. Usus enim linguae liturgicae non potest considerari tamquam elementum *exclusive* constitutivum s. liturgiae, quia *tum* etiam in his devotionibus publicis adsint elementa quae ut textus stricte liturgici, puta « Tantum ergo », « Genitori », versiculi, orationes — lingua *liturgica* debent persolvi, *tum* quia etiam ipsa s. liturgia admittit *usum partialem* linguae vulgaris, qui valde utilis esse potest, solummodo « unius Apostolicae Sedis est id concedere » (MDei n. 59).

Pars II. probatur: Horum exercitiorum peculiaris dignitas et momentum.

1°. Momentum horum exercitiorum elucet ex eo, quod « haec pietatis opera *christianum excitant populum* tum ad Paenitentiae Sacramentum adsidue frequentandum et ad Eucharisticum rite participandum Sacrificium divinamque Mensam » (MDei n. 181). Hoc videri potest e.gr. in pio uso exercitii viae Crucis, ad poenitentiam tam salubriter incitantis; dein praesertim in utilitate devotionum erga SS. Sacramentum, quae ad fontem perducunt huius mysterii, ad Missae nempe sacrificium; in cultu Sacratissimi Cordis ad amicitiam divinam expiationemve per s. Communionem invitantis.

2°. Momentum horum exercitiorum dein in eo quoque resplendet, quod excitant populum christianum « *ad Redemptionis nostrae mysteria meditanda* » (MDei ibid.). Sic devotio SS. Cordis inducit ad praegustandum mysterium unionis hypostaticae, ad cognoscendum mysterium divinae misericordiae; Immacu-

lata Conceptio per devotiones celebrata illustrat mysterium electionis Dei simulque summum momentum Incarnationis, quae digno modo per hanc mirabilem praeservationem Matris elucet; mysterium fidei vero, Eucharistia « pro fidelibus ab ipsa infantia est schola fidei, fidei insensibilium, opus artis pedagogicae plane divinae », dicit L. Hertling (Theol. Ascetica n. 287), qui merito adiungit, monotoniam litaniarum, Rosarii paedagogicam esse, nam tranquilla sed inevitabili repetitione fideles non possunt non discere mysteria fidei.

3°. Momentum harum devotionum etiam in eo conspici potest, quod « ad praeclara *sanctorum caelitum imitanda exempla* » provocant (MDei n. 181). Praesertim imitatio B. Mariae Virginis et castissimi Sponsi eius inculcantur per devotiones mensiles Maianas et Martias; devotiones Octobres SS. Rosarii vero scholam quandam constituunt imitationis Sanctissimae Virginis. Periculum haberi potest in quadam superstitione, cum quis credat se debere speciali modo hunc aut illum Sanctum colere, ne sibi quid infortunum accidat, sed tale periculum facile evitari potest; similia in omni re religiosa occurrere possunt (Hertling n. 288).

4°. Dignitas talium exercitiorum non stricte liturgicorum *ex eorum obiecto* statim elucet. Coluntur enim SS. Trinitas, Spiritus Sanctus, SS. Nomen Jesu, Cor eius sacratissimum, Jesus infans, patiens, quinque vulnera, Sanguis pretiosissimus Corpusve Christi cultu *latriae*. Cultu autem *hyperduliae* B. Virgo et singula momenta specialis eius oeconomiae ab Immaculata Conceptione ad Assumptionem; cultu *protoduliae* S. Joseph, cultu *duliae* ceteri Coelicolae, socii et domestici Dei.

Probatur III. pars: Exercitia haec in ordinem liturgicum inseruntur.

1°. Ordo liturgicus potest primo intelligi, ut *oeconomia ordinaria gratiae*, quae constat in Sacrificio Missae et Sacramentis. In hunc ordinem liturgicum « quodammodo inserta censentur » exercitia non stricte liturgica, inquantum etiam iis « Spiritus Sancti afflatus et actio » adest et eundem finem consequuntur, ac exercitia stricte liturgica, quod ab enc. Med. Dei sic explicatur. Multiplices formae pietatis non stricte liturgicae enim **a.** « eo spectant, ut animos nostros — etsi varia ratione — *ad Deum* convertant », id facit s. liturgia quoque, ergo devotiones quodammodo inseruntur ordini oeconomiae liturgicae; dein — **b.** sicut Missae sacrificium per fructum suum propitiatorium, Sacramentaque « mortuorum » faciunt, item varia ratione, per opus operantis nempe Ecclesiae et subiecti fidelis id quoque consequuntur devotiones, ut fideles « *a peccatis expient ad virtutemque excitent assequendam* », — denique **c.** « ad sincerae pietatis studium salutariter instimulant », sicque pietate hac maiore fideles « *ad publica participanda* sacra uberioribus cum fructibus *inducunt* » (MDei, n. 173).

2°. Ordo dein liturgicus secundo intelligi potest ut *cyclus salutaris mysteriorum Christi*, annus nempe liturgicus. In hunc quoque ordinem liturgicum devotiones non stricte liturgicae quodammodo inseruntur, eo scilicet, quod cumulus plurimorum talium exercitiorum partim *presse* sequitur, partim vero *iuxta* cyclum liturgicum *alium* quendam cyclum salutarem constituit. **a.** Sic *presse sequitur* cyclum anni liturgici devotio novendialis ad Jesum infantulum; tempore Quadragesimae vero devotio erga passionem Christi, exercitium Viae

Crucis praecipue hoc tempore frequentatum; preces novendiales festum Pentecostes. — **b.** *Alius vero cyclus salutaris* ortus est temporum decursu per exercitia mensilia semper recurrentia: observantia nempe Feriae VI. primae cuiusvis mensis quantas utilitates attulerit, nemo est, qui non conspiciat. Huc pertinet observantia primae Fer. V. et Sabbati cuiusvis mensis; hisce vero observantiis occurritur exigentiae nostri aevi, quod quandam uniformitatem per dies ordine Calendarii recurrentes nititur. Qua primum exemplum talis observantiae in cyclo liturgico s. IV-V-o Quatuor Tempora orta sunt. Mensilia exercitia pietatis publice peracta vero imitantur periodos longiores cycli liturgici, iuxtaque has ponuntur, quin cum illis pugnent: eundem nempe habent finem, fideles ad vitam aeternam perducendi.

Litteratura.

L. Gougaud, Dévotions et pratiques ascétiques du moyen âge, Maredsous 1935. — *J.. Leclercq,* Dévotion privée, piété populaire et liturgie au moyen-âge, *in*: Études de pastorale liturgique, Paris 1944. — *O. Hophan,* Liturgie oder Volksfrömmigkeit? *in*: Anima 1958, 72-82. — *J. A. Jungmann,* Liturgie und « pia exercitia », *in*: Lit. Jahrbuch 1959, 79-86.

F. De piis exercitiis quovis tempore peragendis

In hac quaestione tractandum est de illis piis exercitiis, quae quovis anni tempore peragi solent, dum in sequenti sectione G. de iis agamus, quae statis temporibus solum exercentur.

Agendum est de 1. oratione XL Horarum, 2. de exercitio Viae Crucis, 3. de devotionibus pomeridianis, 4. de cultu s. reliquiarum, 5. de installatione parochorum, 6. de visitatione parochiarum, 7. de pulsatione campanarum.

1. De Oratione XL Horarum

a) **Historia.**

1°. *Numerus quadragenarius* sacratus ab antiquitate etiam ad quietem sepulcralem Domini applicatum est, ut iam S. Augustinus meminit: « Ab hora mortis usque ad diluculum resurrectionis horae sunt quadraginta, ut etiam hora nona connumeretur » (De Trinitate IV, 6). Primum vestigium Sacramentum Eucharistiae per XL horas adorandi apparet in civitate *Jaderensi* (Zara) saec. XIII-o; membra alicuius confraternitatis per XL horas non intermissas adoraverunt SS. Sacramentum in « sepulcro » inclusum a Fer. V. Coenae Domini usque ad Sabbatum Sanctum.

2°. Anno funesto 1527., pius sacerdos Joannes Antonius Bellotti, *Mediolani* sacram praedicans Quadragesimam in ecclesia S. Sepulchri, adduxit fideles ad hanc praxim adorandi per XL non intermissas horas tempore tridui sacri. Quae devotio adeo placuit, ut fervorosi Barnabitae, praeeunte S. Antonio Maria Zaccaria, post decennium in eadem civitate hanc piam devotionem in omnibus ecclesiis parochialibus introduxerunt. Dehinc pia praxis in Italia propagari coepit, usquedum etiam in Urbem pervenit data opera S. Philippi Neri, versus 1550.

3°. Ratum habitum est exercitium hoc a *Clemente VIII.* anno 1592. per Constit. Apost. « Graves et diuturnae » in omnibus ecclesiis Urbis, sic, ut dehinc

totum annum sine intermissione diu noctuque Sanctissimum alicubi Romae adoretur. Qua finis talis praxis pax imploranda inter nationes christianas assignabatur. *Ordo* huius *adorationis perpetuae* editus est a Clemente XII. 1. sept. 1731. (habetur in III. vol. Decretorum authent. C. S. Rit. p. 377-383). Haec « Instructio Clementina » pro Urbe valet, sed etiam alibi observari potest. — 4°. Cum exclusione adorationis nocturnae XL horae per *tres dies Carnisprivii*, vulgo Carnevale, celebrabantur prima vice in urbe Macerata delle Marche anno 1556. ut populum detinerent a visitandis spectaculis inhonestis. Haec adoratio a Benedicto XIV. per Epistolam « Inter cetera » (1. jan. 1748) vehementer commendata in plurimis dioecesibus Italiae et aliorum regnorum usuvenit.

b) **Notio Orationis XL Horarum.**

1°. Oratio XL Horarum *proprie dicta* est sollemnis expositio Sanctissimi Sacramenti in forma Instructionis Clementinae, quae Romae adhuc stricte observatur. Sanctissimum Sacramentum in ostensorio prope meridiem unius diei, qui ut primus computatur, publicae fidelium adorationi exponitur, sicque sine ulla, etiam noctu, intermissione permanet, usque ad meridiem diei tertii. Haec expositio extra Urbem non obligat, at laudandi sunt, qui eam sequi volunt (C. Rit. d 2403). Pro expositione tali modo peracta conceditur: *indulgentia* 15 annorum pro visitatione Sanctissimi, si quinquies Pater, Ave et Gloria recitaverint fideles, semelque easdem preces ad intentionem Summi Pontificis iteraverint, item indulgentia plenaria semel in die, singulis expositionis diebus, additis sacramentali confessione et communione (Ench. Ind. 169. a.).

2°. Ubi vero, iudice loci Ordinario, expositio sollemnis iuxta Instructionem Clementinam fieri nequit, modo fit expositio XL Horarum, quae *expositio ad instar* vocari potest. Iste modus est sequens: Sanctissimum quacunque hora matutina vel circa meridiem publicae adorationi fidelium in ostensorio exponitur, et perdurante ipso die et altero eiusmodi expositionis, die tertio meridie aut de sero reponitur, quamvis noctu haec expositio intermittatur. Etiam pro expositione tali modo peracta eaedem omnino indulgentiae benigne conceduntur (Ench. Indulg. n. 169. b.).

c) **Praescripta generalia.**

1°. *Missae regulantur* per Nov. Codicem Rubricarum (348-355). Missa ad *exponendum* et *reponendum* SS. Sacramentum in oratione Quadraginta Horarum sive continua sive interrupta, celebratur in ipso altari expositionis Missa *in cantu* de SS. Eucharistiae Sacramento, tamquam votiva II. cl. Haec *prohibetur* ergo solummodo diebus liturgicis I. cl., (NCR 341), inspicienda est ergo Tabella praecedentiae n. 1-13. *Die secundo* (medio) expositionis, in altari, ubi SS. Sacramentum expositum est, celebrari potest *in cantu*, tamquam votiva II. cl., iterum de SS. Sacramento aut alia Missa votiva peculiaribus necessitatibus loci accommodata (e.gr. pro pace), prohibitio eadem ac supra (NCR 349). Insuper convenit, quod diebus liturgicis IV. cl. celebrentur in ecclesia expositionis omnes Missae de SS. Sacramento (NCR 350).

2°. *Locus adorationis* est quaelibet ecclesia, in qua SS. Sacramentum habitualiter asservatur (can. 1275), nulla enim alia conditio requiritur, sollemnis expositio XL Horarum enim non pertinet ad iura parochialia (C. Rit. d 2123, 11).

3°. *Tempus huius adorationis*: expositio celebrari potest quibuscunque anni diebus, excepto *Triduo sacro,* nam XL Horarum adoratio absolute cessare debet a mane Fer. V. in Coena Domini usque ad mane Sabbati Sancti (C. Rit. d 1190). Die *Commemorationis Fidelium defunctorum* Missae votivae celebrari nequeunt; unt; si expositionis dies incidat in hunc diem, tunc huiusmodi expositio fiat post Missam cantatam die Fidelium defunctorum, si vero repositionis dies inciderit, tunc repositio praecedat Missam supra memoratam (NCR 1960, 351), omnes Missae hac die celebratae, si expositio perduret, celebrantur colore violaceo. Die *Purificationis BMV., Fer. IV. Cinerum, Palmarum* « SS. Sacramentum... tempore benedictionis et processionis vel impositionis cinerum aut transfertur ad aliud altare in quo adoratio continuari possit absque detrimento pietatis fidelium, aut deponitur, et adoratio resumitur, expleta benedictione et processione vel cinerum impositione cum Missa » (NCR 1960, 352).

4°. Commendatur, ut tempore XL Horarum in ecclesia semper *adsit custos* sacerdos, vel saltem clericus superpelliceo indutus (C. Rit. d 2079, 18).

5°. Supra *ecclesiae ianuam* ponatur signum Sanctissimi Sacramenti festive ornatum (Instr. Clem. § II.), ad ipsam vero ianuam ecclesiae applicari debet tapete cum spatio adaequato ad latera, ut populus commode intrare possit, Sacramentum vero e via videri non possit (ibid. § VIII.).

6°. *Altare expositionis* maxima pompa exornetur, imagines et reliquiae amoveantur, in loco eminenti altaris praeparetur thronus SS. Sacramenti, super eius basim cum corporali, altaris *antependium* coloris erit albi, etiamsi Missa alium colorem exigeret. Altare expositionis est altare *maius,* exceptis Basilicis Patriarchalibus; saltem *viginti* candalae ardeant in eo (Instr. Clem. § III.-VI.). In altari expositionis non celebrantur *aliae Missae,* nisi Missa expositionis et repositionis (§ XII.), sed varia decreta S. C. Rituum paululum relaxabant hoc vetitum. Si necessitas adesset, e.gr. quod in ecclesia alia altaria non inveniantur, vel ex alia gravi causa, licet etiam alias Missas ibidem celebrare (d 3448,1); Missa conventualis cani potest ibidem « de licentia tamen Ordinarii » (4104,1), « attente immemorabili consuetudine tolerari potest ut praeter Missam expositionis alia Missa quae praecipua est, sollemnitatis », imo etiam « tertia Missa capitularis » (conventualis) celebrari possit (3124, 2. et 3.).

7°. S. *communio* in Oratione XL Horarum distribui nequit in altari expositionis, nec infra nec extra Missam; si non habeatur tabernaculum, nisi in altari expositionis, « in altari laterali apponatur parvum ciborium (=tabernaculum) amovibile » (C. Rit. d 3525,4). Hoc vetitum extenditur etiam ad alias expositiones SS. Sacramenti (3448,1 et 3482).

d) **Primus dies XL Horarum.**

Fontes: Instr. Clement. § XVIII-XXIV. et Rit. Rom. tit. V. c. 7. I.

1°. *Missa expositionis* legitur de SS. Sacramento iuxta supradicta (c. 1°.). Offeruntur et consecrantur duae hostiae; celebrante recitante orationes ante communionem, affertur ostensorium ad altare. Post sumptionem sanguinis, hostia ponitur in ostensorio, quod collocatur in medio corporalis, dein dicitur oratio « Quod ore sumpsimus », fit purificatio et in eodem loco ablutio digitorum. Dein celebrans Missam complet, faciendo debitas genuflexiones.

2°. *Missa finita,* celebrans descendit per breviora in planum, factaque genuflexione utroque genu ad scamnum se confert, ubi sumit pluviale albi coloris. Caerimoniarius interea removet de altari Crucifixum, missale cum cussino, et tabulas canonis (cartagloria). Celebrans cum assistentibus in plano utroque genu genuflectens, surgit incensum ponit, Sanctissimum thurificat et velum humerale albi coloris sumit. Dein ascendit ad altare, genuflectit, accipit Sanctissimum, cantoresque intonant hymnum « Pange lingua ».

3°. *Processio ordinatur*: confratres Fraternitatis SS. Sacramenti (seu altaris) cum vexillo suo, dein Crux processionalis, clerus sum candelis ardentibus, duo acolythi cum thuribulo Sanctissimum continuo incensantes, celebrans sub baldachino.

4°. *Processio* fit iuxta Rit. Rom. « intra ecclesiae ambitum » (tit. V. c. 7. I, 2), vel in foro, si angustia ecclesiae hoc postulet (Instr. Clem. § XXI). Hymnus « Pangue lingua » canitur usque ad « Tantum ergo » exclusive, repetendo eundem hymnum usque dum processio terminata fuerit (Rit. Rom. ibid.).

5°. Peracta processione, Sacramentum *in throno pro adoratione* exponitur, atque tunc cantantur ultimae strophae « Tantum ergo, Genitori », et fit a celebrante solita incensatio Sanctissimi (Rit. Rom. n. 3.).

6°. Finito hymno et omisso vers. « panem de coelo » cantores statim inchoant *Litanias Sanctorum,* ut in Rit. Rom. hoc loco inveniuntur (Tit. V. c. 7. I, 4), choralibus vel fidelibus more solito respondentibus. Dein cantatur *Ps. 69.* « Placeat tibi Deus », cum subsequentibus versiculis in Rit. Rom., quae a celebrante adhuc genuflexo dicuntur, qui dein surgens dicit « Dominus vobiscum » et cantat *orationes,* ut in Rituali Romano. *Cantores* subiungunt: « Exaudiat nos... » et celebrans finit expositionem per « Fidelium animae ».

e) **Secundus dies XL Horarum.**

(Instr. Clem. § XIII-XIV.), Missa votiva *pro pace* debet cantari, quando permittitur a rubricis (supra c. 1°.) in altari alio ac expositionis, quod non potest esse altare, ubi Sanctissimum in tabernaculo inclusum asservatur. Ministri debent esse parati, Gloria non dicitur, nec Credo dicendum est nisi ratione Dominicae, aut octavae occurrentis (NCR 343 a).

f) **Tertius dies XL Horarum.**

(Instr. Clem. § XXX-XXXI. et Rit. Rom. tit. V. c. 7. II, 1-5.).

1°. *Missa sollemnis* repositionis celebratur in altari expositionis (Instr. Clem. § XII.) de SS. Sacramento, ut primo die, qua finita celebrans casulam deponit ad scamna per breviora recedens, sumit pluviale albi coloris et in plano facta genuflexione utroque genu, in ultimo gradu altaris genuflectit.

2°. Dein cantantur *Litaniae Sanctorum* cum Ps. 69. et versiculis, ut primo die, usque ad « Dominus vobiscum » et orationes exclusive. Deinde *deponitur Sanctissimum* e throno in medio altaris in plano, imponitur incensum in duobus thuribulis, celebransque Sacramentum incensat more solito.

3°. Dein fit *processio,* ut primo die, qua finita, Sanctissimum ponitur super altaris mensa incensaturque, dum strophae « Tantum ergo » et « Genitori » cantantur.

4°. *Cantores* tunc subiungunt « Panem de coelo » et *celebrans* assurgens cantat orationem « Deus qui nobis sub Sacramento mirabili » et ceteras omnes orationes, ut primo die usque ad « Fidelium animae ». Quibus finitis datur cum Sanctissimo benedictio more solito et Sacramentum in tabernaculo reconditur.

g) **Sollemnis expositio « ad instar » XL horarum.**

fit per tres dies, ita ut horae quadraginta per curriculum diei absolvantur, tredecim ergo horae per duos dies impendantur adorationi, quatuordecim uno die. *Primo die* omnia fiunt, sicut supra descriptum est, vespere Sanctissimum reponitur. *Die secundo* fit Missa pro pace, finita Missa Sacramentum exponitur, vespere reponitur. *Ultimo die* repositio maiore cum sollemnitate fit, instituitur processio, sicut in tertio die Orationis XL Horarum.

Litteratura.

Bergamaschi Dell'origine delle Quarant'ore, Cremona 1897. — *De Santi*, L'orazione delle Quarant'ore, Roma 1919. — *M. Gatterer*, Praxis celebrandi, Oeniponte 2. ed. 1926, p. 199-203. — *M. Righetti*, Storia liturgica III. 1949, p. 500-502. 566. — *G. Baldeschi*, Sacre cerimonie, 9. ed. I. 1952, p. 229-236. — *L. Hébert*, Leçons de liturgie, 25. ed. III. 1952, p. 379-381. — *R. Lesage*, Dict. pratique de liturgie Romaine, 1952, col. 517-519. — *J. A. Jungmann*, Die Andacht der vierzig Stunden und das heilige Grab, *in*: Litg. Jahrbuch 1952, 184-198. — *L. Heuschen*, L'adoration en paroisse, Par. et lit. 1958, 415-447.

2. De exercitio Viae Crucis

a) **Historia.**

Viam dolorosam Christi *in Jerusalem* pergebant peregrini Terrae Sanctae inde ab antiquitate, praesertim vero tempore Crucigerorum. Post vigiliam in Basilica S. Sepulchri peractam iter inceperunt a Sancto Sepulchro et pergebant usque ad « Domum Pilati », i. e. arcem Antonia; iter ergo redemptivum Domini *inverso ordine* iterabant. — Itineris huius singulas stationes iam inde a saec. XIV-o lapidibus vel *capellis* designabant, cognitas e S. Scriptura, vel Traditione. Saec. XVI-o ineunte hae stationes septem erant, tunc temporis iam eo ordine visitabantur, sicut Dominus eas peragravit. — « Viae Crucis » *extra Jerusalem* coeperunt erigi saec. XV-o, sic Beatus Alvarez O. P. († 1420) Cordubae exstruxit oratoria, in quibus statuas passionem Domini repraesentantes collocabat. Numerus et ordo stationum usque ad saec. XVIII. fluctuabat; prima vice occurrunt hodiernae 14 stationes eodem ordine in libro sat divulgato Christiani Adrichem (Jerusalem sicut tempore Christi floruit 1584), sed adhuc nostris temporibus in multis regionibus Europae conspiciuntur « Viae Crucis » septem stationum.

b) **Leges exercitii Viae Crucis.**

1°. *Indulgentiae*: « Fidelibus, qui sive singulatim, sive in comitatu saltem corde contrito, pium exercitium Viae Crucis legitime erectae peregerint, conceditur: indulgentia plenaria, quoties id egerint » (Ench. Ind-1952, n. 194). Ergo non requiritur tali in casu nec confessio nec s. communio, sed sufficit status gratiae per contritionem perfectam procuratus. Indulgentia plenaria totiesquoties in die lucrari potest. Conditiones sunt, ut dictum est: legitima erectio et observantia praescriptionum S. Sedis.

2°. *Legitima erectio* habetur (cf. S. Poenitentiaria decr 12.. mart. 1938, AAS 1938, 111), si: **a.** erigatur per eum, qui *facultatem habet.* Facultatem habent: omnes *episcopi,* item omnes *Superiores etiam locales O.F.M.* in eorum districtu, Superior maior habet ius definiendi hunc districtum iuxta consuetudinem (S. C. Relig. 26. aug. 1937), superiores memorati ius habent delegationis, sed solum in suos subditos; episcopi sine speciali facultate non habent ius delegandi. Superiores O.F.Min. conventualium et Capuccini ius erectionis solum in suis ecclesiis habent. — **b.** *Locus, ubi erigi potest* Via Crucis est: quaelibet ecclesia, vel oratorium, etiam privatum, dummodo *ibi Missa celebrari* queat; in aliis oratoriis tali iure carentibus vel in domibus privatis, solum cum licentia S. Poenitentiariae erigi potest. *Item*: in aliis locis, qui *non sunt indolis privatae,* ergo in coemeteriis, collibus, quadraturis domorum religiosarum, nosocomiis, — sed non in cellula, dormitoriis, loco recreationis. — **c.** *Forma legitima* observanda est: ad valorem *14 Cruces* ligneae; *imagines* sive depictae, sive sculptae non requiruntur. — **d.** *Benedictio debet fieri ad valorem,* fit iuxta Rit. Rom. tit. IX. c. 11. I. Essentiale est benedictio *Crucium,* sacerdos benedicens debet esse *praesens* in loco, ubi Via Crucis erigitur, non sufficit solum Cruces benedicere easque in locum transmittere; benedictio haec sive ante sive post erectionem Viae Crucis locum habere potest. Post benedictionem et erectionem conficiendum est *documentum* attestans factum benedictionis (textum v. in Rit. Rom. « Formula ad fidem faciendam de erectione Viae Crucis »), quod in archivio asservari debet. — **e.** Via Crucis *amittit* indulgentias adnexas, si sive simul sive successive septem e Crucibus perirent vel commutentur; minore numero Via Crucis adhuc in usu manere potest. Translatione Viae Crucis in moraliter alium locum novam erectionem facit necessariam.

3°. « *Praescripta Sanctae Sedis* » ad exercitium valide peragendum sunt: **a.** « *Meditatio passionis* D.N.J. Christi eaque quantumvis brevis ac secundum uniuscuiusque capacitatem ». Nulla oratio vocalis ergo praescribitur, nec « Pater noster », nec « Miserere », nec « Adoramus te Christe ». Obiecta meditationis e passione Christi, puta obiecta singularum 14 stationum, non determinantur. — **b.** *Motus localis* ab una statione in aliam, *in privata* devotione ad validitatem requiritur (S. Poenit. 14. dec. 1917). In exercitio « peracto ad modum functionis sacrae *publicae* » sufficit, si celebrans circuit cum ministris ad stationes, ceteri auscultant et respondent, et intra motionem celebrantis genua flectunt vel surgunt et iterum geniculantur (S. Poenit. 20. mart. 1946).

4°. *Supplementum exercitii* Viae Crucis in legitima forma peracti est sicdicta « *Crux stationalis* » i.e. Crux a sacerdote facultatem habente ad hoc benedicta. *Duplici forma* hac Cruce indulgentia lucrari potest. **a.** *Primo* quidem « navigantes, carceribus detenti, infirmi et illi, qui morantur in partibus infidelium, aut legitime impediuntur, quominus pium exercitium Viae Crucis forma ordinaria peragant » quia in loco non existat Via Crucis: hi « manu tenentes *Crucifixum*... saltem corde contrito et devote recitent, cum pia *recordatione* Passionis Domini, *viginti Pater, Ave et Gloria,* unum nempe pro qualibet statione, quinque in sanctorum D.N.J. Christi vulnerum memoriam et unum iuxta mentem Summi Pontificis » (Ench. Ind. n. 194.). — **b.** *Alia* vero forma est: pro infirmis « qui vi morbi absque gravi incommodo... *nec in forma* supra statuta... peragere possunt, dummodo cum affectu et animo contrito *osculentur,* vel etiam tantum *intueantur* in Crucifixum, ad hoc benedictum... et *recitent, si possint,* brevem aliquam

orationem vel precem iaculatoriam in memoriam passionis et mortis Jesu Christi » (Ench. Ind. n. 194 a. b.).

c) **Compositio stationum.**

Stationes nunc usitatae presse sequuntur Viam dolorosam Hierosolymis constitutam. Duae priores stationes locum habent in antiqua *arce Antonia,* ubi Pilatus residebat: 1°. Jesus condemnatur, 2°. Jesus suscipit Crucem suam. — Septem stationes sequentes sitae sunt *iuxta Viam sacram,* quam Jesus percurrit in longitudine circa 700 m.: — 3°. Jesus prima vice cadit sub pondere Crucis, 4°. Jesus occurrit Matri suae, 5°. adiuvatur a Simone Cyrenaeo, 6°. pia femina detergit vultum eius, 7°. secunda vice cadit, 8°. loquitur ad filias Jerusalem, 9°. tertia vice cadit. — Quinque ultimae stationes *in colle Calvariae* et *in horto* Josephi de Arimathia sitae nunc comprehenduntur Basilica S. Sepulchri: 10°. Jesus spoliatur vestimentis suis, 11°. Cruci affigitur, 12.° moritur in Cruce, 13°. deponitur de Cruce Matrique committitur, 14°. sepelitur.

d) **Ritus sollemnior exercitii Viae Crucis.**

1°. Sacerdos stola violacea superpelliceoque indutus procedit a sacristia, potest praecedi ab acolythis cum candelis, praeeunte Cruce processionali. Ad altare maius, ubi quatuor candelae accensae sunt, perventi, debitam faciunt reverentiam, i.e. capite detecto facit inclinationem profundam, vel genuflectit, si ibi asservetur SS. Eucharistia vel Verae Crucis reliquia ibidem exposita sit. In infimo gradu genuflectunt, recitatur oratio introductoria, semper eliciendus est actus contritionis perfectae.

2°. Dicto versiculo « Miserere nostri Domine », surgunt, factaque debita reverentia, excepto utique Crucifero, omnes ad primam stationem se conferunt. Crucifer inter acolythos, dein celebrans, cantores, deinde viri, demum mulieres, si exercitium extra ecclesiam fiat, vel in ecclesia spatium sufficiens habeatur, secus solus celebrans et assistentia *visitant stationes,* ceterique genuflectunt ut dictum est, quando ad stationem perventum fuerit.

3°. Ante stationem primam genuflectunt, cantores intonant versum « *Adoremus te Christe* », ad quem populus respondet, dein celebrans clara et intelligibili voce enuntiat titulum stationis et legit vel praedicat *meditationem* de passione Christi ad respectivam stationem pertinentem, posteaque aliquantulum in silentio expectat. Meditatione peracta, in genua procumbit, recitat *orationem* stationi congruentem, *Pater, Ave et Gloria* (quod triduo sancto omittitur), dein surgit et dicitur versus « *Miserere nostri Domine* », procediturve ad stationem sequentem.

4°. Stationibus omnibus sic absolutis, *revertuntur* ad altare maius, ibique facta debita reverentia, procumbunt in genua, celebransque recitat ultimam orationem. Dein ascendit in suppedaneum, accipit Crucem, cum ea benedicit populum dicens « Benedictio Dei omnipotentis... », vel « Passio D.N.J. Christi sit semper in cordibus vestris » (De Amicis p. 566-568).

Litteratura.

H. Thurston, Étude historique sur la chemin de la Croix, Paris 1907. — *K. A. Kneller,* Geschichte der Kreuzwegandacht 1908. — *U. d'Alençon,* Le livre d'or du chemin de la Croix, Paris 1923. — *L. Anler,* Comes pastoralis, 10. ed. 1947, 242-249. — *P. de Amicis,*

Caeremoniale parochorum, 4. ed. 1948, 565-568. — *A. Pianisi*, De pio exercitio Viae Crucis disquisitio hist. iuridica, ritualis, Roma 1950. — *F. X. Hecht*, De communi Viae Crucis exercitio in oratoriis semipublicis, *in*: Eph. Lit. 1951, 122-130. — *M. L. Hébert*, Leçons sur la lit. 25. ed. III, 1952, 366-368. — *M. J. Picard*, Croix, Chemin de, *in*: Dict. Spiritualité II (1953) 2576-2606.

3. De devotionibus pomeridianis

a) **Notio.**

Devotio pomeridiana est *functio non stricte liturgica pro populo, quae variis elementis componi potest iuxta decreta S. Sedis ac Ordinarii.* Fere semper habetur expositio Sanctissimi, recitantur preces et cantilenae lingua vulgari, in fine vero datur benedictio cum SS. Sacramento. .Hae devotiones (Andacht, divozione, salut, litánia) aevo Gothico ortae sunt, inde a saec. XII. partim ut salutatio *B. M. Virginis* per antiphonam « Salve Regina », unde nomen Gallicum « salut » derivatur, partim ut devotiones in honorem *Sanctorum*, quae saepe cum ostensione et deosculatione reliquiarum coniungebatur, partim vero a saec. XIV-o ut devotiones expositionis et benedictionis SS. *Sacramenti*, partim demum ut *supplementum Vesperarum* officii divini, quando loco Psalmorum decantabant Litanias. — Ideo Encycl. *Mediator Dei* primo quidem commendat *restaurationem Vesperarum* etiam pro populo: « Summopere optandum est, ut horarias illas preces recitando vel canendo, actu participent, quae diebus festis sub vesperum in sua cuiusque curia habentur » (n. 148). Ecclesia tamen, etsi de vespertino cultu nullum praeceptum habeat, tamen commendat et in votis habet etiam *devotiones pomeridianas*: « ...oportet utique omnes nostra adeant templa, ut inibi catholicae fidei veritatem doceantur, ut Dei laudes concinant, utque per sacerdotem eucharistica benedictione ditentur et contra huius vitae adversa caelesti ope muniantur. Perdiscant pro viribus omnes eas formulas recitare, quae in precibus ad vesperam habitis concinuntur » (ibid.).

b) **Compositio devotionis pomeridianae.**

1°. Fere semper talis devotio incipit *expositione* privata SS. Sacramenti et finitur *benedictione eucharistica*, de quibus inferius agitur (De SS. Eucharistia J. 8. b. et c.). Inter expositionem et recitationem licet *varia elementa devotionis* collocare, semper vero supponitur quod « Tantum ergo, Genitori », versiculi, oratio Sanctissimi et benedictio eucharistica *interrumpi non possunt*, ideo non licet « immediate *ante* benedictionem quasdam preces in vulgari idiomate recitare » (C. Rit. d 3530,2). *Post* benedictionem ergo licet, uti ex hoc responso sequitur, etiam statim post eam, etsi Sanctissimum nondum sit reconditum, recitare lingua vulgari preces, cantilenas, vel invocationes, praesertim « Dio sia benedetto » (cf. Hébert p. 399 et Ephemer. Liturg. 1949, 230-235).

2°. Ex variis elementis *inter expositionem et benedictionem* memorari possunt: Recitatio SS. *Rosarii* multoties, praesertim a Leone XIII. commendata, de qua infra (G. 3. e.), dein « licet adhibere *publicam quarundam precum recitationem vulgari sermone conscriptarum* coram Sanctissimo exposito dummodo agatur de precibus approbatis » (C. Rit. d 3157,8), ita, ut populus « ad istas preces vel actus ipse respondere valeat », quod fieri potest etiam « ante vel post expletum Missae sacrificium coram SS. Sacramento publice exposito » (C. Rit. d 3537, 1. et 2.).

3°. Cantari vel recitari possunt *Litaniae,* **a.** sed illae tantum « quae habentur in breviario aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani» (C. Rit. d 3820,1); quae sint Litaniae *approbatae* a S. Sede, iam dictum est (Cf. Stilistica C. 4. c. et d.), decretum allegatum refertur ad « ecclesias et oratoria publica. — **b.** Litanias « *peculiares* ab Ordinario *pro usu tantum privato* approbatas » non licet recitare « pluribus coniunctim in ecclesiis vel oratoriis *publicis* », nec tunc si « absque ministri Ecclesiae qua talis interventu » recitentur, imo eas non licet nec « monialibus sive Religiosis Institutis communiter in choro *publico* vel *publico* oratorio cantare vel recitare » (C. Rit. 3916. et 3981,2). E quibus decretis sequitur, quod in oratoriis *semipublicis et privatis,* a fortiori *sub divo* a peregrinorum multitudine tales litaniae peculiares etiam communiter recitari possunt, ut patet, *sine ulla indole liturgica.*

4°. *Antiphonae Mariales* (Alma Redemptoris Mater, Ave Regina, Regina caeli, Salve Regina) « cantantur *immediate post* Litanias cum oratione B. M. Virginis congruente, si vero non cantentur Litaniae antiphonae eaedem praemittantur hymno Tantum ergo » (C. Rit. d 3530,1). Dum « cantantur Antiphonae de B.M.V. vel aliae preces, quae praecedunt « Tantum ergo », officium faciens et ministri assistentes manere debent *genuflexi,* exceptis « Te Deum », « Regina caeli » tempore paschali et « cantico Magnificat per anni decursum » (C. Rit. d 3965 et 4224 - 6. nov. 1908.) sub quibus stare debent.

5°. « Chorus musicorum id est Cantores coram SS. Sacramento sollemniter exposito » possunt « decantare *hymnos lingua vernacula,* dummodo non agatur de hymnis « Te Deum » et aliis quibuscunque liturgicis precibus, quae nonnisi latina lingua decantari debent » (C. Rit. d 3537), populo ergo a fortiori licet.

6°. Licet ante « Tantum ergo » decantare *Ps. 50. Miserere* « infra annum et maxime octiduo defunctorum », hoc solum praescribitur, ut non concludatur cum versiculo « Requiem » (C. Rit. d 3616. et 2856.).

7°. Latine cantari possunt a celebrante etiam *aliae orationes* in honorem B. M. Virginis, Sanctorum, pro Papa, pro pace etc. sed « priusquam cantatur Tantum ergo », post hunc hymnum enim sola oratio de SS. Sacramento dici debet (C. Rit. 4194,10. 4198,10. et 4350,2).

8°. « Antequam fidelibus adstantibus detur benedictio cum SS. Sacramento, haberi potest *conciuncula* vulgo Fervorino » (C. Rit. 3599,2).

Litteratura.

M. Gatterer, Praxis celebrandi 2. ed. 1926, p. 204-208. 382. — *Mihályfi Ákos,* A nyilvános istentisztelet (De cultu publico) 4. ed. 1933, 656-657. — *L. Eisenhofer,* Handbuch d. kath. Liturgik, 2. ed. 1941, II. 326. — *J. B. Müller - J. B. Umberg,* Zeremonienbüchlein, 19. ed. 1941, 155-163. — *L. Hébert,* Leçons de liturgie, 25. ed. III. 1952, 405-411. 383-384.

4. De cultu s. reliquiarum

a) Historia.

1°. *Leipsana* (a vocabulo leipo-relinquo) et *reliquiae* vocabantur iam antiquo aevo Ecclesiae ossa martyrum, dein confessorum quae reliquiae venerationi fidelium gaudebant, cuius primum vestigium hucusque est Martyrium

S. Polycarpi a. 156. « Nos postea ossa illius — scribit ecclesia Smyrnensis — gemmis pretiosissimis exquisitiora et super aurum probatiora tollentes, ubi decebat, deposuimus. Quo etiam loci nobis, ut fieri poterit, in exultatione et gaudio congregatis, Dominus praebebit natalem martyrii diem celebrare » (18,1 RJ n. 81.). Veneratio martyrum secum tulit, quod christiani libenter prope sepulchra eorum sepeliri voluerunt, ut inscriptiones demonstrant sepulchrales « ad martyres, ad sanctos ».

2°. Cultus martyrum, quo die anniversario mortis per Missae sacrificium celebrantur (v. superius De Ecclesia sacrificante D. 1), sensu stricto nondum erat *cultus reliquiarum*, hic cultus saec. IV-o incoepit, quando ecclesiae ubique terrarum noviter exortae reliquias postularunt. Martyrum corpora inventa sunt, celebres inventiones sunt inventio S. Stephani protomartyris anno 415. in vice Kafr-Gamala, et inventio S. Gervasii et Protasii martyrum Mediolani per S. Ambrosium anno 386, utriusque testis est S. Augustinus, qui etiam *dismembrationem* corporis S. Stephani memorat: « Multi inde reliquias ceperunt, quia Deus voluit, et huc venerunt » (Sermo 318).

3°. Talis *dismembratio corporis* in Oriente invaluit, cui Occidentalis Ecclesia diu reluctabatur. S. Gregorius Magnus adhuc imperatrici Constantinae, caput S. Pauli ab eo postulanti respondit: « Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere praesumant de corpore. Sed tantummodo in buxide (pyxide) brandeum (i.e. palliolum linteum) mittitur atque ad sacratissima corpora sanctorum ponitur, quod levatum in ecclesia quae est dedicanda, debita cum veneratione reconditur... in Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est atque sacrilegum, si Sanctorum corpora quisquam fortasse voluerit » (Ep. registr. IV, 30, PL 77,702). Tempore vero renascentiae Carolingicae, inde a medio saec. VIII. multa corpora Sanctorum missa sunt a Summis pontificibus ecclesiis Galliae et Germaniae, quod diu durabat. Inde a saec. X-o etiam Romae dividebantur corpora Sanctorum.

4°. Cultus liturgicus reliquiarum incepit eo, quod reliquias *subtus altaria* deposuerunt, dein quod exiguae partes in petram sacram inclusae fuerunt in Occidente, in Oriente vero in antimensium i.e. pannum sericum consecratum. Cultus dein exhibebatur per *lumina* succensa ante reliquias, item per *incensum* ante eas oblatum, dein per *vigilias* ante eas celebratas, per *processiones* quibus translatae sunt, per *deosculationem* earum, demum per *benedictionem* per reliquias datam, quae consuetudo aevo Gothico inde a saec. XII-o solummodo incepit.

b) **Leges cultuales s. reliquiarum.**

1°. *Species reliquiarum*: distinguuntur *non insignes* et insignes. « Insignes Sanctorum vel beatorum reliquiae sunt corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva » (can. 1281 § 2.).

2°. *Authentia reliquiarum*: « Publico cultu eae solae reliquiae in ecclesiis, quamquam exemptis, honorari possunt, quas genuinas esse constet authentico *documento* alicuius S.R.E. Cardinalis, vel Ordinarii loci, vel alius viri eccle-

siastici, cui facultas authenticandi indulto apostolico sit concessa », haec facultas Vicario generali ab Ordinario delegari potest per mandatum speciale (can. 1283). Si hoc documentum *interierit*, « publicae venerationi ne exponatur nisi praecedat iudicium Ordinarii loci » (can. 1285 § 1). — **b.** Documentum vel novum iudicium *suppleri potest* per antiquam venerationem, « nisi in aliquo peculiari casu certis argumentis constet eas falsas vel suppositicias esse » (ibid. § 2), sed locorum Ordinarii ne sinant, « maxime in sacris concionibus, ephemeridibus, vel commentariis fovendae pietati destinatis, ex meris coniecturis, ex solis probabilibus argumentis vel praeiudicatis opinionibus praesertim verbis ludibrium aut despectum sapientibus quaestiones agitari de s. reliquiarum authenticitate » (can. 1286). — **c.** Reliquiae, quas certo authenticas non norint Ordinarii locorum, a fidelium cultu *prudenter amovendae* sunt (can. 1284).

3°. *Custodia reliquiarum.* **a.** « reliquiae cum exponantur in *thecis* seu *capsis* clausae et obsignatae sint oportet » (can. 1287 § 1), Caerem. Episc. (lib. I. c. 12,12) eas vocat « tabernacula », benedictio harum capsarum habetur in Rit. Rom. tit. IX. c. 9,8. — **b.** Reliquia non potest poni super *tabernaculum* SS. Sacramenti, « abusus omnino eliminandus est » (C. Rit. d. 2613,6), prorsus non est collocanda super *altare*, in quo Sanctissimum publicae adorationi expositum est (C. Rit. d 2366,1). Possunt vero imponi in retabula altaris, vel subtus altare in « martyrio » seu « confessione » (Caerem. Episc. lib. I. c. 12,16). — **c.** « Reliquia *S. Crucis* nunquam in eadem theca cum reliquiis Sanctorum publicae venerationi exhibeantur, sed propriam thecam separatam habeant » (can. 1287 § 2). — **d.** *Insignes* reliquiae « nequeunt in aedibus vel oratoriis *privatis* asservari sine expressa Ordinarii loci licentia » (can. 1282 § 1); *non insignes* possunt ibidem asservari, imo etiam a fidelibus gestari (ibid. § 2).

4°. **a.** *Alienatio reliquiarum*: Insignes reliquiae, « quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorantur, nequeunt valide alienari, neque in aliam ecclesiam perpetuo *transferri* sine Apostolicae Sedis permissu » (can. 1281 § 1).— **b.** Quascunque s. reliquias « *vendere* nefas est, Ordinarii et vicarii foranei invigilent, ne occasione haereditatum veneant neve in acatholicorum manus transeant » (can. 1289 § 1). — **c.** Rectores vero ecclesiarum invigilent, ne reliquiae *profanentur, pereant*, vel minus decenter custodientur (ibid. § 2). — **d.** *SS. Crucis reliquiae* cedunt successori Episcopo (can. 1288).

c) Cultus debitus Verae Cruci.

1°. Reliquiae S. Crucis in altari expositae *debetur genuflexio*, cum solum in capsa conditur, inclinatio capitis (C. Rit. d 2324,3; 2390,7; 2722,2; 2854).

2°. Ubi consuetudo habetur, reliquia S. Crucis *sub baldachino* deferri potest incensantibus duobus thuriferariis (C. Rit. 2647; 2854), manibus velatis, quod aliis reliquiis non convenit, indutus pluviali et stola *rubri* coloris (C. Rit. d 3256), Fer. VI. in Pass. et Mort. Domini iuxta consuetudinem color *violaceus* vel *niger* est adhibendus (d 2769,10).

3°. *Missa potest celebrari* ante S. Crucem in altari expositam, unico genu genuflectendum est in accessu et recessu, item quoties transeundum est in medio altaris, et etiam in thurificatione (C. Rit. d 2722,1; 3966).

4°. Reliquia S. Crucis *incensari debet*, incensatio fit stando (C. Rit. d 2324,2), ductu triplici duobus ictibus (C. Rit. d 3201,7).

5°. Quoties S. Crucis reliquia exponitur vel cum ea processio instituitur, in fine *danda est benedictio cum reliquia* (C. Rit. d 2324,1; 2578,11; 2854). Primum fit impositio thuris cum solita benedictione, dein thurificatio ut supra, interea intonatur et cantatur hymnus « Vexilla regis » omnibus stantibus, ad stropham « O Crux ave spes unica » omnes in genua procumbunt, qua finita surgunt et celebrans dat benedictionem cum reliquia. Inter benedictionem non licet recitare vel cantare ullam precem vel cantionem (C. Rit. d 2722,3; 2854).

6°. Reliquia S. Crucis etiam *ad deosculandum* potest fidelibus offerri. Sacerdos tenens s. reliquiam manibus non velatis eam offert prius clericis, dein fidelibus, manutergio extergens reliquiam; formula nulla praescribitur, potest dicere tamen: « Per Crucem et passionem suam liberet te Deus ab omni malo,» vel: « Per passionem suam concedat tibi Dominus salutem et pacem » (De Amicis n. 426,1.).

d) **Cultus debitus aliis reliquiis.**

1°. *Expositio reliquiae.* Reliquia panno cooperta *collocanda* est in altari sed non ante ostiolum tabernaculi (C. Rit. d 2906), celebrans superpelliceo et *stola* albi vel rubri coloris iuxta qualitatem Sancti, cuius reliquia est, reliquiam discooperit, et deponit in altare. Dein in plano imponit incensum et *stans incensat* reliquiam duplici ductu, ante et post faciens inclinationem capitis, notandum quod incensatio praescripta non est. Postea genuflexus recitat in infimo gradu altaris *preces* approbatas in honorem Sancti, dein cantatur stando versiculus et *oratio* conveniens. Postremo iterum fit incensatio, ut supra. Si velit, potest *benedictionem* cum reliquia impertiri, vel eam ad deosculationem offerre. Exponi possunt reliquiae in qualibet ecclesia, expositio non pertinet ad iura parochialia (C. Rit. d 2123,12). *Beatorum* reliquiae in iis ecclesiis solummodo exponi possunt, ubi officium aut saltem Missa de iis celebrari potest (C. Rit. 1156,4), secus requiritur indultum apostolicum.

2°. *Deosculatio reliquiae.* Celebrans manu dextera tenet s. reliquiam, sinistra manutergium ad detergendam eam, superpelliceo et stola convenienti indutus ad cancellos presbyterii incipiens a latere epistolae porrigit reliquiam fidelibus, dicens iuxta praxim: « per intercessionem beati N. liberet te Deus ab omni malo », vel: « Per merita et intercessionem sancti N. concedat tibi Dominus salutem et pacem. Amen ». Si immediate post Missam fieret deosculatio reliquiae haec fit in paramentis Missae, manipulo prius deposito (C. Rit. d 2704,5).

3°. *Processio cum reliquia.* S. Reliquia defertur a celebrante induto ut supra, baldachinum et velum humerale non adhibentur (C. Rit. d 2647), item omittenda est thurificatio intra processionem, celebrans incedit capite detecto (d 1841,1). Ecclesia et viae, per quas transeundum est, decentius ornentur; omnes cum luminaribus accensis procedant, decantantes Litanias Omnium Sanctorum, cum invocatione eorum, quorum reliquiae deferuntur, *in fine* cantatur Te Deum, Ps. 148. « Laudate Dominum de caelis », Ps. 149. « Cantate Domino canticum novum », et Ps. 150. « Laudate Dominum in sanctuario

eius ». Possunt cantari alii Psalmi et hymni de Proprio vel Communi Sanctorum, quorum reliquiae circumferuntur (Rit. Rom. tit. X. c. 14.).

4°. *Benedictio cum reliquiis.* Haec benedictio *libera* est (C. Rit. d 1711,1; 2002,17; 2483,5), post functionem cum reliquiis; *vetita,* si SS. Sacramentum expositum sit, etsi in altari laterali etiam durante expositione eucharistica reliquiae exponi possunt (C. Rit. d 4059,2). Celebrans prius in plano recitat versiculum et orationem Sancto convenientem, dein ascendit in suppedaneum, ambabus manibus accipit s. reliquiam, sine velo humerali, et Crucis signum producit cum ea super fideles, qui in genus procumbentes accipiunt benedictionem (C. Rit. d 4243,7), interim nihil cantatur. Dein s. reliquiam cooperit suo velo, et facta debita reverentia, capite cooperto discedit in sacristiam.

Litteratura.

St. Beissel, Die Verehrung der Heiligen und ihrer Reliquien in Deutschland, Freiburg i. Br. 1890-92. — *U. Mioni,* Il culto delle reliquie, Torino 1908. — *M. Gatterer,* Praxis celebrandi 2. ed. 1926, 226-230. — *H. Delehaye,* Sanctus. Essai sur le culte des saints dans l'antiquité, Bruxelles 1927. — *J. Gagé,* « Membra Christi et la Déposition des reliques sous l'autel, *in*: Revue archéol. 5. sér. 1929, 137-153. — *J. P. Kirsch.* Die Grabsätten der römischen Märtyrer und ihre Stellung im liturgischen Märtyrerkultus, *in*: Römische Quartalschr. 1930, 107-131. — *P. Lefeuvre,* Courte histoire des reliques, Paris 1932. — *L. Eisenhofer,* Handbuch d. kath. Liturgik, 2. ed. 1941, 345-347. 450-1. — *M. Righetti,* Storia liturgica II ,1946, 280-285. — *P. de Amicis,* Caeremoniale parochor. 4. ed. 1948, 562-564. — *H. Leclercq,* Reliques et reliquiaires, DAL XIV, 2 (1948) 2294-2359. — *G. Baldeschi,* Sacre cerimonie, 9. ed. I. 1952, 244-246. — *L. Hébert,* Leçons liturgiques 25. ed. III. 1952, 412-416. — *R. Lesage,* Dict. liturgique, 1952, col. 891-896. — *G. Cagov,* Il culto delle reliquie nell'antichità, *in*: Misc. Francisc. 1958, 484-512.

5. De installatione parochorum

a) Notio.

De installatione seu immissione parochi in officium Rit. Romanum non habet ullam instructionem. Aliqua tamen sollemnitas valde utilis est, nam — ut dicit *Rit. Strigoniense* — etsi legitima immissio sine ulla sollemnitate fieri possit, plurimum tamen interest, ut populo quoque ratione sensibili innotescat, pastorem sibi ab illo praefigi, quem posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei. Ideo speciminis instar duas tales sollemnitates installationis adiicimus.

b) Prima, brevior installatio,

habetur in memorato Rituali (Appendix). 1°. Statuto die archidiaconus vel vicearchidiaconus, qua installans et parochus installandus superpelliceo et stola vestitus vadunt ad aram principalem, in cuius infimo gradu genuflexi aliquantulum orant, donec quippe in choro hymnus « *Veni Sancte Spiritus* » per installantem intonatur et a fidelibus cantatur. Dein dicitur versiculus et oratio conveniens. — 2°. Installans dein *sedet* ad latus evangelii et paucis verbis occasionem adventus sui exponit, dein facit legere patrio sermone *decretum* institutionis canonicae. — 3°. Hoc publicato neoparochus in gradu supremo altaris genuflexus edit *professionem fidei,* propter populum lingua vernacula. — 4°. His praestitis installans tradit parocho *claves* ecclesiae ceu symbola sacrae potestatis et *librum* pericoparum evangelicarum, opportunam ubique adhortationem subiungens. — 5°. Tunc parochus *ambonem* conscendit, populum suum, iam ceu legitimus pastor salutat, seque caritati et precibus eiusdem impense commen-

dat. — 6°. Sequitur deinde *Missa* per novum parochum cantanda. — 7°. Vicearchidiaconus actum hunc Ordinariatui referet.

c) **Prolixior forma**

videtur in Italiae quibusdam regionibus usuvenire, quae a cl. De Amicis refertur (p. 579-581.). 1°. Statuta hora ordinatur *processio*, Cruce inter acolythos praecedente post clerum neoparocho cum delegato episcopali, omnes « Benedictus » canentes procedunt ad ecclesiam. — 2°. In ecclesiae ianua legitur *delegationis actus* elata voce, praesentibus testibus. — 3°. In ecclesiam ingressi, parochus genuflexus de pulvinare in tapete posito *accipit Crucem* eamque deosculatur. — 4°. Omnibus genuflexis cantatur hymnus « *Veni Creator* », cantata prima stropha, omnes procedunt et cantantes reliquas strophas ad altare se conferunt. — 5°. Perventi ad altare, delegatus episcopi altare ascendit et *parochum vestit*, si privilegium habet mozzeta secus stola. (stolam nunquam licet super mozzettam deferre C. Rit. d 2769, VI, 2, d 2806). — 6°. Delegatus dein parochum monet, ut altare in medio et duobus lateribus deosculetur, *clavemque* postea *tabernaculi* porrigit, quod parochus *aperiet*, delegato dicendo: « Haec est porta paradisi, aperi illam dignis et ne des Sanctum canibus, ut inveniaris fidelis dispensator mysteriorum Dei ». — 7°. Tangere faciat eum *vasa sacra*, super credentiam posita, dicens: « Haec vasa divinis mysteriis destinata semper te custodiente, munda sint, ut populus cognoscat te diligere decorem domus Dei ». — 8°. Dein tangere facit *vasa s. oleorum* dicendo: « Sicut infantes salutari lavacro abluendos per unctionem sacram dispones, ita fideles ex hac vita proficiscentes oleo salutis inunges, ut si in peccatis sint, remittentur eis ». — 9°. Deinde eunt ad *baptisterium*, quo aperto sic eum affatur: « Accede ad fontem aquae vivae, suscipe custodiam eius, ut natos saeculo possis baptismate regenerare Deo ». — 10°. Ad *sedem confessionalem* ducens eum dicit: « Facies iudicium rectum, ut remittas peccata et gratiam per merita Jesu Christi dones ». — 11°. Ad ianuam *turris* dicit: « Ad te spectabit imperare sonitum, quo audito, populus tuus ingredi atria Domini concupiscat ». — 12°. Ad ecclesiae ianuam *claves* dantur ei *ecclesiae* dicendo: « Accipe claves ecclesiae ad custodiendum atria Domini, et decorem domus eius, tamquam sponsae ornatae viro suo, dilige ». — 13°. Reversi ad altare tradit ei *aspersorium* dicens: « Benedic populum istum, serva et custodi illum, et in viam salutis aeternae eum dirige ». Neoparochus tunc *aspergit* se et circumstantes, et omnes fideles pertransiendo ecclesiam, dum a populo cantatur: « Asperges me ». — 14°. Parochus dein *concionem* habebit, postea vero celebrat *Missam*, qua finita dicitur « *Te Deum* ».

6. De visitatione parochiarum

a) **Praevia.**

Visitatio habetur in Pontif. Romano (p. III. Ordo ad recipiendum processionaliter praelatum et Ordo ad visitandas parochias, cf. De Amicis p. 436-460). — Praevia die sollemniter pulsentur campanae, ad monendum populum de episcopi adventu. Ad *altare* maius *paranda*: sex candelabra, bursa cum corporali, legile cum Pontificali aperto ad versiculos et orationem, canon apertus ad benedictionem episcopalem in medio altaris. — In *suppedaneo*: faldistorium ad latus evangelii. — *In credentia*: pluviale cum stola albi coloris, pluviale

nigrum cum stola, mitra simplex, stola alba pro parocho, indumenta Missae, si episcopus celebraturus est.

b) **Processio.**

Episcopus a hospitio suo *deducitur processionaliter in ecclesiam. Ordo*: confraternitates, thuriferarius cum thuribulo fumigante, Crux inter acolythos cum candelis ardentibus, parochus, episcopus sub baldachino, indutus rochetto, et cappa cum bireto; post baldachinum clerus, tandem viri et mulieres.

c) **Receptio.**

In ecclesiae limine: 1°. *parochus* episcopo Crucem porrigit ad deosculandum, et aspersorium ei dat, *episcopus* seipsum, parochum et omnes adstantes *aspergit*. Deinde incensum mittitur, et benedictione data ab episcopo, ipse *incensatur* triplici ductu. — 2°. Dein se conferunt *ad altare maius*, dum cantatur antiphona « Sacerdos et pontifex » (2. tono), vel responsorium « Ecce sacerdos magnus » (8. tono). Episcopus parum *orat* ad genuflexorium, omnes alii in genua procumbunt. *Parochus* interea ad altare in cornu epistolae stans versus librum e Pontificali *cantat*: « Protector noster aspice Deus », et ceteros versiculos et orationem « Deus humilium visitator ». — 3°. His dictis cantores cantant antiphonam de *S. Patrono vel de Titulo* ecclesiae cum versiculo. Et cum dicitur versiculus, episcopus surgens, ascendit ad altare, illud in medio osculatur, et *benedictionem dat episcopalem*, more solito. — 4°. Benedictione data episcopus operto cum bireto capite sedet ad faldistorium et *sermonem* dirigit ad populum, rationemque reddit visitationis suae. Si Missam est celebraturus, aptius post evangelium homiliam hanc dicere poterit.

d) **Visitatio proprie liturgica.**

Episcopus enim sic recipiendus est, ut dictum est (a.-c.), si alio titulo, e.gr. ad confirmationem administrandam advenerit, excepto, quod loco orationis hoc in casu dicit aliam (« Omnip. semp. Deus qui facis mirabilia »).

1°. Primum fit *absolutio vivorum*, diaconus cantat « Confiteor », episcopus post cantum sedet, parochus vero annuntiat indulgentiam ab episcopo elargitam ut in Pontificali (100 dierum cf. Poenit. 20. jul. 1942. et inferius De poenitentia G. 4. a.). Postea episcopus surgit, et absolutionem dat cum benedictione: « Precibus et meritis ». Demum elevans oculos ac manus trinam dat benedictionem: « Et benedictio Dei omnipotentis ».

2°. Dein fit *absolutio mortuorum*. **a.** Episcopus deponit cappam, sumit stolam et pluviale *nigri* coloris, parochus pluviale deponit. Episcopus in plano stans versus populum, incipit ant. « *Si iniquitates* », et recitat cum clero Ps. « De profundis ». Mitram deponens dicit « Kyrie eleison », versiculos et *orationem* pro defunctis sacerdotibus. — **b.** Dein in processione cum Cruce eunt in *coemeterium*, si prope ecclesiam situm est, secus se conferunt in medium ecclesiae, demissa voce recitans cum aliquo assistente « Si iniquitates » et « De profundis », ante Crucem se sistit, dum cantatur « Libera me Domine ». Post Kyrie, Pater et versiculos cantantur *orationes* pro defunctis sacerdotibus, item « Deus veniae largitor », et « Deus cuius miseratione animae fidelium requiescunt ». Episcopus dein manu sua totum coemeterium benedicit. — **c.** Rever-

tentes *ad altare maius* cantatur « Kyrie eleison... Pater noster », et post versiculos oratio « Absolve quaesumus Domine ».

3°. Demum sequitur *benedictio eucharistica.* Episcopus in genua procumbit in primo gradu altaris, parochus aperit tabernaculum, episcopus vero thus imponit. Post cantum « ...veneremur cernui », episcopus incensat Sanctissimum, post « Genitori » dicit orationem, et cum manibus velatis trinam dat benedictionem cum Sanctissimo. His completis, episcopus paramenta deponit et incipit actum visitationis.

d) **Actus ipse visitationis,**

fit ab episcopo in rochetto, stola mutatur iuxta varia obiecta visitationis.

1°. Fit visitatio *circa SS. Eucharistiam* (stola *alba*). Visitantur: tabernaculum -conopaeum - interior tabernaculi pars - clavis - pyxis - lampas ardens - ostensorium - baldachinum seu umbella - velum humerale - laternae gestatoriae.

2°. Dein proceditur *ad visitationem baptisterii* (stola *violacea*); inspiciuntur: ipsum baptisterium, materia eius - cancelli eum circumdantes - ipsa aqua in baptisterio - sacrarium ecclesiae prope fontem.

3°. Visitantur s. olea: armarium decenter ornatum bene clausum - thecae ligneae s. oleorum, clausae - vasa s. oleorum - inscriptiones (Chr. Cat. Inf.) - bursae oleorum, alba pro chrismate, violacea pro oleo catechumenorum.

4°. Visitantur *s. reliquiae* (stola *rubra*): armarium eorum, ornatum et clausum - inscriptio reliquiarum - documenta - clavis earum - thecae - actus expositionis, seu processionis etc.

5°. Visitatur *altare et altaria* cetera (stola *alba*): situs - ipsa ara num consecrata vel portatilis et legibus correspondens - suppedaneum ligneum, tapete stratum - planum - gradus impari numero - icon altaris, statuae, num « decori, modestiae, ac pietati christianae aperte repugnent, sensumque vere religiosum misere offendant » quae expellendae sunt (MDei n. 193) - num sepulchra saltem unum metrum distent ab altari - cancelli altaris - abacus seu credentia - scamna in cornu epistolae - ornatus altaris: candelabra, mappae tres, Crux eminens inter candelabra, antependium altaris, tabellae canonis seu secretarum, pulvinar vel legile, urceoli, manutergia.

6°. Visitatur *per singulas partes ecclesia. Exterius*: tectum, num tegulae integrae, canales bene dispositi, - parietes num bene incrustati, ut pluvia decurrere possit. *Interius*: parietes, num eleganter depictae, imagines, ut supra - Via Crucis - pavimentum - Patronus et Titulus ecclesiae - sedes confessionalis - pulpitus concionatorius - scamnaque num provocent aemulationem, cuius rei iudicium ad episcopum pertinet - ianuae earumque vela - vasa aquae benedictae - arcae eleemosynarum.

7°. *In sacristia* visitat labrum ad lavandas manus, manutergium-tabellas precum ante et post Missam-tabellam cum precibus ad vestimenta-tabellam cum nomine Antistitis, Patroni coelestis, Tituli, orationis imperatae-Directorium seu Kalendarium currentis anni - Rituale novum, librum pericoparum, missalia - armarium vestimentorum sacrorum, quod « capsulas ductiles habeat easque distinctas ac longe patentes, in quibus pro colorum varietate indumenta sacra expansa, dispartitaque et ordine serventur » (De Amicis p. 454) - imagines

sacrae-armarium pro vasis sacris-ianua sacristiae, num satis firma. (Cf. uberius optime penes De Amicis p. 443-460).

7. De pulsatione campanarum

a) **Campanae et campanulae sensus.**

1°. Christifidelium *attentionem excitat* (C. Rit. d 4377), ut Pont. Roman. dicit, fideles per earum sonitum vocantur, ut « festinantes ad piae Matris Ecclesiae gremium, cantent Deo in Ecclesia Sanctorum canticum novum », hunc eundem prosequitur campanula in Missa agitata, ad « Sanctus », ante elevationem, ante festa, in adventu episcopi etc. — 2°. Fidelium *laetitia* est sonitus campanarum (C. Rit. ibid.), item. — 3°. « *devotio* » eorum (C. Rit. ibid.), « cum clangorem illius (campanae) audierint filii christianorum, crescat in eis devotionis augmentum » (Pont. Rom.). — 4°. « *Fidei cath. professio* in veram ac realem Jesu Christi praesentiam in SS. Eucharistia » (C. Rit. ibid.), ideo precatur Ecclesia in benedictione campanae, ut « quicunque ad sonitum eius convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi, semper fidei catholicae documenta sectentur... cum melodia illius auribus insonuerit, populorum crescat in eis devotio fidei » (Pont. Rom.). — 5°. Fidelium « *consociatio angelicis choris* ad laudandum Deum et adorandum » (C. Rit. ibid.). Campanis enim Ecclesia vocat filios, ut aes valet invitare homines, sic etiam christiani coadunati in templo gloriae Dei « suis obsequiis et precibus invitare valent multitudinem exercitus angelorum » (Pont. Rom.). — 6°. Campanae habent etiam *finem apotropaeicum,* sonitus earum sacramentale est quoddam, vi cuius ope operantis precantisque Ecclesiae « ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus » (Pont. Rom.).

b) **Leges Ecclesiae de campanis.**

1°. « Cuilibet ecclesiae campanas esse *convenit* » (can 1169 § 1.). — 2°. Si iam habentur campanae, « debent consecrari vel benedici secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos » (ibid. § 2.). — 3°. « Earum usus *unice subest* ecclesiasticae auctoritati » (ibid. § 3.). — 4°. « Salvis conditionibus, probante Ordinario, appositis ab illis qui campanam ecclesiae forte dederint, campana benedicta ad usus *mere profanos* adhiberi nequit, nisi ex causa necessitatis aut ex licentia Ordinarii aut denique ex legitima consuetudine » (ibid. § 4.). Sic necessitas habetur, si incendium vel inundatio vel incursio hostilis per campanarum signum annuntietur; licentia Ordinarii dari potest in receptione personarum laicarum ad usum campanarum. (C. Rit. d 644. et 666.).

c) **Usus campanarum**

habetur in sequentibus casibus:

1°. *Ad annuntiandum* « divina officia aliosve religionis actus » (can. 1169 § 1.). Ideo enim primario campanae in usum inductae sunt, ut invitent fideles, propterea pulsantur, ut invitent ad officium divinum, ad Missae sacrificium, ad processiones, devotiones, conventus et congressus eucharisticos, aliosve conventus religiosos.

2°. *Maiorum festorum pervigilio,* item temporum sacrorum ut Adventus, Quadragesimae initio sonantur campanae, ut populum animadvertent devotio-

nemque eius excitent. Decr. C. Rit. (n. 949.) loquitur de sonitu « campanae media nocte *ante diem Cineris* in signum ieiunii », aliae ecclesiae debent expectare sonitum ecclesiae cathedralis (ibid.). Similiter occasione initii *missionum, exercitiorum, iubilaei, indulgentiae* extraordinariae pulsantur campanae.

3°. *Ad processionem* iuxta communem praxim pulsantur *campanae,* si processio exit ex ecclesia, etiam durante processione, si consuetudo est, et ad reversionem processionis in ecclesiam, supponitur usus quoque sonandi campanas, si processio transit iuxta aliquam ecclesiam (C. Rit. d 2530).

4°. Simili modo supponitur pulsatio campanarum, quando *episcopus residentialis recipitur* in ecclesia cathedrali, « sive ipse celebraturus sit, sive alter » (C. Rit. d 3888,1). Iuxta praxim communem aera turris campanariae sonant si episcopus advenerit, vel discesserit ex aliquo loco suae dioeceseos.

5°. Pulsatio campanarum *trina ad « Ave Maria »* seu ad « Angelus Domini » lege liturgica pro ecclesiis cathedralibus et collegiatis praescribitur (Caer. ep. I. 6,3), sed tum usu ininterrupto, tum decretis dioecesanis ubique terrarum viget. **a.** *Consuetudo* huius devotionis aevo Gothico, saec. XIII. incipiebat, primo quidem vespere, anno 1295. fratribus O.F.M. praescriptum fuit ter sub vespere pulsare campanas, ad trinum signum fratres in genua provoluti tria « Ave » recitabant. Anno 1307 Synodus Provincialis Strigoniensis hoc iam pro omnibus ecclesiis parochialibus et conventualibus praecepit, Joannes XXII. pro Urbe fieri iussit. Haec consuetudo verisimiliter iam ab initio venerationem incarnationis intendebat, iuxta opinionem pervulgatam enim Angelus Domini Sanctam virginem sub vesperum salutabat. — **b.** Pulsatio campanae *ad diluculum* ordinata est Parmae anno 1317., fideles debebant ad trinum sonum campanae tria « Pater » et « Ave » recitare pro pace tuenda et conservanda. — **c.** Pulsatio *ad meridiem* pro sola Feria VI. iussa est a Synodo Coloniensi 1246. in memoriam Passionis Domini, meridies enim, hora Sexta, hora est Crucifixionis. Haec pulsatio meridiana pro omnibus ecclesiis Urbis et Orbis commendata est a *Calixto III.* anno 1456. quando eximia victoria de Turcis per S. Joannem Capestranum et Joannem Hunyadi iuxta Beograd reportata est. Ibi etiam ratio redditur, cur orandum sit certis horis diei: quia etiam sacerdotes Turcarum de turribus (Minaret) Mahometanos ad orationem invocant. — **d.** *Ipse textus « Angelus »* prima vice in Catechismo quodam Italico anni 1560. occurrit, assumptus in Appendicem Breviarii Romani 1570., cito totum orbem catholicum instauratum occupavit, Synodi saec. XVII-i ubique non solum trinam pulsationem, sed etiam orationem « Angelus » commendabant vel praescribebant. Loco « Angelus » pro tempore paschali « *Regina caeli* » a Benedicto XIV. commendabatur. — **e.** « Angelus » recitandus est *genibus flexis,* a vespere Sabbati usque ad vesperum Dominicae dicendus est stando, « Regina caeli » semper stando. Indulgentias adnexas cf. infra (De Poenitentia G. 3. b. 2°.: 6.). — (Cf. *Th. Esser,* Das Ave-Maria-Läuten u. der Engel des Herrn, *in*: Hist. Jahrbuch 1902., 21-51. 247-269. et *L. Eisenhofer,* Handbuch kath. Liturgik 2. ed. 1941., 178-180. *M. Righetti,* Storia liturgica I (1945.) 168-169.).

6°. Iuxta praxim antiquissimam multis in locis *ad elevationem in Missa* campana quoque signum datur. Revera saec. XIII-o fere statim cum introductione elevationis in Missa pietas Gothica signum cum campana datum invexit:

circa 1215 Clunyacenses, Guilelmus Alvernensis (1228-1248.) Parisiis, synodi in Anglia (Worcester 1240., Lambeth 1281.) hoc iusserunt. Hanc praxim supponere videtur S. C. Rituum, quando dicit ad Missam etiam ecclesias collegiatas, cathedrales et patriarchales se debere conformare communi praxi quoad usum campanulae, « nisi, loco campanulae, alterum et congruum signum » adhibeatur. (d 4377. 25. oct. 1922.).

7°. Si *infirmis Eucharistia* deferenda est, « aliquot ictibus campanae » convocari debent parochiani, qui s. Eucharistiam cum cereis seu intorticiis comitentur (Rit. Rom. tit. V. c. 4,10). Non est vero pulsanda campana per totum iter a sacerdote Eucharistiam deferente faciundum (C. Rit. d 1535).

8°. Si *tempus exspirandi institerit,* « ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana paroecialis ecclesiae aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus in urbe, vel loco, aut extra in suburbanis existentibus, instantem mortem exspirantis aegroti, ut pro eo Deum precentur » (Rit. Rom. tit. VI. c. 8,2).

10°. *Sepulturae* quoque initium annuntiatur « datis certis campanae signis, eo modo et ritu quo in eo loco fieri solet » (Rit. Rom. tit. VII. c. 3,1). Hoc iam pertinet ad « *sonitum lugubrem* » seu emortualem, qui variatur iuxta diversas regiones. Hic sonitus lugubris *prohibetur* « in omnibus festis, *in quibus Missa* exsequialis praesente cadavere prohibetur, a primis Vesperis festi usque ad totum insequentem diem, etiamsi post Vesperas expleantur exsequiae pro defuncto, cum effertur corpus » (C. Rit. 21. oct. 1927. et priora decreta 3570,1; 3946 et 4130). *Missa* exsequialis prohibetur cf. De Eccl. sacrific. G. 1. nr. 21. a.

11°. Multis in locis adhuc utuntur sonitu campanae *contra tempestatem,* qui a Pontificali Romano multoties supponitur in orationibus, e.gr. « ...ubicunque sonuerit hoc tintinnabulum, procul recedat virtus insidiantium, incursio turbinum, percussio fulminum, laesio tonitruum, calamitas tempestatum ».

12°. Sollemniter pulsantur campanae *Fer. V. in Caena Domini* et *Sabbato Sancto* ad cantum « Gloria in excelsis », iuxta rubricas a multis saeculis; nunc ad uniformitatem consequendam praescribitur pro Missa vigiliae paschalis: « In locis ubi plures ecclesiae extant, sive in omnibus eodem tempore sacrae caerimoniae peragantur, sive tempore diverso, campanae omnium ecclesiarum eiusdem loci pulsentur una cum campanis ecclesiae cathedralis, vel matricis aut ecclesiae principalis. In dubio quaenam ecclesia in loco sit matrix aut principalis, adeatur loci ordinarius » (C. Rit. 16. nov. 1955. Instr. n. 25. b.).

d) **Usus campanulae praescriptus est:**

1°. *In Missa lecta ad Sanctus*: « Cum dicit Sanctus... voce mediocri prosequitur, ministro interim parvam campanulam pulsante » (Rit. celebr. VII. 8). Haec pulsatio videtur esse continuata, dum dicitur Sanctus, multis in locis ad analogiam elevationis trina pulsatio in usu est.

2°. *In Missa lecta ad elevationem* utriusque speciei: ministrans « manu dextera pulsat campanulam ter ad unamquamque elevationem, vel continuate quousque sacerdos deponat Hostiam super corporale et similiter postmodum ad elevationem calicis » (Rit. cel. VIII, 6). Clara habetur praescriptio, *aut* conti-

nuata pulsatio durante tota elevatione, *aut* trinus ictus campanulae, quae fieri potest ad genuflexionem, ad elevationem, ad secundam genuflexionem iuxta permultos auctores (Baldeschi, Falise, de Conny, Stercky, Lesage); sed videtur usus trinae pulsationis, ut in Hungaria, ad elevationem, addita uno ictu ad genuflexiones, ergo quina pulsatio tolerari posse.

3°. A S. Rituum Congr. vehementer commendatur pulsatio campanulae *ante consecrationem*: « Maxime expedit, ut paulo ante consecrationem aliquod detur signum, iuxta *communem* ecclesiarum praxim » (C. Rit. d 4377). Haec pulsatio *commendata* potest fieri ad « Hanc igitur » vel ad « Quam oblationem »; vix ergo potest dici « Cette sonnerie n'a pas été *réprouvée* » (Lesage col. 993).

4°. Hae pulsationes, saltem duae priores, in omni Missa *lecta stricte* obligant: « Campanula in Missa pulsanda est etiam in privatis oratoriis » (C. Rit. 3638,3). — Item obligant etiam in Missis *sollemnibus, cantatis et pontificalibus*, etsi Missale et Caerem. Episc. (lib. II. c. 8) silent. Dubium omne adimitur declaratione C. Rit. 4377: etiam in his Missis pulsanda est campanula.

5°. In Missis *privatis* omittitur pulsatio campanulae: **a.** « Intra Missam *durante SS. Sacramenti* expositione », contrarius usus servari nequit nec « diebus dominicis ratione populi pro ea Missa congregati » (C. Rit. d 3448,2). — **b.** Si canonici vel alii « *horas canonicas* in choro persolvunt, in altari e conspectu chori posito campanula pulsari nequit » (C. Rit. d. 3814, I, 2). — **c.** Si « canonici vel clerici *publicam supplicationem* per ecclesiam agunt », i.e. processionem, « in omnibus Missis privatis usus campanulae est omnino prohibitus » (ibid. II.). — **d.** Ad hos tres casus auctores ex analogia adnumerant adhuc *Missam sollemnem, collationem s. ordinum*, (Catterer, Praxis celebr. p. 15. et 115.). Nimium videtur concedere Vermeersch: « Sonitus campanulae in Missis quae simul ad altaria secundaria sacelli vel exiguae ecclesiae celebrantur, omitti potest propter causam rationabilem vitandae confusionis » (ed. 3. p. 268.), haec enim confusio facile evitatur adhibitis campanulis exiguis, quae tenuem sonum tantum emittunt. — **e.** Usus *campanulae compositae* e pluribus campanulis (carillon) permittitur, quia iam inde a saec. XV-o in usu est, vetatur vero « *cymbalum* quoddam dictum Indorum Orientalium, quod est ad modum magni catini semipendentis ab hasta lignea et percussum ab acolytho sonum elicit » (vulgo Gong), « non convenire » edixit C. Rit. (d 4000,3).

6°. *Pulsationes aliae campanulae*: ad « *Domine non sum dignus* », tum in Missa, tum ad communionem fidelium in usu est multis in regionibus; dein ad « *Omnis honor et gloria* » seu ad minorem elevationem; item in multis ecclesiis ad *offertorium*, dum celebrans calicem discooperit, consuetudines haberi possunt praeter legem, ideoque observari possunt; S. C. Rituum nullum vetitum pronuntiavit (De Amicis p. 33, Lesage col. 993-994).

7°. *Extra Missam debet* pulsari campanula, a. si Sanctissimum *publice ad infirmum* defertur: « Clericus vel qui illorum vices supplet campanulam iugiter pulset » (Rit. Rom. tit. V. c. 4,13). — **b.** Durante *processione theophorica* nec rituale Romanum (tit. X. c. 5), nec Rubricae speciales Fer. V. in Coena Domini praescribunt pulsationem campanulae; multis in locis tamen in usu est pulsatio continua campanulae vel duarum campanularum inter processionem Sanctis-

simi, quae quia fit ad analogiam publicae delationis Eucharistiae ad infirmos, servanda est qua consuetudo iuxta legem, si praxis communis habeatur — **c.** Ad *benedictionem cum SS. Sacramento* pulsus campanulae non praescribitur, sed servari potest, si in usu est, vel initio et fine benedictionis, vel sicut in Missa ad elevationem trinam faciendo pulsationem, vel continuate pulsando (De Amicis p. 350 n. 14 et Lesage col 994. IV.).

G. De piis exercitiis statis temporibus publice peractis

In hac sectione breviter enumerantur devotiones publicae quae certis quibusdam temporibus peragi solent. Agendum ergo est 1. De piis exercitiis quorundam dierum publice peractis, 2. De precibus triduanis vel novendialibus, 3. De piis exercitiis mensilibus publice peractis.

1. De piis exercitiis quorundam dierum publice peractis

a) **Prima Fer. V. cuiusvis mensis.**

Hac die potest celebrari « *Dies cleri sanctificationi sacer* », vel primo Sabbato, cf. inferius (sub c.), vel « Hora sancta », quae aliis quoque diebus locum habere potest, origo vero eiusmodi devotionis Feriae V.-ae coniungitur, cf. inferius (sub i.).

b) **Prima Fer. VI. cuiusvis mensis.**

Cordis Jesu Sacratissimi devotus cultus *signum est temporum modernorum*, etsi iam Sacratissimum hoc Cor medio aevo obiectum cultus tenerrimi fuerit, praesertim saec. XVII-o, aevo Jansenismi, a Providentia divina commendata fuit, praecipue per privatas revelationes S. Mariae Margaritae Alacoque inde ab anno 1673. factas. « Amantissimus Dominus mihi aperuit, cupere se vehementer ab hominibus redamari,... affirmans praeterea cultum illum peculiarem Cordi suo delatum sibi esse acceptissimum ». Summi Pontifices, praesertim *Clemens XIII.* primum festum concedens huiusmodi cultui, *Pius VI.* fundamentum dogmaticum huius cultus vindicans (« Auctorem fidei » 1794. Denz 1562. 1563.), *Pius IX.* festum SS. Cordis universali Ecclesiae praescribens cultumque hunc etiam Orientalibus commendans (Enc. 8. dec. 1864.), item *Leo XIII.* approbans 1899. Litanias SS. Cordis universumque genus humanum Ei dedicans, *Pius XI.* cultum extendens enixeque commendans (1928. « Miserentissimus Redemptor » et 1932. « Caritate Christi compulsi ») demum *Pius XII.* (Enc. « Haurietis aquas » 1956.) summa auctoritate hunc cultum communiverunt. Cor Jesu « auspicatissimum divinissimumque signum » (XIII. Leo) maxime per observantiam primae Fer. VI. cuiusvis mensis a fidelibus colitur, cultus huius elementum praecipuum est s. communio hac die suscepta.

1°. S. communio, *per novem Ferias VI. continue sibi successas* promissionem nacta est perseverantiae finalis, S. Margaritae Alacoque dicente Domino: « Misericordia infinita cordis motus promitto tibi, quod eius amor omnipotens gratiam poenitentiae finalis elargitur omnibus, qui novem Feriis VI. subsequentibus ad communionem accedunt, non morientur in statu peccati mortalis, nec sine Sacramentis necessariis. Cor meum divinum refugium securum erit illis in hora mortis suae ». Iuxta J. Bainvel S.J. promissio Salvatoris est absoluta, nulla

alia requiritur, quam s. communio per novem Ferias VI. continuas accepta, ut patet, in statu gratiae (Dict. Théol. cath. III, 324), cui adstipulatur R. Garrigou-Lagrange O.P. adiungens persolutionem talium novem communionum signum esse praedestinationis (L'éternelle vie et la profondeur de l'âme 1950, p.) Num communio haec novem Fer. VI-arum, si quis impeditus esset, suffici potest per communionem in Dominica subsequente, ut C. Richtstätter affirmat (LfThk 4,1012) certum non est.

2°. *Missa in honorem SS. Cordis Jesu* primo concessa est a Leone XIII. 28. jun. 1889 (CRit d 3712) tamquam votiva sollemnis, « in ecclesiis et oratoriis, ubi Fer. VI. prima peculiaria exercitia pietatis in honorem divini Cordis, approbante loci ordinario, mane peraguntur... hisce exercitiis addi valet Missa votiva de SS. Corde Jesu ». Exinde haec Missa in honorem Sacratissimi Cordis toto orbe terrarum usitatissima evasit.

a. In reformatione S. P. Joannis XXIII. concessae sunt *duae* Missae in honorem Sacratissimi Cordis, ubi pietatis exercitia peraguntur *eo die*, non dicitur ergo num mane, vel vespere, quod ceterum iam CRit (d 31. mart. 1954) concessit, una cum duabus Missis, unam mane, alteram vespertinis horis. Hae Missae sunt ab a. 1961 Missae *votivae III. cl.*, sat frequenter ergo impediri possunt, nam diebus liturgicis I. et II. cl. non celebrantur. Prohibitionem cf. De Eccl. sacrific. G. 1. nr. 20. c. (NCR 385 b.).

b. *Ritus* Missarum duarum: Gloria semper dicitur, nunquam Credo, duae commemorationes admittuntur, aut una commemoratio et imperata ab ordinario, tonus sollemnis adhibendus est, si in cantu celebrantur, sed possunt esse etiam lectae, si impediantur, non possunt commemorari in Missa diei (NCR 386). Ut videri potest, Missa in honorem Sacratissimi Cordis abhinc iam non habet tam ampla privilegia.

c. In casu « *identitatis mysterii* », i.e. si occurrat officium de eadem Persona divina, hoc est de Christo Domino: si festum est I. vel II. cl., Missa votiva de SS. Corde nequit celebrari iuxta supradicta, si est III. vel IV. cl., e.gr. Missa de octava Nativitatis, vel Epiphaniae diebus 1-12. ian., aut de Ascensione in feriis post hoc festum, tunc eligi potest *aut* Missa de officio diei *aut* Missa de SS. Corde votiva, exclusa alterius commemoratione (NCR 317).

d. In ecclesiis ubi *una tantum Missa* habetur, non potest Missa de SS. Corde celebrari, si occurrat onus Missae conventualis, si fiat benedictio candelarum, si dicenda sit Missa de rogationibus (NCR 326).

3°. Fer. VI. prima cuiusvis mensis fiunt *exercitia publica ad reparandas hominum iniurias SS. Cordi Jesu illatas.*

a. Haec exercitia reparationis *enixe commendantur* ratioque eorum redditur a Pio XI.: « Quodsi propter peccata nostra, quae futura quidem erant, sed praevisa, anima Christi tristis facta est usque ad mortem, haud dubium quin solatii nonnihil iam tunc ceperit etiam e nostra item praevisa reparatione, cum apparuit illi angelus de caelo, ut Cor eius taedio et angoribus oppressum consoletur. Atque ita Cor illud sacratissimum... etiam nunc mira quidem sed vera ratione solari possumus ac debemus » (Miserentissimus Redemptor).

b. Ecclesia commendationem *indulgentiis ditando* corroborat: « Fidelibus qui prima cuiusvis mensis Fer. VI. pio exercitio, in honorem SS. Cordis Jesu *publice* peracto devote interfuerint, conceditur indulgentia plenaria, additis sacramentali confessione, s. communione et oratione ad mentem S. Pontificis ...si aliquas preces ad reparandam hominum iniurias SS. Cordi Jesu illatas *privatim* recitaverint, conceditur indulgentia plenaria suetis conditionibus, at ubi pium exercitium publice completur huiusmodi indulgentia ab iis tantum acquiri potest, qui legitimo detineantur impedimento quominus exercitio publico intersint » (Ench. Ind. 1952. n. 252. a.).

c. *Haec exercitia* possunt esse: oratio consecratoria SS. Cordi, oratio ad reparationem iniuriarum (cf. textus Ench. Ind. n. 256-259) recitatio parvi officii SS. Cordis (Ench. Ind. n. 244), recitatio « Coronae SS. Cordis (ibid. n. 255), Litaniae SS. Cordis, demum devotio coram Sanctissimo, in qua optime recitari possunt preces supradictae. Haec devotio potest fieri Missa expleta, vel sero, si Missa nunc iam celebrari potest vespertina (Const. Apost. « Christus Dominus » 6. jan. 1953.).

d. Celebrans post Missam, omissis precibus Leonis XIII. potest ad scamnum deponere paramenta et sumere stolam et pluviale albi coloris, vel potest retinere casulam, sed manipulus deponitur (CRit d 1615,6; 2562,1; 3175,3; 3949,7). Dein ad altare se confert, ubi interea clericus apposuit ostensorium, et bursam cum corporali, legitime exponit Sanctissimum et thurificat (cf. inferius De SS. Eucharistia J. 8. b.). Dein cantantur hymni SS. Cordis, recitantur Litaniae, vel aliae orationes, prex consecratoria et reparatoria, in fine « Tantum ergo » et datur benedictio cum Sanctissimo (velum semper est albi coloris).

c) **Primum Sabbatum cuiusvis mensis.**

vel Fer. V. prima mensis potest celebrari « *Dies Cleri sanctificationi sacer* » seu « Dies sacerdotum » (AAS 1937, 285).

1°. *Historia* huius exercitii recentissima est (cf. C. Rit. d 11. mart. 1936.). Anno 1934. Societas Divini Salvatoris approbante Ordinario Berolinensi, pium exercitium orandi pro sanctificatione cleri orbis universi, promovere coepit, idque *maxime Sabbato post primam Fer. VI.* cuiusvis mensis. Mox permulti Ordinarii hoc pium exercitium peramenter approbarunt, et tam magnus coetus fidelium eidem adhaerere coepit, ut vix duobus elapsis annis ex quo initium sumpsit, quadragies centena millia fidelium (4.000.000) huic devotioni sese dederunt. Cum Summus Pontifex Pius XI. tunc ediderit suam Encyclicam gravissimi ponderis de sacerdotio catholico (« Ad catholici sacerdotii » 20. dec. 1935.), vota multorum promensi Generalis Moderator Societatis Divini Salvatoris Papam humiliter supplicavit, ut *qualibet Fer. V. prima mensis* in omnibus ecclesiis et oratoriis, in quibus approbante Ordinario loci, preces pro sanctificatione sacerdotum universi orbis fiunt, unica Missa votiva de Summo et aeterno Sacerdote Jesu Christo celebrari queat. Summus Pontifex Pius XI. hanc licentiam benigne contulit (C. Rit. decr. supra citatum). Postquam pium hoc exercitium a S. Sede specialibus privilegiis ditatum est, tam cito per orbem catholicum sese extendit, ut « quamplurimi sacrorum antistites omnium fere nationum illud libentissime exceperint, tamquam menti Ecclesiae et pietati fidelium admodum consentaneum commendaverint eorumque non pauci in propriae dioecesis ecclesiis publice peragi voluerint » (S. Poenit, 12. apr. 1937.).

2°. Missa unica est: **a.** Missa de *D. N. Jesu Christo Summo et Aeterno Sacerdote*, « Juravit Dominus », edita fuit a S. Cong. Rituum 24. dec. 1935. et in Missalibus ex eo tempore editis legitur. Potest celebrari ut *votiva III. cl.*, et quidem « *prima Fer. V.* vel *primo Sabbato* cuiusque mensis, in ecclesiis et oratoriis, in quibus peculiaria pietatis exercitia pro cleri sanctificatione, *eo die*, peraguntur » (NCR 385. a). Ritus et prohibitio eadem sunt, ac penes Missam SS. Cordis Jesu (supra b. 2°. **b. c. d.**). Color est albus (NCR 121. b), praefatio dicenda est de tempore vel communis (sic iuxta decr. CRit 65/1955. XV., cf. Doc. Pont. II, 17., et NCR 487), antea enim dicenda fuit de S. Cruce. — **b.** *Sabbato primo* cuiusvis mensis autem dici potest *etiam alia Missa*, quae quibusdam in locis etiam pro cleri sanctificatione offertur: « *una* Missa de *Immaculato Corde BMV.*, in ecclesiis et oratoriis, in quibus peculiaria pietatis exercitia in honorem eiusdem Immaculati Cordis BMV., eo die, peraguntur » (NCR 385. c), est etiam III. cl., cum iisdem legibus ac supra.

3°. *Pecularia exercitia.* **a.** *Finis* est horum exercitiorum: « ...pro Ecclesiae sacerdotibus et levitis, ut D.N.J. Christus, summus et aeternus Sacerdos eos sanctificet faciatque sacerdotes secundum cor suum » (Ench. Ind. n. 657). — **b.** Fidelibus, qui « in aliqua ecclesia aut publico oratorio vel pro legitime utentibus semipublico oratorio, pio vacaverint exercitio offerendi Deo s. Missam et Communionem necnon omnes eiusdem diei orationes et quaecunque opera bona fiant » conceditur *indulgentia* plenaria suetis conditionibus (ibid.). Indulgentia haec extenditur etiam ad Fer. V. in Caena Domini, die B.M.V. Reginae Apostolorum et diebus natalibus SS. Apostolorum (ibid.).

4°. Qua exercitium publice peractum commendari possunt eaedem devotiones, ac SS. Cordis Jesu, supra enumeratae. In devotione publica recitari potest oratio pro Cleri sanctificatione (Ench. Ind. n. 659), cuius versio ab Ordinario aliquo approbata est (can. 934 § 2).

d) **Primo anni die**

haberi potest imploratio divini auxilii.

1°. Supponitur aliqua devotio publica die 1. Januarii, nam *indulgentia* datur ab Ecclesia « fidelibus, qui prima anni die cantui hymni *Veni Creator* in ecclesiis vel in publicis aut (pro legitime utentibus) semipublicis oratoriis, ad divinam opem pro totius anni cursu implorandam, devote interfuerint: Indulgentia decem annorum, plenaria, additis sacramentali confessione, s. communione et oratione ad mentem S. Pontificis (Ench. Ind. n. 681). Ad indulgentiam lucrandam ergo videtur essentiale esse cantus hymni « Veni Creator », ceterum Missa multis in locis dicitur coram Sanctissimo exposito, devotiones speciales habentur variae in variis dioecesibus.

2°. *Devotio publica* fieri potest post Missam, vel sero, Sanctissimum exponitur privatim vel sollemniter cum licentia Ordinarii. Post cantum « Veni Creator » dicitur versiculus et oratio, dein recitari possunt Litaniae SS. Nominis Jesu, utpote huic diei convenientes, recitatur oratio approbata in multis dioecesibus pro anno ineunte, et datur benedictio cum Sanctissimo.

e) **Ultimo anni die,**

1°. Supponitur devotio publica, fidelibus enim, qui ultima anni die hymni « *Te Deum laudamus* » cantui « interfuerint in ecclesiis vel publicis aut (pro

legitime utentibus) semipublicis oratoriis, ad gratias Deo referendas pro beneficiis totius anni decursu acceptis » eaedem *indulgentiae* conceduntur, sicut supra » (sub d) (Ench. Ind. n. 684.). Essentialis ergo est cantus hymni « Te Deum ».

2°. Fieri solet in devotione publica vespere habita ultimi anni diei, *potest fieri tali ordine.* **a.** *Hymno* aliquo de natali Christi cantato, fit *sermo* ad populum, postea *parochus refert* parochianis de numero hoc anno baptizatorum, confirmatorum, matrimonio copulatorum, conversorum ad fidem catholicam, mortuorum et provisorum Sacramentis, numerum s. communionum, opportunas adiungens admonitiones. — **b.** Exponitur *Sanctissimum,* hymnus aliquis eucharisticus cantatur a populo. — **c.** Recitantur *litaniae* de SS. Nomine Jesu cum versiculo et oratione. — **d.** Recitatur *oratio* aliqua gratiarum actionis approbata. — **e.** Canitur *Antiphona* « Alma Redemptoris Mater » cum versiculo et oratione — **f.** Hymnus « *Te Deum* » cantatur, item cum versiculo et oratione. — **g.** « Tantum ergo » et *benedictio eucharistica* more solito.

f) **Pervigilium Omnium Fidelium Defunctorum.**

1°. Pervigilio hoc cantantur Vesperae Omnium Sanctorum, Vesperae defunctorum iam non dicuntur inde ab 1955 (NCR Var. 58). Postea potest *devotio* fieri *popularis,* quae aliquibus in locis etiam locum supplet Vesperarum, quae in ecclesiis ruralibus minus canuntur. Omnes qui tali intersunt exercitio, conceditur indulgentia septem annorum (Ench. Ind. n. 589). Dominica Festum Omnium Sanctorum antecedente monendus erit populus de indulgentiis, quae in die Commemorationis Defunctorum et durante octavario, item per mensem lucrari possunt (cf. infra 3. f.).

2°. Primo celebrans cum stola alba recitat cum populo SS. Rosarium vel canuntur Litaniae Omnium Sanctorum dein recedit in sacristiam.

3°. Stola nigri coloris indutus procedit et sermonem habet ad populum.

4°. Dein ad tumulum se confert, ubi « Libera » canitur, fit absolutio, canitur Kyrie, inter « Pater noster » aspergitur et thurificatur tumulus, canuntur versiculi et oratio « Fidelium » cum brevi conclusione.

5°. Dein lingua vernacula oratio approbata pro defunctis.

g) **Dies Patrocinii, Titularis et Dedicationis.**

(Kirchtag seu Kirmes, la sagra, fête-patronale, country-fair bucsu).

1°. *Historia.* E duobus consuetudinibus ortum habet dies seu festum adhuc hodie valde populare, e cultu *anniversarii dedicationis* seu consecrationis ecclesiae et e cultu *Patroni* coelestis ecclesiae.

a. Iam *Iudaei* festum anniversarium dedicationis templi Hierosolymitani quotannis celebrare consueverunt, forsitan inde oriebatur mos eodem modo celebrandi anniversarium dedicationis Basilicae Constantinianae *in Jerusalem,* cuius testis Sozomenus est (Hist. eccl. II, 26). Etiam in *Urbe* aeterna sollemniter recolebant anniversaria dedicationum magnarum Basilicarum, sic 1. aug. S. Petri et Pauli, 5. aug. S. Mariae Maioris, 2. nov. S. Laurentii etc., haec anniversaria vocabantur « natale ecclesiae ». Exinde in aliis quoque regionibus

festum anniversarii, vocatum etiam simpliciter « dedicatio », celebrari coepit, evasitque festum laetitiae popularis, iam in Synodo Moguntina (813.) festum fori enuntiatum.

b. Alia consuetudo item iam inde a saec. IV-o erat sollemniter celebrare *festum Patroni* coelestis alicuius ecclesiae. Hic patronus coelestis vocatus est « titulus », unde denominatio « Sanctus titularis ecclesiae ». Inde ab origine primo vocabant hoc nomine personam cuius sumptu ecclesia aedificata est. Sic « titulus Pammachii » vocata est ecclesia, quae serius ecclesia S. Joannis et Pauli denominata est. Nomen « *tituli* » desumpta est a tabula quae possessorem domus vel agri significabat (titulus = Aushängeschild, insegno, enseignement, sign-bord, cégtábla).

c. Festum Sancti « titularis » iam Romae et in Italia qua magnum festum celebratum est, maximum vero momentum nactum est, cum penes gentes recenter conversas hoc festum vel anniversarium dedicationis *vices tenebat sollemnitatis paganae,* ut in Epist. S. Gregorii Magni ad Melitonem in Angliam profecturum consulitur: « Quia (pagani) boves solent in sacrificio daemonum multos occidere, debet etiam hac re aliqua sollemnitas immutari, ut die dedicationis vel natalitiis s. martyrum, quorum illic reliquiae ponuntur, tabernacula sibi circa illas ecclesias, quae ex fanis commutatae sunt, de ramis arborum faciant et religiosis conviviis sollemnitatem celebrent... Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse non dubium est » (Beda, Hist. eccl. gent. Angl. I, 30 PL 95,70).

2°. *Patrocinium* est festum Patroni, iuridice non confundendum cum festo Titularis Sancti seu Tituli ecclesiae.

a. *Patronus* definitur *ille Sanctus, quem certa quaedam natio, dioecesis, provincia, locus vel persona moralis sibi elegit et Sedes Apostolica confirmavit* (iuxta can. 1278). Sic *natio* Gallica patronam habet B. M. Virginem in coelos Assumptam, patronas vero secundarias S. Johannam de Arc. et S. Teresiam a Jesu infante. *Dioeceses* plerumque Titularem habent ut patronum dioecesis, provincia ecclesiastica, seu *metropolia* colit patronum archidioecesis, ut e.gr. Provincia Strigoniensis S. Adalbertum. Provinciae quoque *politicae* possunt habere patronum, sic Tyrolia in Confoederatione Austriaca colit S. Joseph, Dalmatia in Jugoslavia S. Hieronymum, Bosnia S. Eliam. *Locus* potest esse civitas, ubi episcopus residet, oppidum, alia urbs vel pagus; plerumque sed non necessario patronus identicus est cum patrono ecclesiae seu Sancto titulari. *Persona moralis* potest esse ordo religiosus, domus religiosa, confraternitas, Institutum saeculare, alia instituta ecclesiastica ut nosocomium, orphanotrophium etc.

b. *Electio*: inde a decreto Urbani VIII. (C. Rit. d 526 23. mar. 1630.) quaevis electio patroni irrita est, etiam ab episcopo facta, sine approbatione S. Sedis; patroni ante electi retineri debent.

c. *Patronus* potest esse *principalis* vel *secundarius.* Patronum *principalem* possunt habere rite (ut supra **b.** dictum est) constitutum: (1) *nationes* et regiones seu provinciae ecclesiasticae sive civiles (NCR 42.a), — (2) *dioeceses* seu territoria ecclesiastica quibus praeficitur ordinarius loci (NCR 43. a) — (3) *loca* seu oppida vel civitates (NCR 44. a), — (4) totus *ordo* seu *congregatio religiosa* in universo ordine seu congregatione (NCR 46. c), — (5) unaquaeque provincia

religiosa in singulis provinciis (ibid.). Festum patroni principalis est *festum I. cl.* — Earundem personarum moralium potest esse etiam patronus *secundarius,* eius festum est *festum II. cl.* (NCR 42. a., 43. c., 44. b., 46. d.).

d. *Sollemnitas externa,* ut iam enarratum est (De Eccl. sacrific. G. 1. nr. 16. b. 5°), solummodo festo patroni principalis convenit, quia I. cl. est, secundarii non transfertur nam II. cl. gradum habet. Attamen, si festum patroni secundarii « cum *peculiari* populi concursu celebratur, cuius iudex est loci ordinarius » (NCR 358. i), potest concedi ab eo sollemnitatis externae translatio.

e. Quinam obligentur ad officium divinum cf. superius (C. 2. b.).

3°. *Festum tituli seu titulare* est festum « Titularis », qui definitur: *Persona sancta divina vel creata vel mysterium ad eam pertinens, cui ecclesia dedicatur et a qua nominatur.*

a. Titularis potest esse *persona divina,* Christus, Spiritus Sanctus, ipsa SS. Trinitas. Persona *creata*: primario B.M. Virgo, dein angeli vel omnes, vel singulares (S. Michael, Gabriel, Raphael), demum Sancti; Beati vero solummodo cum licentia S. Sedis (can. 1277). *Mysterium ad eam pertinens* esse potest e.gr.: Nativitas Christi, Jesus Crucifixus, Resurgens, Assumptio, Immaculata Conceptio B.M.V., Conversio S. Pauli, Vincula S. Petri, Stigmata S. Francisci, Ecclesia huic titulo seu titulari dedicata est: num per consecratiõnem vel per benedictionem, nihil refert. (NCR 45. b).

b. *Titularis* differt a Patrono, etsi vulgo etiam Titularis ecclesiae (sive persona, sive mysterium) nominari solet patronus, festumque patrocinium. Differentia haec conspicitur in eo, quod: (1) Patronus solum persona creata potest esse, — (2) titularis debet eligi pro omni ecclesia; patroni electio libera est, eo sensu, quod patronus non debet eligi ab ulla natione, loco etc. — (3) e patronis unus tantum est primarius, titulares vero possunt esse plures principales, — (4) titularis in una ecclesia colitur, patronus in territorio quodam (nationis, loci etc.), ad quod plures ecclesiae pertinent. Titulum possunt habere ordines et congregationes (NCR 46. a).

c. Festum *tituli* cuiusque ecclesiae aut oratorii publici vel semipublici, quod locum tenet ecclesiae, item ordinis et congregationis: est *festum I. cl.* (NCR 45. b. et 46. a).

d. Si *plures Titulares* habentur, aequo modo coli debent die suo praefixo, tamquam I. cl. festa (C. Rit. d 2439,4; 3529,1; 2721,2; 3745; 4105,2).

e. Festum Titularis ecclesiae *cathedralis* omnis uterque clerus celebrare debet ut festum I. cl.

f. *Imago Titularis* super altare maius cum exclusione alterius collocari debet (C. Rit. d 2752,5 et al.). *Nomen* Titularis in oratione « A cunctis » post nomina SS. Petri et Pauli exprimi debet iuxta rubricas, in sacristia vero conspicuo loco in tabella describi pro sacerdotibus extraneis simul cum nomine Ordinarii.

4°. « Dedicatio » i.e. *anniversarium dedicationis* ecclesiae celebrari debet eo die, qui ab episcopo consecratore occasione consecrationis praefixus est.

a. *Per se* est dies, in quo dedicatio facta est, sed potest etiam alius dies assignari ad anniversarium celebrandum, dies tamen debet fixus esse, non dies mobilis e.gr. Dominica IV. post Pentecosten.

b. Nihil obstat, quominus anniversaria omnium ecclesiarum consecratarum alicuius dioecesis *uno eodemque die* celebrentur, « arbitrio episcopi, audito tamen Capitulo cathedrali, semel pro semper », hic dies alius esse debet, ac anniversarium ecclesiae cathedralis (C. Rit. d 4308. tit. I, 1. e. et f.), quod ab universo clero saeculari et regulari dioecesis celebrari debet, qua fest. I. cl., sicut etiam anniversarium propriae ecclesiae, nunc sine octava. — Praescripta eadem sunt ac supra (2°. c. d. e.).

h) **Dies eucharisticus seu adorationis publicae.**

1°. « *Dies eucharisticus* » est participatio alicuius ecclesiae sive parochialis sive aliae in adoratione perpetua dioecesis. *Adoratio Sanctissimi perpetua* in aliqua dioecesi consistit in eo, quod dies anni ita distribuuntur, ut singulae ecclesiae et oratoria publica suum diem sortiantur; in quo a summo mane usque ad vesperam SS. Sacramentum adorationi fidelium exponitur (sic iuxta decr. S. C. Rit. 2814,3). Haec adoratio perpetua originem ducit ex oratione XL Horarum, quae uti dictum est, tum Mediolani, tum Romae ita instituta fuit, ut unoquoque die anni in aliqua ecclesia Sanctissimum adoratur, ea solum differentia, quod in hac adoratione perpetua, de qua sermo est, noctu SS. Sacramentum non exponitur. Haec adoratio perpetua medio saec. XVI-o in Italia coepta decursu s. XVII-i in multis dioecesibus Galliae propagata, nunc in fere omnibus dioecesibus in usu est.

2°. Fidelibus qui tali « die eucharistico » Sanctissimum devote visitaverint et quinquies Pater, Ave, Gloria recitaverint, easdemque preces semel ad mentem Summi Pontificis iteraverint, conceditur *indulgentia* 15 annorum, plenaria vero suetis conditionibus (Ench. Ind. n. 176). Altaria non sunt hoc die eucharistico privilegiata.

3°. Quoad *tempus*, quando celebrari possit talis dies eucharisticus, dicta cf. de oratione Quadraginta Horarum (supra 1. c. 3°). Privilegium liturgicum quoque nunc habet talis dies liturgicus: « Ad exponendum SS. Sacramentum pro publica adoratione quae per *unum diem* protrahitur, dici potest, tamquam votiva II cl. Missa de SS. Eucharistiae Sacramento » (NCR 353). Missa vero de die dicenda est, si *per aliquas horas* tantum adoratio protrahitur, sine commemoratione SS. Sacramenti. At diebus, quibus permittitur Missa votiva IV. cl., convenientius dicitur Missa de SS. Sacramento (NCR 354).

4°. Dies hic eucharisticus *rite praeparari debet* in concionibus ad populum habitis. Pervigilio diei pulsantur omnes *campanae* per horae quadrantem, *adoratores* e viris et feminis seligentur, quorum elenchus affigi potest ianuae sacristiae. Attendendum, quod, inquantum potest, omnes fideles partes habeant in adoratione, et quod semper sufficienti numero adsint in ecclesia. *Candelae duodecim* in altari expositionis commutari debent. *Repositio*, quae vespere fit, incipi potest per sermonem de SS. Eucharistia, dein cantantur Litaniae de SS. Nomine vel Corde Jesu, preces vulgari sermone recitatae, dein Antiph. B. M. Virginis cum oratione, intonatur « Te Deum » cum versiculis et oratione, demum more solito repositio cum « Tantum ergo » et benedictione.

i) **Hora sancta in honorem Christi agonizantis in Monte Oliveto.**

1°. *Historia.* Rob. Debrosse S.J. inde ab anno 1828. late propagavit usum huius pii exercitii, vestigia premens S. Margaritae Alacoque, quae anno 1674, per visionem illustrata affirmavit adorationem hanc Domino valde placere. Quando enim virgo sancta celebrem visionem habuit de communione primae Feriae VI. cuiusvis mensis, insimul accepit adhortationem ad recolendam tristitiam Salvatoris, quam expertus est in horto nocte Fer. V-ae. Iussu enim Domini etiam Sancta Margarita horam undecimam usque ad duodecimam noctis, quae intercedit inter Fer. V-am et VI. sacram habere debuit SS. Cordi Jesu in Monte Oliveto agonizanti. Pius VII., Gregorius XVI. et alii Summi Pontifices concesserunt usum huius exercitii omnibus christifidelibus, indulgentiisque eum ditabant.

2°. *Notio Horae Sanctae.* a. *Sensu stricto* Hora sancta vocatur pium exercitium *publice* peractum in qualibet ecclesia aut publico vel (pro legitime utentibus) semipublico oratorio « ad recolendam Jesu Christi passionem et mortem et ad flagrantissimum eius amorem, quo ductus divinam Eucharistiam instituit », sic iuxta documentum Ecclesiae (Ench. Ind. nr. 168). Eodem loco supponitur, quod pium hoc exercitium fit non solum *orando,* sed etiam *meditando,* quod fieri potest per sacerdotem, qui puncta tradit huius meditationis. Si Hora sancta haec *publice* peragatur, et per integram horam — quovis die, nam non praescribitur fixus dies — conceditur *indulgentia* plenaria, dummodo fideles peccata sua sacramentali poenitentia expiaverint, ad eucharisticam mensam accederint et ad Summi Pontificis mentem preces fuderint. Iis vero, qui, saltem corde contrito pium hoc exercitium publice vel *private* peregerint, conceditur indulgentia decem annorum. — b. *Sensu latiore* vocatur nunc etiam *quaevis adoratio* Sanctissimi Sacramenti *per horam protracta,* sive fit per publicam vel privatam expositionem, sive per privatam adorationem coram Sanctissimo. — Exercitia talium Horarum sanctarum propius non determinantur; ut iam dictum est, aliqua forma meditationis requiritur.

k) **Dies gratiarum actionis publice peractae**

haberi potest pro fausto aliquo eventu alicuius communitatis, sic e.gr. pro feliciter terminato anno scholari, pro peracta messi, pro commemoratione eventus alicuius nationalis (e.gr. «Thankgivingsday»). — Gratiarum actio fieri potest:

1°. *Per Missam celebratam,* de licentia Ordinarii more Missae votivae II. cl. (NCR 370. 372). *textus* Missae sumitur « de SS. Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de B. Maria Virgine, aut de aliquo Sancto canonizato in Martyrologio Romano descripto, addita, sub unica conclusione » oratione pro gratiarum actione « Deus cuius misericordiae non est numerus » (Miss. Rom. Missa pro gratiarum actione, in fine Missarum votivarum). In fine Missae cantatur hymnus « *Te Deum* », cui adduntur versiculi « Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu » etc. « Benedictus es Domine in firmamento caeli » etc., « Domine exaudi » et « Dominus vobiscum » cum oratione supradicta cum clausula breviore. Celebrans recitans hymnum inter cantum semel tantum genuflectit, sc. ad cantum versus « Te ergo quaesumus ».

2°. Gratiarum actio fieri potest per *devotionem publicam,* in cuius fine canitur hymnus « Te Deum », si etiam benedictio datur cum Sanctissimo Sacra-

mento, hymnus « Te Deum » cum suis versiculis et oratione praecedere debet stropham « Tantum ergo » (C. Rit. d 4198,10).

3°. Solemnis gratiarum actio institui potest *per processionem pro gratiarum actione*. Semper in *initio* processionis debet cani hymnus « Te Deum », deinde in processione canuntur *psalmi* (« dici poterunt »: Ps. 65. 80. 95. 99. 102. 116. 148. 149. 150., Canticum trium puerorum, Canticum « Benedictus »), vel etiam *cantica* lingua vernacula. « Deinde in ecclesia ubi fit statio, ante altare dicuntur sequentes *Versus et orationes* » in Rituali Romano descriptae (Tit. X. c. 13), et quidem plures, quam ad cantum « Te Deum » qui Missam vel devotionem publicam sequitur.

l) **Dies primae Missae novi sacerdotis.**

Dies primae Missae seu « *primitiae* » in quibusdam regionibus vocatur prima Missa, quam neopresbyter post ordinationem celebrat. Revera prima Missa ea debet haberi, quam ordinatus cum Episcopo consecrante *concelebrat*, cuius Missae applicatio a parte ordinati libera est, imo iuxta Benedictum XIV. etiam stipendio accepto celebrari posset (De ss. Missae sacrificio III, 10).

1°. *Historia*. Sollemnitas peculiaris talis Missae celebrari coepit decursu saec. XV-i; infra Missam primam populus ad *offertorium* neopresbytero varia dona obtulit, vasa, utensilia, linteamina, in fine accepit benedictionem neomystae. Ut Götz opinatur, *praedicatio* peculiaris solum medio saec. XVI-o incepit (Die Primizianten d. Bistums Eichstätt aus den Jahren 1493-1577, Münster 1934), at iam medio saec. XV-o tales conciones inveniri possunt, e.gr. in codice Budapestinensi inter 1463-1476 scripto (c. 1. m. ae. 410. fol. 155-159: « Sermo de novo sacerdote »). Multis in locis « *Kyrie* » *speciale* ad primam Missam cantatum est: « Kyrie sacerdos summe, hunc novum respice sacerdotem tibi sollemnizantem eleison ».

2. *Leges primae Missae* fere sequentes sunt. **a.** Neopresbytero ubi moris est, potest *assistere sacerdos*, qui eum adiuvet (« manuductor »), qui uti potest stola — a fortiori etiam pluviali — vel statim ab initio Missae vel ab incoepto Canone iuxta consuetudinem (C. Rit. d 3515,7). — **b.** Sacerdos assistens continue assistit ad librum, una cum neopresbytero inclinat caput, facit crucissignationes, genuflectit cum eo. Intra elevationem et ad benedictionem in fine Missae in genua procumbit, ceterum stat.

3°. Tolerari potest consuetudo adhibendi — praeter ministros sacros — *duos laicos* inservientes, praesertim aquam odoriferam ad lotionem manuum suppeditantes, hi inservientes honoris causa saepius « *Patrini* » vocantur (C. Rit. d. 4257,1).

4°. Ante incoeptam Missam cantari solet « *Veni Creator* » vel « Veni Sancte », celebrante cum ministris sacris ad primam stropham genuflectente, dein cantantur Versus et oratio. Post Missam cani potest hymnus « *Te Deum* », ut supra (k. 1°.).

5°. Post primam Missam ubique impertiri solet *benedictio* per neomystam.

a. Adhiberi potest *formula*: « Oremus. Deus qui caritatis dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum fidelium cordibus infudisti, da famulis et famulabus tuis,

pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis, ut te tota virtute diligant et quae tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super te et maneat semper. Amen ».

b. Multis in locis *benedictio singulis* datur personis et adhibetur formula brevior: « Per impositionem manuum mearum sacerdotalium et invocationem B. Mariae Virginis et omnium Sanctorum omni benedictione caelesti et terrestri benedicat te omnipotens Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen ».

c. Consuetudo, ut neomysta accipiat a *parentibus benedictionem*, sustentari potest, sed benedictio haec non potest fieri in ecclesia, sed extra eam, puta in foro ante ecclesiam, vel in sacristia, vel ut in Hungaria, in domo paterna, ante incoeptam Missam, sed neopresbytero non licet esse in paramentis sacris (C. Rit. d 4257,2).

6°. *Adstantia* ad primam Missam maximi est momenti propter aedificationem populi, ideo magna sollemnitate exsequi debet, Ecclesia vero *indulgentiis ditavit* hunc actum: *Sacerdoti* quidem primum Sacrum facienti conceditur indulgentia plenaria, si praeterea peccata sua sacramentali poenitentia expiaverit et ad mentem Summi Pontificis preces fuderit (Ench. Ind. nr. 742); *fidelibus*, qui primae Missae devote adstiterint, conceditur indulgentia septem annorum, plenaria vero, si sint consanguinei eiusdem neo-sacerdotis ad tertium usque gradum inclusive, si suorum peccatorum veniam obtinuerint, caelestem Panem sumpserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint; iis vero, qui palmas neo-sacerdotis tum die ordinationis sacerdotalis, tum die primae Missae devote osculaverint, conceditur centum dierum (Ench. Ind. nr. 676).

7°. Post primam Missam iussu Episcopi ordinantis Neomysta debet *tres Missas* celebrare: unam de Spiritu Sancto, alteram de B. Maria Virgine et tertiam pro fidelibus defunctis. Hae tres Missae quamprimum celebrandae sunt, et quidem Missae votivae, quando a rubricis permittuntur, nisi Missa diei currentis qualitatis sit imperatae, e.gr. dies sit Pentecostes vel festum aliquod B. Mariae, tunc haec Missa legi potest ad supradictum finem implendum (C. Rit. d 2802,4). Missae *qualitas* iuxta communem doctorum sententiam praecipitur, *applicatio* vero Missae libera manet neo-sacerdoti, qui ergo etiam pro his tribus Missis stipendium accipere potest.

m) Dies congressus seu Conventus Eucharistici.

1°. *Historia.* Motio eucharistica incoepit in Gallia saeculo elapso, studio praecipue cuiusdam piae virginis nomine *Tamisier*, cui adstipulaverunt sacerdos *Gaston Louis de Ségur* et vir laicus *Philibertus Vrau*, quorum opera primus Congressus seu Conventus Eucharisticus in civitate Insulensi (Lille) anno 1879. habitus est per tres dies continuos e licentia Leonis XIII. Praedicti constituerunt comitatum permanentem ad provehendos Congressus Eucharisticos, continentibusque laboribus huius comitatus exinde plurimi magni Congressus Eucharistici originem duxere in civitatibus Avenionensi (1882), Leodiensi, Friburgensi, Tolosana, Parisiensi, Antwerpensi, Hierosolymitana, Lapurdensi, Namurcensi, Coloniensi, Vindobonensi, Romae, Budapestini, multis in locis Europae, Americae, Australiae et Africae. Conventus internationales secuti sunt Con-

ventus nationales, dioecesani, imo minores Conventus, sed non minus fervorosi vicariatuum forensium, imo parochiarum.

2°. *Leges ac privilegia pro diebus Conventuum Eucharisticorum.* Post Leonem XIII. Sanctus Pius X. edidit 28. febr. 1905. Litteras apostolicas (« Cum Nobis nihil ») pro Conventibus Eucharisticis universis. *Littera apostolica Pii XI.* de die 7. mart. 1924. « *Quod ad Conventus Eucharisticos* » *lex fundamentalis* est Conventuum horum (AAS 1924, 154-158). Litterae hae datae sunt « perpetuum in modum » « pro quocunque Conventu Eucharistico, internationali, vel etiam unius nationis, aut regionis, aut dioecesis », privilegia vero sunt sequentia.

a. Iuxta NCR (335-336) indulta extenta sunt quoad *Missas publicas.* (1) « Singulis *diebus* Congressus eucharistici dioecesani, regionalis, nationalis et internationalis, Missa *principalis,* dummodo sit *in cantu,* celebrari potest de SS. Eucharistiae Sacramento, tamquam *votiva I. cl.* » — (2) « In *ceteris publicis* celebrationibus eorundem Congressuum, Missa de SS. Eucharistiae Sacramento celebrari potest tamquam *votiva II. cl.* » (NCR 336).

b. « *Singuli* sacerdotes, qui congressui eucharistico intersunt, celebrare possunt Missam de SS. Eucharistiae Sacramento, tamquam *votivam III. cl.* » (NCR 337).

c. In adoratione SS. Sacramenti per *totam noctem* expositam litari potest una Missa ad mediam noctem, sub qua omnes praesentes communicare queunt. Sacerdotes praesentes duo accipiunt privilegia: Missa, de qua sermo, expleta, *vel* prima post mediam noctem hora transacta, Sacrum peragere possunt, ut patet in tota civitate, ubi adoratio nocturna locum habuerit; alterum privilegium est, quod adorationi nocturnae praesentes, eadem perdurante, loco officii proprii officium de SS. Sacramento recitare valent.

d. *Canonici et beneficiarii* de consensu Ordinarii ad Conventum se conferentes, ab incoepto itinere ad diem reditus, item canonici et beneficiarii in loco residentes Conventus, qui iussu vel consensu Ordinarii praeparando Conventui sunt addicti: ita excusantur a servitio chori, ut distributiones quoque cotidianas etiam « inter praesentes » percipiunt.

e. Sacerdotes qui absentium vices supplent, e licentia Ordinarii etiam si id expedire visum est, diebus etiam ferialibus veniam binandi accipere queunt.

f. Omnes, qui quemvis e praefatis Conventibus adiverint, non adstringuntur, etiam durante itinere, lege *abstinentiae et ieiunii,* pro populo vero loci, ubi Conventus fit, Ordinarius utatur suo iure iuxta can. 1245.

g. *Indulgentiae* vero sunt sequentes: *In loco Conventus*: Tres indulgentiae plenariae: *una* suetis conditionibus, semel tantum, *altera* pro iis qui sollemnem Eucharisticam pompam, quae sub exitu Conventus duci solet, participaverint, suetis conditionibus, tertia pro iis, suetis conditionibus, qui SS. Sacramentum publico expositum visitaverint, ut patet, semel. Septem annorum indulgentia conceditur iis, qui aliquam sacram functionem, vel sessionem Conventus visitaverint, centum dierum iis, qui aliquod religionis opus in spiritu poenitentiae ad fines Conventus obtinendos peregerint (Ench. Ind. n. 602 a.). Eaedem indulgentiae conceduntur in Conventibus vicariatus foranei, decanatus, plebaniae, pa-

roeciae excipitur solummodo benedictio papalis, quae locum non habet (nr. 603). *Extra locum Conventus* (internationalis, nationalis vel dioecesani) conceditur indulgentia plenaria semel lucranda a die primo usque ad ultimum diem Conventus suetis conditionibus pro iis, qui in quavis ecclesia pro felici exitu Conventus orant. Si Conventus sit internationalis, indulgentia haec lucrari potest toto terrarum orbe, sin aliter, in tota natione, regione, dioecesi respective (Ench. Ind. n. 602. b).

n) **Dies Summo Pontifici sacer.**

Talis dies duplex haberi potest:

1°. In *anniversario coronationis Papae* in cathedralibus et ecclesiis collegiatis pro Missa conventuali dicitur Missa *votiva propria II. cl.* (NCR 362), in omnibus ecclesiis et omnibus Missis additur *oratio pro Papa* (364).

2. Alius dies sacer institui potest ad sollemniter celebrandas *laudes Romani Pontificatus* ad innumera beneficia recolenda in totum mundum hactenus derivata, talis dies e.gr. apte eligi potest festum Cathedrae S. Petri. Fidelibus, qui devote interfuerint alicui ex religiosis functionibus — sive Missae sollemniter celebratae, sive devotioni publicae — conceditur *indulgentia* decem annorum, addita oratione ad mentem Summi Pontificis, indulgentia vero plenaria, si praeterea sacramentalem confessionem peregerint, ad s. Synaxim accesserint et iuxta Summi Pontificis mentem preces fuderint (Ench. Ind. nr. 651). In tali die de consensu ordinarii loci permitti potest *una* Missa votiva II. cl. in singulis ecclesiis (NCR 365).

o) **Dies pro Missionibus.**

Unus dies pro universa Ecclesia institutus est, etquidem *penultima Octobris Dominica mensis* qua dies pro Missionibus. Rescriptum S. C. Rituum 14. apr. 1926 (AAS 1927, 23-24, in Coll. authent. non transsumptum, sed ratum habitum ab Ench. Ind. nr. 611) sequentia permittit:

1°. Dominica supradicta pro toto orbe catholico qua *Dies precum et missionum propagandarum* praescribitur.

2°. In omnibus Missis huius Dominicae additur *Collecta imperata* tamquam pro re gravi Pro propagatione fidei e Missali desumpta.

3°. Sacra *praedicatio* huius Dominicae habeat characterem missionarium reflectendo ad Opus propagationis fidei.

4°. Fidelibus, qui hoc die vel alio ab Ordinario loci statuto alicui e sacris functionibus pro Missionibus celebrari consuetis, interfuerint et pro infidelium conversione preces effuderint, conceditur *indulgentia* septem annorum, iis vero, qui confessi, caelestem Panem sumpserint, ac ut supra exoraverint, conceditur indulgentia plenaria. Fidelibus vero, qui in loco, in quo talis dies non celebretur, in aliqua ecclesia vel oratorio publico pro infidelium conversione oraverint, eaedem prostant indulgentiae (Ench. Ind. 611. b).

5°. « *Una* Missa *pro fidei propagatione* celebrari permittitur, tamquam *votiva II. cl.*, in *singulis* ecclesiis, die quo peculiares habentur celebrationes pro missionibus et occasione Congressus missionalis » (NCR 369).

2. De precibus triduanis vel novendialibus

a) Tridua sacra.

Omnia tridua i.e. exercitia per tres dies protracta originem ducunt exemplarque habent in Triduo sacro Hebdomadae Sanctae, quae quasi praeparatio proxima Paschatis consideratur. Triduanae preces ideo praecipue ad praeparationem adhiberi solent. Existunt Tridua:

1°. *Eucharistica,* a quibus distinguendae sunt adorationes ad instar XL Horarum (cf. superius F. 1. g.). Tale Triduum instituit Sanctus Pius X. anno 1907. supplicatio talis triduana Eucharistica peragi potest in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus *Fer. VI. Sabb. et Dominica post Festum SS. Corporis Christi vel* quovis *alio tempore* anni, etiam mutatis hebdomadae diebus, iudicio Ordinarii. Fidelibus qui eiusmodi supplicationibus adstiterint, conceditur indulgentia decem annorum quolibet triduanarum precum die, plenaria vero triduo expleto, si eidem cotidie adfuerint, confessionem sacramentalem peregerint et s. communionem susceperint. Item indulgentia plenaria conceditur iis, qui confessi uno e tribus praefatis diebus in aliqua ecclesia simul congregati ad s. epulas omnes accesserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint (Ench. Ind. nr. 172).

2°. *Tridua ad praeparationem alicuius festi;* tale triduum publice peractum commendatur a Pio XI. 21. nov. 1936. fidelibus qui triduano pio exercitio immediate ante festum *D.N.J. Christi Regis* in eiusdem honorem publice peracto ex integro vacaverint, suetis conditionibus indulgentia plenaria, secus indulgentia decem annorum quolibet die conceditur (Ench. Ind. nr. 270).

3°. *Tridua in honorem alicuius Sancti* ante vel post eius festum, vel quovis anni tempore peragi solent. Sic peracto triduo in honorem S. *Joannis Baptistae* 9. jan. 1904. indulgentia plenaria concessa est suetis condicionibus, indulgentia quinque annorum semel in die, *orationes* recitandae ad indulgentias lucrandas habentur in Ench. Indulg. (nr. 457).

4°. In quibusdam *celebrationibus extraordinariis tridua* vel *octidua* (octavaria, i.e. pia exercitia per octo solidos dies protracta) celebrari possunt, praesertim **a.** duo tridua vel octidua. (1) In honorem alicuius Sancti vel Beati *occasione canonizationis vel beatificationis intra annum* ab hoc eventu. Tale pium exercitium concessum est primo per Instructionem S. Cong. Rituum 25. mart. 1925 (d 4394), quod nunc ordinatum et amplificatum est per Novum Codicem Rubricarum a. 1960 (338-340). — (2) Simile triduum vel octiduum haberi potest *in aliis* celebrationibus extraordinariis, e.gr. saecularis recurrentiae Sanctorum, « excluduntur tamen celebrationes extraordinariae in honorem *Beatorum* » (NCR 338. b). — **b.** Ad has celebrationes requiritur peculiare indultum *Sanctae Sedis* (NCR 339). — **c.** Singulis diebus harum celebrationum permittitur: (1) *unica* Missa *in cantu* de mysterio Domini, B. Maria V., Sancto vel Beato, solum in casu supra **a.** (1), in cuius honorem celebrationes peraguntur, tamquam *votiva I. cl.,* prohibitionem cf. NCR 328. supra De Eccl. sacrific. G. 1. nr. 20. a — (2) Omnes *Missae lectae* tali occasione celebrari possunt ut *votivae II. cl.* (NCR 340), prohibitionem cf. NCR 341., supra De Eccl. sacrific. G. 1. nr. 20. b. — **d.** Praeter Missam de Ordinarii consensu *aliae functiones* ecclesiasticae locum habere possunt: Homilia inter Missarum sollemnia, vespere Oratio panegyrica,

preces in honorem Sancti vel Beati fundendae, maxime sollemnis benedictio cum Sanctissimo, postremo vero die hymnus « Te Deum » cantetur.

5°. Tridua vocantur etiam *sensu latiore* illi tres dies continui *ad instar s. exercitiorum* instituti, in quibus duo vel plures conciones habentur cum devotionibus publicis.

b) **Novendiales preces publice peractae**

vocantur « *Novenae* » seu novem continui dies publicis exercitationibus celebrati. *Exemplar* novendialium habetur in illis novem diebus, quos B. Maria Virgo cum Apostolis ab Ascensione Domini usque ad Pentecostem orando et S. Spiritum expectando transegit. Ideo novendialibus fere semper aliquod *momentum praeparationis* adhaeret. Publicae novenae pro universa Ecclesia ratae habitae sunt sequentes.

1°. *Novendiales preces in honorem Divini Infantis diebus 16-24. decembris* habitae. Haec novena est, quantum scimus, prima inter omnes, nam medio aevo, inde forsan a X. saeculo *novem* Antiphonae maiores (Antiph. « O ») cantabantur per novem dies ante Natale Domini loco antiphonarum *septem* S. Gregorii Magni in permultis ecclesiis, textus harum antiph. habetur in Libro responsoriali Romanae ecclesiae, usum novem Antiphonarum testatur saec XIII-o Durandus (Rationale div. offic. VI, 11). In Italia usque hodie habetur talis novena ante Nativitatem Domini, quam vocant « *A prophetiis* » et vix differunt a Vesperis sollemnibus; plurimis in locis peraguntur coram Sanctissimo exposto, quae praxis fulcitur decreto C. Rituum (d 2250, 6), fuse describitur a cl. De Amicis (p. 570-572.). - *Indulgentiae* ab Ecclesia concessae sunt primo a Pio VII.12.aug.1815.nunc vero tenor earum est: « Fidelibus qui novendiali pio in honorem divini Infantis Jesu *publice* peracto ante festum Nativitatis Domini devote interfuerint, conceditur: indulgentia *decem* annorum quolibet die indulgentia *plenaria*, accedente sacramentali confessione, s. Communione, et oratione ad mentem Summi Pontificis, si per dies saltem quinque novendiali supplicationi adstiterint. Iis vero, qui praefato tempore preces vel alia pietatis obsequia divino infanti *privatim* praestiterint, cum proposito idem per novem dies continuos explendi, conceditur: indulgentia *septem* annorum semel quolibet die, *plenaria* suetis conditionibus, novendiali exercitio absoluto, at ubi hoc publice peragitur, huiusmodi indulgentia ab iis tantum acquiri potest, qui *legitimo detineantur impedimento*, quominus exercitio publico intersint » (Ench. Ind. nr. 124.). Eaedem omnino indulgentiae impertiuntur *novendialibus sub* 2°, 3°, 4°, 5°, *inferius recensitis.*

2°. *Novendiales preces ante festum SS. Corporis Christi* publice peragendas invexit Sanctus Pius X.8.maii 1907, indulgentias cf. 1°. (Ench. Ind. nr. 170.).

3°. *Novendiale exercitium in honorem SS. Cordis Jesu publice peractum* tum immediate ante eiusdem divini Cordis festum, tum alio infra annum tempore primo Pius VII. permisit 13.jan.1818., indulgentias cf. sub 1° (Ench. Ind. nr. 250.).

4°. *Novendiale exercitium immediate ante festum D.N.J. Christi Regis* in eiusdem honorem publice peractum concessit *Pius* XI. 21.nov.1936., indulgentias cf. sub 1°. (Ench. Ind. nr. 270.).

5°. *Novendiales preces immediate ante festum Pentecostes* in honorem Spiritus Sancti publice peractae iam saec. XVII-o celebrari coeperunt, eas *permisit* Pius IX.3.jan.1849.; Leo XIII. eas *praescripsit* Encyclica « Divinum illud munus » diei 9.maii 1897., incipique debent Fer. VI. post Ascensionem Domini et terminari in ipsa vigilia Pentecostes (C.Rit.d 4271,6.). Indulgentias cf. sub 1°. (Ench.Ind.nr.284.).

6°. *Novendiale exercitium ante festum B. Mariae Virginis Immaculatae* primo concessit *Pius IX.* 3.jan.1849., indulgentiarum tenor idem est ac sub 1°., excepto, quod quolibet die indulgentia solum *septem* annorum conceditur (Ench.Ind.nr.361.).

7°. *Novendiale exercitium ante festum S. Joseph in eiusdem honorem publice* peractum concessum est a *Pio IX.* 26.nov.1876., indulgentiae eaedem sunt ac sub 6°. (Ench.Ind.nr.467.).

8°. *Novendiale exercitium ante festum SS.App.Petri et Pauli* in eorumdem honorem publice peractum permisit *Pius XI.* 12. jun. 1932. *Indulgentiae*: quinque annorum quolibet die, *plenaria* iis, qui saltem quinque supplicationibus adstiterint suetis conditionibus, qui novenam *privatim* peregerint, quolibet die *trium* annorum indulgentiam acquirunt, *plenariam* solum, si legitimo detenti erant impedimento quominus exercitio publico intersint (Ench.Ind.nr.481.).

9°. *Novendiale in honorem alicuius Sancti vel mysterii* peragi potest, ut supponitur in decretis S. C. Rituum e, gr. ratum habet « praeveniendi festum *Fundatoris* per novem praecedentes dies quas Novenam vocant » penes regulares, quoad *Missas* novendiales vero enuntiat eas esse *votivas* et servandas esse rubricas Missalis Romani (d 1843,5 et 6.datum 2.sept.1690.). Aliud decretum (3922, V. ad 3) supponit quascunque *preces* novendiales in honorem *B. Mariae Virginis.* Haec novendialia tamen non ditantur indulgentiis.

c) **Ritus precum triduanarum et novendialium**

reguntur sequentibus legibus liturgicis.

1°. Occasione alicuius novendialis potest tolerari consuetudo *exponendi Sanctissimum* et coram Eo *Missam* celebrandi, in qua fit post Evangelium *praedicatio* Verbi Dei, apposito tamen velamine ante Sanctissimum, dum habetur concio (C.Rit.d 3728,2..).

2°. Ut dictum est, novendiales *Missae* cantandae ante festum sunt votivae servatis rubricis (NCR 387-389).

3°. Novendiales Missae votivae *B. Mariae Virginis* possunt sumi de festis eius, non de mysteriis vitae excepta Immac. Conc. (NCR 309).

4°. Preces triduanae vel novendiales possunt recitari *ante vel post Missam,* hoc in casu, **a.** cum Sanctissimum in *ostensorio* exponitur, celebrans deponit casulam et manipulum, sumit stolam et pluviale colori Missae correspondentia. **b.** Si vero fiat *expositio privata* i.e.cum pyxide tantum, (aperto ostiolo et postea data benedictione), Missae paramenta retineri possunt (C.Rit.d.3833,3.).

5°. Preces triduanae vel novendiales possunt fieri *extra Missam coram Sanctissimo exposito,* in hoc casu quando hymni et cantica in honorem Sancti

canuntur, celebrans et ministri non flectunt genua, sed stant (C.Rit.d 4224.). Licet etiam intra talem expositionem *concione* virtutes laudare huius Sancti, sed SS. Sacramentum velamine operiendum est (d 3728,2.).

6°. Potest fieri triduum vel novena coram *exposita reliquia, vel coram imagine vel simulacrum.* Quo in casu potest celebrans indui stola et superpelliceo, vel si mavult etiam pluviali, coloris illius Sancti. Post reverentiam altari debitam fit incensatio reliquiae, ut dictum est supra (F.4.c.4°, et d.1°.). Simili modo stando incensatur imago vel simulacrum et in fine devotionis incensatur iterum reliquia vel imago, cum reliquia benedictio quoque dari *potest,* cum reliquia S. Crucis fieri *debet,* cum imagine etc. non fit benedictio, sed consuli potest expositio Sanctissimi et benedictio.

7°. *Compositio devotionis* singulae precum triduanarum vel novendialium talis commendari potest: Expositio Sanctissimi, vel reliquiae dein incensatio, iuxta regulas iam traditas. Litaniae recitantur e nunc sex approbatis, preces recitantur etiam lingua vernacula, quae tamen debent esse ab Ordinario approbatae (S.Offic.23.nov.1645 et Constit.Apost.Leonis XIII. « Officiorum ac munerum » VII, 20.). Dein canuntur hymni proprii vel e Communi cum versiculo et oratione, sub hymno standum est ad versiculum genuflectendum, sub oratione solum celebrans stat.

« Tantum ergo » etc. semper ultimum erit, dein benedictio fit cum Sanctissimo, vel cum reliquia.

3. De piis exercitiis mensilibus publice peractis.

Exercitia mensilia vocari possunt devotiones non stricte liturgicae, quae independenter a cyclo liturgico, sed tamen cum aliqua relatione ad eum mense integro cotidie peractae totum mensem personae vel divinae vel humanae Sanctae dedicant. Sex menses iuxta commendationem Ecclesiae nunc tali modo exercitiis mensilibus sanctificantur.

a) Pia exercitia mense martio in honorem S. Joseph.

1°. *Historia* festorum S. Joseph conferatur inferius, Heortologia H.3.a., sollemnitas S. Joseph inde ab a.1621 ut festum fori celebrata cultui S. Joseph mira dedit incrementa. Pius IX. autem a.1870, maxime in tribulatione versatus Ecclesiae, considerans, quod « ob sublimem dignitatem, quam Deus fidelissimo huic servo contulit, semper beatissimumJosephum post Deiparam Virginem eius sponsum Ecclesia summo honore prosecuta est, eiusdemque interventum in rebus anxiis imploravit..... ut potentissimo sancti Patriarchae patrocinio se ac fideles omnes committeret, Sacrorum Antistitum votis satisfacere voluit, eumque Catholicae Ecclesiae Patronum sollemniter declaravit », festumque eius 19.martii ad ritum dupl.1.cl.evexit. Festum fori S. Joseph mense martio paulatim a saeculo elapso effecit, ut S. Patronus decursu huius mensis per pia exercitia cotidie celebrata coli coepit, quae tamen nullo modo suppleant exercitia quadragesimalia.

2°. Ecclesia hanc praxim *indulgentiis collatis commendat*: « Fidelibus, qui mense martio, vel aliquo obstante impedimento, alio anni mense, pio exercitio in honorem S. Joseph *publice* peracto devote interfuerint, conceditur: In-

dulgentia septem annorum quolibet mensis die plenaria, si diebus saltem decem huiusmodi exercitio vacaverint et praeterea peccatorum veniam obtinuerint, eucharisticam Mensam participaverint, et ad Summi Pontificis mentem preces fuderint », — qui vero *privatim* pietatis obsequia erga S. Joseph mense martio praestiterint, semel quolibet die quinque annorum indulgentiam accipiunt, plenariam suetis conditionibus, si cotidie per integrum mensem idem obsequium obtulerint, « at ubi pium exercitium publice habetur, huiusmodi indulgentia ab iis tantum acquiri potest, qui legitimo detineantur impedimento, quominus exercitio publico intersint » (Ench. Ind. 466.).

3°. Iuxta S. C. Rituum « ob devotionem erga S. Joseph mense martio possunt *altaria ornari* floribus et *pulsari organa* etiam tempore Quadragesimae », in hoc casu quoque, si « effigies S. Joseph sit extra altare exposita », imo tolerari potest, quod haec effigies discooperta maneat tempore Passionis (d 3448,11.).

Litteratura.

P. Lucot, Joseph. Étude historique sur son culte, Paris 1875. — *C. Mariani*, De cultu S. Joseph, 2. ed. Paris 1908. — *J. M. Bover*, De cultu S. Joseph, Barcelona 1926. — *R. Garrigou-Lagrange*, *in*: Angelicum 1928, 195-212. — *H. Rondet*, Joseph von Nazareth, Graz 1956.

b) Pia exercitia mense maio in honorem B. Mariae Virginis publice peracta.

1°. Devotiones maiales B. M. V. hodiernae indolis saec. XVIII-o Romae et in Italia primo coli coeperunt, quantum scitur prima vice in ecclesia S. Clarae Neapolitanae studio P. Ansaloni S. J. († 1713), deinde cito in Galliam et Hispaniam quoque propagatae sunt, saec. XIX. ineunte in Belgicam et Helvetiam, versus 1840 in Germania, Austria, Polonia, Hungaria quoque susceptae sunt. Pius VII. iam annis 1815. et 1822. indulgentiis ditavit haec pia exercitia, quae nunc ab Enc. « Mediator Dei » referuntur inter pietatis exercitia, quae « peculiari momento dignitateque pollent et ab Apostolica Sede Sacrorumque Antistitibus etiam atque etiam comprobata sint ac dilaudata »: nempe « supplicationes quae per mensem maium ad Deiparam Virginem admoveri solent » (n. 180.).

2°. Devotiones Maiales *cotidie vel aliquibus diebus* fieri solent *sub vesperum;* expositio sollemnis iuxta regulas generales fieri potest solummodo cum licentia Ordinarii loci, privata (cum pyxide) citra eius licentiam, per se potest fieri etiam devotio sine expositione seu benedictione sacramentali, etsi hoc vix contingat. Multis in locis intra hanc devotionem pomeridianam sermones habentur aliquoties in hebdomada vel etiam cotidie in laudem Dei Genitricis; optimum esset sub vigilantia Ordinariorum *libellum* edere *precum*, qui preces ad Deiparam directas contineret collectas ex ingenti thesauro precum Patristicarum, medii aevi ac etiam modernioris temporis, ut cotidie nova oratio lingua vernacula recitata posset aedificare fideles.

3°. *Indulgentiae* fidelibus omnino eaedem elargiuntur, ac supra enumetae (sub a. 2°.), iuxta Ench. Ind. nr. 325.

Litteratura.

Manganotti, Il mese di maggio nel secolo decimottavo, Modena 1892. — *H. Thurston*, The Month of Mary, *in*: The Month 1901 (1), 470-483. — *J. Metzler*, Die Marien-Maian-

dacht in ihrer historischen Entwicklung und Ausbreitung, *in*: Katholik 1909 (1), 100-125. 177-188. 262-282. — *Idem*, Die Marien-Maiandacht, ihre Enstehung, Entwicklung und Ausbreitung, *in*: Zeitschr. f. Asz. u. Myst. 1928, 84-101. — *M. Righetti*, Storia liturgica II (1946), 246. — *P. Morganti*, Il mese di maggio per i sacerdoti, 3. ed. Milano 1957.

c) Mensis Sacratissimo Cordi Jesu dicatus

est mensis iunius, vel alius iuxta Ordinarii prudens iudicium (cf. Ench. Ind. nr. 253.).

1°. *Pius IX.* universae Ecclesiae praescripsit festum SS. Cordis anno 1856., quod dein Leo XIII. 1889. ad ritum dupl. I. cl. evexit. Inde paulatim, quia festum hoc mobile fere semper mense iunio celebratur, in consuetudinem venit *totum mensem iunium* in honorem SS. Cordis Jesu consecrare. Haec pia exercitia mensilia praelaudantur a *Pio XI.* suis Litteris Encyclicis de die 8. maii 1928. datis « Miserentissimus Deus », item a *Pio XII.* Enc. « Mediator Dei » connumerantur « supplicationes quae per Iunium mensem ad sacratissimum Cor Jesu admoveri solent » inter pietatis exercitia comprobata atque dilaudata (n. 180.).

2°. Publica haec exercitia fieri solent *devotionibus pomeridianis* cotidie vel pluries per hebdomadam celebratis. Quod expositionem attinet, cf. dicta supra b. 2°. Fidelibus qui mense iunio vel alio iuxta Rev.mi Ordinarii prudens iudicium, pio exercitio in honorem SSmi Cordis Jesu *publice peracto* devote interfuerint conceditur: Indulgentia *decem* annorum quolibet mensis die, *plenaria*, si diebus saltem decem huiusmodi exercitiis vacaverint, et praeterea peccatorum veniam obtinuerint, eucharisticam Mensam participaverint, et ad Summi Pontificis mentem preces fuderint », pro iis vero, qui *privatim* hoc fecerint, *septem* annorum quolibet die mensis indulgentia conceditur, *plenaria* autem suetis conditionibus, « dummodo quotidie per integrum mensem idem obsequium peregerint, at ubi pium exercitium publice habetur, huiusmodi indulgentia ab iis tantum acquiri potest, qui legitimo detineantur impedimento, quominus exercitio publico intersint » (Ench. Ind. nr. 253.).

Litteratura.

D. Boutrais, Mois du Sacré-Coeur de Jésus, 4. ed. Montreuil 1866. — *N. Nilles*, De rationibus festorum Sacrat. Cordis 5. ed. Oeniponte 1885. — *J. B. Bainvel*, Dévotion au Sacré-Coeur, 5. ed. Paris 1919. — *A. Vermeersch*, Lehre und Liturgie der Herz-Jesu-Verehrung, Innsbruck 1925. — *D. Castelein*, De cultu eucharistici Cordis Jesu, Paris 1928. — *J. Stierli*, Cor Salvatoris. Wege zur Herz-Jesu-Verehrung, Freiburg i. Br. 1954.

d) Pia exercitia mense iulio in honorem pretiosissimi Sanguinis D.N.J. Christi publice peracta.

1°. *Pius IX.* die 10. aug. 1849. praescripsit Festum pretiosissimi Sanguinis pro universa Ecclesia, ut « fidelium corda, hisce praesertim temporibus quibus inimicus homo in Dominico agro superseminavit zizaniam et multos insidiis, fraudibus, erroribus decipere atque irretire conatur, amore erga hoc Redemptionis nostrae pretium magis magisque excitentur et inflammentur ». *Pius vero XI.* recurrente anno ab humani generis redemptione undevicies centenario 1933. ad ritum dupl. I. cl. evexit. Inde ab aliquibus decenniis mensis iulius dicari coepit devotionibus cotidianis in honorem pretiosissimi Sanguinis. Optime recitantur novae Litaniae de Pret. Sanguine (CRit d 24. feb. 1960).

2°. *Indulgentiae* pro piis exercitiis publice peractis omnino eaedem sunt ac pro exercitiis publicis in honorem SS. Cordis elargitae (sub c. 2°. Ench. Ind. nr. 217.). — De Sanguine Chr. cf. Heort. F. 5. e.

e) Publica recitatio SS. Rosarii mense octobri.

1°. *Notio et momentum SS. Rosarii.* a. Rosarium *definitur* per magisterium ecclesiasticum: « Supplicandi genus praestantissimum ex angelico praeconio consertum, interiecta oratione dominica, cum meditationis officio coniunctum » (Leo XIII. « Diuturni temporis » 5. sept. 1898.). Varia *nomina* huius precandi generis sunt: *Rosarium* (in permultis linguis usitatum: rosario, rosaire, rosary, Rosenkranz, rozanca, rózsafüzér), « velut si rosarum suavitatem venustatemque sertorum contextu suo imitetur, quod quidem peraptum est institutum colendae Virginis, quae Rosa mystica Paradisi merito salutatur » (Leo XIII. « Fidentem piumque animum » 20. sept. 1896). Vocatur etiam « *Corona* » i.e.sertum, quia « magna Jesu et Matris mysteria, gaudia, dolores, triumphos felicibus reddit sertis connexa » (Leo XIII. « Octobri mense » 22. sept. 1891.). Nomen e medio aevo vetustissimum est « *Psalterium B. Mariae Virginis* », quia 150 Salutationes angelicae locum tenent 150 Psalmorum. Etiam a filo granularum quo salutationes numerantur, exorta sunt nomina, quia — ut (2°. b.) videbimus — cum hoc filo primitus recitationes « Pater noster » numerabantur; nomina adhuc hodie vigentia sunt: *Patenôtre* in Gallia, germanice « Pater » seu « *Päter* », imo in Germania meridionali « *Nuster* » (= noster »), croatice « *Ocenaš* » (= pater noster), hungarice « *Numerator sacer* » (szentolvasó).

b. *Momentum maximum SS. Rosarii* elucet e decem Encyclicis Rosarium tractantibus Leonis XIII. (1) *Maxima efficacitas* huius precandi generis e duabus praecipue rebus derivatur, est enim *primo*: *precatio perseveranter assidua* iuxta invitamenta Christi: petite, quaerite, pulsate, « ad similitudinem parentis optimi, qui liberorum vult quidem indulgere optatis, sed etiam gaudet se diu rogari ab eis et quasi precibus fatigari ». *Secundo* efficacitas conspici potest in eo, quod oratio *complurium in unum collata*, ad quod probandum Leo XIII. allegans effatum Domini Mt 18, 19 s. (« Si duo ex vobis consenserint »), Tertulliani nervose dictum citat: « Coimus in coetum et congregationem, ut ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus, haec Deo grata vis est » (Apologet. c. 39.). (« Adiutricem populi » 5. sept. 1895.). — (2) Rosarium exhibet *idoneum fidei praesidium*: per continuam recitationem *precum nobilissimarum*, orationis Domini et salutationis evangelicae et angelicae enim validissime exprimitur ac indicatur fides in Deum, quae nutritur etiam mysteriis decursu orationis meditatis. (« Diuturni temporis » 5. sept. 1898.). — (3) Rosarium per hanc ipsam meditationem mysteriorum *insigne exemplar virtutum nobis proponit.* « *Gaudiorum* mysteria » docent fideles « simplicitatem morum et candorem animorum, perpetuam docent consensionem, nullam ordinis perturbationem »; « *dolentia* mysteria » alliciunt fideles ad non « recusandum dolorem et dura acriter non propulsanda » docentque quod « facere et pati fortia christianum est ». « *Gloriosa* mysteria » remittunt animos fidelium ad « potiorem patriam in aevi sempiterni beatitate », ostenduntque eis « omnibus in caelum cursum patere » (« Laetitiae sanctae » 8. sept. 1893.).

2°. *Historia SS. Rosarii.* Rosarium e *tribus elementis* componitur: e recitatione 150 Ave in decadibus per « Pater noster » separatorum, dein e meditatione mysteriorum inter orandum, demum e numeratione orationum, quae fit usu « coronae » seu fili granorum.

a. *Multiplicatio orationis « Ave Maria »* saec. XII-o, aevo praegothico iam incipiebat. Huius usus *praecursor* fuit multiplicatio « *Pater noster* » penes fratres laicos Clunyacensium, qui loco officii divini debebant certum numerum « Pater noster » cotidie recitare, sicut etiam Templarii iuxta Statuta anni 1128 cotidie 57 « Pater noster » recitare obligati fuerunt (Holstenius, Codex Regularum, ed. 1759, II, 433.). *Loco* « Pater noster » incoeptum est multiplicatio « Ave Maria », sic Aibertus versus 1140 cotidie « quinquagesies prostrato corpore, sc. articulis et digitis sublevatis in unaquaque flectione dicens: Ave Maria » recitabat (Acta Sanct. apr. I, 674). Distinctionem 50, 100 vel 150 « Ave Maria » in decades incipiebant eremitae Angli inter a. 1150-1200, nam oratione quadam interiecta inter 10 Ave distinguebant decades (e ms-o Musaei Britannici « The Ancren Riwle » iuxta Thurston in DAL III, 403.). *Interiectio « Pater noster »* inter singulas decades per Henricum Calcariensem O. Carth. († 1408) coepta est.

b. Simul cum hac multiplicatione orationum coepit *usus « coronae »*, etsi consuetudo utendi tali filo vetustissima est, nam iam saec. IV-o Paulus eremita 300 suas orationes cotidianas cum 300 « lapidibus calculariis » (Zählsteinchen, számláló kavics) numeravit. Christiani orientales grana vel gemmas filo inseruerunt sicque orationes numerabant (« kombologion »). Iam «Pater noster» cum tali filo dinumerabatur, inde nomen talis « coronae» sumebatur a «Pater noster».

c. *Meditatio de mysteriis* Domini commendabatur saec. XV-o ineunte a Dominico Prutheno O. Carth. Mysteria tamen valde diversa erant, fuit qui ad unumquodque Ave singula mysteria commendavit. *Hodierni* Rosarii institutor et propagator *B. Alanus Rupensis O. P.* (Alain de la Roche † 1475) evasit, ad singulas *decades* meditationem de peculiari mysterio suadens. Ipse etiam fundavit « Fraternitatem Psalterii B.M.V. », quae a Sixto IV. comprobata cito fere per totam Europam divulgata est.

d. *Festum SS. Rosarii* memoria est victoriae navalis de Turcis ad Echinadas insulas die 7. octobris reportatae, de quo cfr. infra Heortol. G. 7. a. 11°. Propter ipsam hanc festivitatem mense semper octobri celebratam Summus Pontifex Leo XIII. a. 1885. exercitia mensilia per eumdem mensem instituit (cf. 4°.).

3°. *Leges SS rosarii.* a. Credo et tria Ave initio Rosarii non pertinent ad essentiam Rosarii, nec « *Gloria Patri* » post decades.

b. In recitatione sive privata sive communi *initio* decadis breviter enuntiari consuevit *mysterium meditandum.* In quibusdam regionibus vero inde a remota aetate viget consuetudo addendi *cuilibet salutationi* angelicae post vocem « Jesu » brevem hanc annuntiationem (e. gr. « Benedictus fructus ventris tui Jesus, qui a mortuis resurrexit »), sic Germaniae ditionibus, in Austria, Helvetia, Hungaria. *Pius IX.* anno 1859. pro locis ubi mos iam invaluerat, in-

dulsit, ut fideles tali ratione Rosarium recitantes indulgentias valeant lucrari, quod *Benedictus XV.* anno 1921. iterum confirmavit « favore omnium, qui iuxta praedictum morem in quibuslibet locis SS. Rosarium recitare consueverunt » (S. Poen. 22. jan. 1921.).

c. Recitatio Rosarii fieri debet « *coronam* » *tenendo manibus*; si plures simul recitent Rosarium, sufficit, si unus tantum utatur « corona », alii vero inter orandum possunt etiam leviora opera manuum peragere. (Anler p. 240).

d. Si fideles causa operis manualis vel quacunque alia causa impediti sint, quominus « coronam » manibus teneant, sufficit, si *quomodocunque secum deferant coronam* (vel crucifixum quo uti possunt ad lucrandas indulgentias Viae Crucis), sic iuxta S. Poenit. (decr. 9.nov.1933.).

e. *Decades singulae separari possunt* ab invicem, dummodo recitatio saltem quinque decadum eodem die absolvatur (C. Indulg. 8. jul. 1908.).

f. *Indulgentiae pontificiae* pro recitatione SS. Rosarii sunt: Semper supponitur recitatio tertiae partis, i.e. quinque decadum in decursu unius diei naturalis. Indulgentiae *partiales*: *quinque* annorum pro recitatione privata, *decem*, pro recitatione cum aliis, sive privatim, sive in familia, sive in publica devotione facta. *Plenaria* conceditur suetis condicionibus: si cotidie per integrum mensem recitatio facta sit: pro recitatione *privatim* facta *semel* in mense si *una cum aliis*: in ultima singulorum mensium dominica, addita ecclesiae vel publici oratorii visitatione, si saltem ter in qualibet ex praecedentibus hebdomadis eandem recitationem persolverint (Ench. Ind. nr. 395 a.b.). Pro recitatione *in familia* facta, si tertiam Rosarii partem in familia per hebdomadam cotidie recitaverint plenaria conceditur bis in mense, insuper quolibet sabbato, praeterea duobus aliis diebus in hebdomada, ac insuper in singulis eiusdem Deiparae festibus quae in calendario universali reperiuntur (S. Poenit. 11. oct. 1954.). Indulgentia maximi momenti est *plenaria indulgentia toties-quoties* iis concessa, qui « coram SS. Eucharistiae Sacramento publice exposito vel etiam tabernaculo adservato tertiam Rosarii partem pia mente recitaverint », si « praeterea peccatorum veniam obtinuerint, et ad s, synaxim accesserint » (Ench. Ind. nr. 395. c.).

g. *Indulgentiae aliae* acquiri possunt super has supradictas, si « fideles de more utantur corona ab aliquo religioso Ord. Praed. vel ab alio sacerdote facultate pollente benedicta » (ibid nota 2.). Indulgentiae hae aliae sunt: si corona benedicta sit a *sacerdote O.P.*, per recitationem singuli « Pater » et « Ave » lucrantur indulgentias centum dierum, Rosarium a facultate habente benedici debet (Rit. Rom. Tit. IX. c. 11, 35 et 36. brevior). Corona *Crucigerorum* est eadem corona Rosarii B.M.V., quae si benedictionem accepit a facultatem habente, tunc praeter supradictas indulgentias adhuc 500 dierum indulgentiae lucrari possunt pro singulis « Pater » et « Ave ». (Anler, Comes past. 239.).

h. Rosarium *benedici debet* ad lucrandas indulgentias a sacerdote O. P. qui a legitimo superiore eiusmodi facultatem accepit, inde a die 1.apr.1933. superiores non possunt concedere sacerdotibus ad ordines vel congregationes non pertinentibus ullam facultatem (indulgentias apostolicas obiectis adnectendi — benedicendi coronas — crucifixos ad lucrandas indulgentias pro Viae

Crucis exercitio — impertiendi benedictionem papalem in fine concionum). Qui talem facultatem ante hoc tempus iam habuerint, uti possunt ea, sed « qui ex supra memoratis indultis pothac augeri cupiunt », tale indultum solum directe et immediate a S. Poenitentiaria obtinere possunt oblatis proprii Ordinarii ad rem litteris commendatitiis » (S. Poenit. 20.mart.1933.).

4°. *Leges exercitii mense octobri.* a. *Lex fundamentalis* est decr. S. C. Rit. 20.aug.1885 (cf. d 3666): « Quoadusque tristissima perdurant adiuncta, in quibus versatur catholica Ecclesia, ac de restituta Pontificis Maximi plena libertate Deo referre gratias datum non sit, in omnibus catholici orbis *cathedralibus et parochialibus templis* et in cunctis templis et publicis oratoriis B. Mariae Virgini dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii designandis, mariale Rosarium cum litaniis Lauretanis *per totum* mensem octobrem quotidie recitetur ». Post pacta Lateranensia anni 1930. aliqui auctores opinabuntur, hanc legem cessasse (cf. Lesage col. 916), at usu universalis Ecclesiae, qui etiam in Kalendario universali relucet (e.gr. anni 1961. p. 114) ubique continuantur haec exercitia mensis octobris, fidelibus iam a multis decenniis consueta, quae sine scandalo iam removeri non possent.

b. *Praescribuntur*: recitatio communis saltem *tertiae partis* Rosarii, i.e. quinque decades; post recitationem *Litaniae Lauretanae* sunt dicendae (decr. allegatum), post Litanias dici debet *oratio* « Ad te o beate Joseph in tribulatione nostra confugimus » (Leo XIII. Enc. « Quamquam pluries » 15.aug. 1889, C. Rit. d 7.dec.1900., textum cf. Ench. Ind. nr. 476.).

c. Duplici modo potest fieri devotio cotidiana, sed aliquo modo *obligatoria* est (1) *Primus* modus est *in devotione extra Missam*: Sanctissimum in ostensorio sollemniter exponitur, dein fit recitatio Rosarii, Litaniarum et orationis ad S. Joseph, dein datur benedictio (C. Rit. d 3666.26.aug.1886.). Iuxta idem decretum ubi *expositio* Sanctissimi « *sollemni* modo, nempe per ostensorium fieri haud valeat, eadem *per modum exceptionis* peragi possit prudenti iudicio Ordinarii cum s. pyxide, aperiendo sc. ostiolum ciborii (i. e. tabernaculi), et cum ea populum in fine benedicendo ». — (2) *Alius* modus est, quod recitatio Rosarii etc. fit mane *intra Missam*, Missa non est celebranda antea, sed Sacrum intra preces celebrandum est (C. Rit. d 3650, 5), notandum vero, quod iuxta novissimum documentum hoc non licet, « pia exercitia actiones liturgicas *aut* praecedant *aut* sequantur » (Instr. 3. sep. 1958, 12).

d. *Indulgentiae* concessae pro exercitiis mensilibus octobribus: *septem* annorum quovis die, *plenaria* suetis condicionibus addita visitatione ecclesiae vel publici oratorii: si die festo SS. Rosarii et per totam octavam exercitio adfuerint vel privatim tertiam partem recitaverint, item plenaria si post octavam SS. Rosarii saltem decem diebus eandem recitationem persolverint (Ench. Ind. nr. 398.). At si coram Sanctissimo fiat recitatio, ut dictum est, lucrari potest in omni recitatione indulgentia plenaria (superius 3°. f.).

e. Preces Rosarii etiam diebus 1. et 2.nov. recitandae sunt (C. Rit. d 4. jul.1947, cf. Eph. Lit. 1954. 372.).

Litteratura.

Th. Esser, Unserer lieben Frauen Rosenkranz, Paderborn, 1889. — *H. Thurston*, Chapelet, *in*: DAL III (1914) 399-406. — *X. Faucher*, Les origines du Rosaire, Paris 1923. —

M. Righetti, Storia lit. I (1959) 181-2, II (1946) 245-6. — *F. W. William*, Geschichte u. Gebetsschule des Rosenkranzes, Wien 1948. — *G. Baldeschi*, Sacre cerimonie 9. ed. I (1952) 248-9. — *R. Lesage*, Dict. prat. lit. Rom. Paris 1952, col. 211-213. 914-916. — *M. Alain*, Rosaire et liturgie, *in*: Oeuvre bénédict. 1957, 314-317. — *L. Bertsche*, Der Rosenkranz, Kevelaer 1958.

f) **Mense novembri pia exercitia in suffragium defunctorum.**

Exercitia *publice* peracta ditantur indulgentiis: Septem annorum quolibet die, plenaria, si fideles saltem per 15 dies talibus exercitiis in ecclesiis v. publicis oratoriis interfuerint, suetis conditionibus (Ench. Ind. n. 589.).

H. De sacris processionibus.

Agere debemus 1: de notione processionum, dein 2.de historia processionum, demum 3.de legibus processionum.

1. De notione processionum.

a) **Processio definitur:**

« Sollemnes supplicationes, quae a populo fideli, duce clero, fiunt, eundo ordinatim de loco sacro ad locum sacrum, ad excitandam fidelium pietatem, ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas, ad divinum auxilium implorandum » (can. 1290 § 1.). Populus ergo fidelis quoque peragit processionem ad eamque pertinere censetur, clerus ducatum praestat iuxta leges Ecclesiae. A processione distinguitur *peregrinatio sacra* (pellegrinazione, pélerinage, Wallfahrt, zarándoklat) quae est processio sensu latiore ad aliquem locum sacrum, ubi insigne sacrarium multos fideles etiam e dissitis regionibus allicit; saepe etiam talis peregrinatio fit Cruce praeeunte, cum vexillis, decantando hymnos piasque preces recitando.

b) **Divisio processionum.**

Aliae processiones sunt ordinariae, aliae extraordinariae. *Processiones ordinariae* sunt, « quae statis diebus per annum fiunt ad normam librorum liturgicorum, vel consuetudinem ecclesiarum » (can. 1290 § 2.). Hae processiones ordinariae sunt sequentes e Rituali et Missali Romano.

1°. Processio candelarum in *Festo Purificationis B. M. V.* die 2. febr., quae describitur in rubricis specialibus Missalis et Rit. Romano (tit. X. c. 2.).

2°. Processio in Dominica Palmarum (OHS 1956. D. II. Pass.).

3°. Processio *in Litaniis* maioribus in Festo S. Marci evangelistae et in minoribus triduo Rogationum ante Ascensionem Domini (tit. X. c. IV.).

4°. Processio in *Festo SS. Corporis Christi* (ibid. c. V.).

5°. Processiones aliis diebus *pro consuetudine ecclesiarum* sunt e. gr. processio nocte Sabbati Sancti Resurrectionem Christi celebrans: in Germania, Austria, Czechoslowacchia, Polonia, Hungaria, vel processio ex-voto Ludovici XIII. die festo Assumptionis Deiparae in Gallia, processiones ad Vesperas paschales, in Dominicis ante Missam sollemnem, processiones cum SS. Sacramento in tertia cuiusque mensis Dominica in Italia, quas fuse describit

de Amicis (p. 362-364), processiones Scapularis B.M.V. de Monte Carmelo, processiones SS. Rosarii prima Dominica octobris, et fere ubique processio in die patrocinii dedicationis vel Titularis ecclesiae.

c) Processiones extraordinariae

sunt, « quae aliis publicis de causis in alios dies indicuntur » (can. 1290 § 2.), non ergo recurrente cyclo liturgico statis diebus cuiusvis anni; at etiam hae processiones extraordinariae ad normam liturgicorum librorum ordinantur. Rit. Romanum sequentes processiones extraordinarias exhibet:

1°. Processionem ad petendam *pluviam* (tit. X. c. VI.).
2°. Processionem ad petendam *serenitatem* (c. VII.).
3°. Processionem ad repellendam *tempestatem* (c. VIII.).
4°. Processionem tempore *penuriae* et famis (c. IX.).
5°. Processionem tempore *mortalitatis* et pestis (c. X.).
6°. Processionem tempore *belli* (c. XI.).
7°. Processionem in quacunque *tribulatione* (c. XII.).
8°. Processionem pro *gratiarum actione* (c. XIII.).
9°. Processionem in translatione *s. reliquiarum* (c. XIV.).

De processionibus sub 8° - et 9° - iam egimus (superius G. 1. k. et F. 4. d.), ceterae accurate describuntur a Rit. Rom.

2. Historia processionum.

a) Processio ut motus coetus alicuius cultualis *fere in omnibus religionibus* invenitur, naturae enim humanae psychologice optime convenit motus hic collectivus publice institutus. Processiones ideo inveniuntur in diversis cultibus *paganis*, pene Aegyptios, Babylonios, Graecos, Romanos (e. gr. « amburbalia »), praesertim vero apud populum electum Veteris Testamenti. Scriptura V. T. describit sollemnes pompas, quibus arca foederis cum cantu Psalmorum iubilante populo translata fuit, per David in arcem Sion (2 sam 6. 1 Par 16), canticum processionis erat Ps 23. a Davide compositus; item enarrat processionem translationis arcae foederis in templum a Salomone exstructum (1 Reg 8. et 2 Par 5.), canticum liturgicum hac occasione concinnatum est Ps 131., ut *A. Szörényi* ostendit (Quibus criteriis dignosci possit, qui Psalmi ad usum liturgicum compositi sint, *in*: Biblica 1942, 333-368.). Aevo postexilico celebris fuit processio quae singulis annis habita est circum altare holocaustorum cum ramis palmarum, « lulabim » vocatis.

b) Pronum ergo erat institutio processionum tempore Ecclesiae a persecutione liberatae, praesertim *Romae et Hierosolymis;* in Urbe erant processiones ad « stationes » seu titulos, ubi liturgia dierum insigniorum celebrata est per Papam, in Sancta vero Civitate, teste Peregrinatione Aetheriae « procedebant » in ecclesias Sion, Betlehem, in Golgotha exstructas. Saec. IV-V. ideo iam videmus processiones florescere praesertim *occasione translationis reliquiarum* martyrum de quibus S. Ambrosius (Ep. 22. ad soror.) et S. Augustinus referunt (Conf. IX, 7); deinde processiones pro serenitate aeris, teste Chrysostomo (Hom. contra ludos), ad postulandam pluviam, teste Socrate (Hist. eccl. VII, 22.).

Processiones quoque ordinariae *magnae antiquitatis notam* prae se ferunt: sic processio *diei 2. febr.* iam diu ante Sergium († 701) celebrata fuit, nostra convictione iam saec. IV-V. Processionem in Dominica ante Pascha factam *cum* ramis palmarum primum describit Aetheria (c. 31), post saec. V. hic mos primo in Gallia, dein in ceteris Occidentis regionibus paulatim introductus fuit. *Litaniarum maiorum* processio institutionis est Romanae, etsi primus testis hucusque cognitus solum S. Gregorius Magnus est, tamen certo iam diu ante eum in usu fuit. Notandum quod huic processioni remansit nomen primigenium Romanum processionis: « Litaniae », i.e. supplicationes, nomen « processio » tantum decursu saec. XII. invaluit. Litaniae minores seu *Rogationes* originis sunt Gallicanae, quae versus 470 a S. Mamerto Viennensi episcopo institutae sunt, forsitan ad subrogandas tres dies pagano cultu celebratarum « ambarvalia » vocatas, quibus agri processione circumeundo lustrabantur mense maio. Prima *processio theophorica* festo Corporis Christi versus 1274-1279 in Germania celebrata est, quae dein cito totum orbem catholicum occupavit.

c) *Peregrinationes* in *Terram Sanctam* iam inde a saec. IV-o dirigebantur; totam Palaestinam peragrabant peregrini, in Hierosolymam et Betlehem vero iam saec. III-o profecti sunt aliqui devoti fideles ad visitanda loca sancta. *Romae* inde a saec. IV-o nunquam defuere visitatores sepulchrorum S. Petri et Pauli, item coemeteriorum, quae repleta erant exuviis S. Martyrum. In *Asia Minore* Seleuciae sepulchrum S. Theclae « protomartyrissae », Sebaste sepulchrum 40 martyrum, in Aegypto sepulchrum S. Mennae martyris innumeras turmas peregrinorum attrahebat. Nolae in *Italia* sanctuarium S. Felicis martyris, in Gallia sepulchrum Turonense S. Martini confessoris, Augustae Vindelicorum (Augsburg) in *Germania* sanctuarium S. Afrae, Compostellae in *Hispaniis* S. Jacobi Maioris Apostoli reliquias venerati sunt per saeculorum decursum. Aliae ecclesiae locales earumque Sancti in tota Europa per medium aevum immensas peregrinationes excitaverunt. Aevo *Novatorum*, saec. XVI-o, peregrinationes in regionibus ditioni Protestantismi subiectis cessaverunt, tantum restauratione catholica crescente iterum incrementis augescere coeperunt, Etiam in *Novo mundo* sanctuaria hac aetate exorta sunt, tamquam centra peregrinationum, praecipue sanctuarium B.M.V. de Guadelupe nuncupatum.

3. Leges cultuales processionum.

a) **Licentiam dare**

pro processionibus extraordinariis 1°. potest *Ordinarius loci*: « Ordinarius loci, audito Capitulo Cathedrali, potest. ex publica causa extraordinarias processiones indicere, quibus, sicut et ordinarii ac consuetis, ii omnes interesse debent, de quibus in can. 1291 § 1. » (cf. infra b.). Can. 1292.

2°. « *Religiosi* etiam exempti nequeunt extra suas ecclesias et claustra processiones ducere sine Ordinarii loci licentia salvo praescripto can. 1291 § 2. », i.e. intra octavam Corporis Christi possunt processionem extra ecclesiae ambitum agere. At octava abolita est, processio tamen permissa (NCR Var. 34).

3°. « *Parochus vel quivis alius* nequit novas processiones inducere aut consuetas transferre vel abolere sine Ordinarii loci licentia », extraordinaria

vero processio per modum actus non censetur « nova », talem potest parochus pro suis paroecianis indicere e, gr. ad petendam pluviam (Gatterer, Praxis celebrandi p. 225.).

b) **Quinam interesse debeant.**

1°. *Processionibus ordinariis* interesse nemo constringitur, supponitur enim totam communitatem paroecialem, conventualem, vel capitularem, quae Missarum sollemniis consueto modo semper assistit, etiam processioni ordinariae interesse. Processio vero sollemnis *Corporis Christi* excipitur, nam hoc festo « unica tantum sollemnisque per publicas vias processio in uno eodemque loco fieri debet ab ecclesia digniore, eique omnes clerici omnes religiosaeque virorum familiae, etiam exemptae et laicorum confraternitates interesse debent, regularibus exceptis, qui in strictiore clausura perpetuo vivant, aut a civitate ultra tria millia passuum distent » (can. 1291 § 1.).

2°. Iidem omnino, ut dictum est, debent interesse processionibus *extraordinariis.*

3°. « Processionibus alicuius ecclesiae *propriis* interesse debent omnes clerici ecclesiae adscripti » (can. 1294 § 2.). Sacerdotes ergo, qui solum Missam celebrant in aliqua ecclesia, val confessiones interdum ibi excipiunt, vel sacerdotes in territorio alicuius paroeciae habitantes ad tales processiones cogi nequeunt.

c) **Curae Ordinarii loci**

committitur *vigilantia* super processiones. *Tria debent* Ordinarii, eorumque vice parochi et superiores *attendere*:

1°. Ut sacrae processiones *ordinate procedant* (can. 1295 et Rit. Rom. tit. X, c. I.). Ordinario loci non competit pervertere et immutare ritum seu ordinem processionis, etiam capitulo consentiente (C. Rit. d 1048.).

2°. Ut processiones *debita modestia* perficiantur (can. 1295.). Huius modestiae regulas inculcat Rit. Romanum: « Omnes decenti habitu, superpelliceis vel aliis sacris vestibus, sine galeris, nisi pluvia cogente, induti, graviter, modeste, ac devote, bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut, remoto risu mutuoque colloquio, et vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie devoteque precandum invitent » (Tit. X. 1,3.).

3°. Ut *ea reverentia* ab omnibus perficiatur processio, quae piis ac religiosis eiusmodi actibus maxime convenit (can. 1295.). Contra reverentiam debitam sunt aliqui *abusus*: « Edendi ac bibendi abusum, secumve esculenta et poculenta ferendi in sacris processionibus agrisque lustrandis, et suburbanis ecclesiis visitandis, tollere parochi studeant, ac fideles, praesertim die Dominica, quae proxime Rogationes antecedit, quantum hoc dedeceat corruptela, saepius admoneant » (Rit. Rom. nr. 6.).

d) **Vexilla**

adhiberi possunt.

1°. « ...ubi viget consuetudo, vexillum *sacris imaginibus insignitum,* non tamen factum militari seu triangulari forma », sed forma consueta quadrata

(Rit. Rom. nr. 5.). Vexilla tantum benedicta adhiberi possunt (C. Rit. d 3679, 1. et 2.).

2°. Non possunt adhiberi vexilla evidenter *impia*, « quae praeferunt emblemata manifeste impia vel perversa », vexilla *nationalia* in pompa funebri tolerari possunt, dummodo feretrum sequantur, in ecclesia vero non, nisi timeantur secus turbae ac pericula (S. Offic. 3. oct. 1887.).

3°. Nequeunt benedici, itaque admitti in processionibus non possunt vexilla cuiusvis *partis civium* (vulgo: partito politico) iuxta decr. S. Officii (20. mart.1947.). — Processioni semper:

e) **« praeferatur Crux »**

(Rit. Rom. n. 5.). 1°. Crucifixi effigies subsequenti clero *terga vertere* debet (C. Rit. d 1538, 1), acolythi duo cum candelis accensis hinc inde procedunt.
2°. *Thuriferarius* praecedit Crucem immediate, quasi viam lustrans.

3°. Minister Crucem portans est convenienter *subdiaconus* tunicella indutus vel saltem clericus superpelliceo vestitus (C. Rit. d 2362, 2.).

f) **Praecedentia processionis:**

1°. Laici a clero separati, feminae a viris separatae procedunt (Rit. Rom. nr. 4); *ante* confraternitates laicorum debent incedere (C. Rit. d 3388, 2; 4188, 1.).

2°. Inter *confraternitates laicorum* cum cappellanis suis, qui stola indui possunt (C. Rit. d 2635), in processionibus theophoricis praecedentia debetur Fraternitati SS. Sacramenti (d 2628, 2708.).

3°. *Tertiarii* O.F.M., O Praed. et Carmelitarum, si proprio habitu sint vestiti, etiam Crucem primi Ordinis prae se ferre queunt (d 4163.).

4°. Postea sequuntur concentus musici seu symphoniacorum catervae (vulgo: banda musicale), si conformes sint legi Sancti Pii X.: « In pompis extra templum ab Ordinario permitti potest symphoniacorum catervae participatio, dummodo ne quovis modo profanos psallat concentus ....spirituale aliquod canticum moderentur, sive latino, sive vulgari eloquio a cantoribus propositum, aut a piis congregationibus, quae pompae adsunt » (Motu proprio 22.nov. 1903 nr. 21.). Excipiuntur processiones poenitentiales, locus symphoniacorum est ante clerum (C. Rit. d 2869.).

5°. Dein sequitur *clerus regularis* iuxta praecedentiae ordinem, at in processionibus theophoricis presbyteri Societatis SS. Sacramenti dignissimum locum occupant: immediate ante clerum saecularem (3426, 5.).

6°. *Clerus saecularis* suo ordine ita, ut quo dignior aliquis sit, eo propior est celebranti.

g) **Regulae generales processionum.**

I. Regula. Omnes habitu proprio vestiuntur: 1°. Clerici superpelliceo vel *aliis* sacris vestibus (Rit. Rom. nr. 3.), sic multis in locis in processione Cor-

poris Christi sacerdotes casula induuntur, e religiosis monachi veste chorali (cuculla), mendicantes mantello regulares superpelliceo vestiuntur, tertiarii possunt portare suum habitum, laici confraternitatum possunt sacco proprio indui.

2°. Vestimenta propria *celebrantis* sunt: in processionibus theophoricis superpelliceum, stola et pluviale, cuius usus stricte praecipitur (C. Rit. d 2067, 5; 2440; 3039, 3; 3697, 12), in aliis processionibus pluviale commendatur (Rit. Rom. tit. X, 4, 1.).

II. Regula. Color liturgicus paramentorum est ille, qui exigitur. Exigitur a *festo*: in processione Corporis Christi color albus, et etiam in omnibus processionibus theophoricis; *a Sancto* seu eius reliquia: martyres colorem rubrum, confessores album postulant, *ab officio* processio exsequialis propter officium exigit colorem nigrum, in ceteris processionibus spiritus compunctionis exigit colorem violaceum.

III. Regula. De capite cooperiendo. 1°. In processione theophorica semper incedendum est *nudo* capite omnibus.

2°. Qui vexillum, Crucem, statuas vel imagines Sanctorum aut eorum reliquias gerunt, semper *nudo* capite incedunt (C. Rit. d 1352; 1800; 1839; 1841, 1.).

3°. Socii confraternitatum et laici *nudo* capite procedunt (d 3961.).

4°. Clerus in ecclesia procedit detecto capite, extra ecclesiam *cooperit* caput, excepto processione theophorica, vel facta cum instrumento Passionis (d 1841, 1; 3276, 2.).

5°. Celebrans vero et ministri sacri etiam in ecclesia *cooperiunt* caput bireto, exceptis casibus in 4° enumeratis.

6°. In *actuali* functione semper omnes *discooperiunt*, sic in absolutione, in statione intra processionem (d 1891, 2097, 7; 2895, 3580, 2.).

IV. Regula. Cereos accensos in processionibus theophoricis omnes portare *debent*, in aliis processionibus portare possunt (Caer. Ep. II, 33, n. 7.). Si cerei vel rami palmarum portantur, unusquisque *manu extera* cereum portabit, qui est a dextera parte manu dextera, qui est a sinistra, manu sinistra, alteramque manum pectori collocet.

V. Regula. Omnes semper bini procedunt, si sine candelis, tunc iunctis ante pectus manibus, oculis demissis, corpore erecto (cf. Rit. Rom. nr. 3.). Si per angustum locum transeundum sit, praecedat minus dignus digniori.

VI. Regula. Altari debita reverentia facienda est. In processione theophorica *duplex* genuflexio facienda est, quando processio *procedit* ab altari, in *reversu* vero nulla fit reverentia. In aliis processionibus altari tum in discessu ad processionem, tum in reversu facienda est reverentia, vel inclinatio, vel si adsit tabernaculum, genuflexio. Reverentiam semper bini simul facient.

Litteratura.

M. Gatterer, Praxis celebrandi 2. ed. Oeniponte 1926, p. 224-226. — *Mihályfi Ákos*, A nyilvános istentisztelet (=De cultu publico), 4. ed. Budapest 1933, 630-654. — *G. Schrei-*

ber, Wallfahrt und Volkstum in Geschichte und Leben, Düsseldorf 1934. — *L. Eisenhofer*, Handbuch der kath. Liturgik, 2. ed. Freiburg i. Br. 1941, I, 262-264. — *P. de Amicis*, Caeremoniale parochorum, 4. ed. Roma 1948, 353-363. — *B. Kötting*, Peregrinatio religiosa, Münster i. W. 1950. — *R. Kriss*, Wallfahrtsorte Europas, München 1950. — *R. Lesage*, Dictionnaire pratique de liturgie Romaine, Paris 1952, col. 843-849. — *J. Lechner*, Liturgik des römischen Ritus, 6. ed. Freiburg i. Br. 1953, 75-76. — *H. Schauerte*, Wallfahrt in Vergangenheit und in der Gegenwart, *in*: Theol. u. Glaube 1954, 422-442. — *L. Heuschen*, La procession et son aménagement pastoral, *in*: Par. et lit. 1959, 190-201.

J. De cura Ecclesiae pro mortuis gerenda.

Ecclesiae orantis est adhuc orare pro suis fidelibus vita functis, officium hoc est exclusive intercessionis pro animabus olim ad se pertinentibus, quae post mortem iurisdictioni Ecclesiae iam non subiacent, utpote ad Ecclesiam patientem pertinentes. Hoc enim supponitur de omnibus fidelibus defunctis, quod poenas adhuc luere debent in purgatorio, tunc enim solum Ecclesia orans eas adiuvare potest per modum suffragii. Ex hac suppositione ad cautelam facta iam inde a primordiis Ecclesiae varia genera intercessionis usu venerunt, de quibus nunc agendum nobis restat: 1. De commendatione animae, 2. de sepultura defunctorum, 3. de suffragiis pro defunctis oblatis.

1. De commendatione animae.

a) **Notio et momentum.**

1°. *Definitio.* Commendatio animae est ritus sacer, quo anima decedentis aegroti Sacramentis rite iam munita iuvatur in moriendo Deique misericordiae commendatur. Procul dubio Ecclesia exemplo Christi ducta coepit piam hanc praxim, etiam *nomen* inde desumens, Dominus enim proximus morti clamore valido dixit: « Pater in manus tuas commendo spiritum meum! ».

2°. *Momentum* eius inculcatur ab Ecclesia: « Ingravescente morbo parochus infirmum frequentius visitabit, et ad salutem diligenter iuvare non desinet, monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore praesto sit morienti..... si periculum immineat, statim commendationis animae officium praestabit » (Rit. Rom. tit. VI, c. 5, 1.). Traditio inde ab antiquo aevo semper cognovit laudibusque extulit commendationem: « Ungere, communicare, commendare, sepelire » aequo loco habebantur (scriptor saec. XII. De statu ecclesiae PL 159, 1002.).

3°. *Divisio commendationis.* Tamquam scholion pastorale Rituale primo habet caput de « *Modo iuvandi morientes* », quod hortamenta, admonitiones, preces iaculatorias continet quibus moribundus inter totam actionem adiuvari potest. Secunda pars est *commendatio animae* proprie dicta, tertia *ritus in expiratione*.

b) **Historia.**

Commendatio animae certissime iam saec. VI-o latissime usitata fuit, sic de morte Austrebertae abbatissae legitur: « Interim, cunctis psallentibus et sanctorum nomina seriatim invocantibus illa virtute qua valuit, voces psallentium interrupit » (Acta Sanct. Febr. 11, 423.). Gelasianum primigenium iam textus habet commendationis animae (Wilson p. 299.). Partes antiquissimae

commendationis aetatem antiquitatis sapiunt, sic *Litaniae*, quarum solummodo quaedam nomina sunt posterioris aetatis (« Abel »: Paulus V. 1614; Camillus de Lellis et S. Joannes de Deo: Leo XIII.; S. Joseph: Sanctus Pius X.), dein oratio « *Proficiscere* », *formulae absolutoriae* « Deus misericors, Deus clemens » et « Commendamus tibi Domine », item *invocationes* litanicae (« Suscipe Domine servum tuum ») saec. VI-o iam occurrentes. Redactio hodierna commendationis animae post nimiam varietatem in « Ordinibus » permultis medii aevi facta est 1614. per editionem *Ritualis Romani* iussu Pauli V. Ex immensa multitudine precum medio aevo usitatarum assumptae sunt in hanc editionem usque ad hodiernum diem: formula exorcistica « Commendo te omnipotenti Deo », dein cento compositus eodem aevo formulae absolutoriae « Delicta iuventutis », demum tres orationes pulcherrimae in fine commendationis ad Christum directae (« Domine Jesu Christe »). — *Oratio ad B.M.V.* (« Clementissima Virgo Dei Genitrix Maria ») addita est a Sancto Pio X., oratio *ad S. Joseph* a Pio XI. (9.aug.1922. « Ad te confugic Sancte Joseph »). — *Benedictio Apostolica* in articulo mortis cum indulgentia plenaria inter ritus commendationis animae locum habet (Rit. Rom. tit. VI, c. 6.), etsi saepissime iam impertiri solet post administrationem Sacramentorum. Indulgentiam plenariam primo *Crucigeri* acceperunt, hic favor extensus est a *Gregorio XI.* (1370-78) ad afflictos per pestilentiam, decursu temporis *episcopi* acceperunt potestatem dandi hanc benedictionem, quam parcissime tantum sacerdotes exercere potuerunt. *Benedictus dein XIV.* per Constitutionem « Pia mater » (5. apri. 1747) omnibus episcopis elargitus est facultatem dandi hanc benedictionem subdelegandique eam omnibus sacerdotibus curatis. Ritum quoque hodie adhuc usitatum dictus ipse benignus Pontifex instituit, nunc parochus aliusve sacerdos, qui infirmis assistit, potest eam impertiri (cf. infra De Poenit. G.5.a.4°.).

c) **Modus iuvandi morientes.**

Iuxta Rit. Romanum (tit. VI. c. 5, 2. 3. 4. 5.): 1°. Sacerdos reducat ad mentem infirmi *indulgentiam* concessam, proponatque quid ad eam consequendam agi debeat: praesertim, ut contrito corde nomen Jesu semel vel saepius invocet.

2°. Dein hortetur infirmum et excitet, ut, dum mente viget, eliciat *actus fidei spei et caritatis* aliarumque virtutum; octo themata a Rituali proponuntur, in quibusdam Ritualibus habentur haec themata in forma interrogationum aegroto propositarum; themata haec inveniuntur iam in « Interrogationibus S. Anselmi » (nr. 3.).

3°. Hortetur praeterea moribundum, ut, eo modo quo potest, saltem ex corde per intervalla *orationes iaculatorias* precetur, speciminis instar aliquae preces iaculatoriae adiiciuntur in Rituali (nr. 4.).

4°. « Haec et his similia, poterit prudens sacerdos vulgari vel latino sermone, pro personae captu, *morienti suggerere* » (ibid. nr. 5.), i.e. moribundo praeorare ad aures.

d) **Commendatio animae proprie dicta.**

Iuxta Rit. Romanum (tit. VI, c. VII.): 1°. Sacerdos ad commendationem animae decedentis accendens ante cubiculum infirmi superpelliceo et stola vio-

lacea induitur, secumque assumpto saltem clerico (ministro) uno, ingreditur, dicens « *Pax huic domui* », dein *aspergit* aegrotum, lectum et circumstantes aqua benedicta, dicens: « Asperges me Domine hyssopo » etc. Postea Salvatoris nostri *crucifixi imaginem* aegroto osculandum praebet, et verbis efficacibus eum ad spem aeternae salutis erigit, ipsamque imaginem coram eo ponit, ut, illam aspiciens, salutis suae spem sumat (nr. 1. 2.).

2°. Sequitur I. pars commendationis (nr. 3.): *Litaniae moribundorum.* « Accensa candela, genibus flexis, cum omnibus circumstantibus breves litanias devote recitat » ergo iuxta cap. 5. nr. 5. et rei naturam lingua *vernacula* (sic Gatterer, Praxis celebrandi p. 367.).

3°. Secunda pars commendationis: *Itinerarium animae decedentis* (nr. 4.). « Cum in agone sui exitus anima anxiatur », dicuntur orationes: « Proficiscere anima christiana », dein formula *absolutoria*: « Deus misericors, Deus clemens », formula *exorcistica*: « Commendo te omnipotenti Deo », postea possunt recitari 15 *invocationes* litanicae (« Suscipe Domine servum tuum »), demum formula *absolutoria*: « Commendamus tibi Domine » et « Delicta iuventutis », demum *duae orationes* ad B.M.V. et S. Joseph.

4°. Tertia pars, *complementaria* commendationis, dicitur, *si* « *diutius* laboret anima » (nr. 5.). Potest legi super aegrotum evangelium S. Joannis (c. 17. 18. 19.), cum oratione pulchra « Deus qui pro redemptione mundi », quam iam Bonifatius VIII. indulgentiis ditavit, dici possunt insuper sequentes Psalmi (117. 118, 1. 2.), demum sequuntur « tres piae et utiles orationes, cum tribus Pater noster et tribus Ave Maria in agone mortis recitandae » (tres orationes ad Christum directae « Domine Jesu Christe »).

e) Ritus ad exspirationem.

Iuxta Rit. Romanum (tit. VI, c. 8.) 1°. huius instantis *gravitas* inculcatur: « Cum tempus exspirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus, flexis genibus, vehementer orationi instandum est » (nr. 1.). Instat enim iudicium particulare animae iamiam decedentis, de quo merito monet Suarez: « Dicendum est, animam .....in instanti mortis intellectualiter elevari ad audiendam sententiam iudicis. Et hoc est adduci ad tribunal eius, absque ulla locali mutatione » (In III. p. disp. 52. sect. 2.). Ipse moriens dicat, vel assistens sive sacerdos pro eo clara voce pronuntiet. « *Jesu, Jesu, Jesu* ». Quod et ea quae sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam saepius repetat, orationes nempe iaculatorias (Rit. Rom. c. 8, nr. 1.). Ubi viget pia consuetudo, aliquibus ictibus pulsetur *campana parochialis ecclesiae* ad significandam instantem mortem, ut pro eo Deum rogare possint (ibid. nr. 2.).

2°. *Egressa anima* de corpore statim dicatur « *Subvenite Sancti Dei* », « Pater noster », versiculi, oratio (ibid, nr. 3.), ritus hic iam saec. X-o in usu erat (Cabrol in: DAL I, 202.).

3°. *Compositio cadaveris* (Rit. Rom. tit. VI, c. 8. nr. 4.). « Detur *campana* signum transitus defuncti, pro loci consuetudine, ut audientes pro eius anima Deum precentur. Deinde corpus, de more honeste compositum, *loco decenti* cum lumine collocetur: ac *parva Crux* super pectus inter manus defuncti ponatur », multis in locis corona Rosarii B.M.V. vices supplet Crucis — « aut, ubi

crux desit, manus in modum crucis componantur, interdumque aspergatur aqua benedicta, et interim, donec efferatur, qui adsunt, sive sacerdotes, sive alii, orabunt pro defuncto ». Regula pro sacerdote vel cuiusvis ordinis clerico: « Vestibus suis communibus, usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu sacerdotali, vel clericali, quem ordinis sui ratio deposcit, quantum fieri potest, induatur, unusquisque autem tonsura et bireto » (Rit. Rom. tit. VII, c. 1, nr. 12.).

2. De sepultura defunctorum.

a) Notio et momentum sepulturae.

1°. *Definitio*: « Sepultura ecclesiastica consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis » (can. 1204). Inde tres partes sepulturae: *translatio* cadaveris ad ecclesiam, — *exequiae* in ecclesia celebratae (officium, Missa, absolutio) — *depositio* in loco legitimo.

2°. *Momentum* sepulturae christianae extollitur ab Ecclesia: Sacrae ceremoniae ac ritus sepulturae sunt « *vera* religionis *mysteria*, christianaeque *pietatis signa*, et fidelium mortuorum *saluberrima suffragia* » (Rit. Rom. tit. VII, c. 1, 1).

a. *Vera religionis mysteria* continentur et enuntiantur ab Ecclesia mortuos sepeliente: *Immortalitas animae*, « defunctus enim saeculo Deo vivit », anima solum « de hoc saeculo migrare iussa est ». Annuntiatur *resurrectio mortuorum*: oratur enim pro defuncto, « ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et electos tuos resuscitatus respiret », canitur anntiphona: « Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet », et tunc, ut proleptice canitur in ingressu ecclesiae, « exultabunt ossa humiliata ». Inter alia mysteria praecipue *misericordia Dei* ostenditur, « cui proprium est misereri semper et parcere », et « cuius miseratione animae fidelium requiescunt ». Ritus sepulturae dein efficacissime testantur *fidem purgatorii*: defuncti vice orat Ecclesia Ps. 127. De profundis, profunda enim animae est purgatorium, ubi Dei « gratia illi succurrente, mereatur evadere iudicium ultionis ».

b. Sepultura dein *christianae pietatis signa exhibet*, pertinet enim ad naturam hominis, ut dicit S. Augustinus, etiamsi « omnia, id est, curatio funeris, conditio sepulturae, pompa exsequiarum, magis sint vivorum solatia, quam subsidia mortuorum » (De cura pro mortuis gerenda c. 2). Haec naturalis pietas, elevata per virtutem christianam, nobilitatur idea christiana de corpore humano, cadaver enim erat quondam *templum Spiritus Sancti*, consecratum Deo per Sacramenta, *instrumentum* fuit animae in operibus exsequendis, post mortem vero *semen* est futurae gloriae.

c. Sepulturae ritus sacri demum continent *fidelium mortuorum saluberrima suffragia*: Ecclesia enim orans precatur, ut anima *recipiatur in caelum*, quando corpus fertur ad sepulchrum, cantatur ant. « In paradisum deducant te angeli »; in anniversario exoratur, ut Deus donet defuncto « refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem ». Ut hoc possibile fiat, Ecclesia Deum orat ut faciat cum servo suo defuncto *misericordiam*, et « factorum suorum in poenis

non recipiat vicem », orat, ut *venialia* eius deleantur: « ...quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge ». Sicque iuvat suffragiis suis post mortem, ut defuncti « ad perpetuae beatitudinis consortium perveniant ».

b) Historia sepulturae.

1°. « *Ritus elationis* » — seu *levatio* cadaveris e domo, ubi vita functus est transportatioque eius in ecclesiam — antiquissimus est. Iam saec. II-o *orabant in domo* defuncti, iuxta cadaver, dum illud componeretur, ut Tertullianus dicit: « Cum morante adhuc sepultura interim oratione presbyteri componeretur » sc. cadaver (De anima c. 29). Saec. III. iam *candelas* et lampades accendebant in honorem mortuorum in Oriente, picturae sepulcrales in Dura Syriae ex annis 232-233 repraesentant in dextris suis candelam accensam portantes (J. Villette, Que représente la grande fresque de la maison chrétienne de Doura, *in*: Rev. Bibl. 1953, 398-413). Usum *florum* primitus quidem abhorrebant, erat enim mos paganus, saec. VI-o autem iam « mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia purpuerosque flores, et dolorem pectoris his officiis consolantur », ut scribit S. Hieronymus (Ep. 26. ad Pammachium). Eodem saeculo iam ubique usuvenit *processio funeralis* e domo defuncti in ecclesiam, inter quam processionem psalmi canebantur (Const. Ap. VI, 33).

2°. *Exsequiae in ecclesia* componebantur e Missa et vigilia mortuorum Inde iam a primis saeculis notae erant *vigiliae coemeteriales*. Officium defunctorum antiquissimum est, ut investigationes Callewaert ostendebant, officium hoc iam probabilissime ante Gregorium Magnum in usu erat (De officio defunctorum, *in*: Sacris erudiri, Steenbrugge 1940, 169). *Missae* celebratio praesente cadavere iam saec. II-o usitata erat, Acta Ioannis medio saec. II. testificantur presbyterum venisse ad tumbam « ut ibi frangeret panem » (c. 72.), imo fragmentum quoque Apologiae Aristidis (a. 140) testis est talis usus (Righetti II, 330). *Absolutio* vero ad tumulum data oritur e saec. X forsan orta ex absolutione a censuris ad cautelam data (DAL I, 203).

3°. *Depositio defuncti* semper fiebat orando et psallendo, cuius testimonia abundant. Sic **a.** *orationem* testatur *Tertullianus*: « ... pro anima eius orat et refrigerium interim adpostulat ei et in prima resurrectione consortium » (De monog. c. 10 MEL n. 1833). *Julius Africanus* loquitur de oratione ad sepulcrum (De celebratione piorum hominum XIII, 11 MEL I, 965). — **b.** *Psalmorum* cantum meminit *Hieronymus*: « Non ululatus, non planctus, ut inter saeculi homines fieri solet, sed Psalmorum linguis diversis examina concrepabant » (Epitaph. Paulae PL 22, 878), simili modo *Const. Apostol.*: « in funeribus mortuorum cum Psalmis deducitis eos, si fuerint fideles in Domino » (VI, 30). *Antiphonae* ubique cantatae notitiam prodit S. *Hieronymus*: « Nunc igitur pro brevi labore aeterna beatitudine fruitur, excipitur angelorum choris, Abrahae sinibus confovetur et cum paupere quondam Lazaro divitem purpuratum... cernit » (Ep. 23), eadem ant. canitur in transportatione cadaveris in coemeterium. — **c.** Usum *thuris* iam Tertullianus testatur: « Thura dico... nobis quoque insuper ad solatia sepulturae usui sunt » (De idolol. c. 11 MEL I, 1621). *Candelarum* usum in depositione S. Cypriani legimus: « Corpus (Cypriani) propter gen-

tilium curiositatem in proximo positum est cum cereis et colacibus » (Acta proconsul. MEL I, 3996).

4°. In *ritu inhumationis* corporis: a. *Psalmi* canebantur, ut testatur S. Hieronymus de sepultura Fabiolae, cantus hic psalmodicus medio aevo valde usitatus erat ad inhumationem, culmen huius psalmodiae erat cantus cantici « Benedictus », hymni redemptionis cum ant. « Ego sum resurrectio et vita » (Ordo Rom. X, 39, iuxta Mabillon). Psalmorum cantus iam disparuit, solus « Benedictus » remansit. — b. *Epulum funebre* post inhumationem adhuc in quibusdam regionibus usitatum magnae antiquitatis notam prae se fert, memoratur enim iam a Canonibus Apostolorum: « Qui vero in exsequiis mortuorum ad epulum funebre invitati estis, cum recto ordine epulemini atque in timore Dei, ut possitis etiam tunc pro defunctis deprecari » (c. 44 MEL I, 2516).

c) Leges sepulturae.

Variae leges cultuales et stricte liturgicae habentur circa sepulturam.

1°. « Nullum corpus sepeliatur, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post congruum *temporis intervallum,* quod satis sit ad omnem prorsus de vero obitu dubitationem tollendam » (Rit. Rom. tit. VII, c. 1, n. 3). Intervallum hoc a legibus civilibus determinari solet.

2°. *Candelarum usus* praescribitur: « Cum antiquissimi ritus ecclesiastici sit, cereos accensos in exsequiis et funeribus deferre, caveant parochi aliique sacerdotes, ne eiusmodi ritus omittatur, ac ne quid avare aut indigne in eo committatur » (Rit. n. 10).

3°. *Ecclesia funeris* est ea, in qua exsequiae (officium, Missa, absolutio) peraguntur. a. *Lex fundamentalis* est: « Nisi gravis causa obstet, cadavera fidelium, antequam tumulentur, transferenda sunt e loco in quo reperiuntur, in ecclesiam, ubi funus idest totus ordo exsequiarum, quae in probatis liturgicis libris describuntur, persolvatur » (cn. 1215). *Gravis causa* potest esse bellum, incursiones hostiles aereae, morbus contagiosus, lex civilis prohibens translationem in ecclesiam (Sipos-Gálos, Enchirid. Iuris 6. ed. 1954, p. 569), revera in permultis regionibus haec delatio defuncti in ecclesiam ideo parcissime tantum contingit. — b. *Ex iure ordinario* ecclesia funeris est ecclesia propriae defuncti paroeciae, si ad eam commode pedestri itinere asportari possit, secus ecclesia paroeciae, ubi mors acciderit (can. 1216 § 1. et 1218 § 1). — c. Ecclesia funeris potest esse etiam *libere electa*: « Omnibus licet nisi expresse iure prohibeantur, eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium sepulturae » (can. 1223, § 1), prohibentur impuberes et religiosi professi, non tamen si sint episcopi (can. 1223), sed eligi non potest ecclesia monialium (can. 1225).

4°. Quis habet *ius funeralia peragendi*: « Proprius defuncti parochus non solum ius, sed etiam officium habet, excepto gravi necessitatis casu, levandi per se vel per alium cadaver, illud comitandi ad suam ecclesiam parochialem, ibique exsequias persolvendi » (can. 1230, § 1). Si in alieno territorio defunctus sit et cadaver commode asportari possit, parocho proprio remanet ius fune-

ralium, praemonito parochi loci (can. 1230 § 2). *Diaconus* qua minister delegatus potest exsequias peragere « de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur » (Rit. Rom. tit. VII, c. 3, 19).

5°. *Depositionis leges.* **a.** Etiam inhumatio seu tumulatio fieri debet ad normam *librorum liturgicorum* (can. 1231 § 1), eam peragere debet excepto gravis necessitatis casu ille qui exsequias in ecclesia peregit, sed hoc officium exsequi potest per se vel per alium (can. 1231 § 2). — **b.** « Nunquam admittantur societates vel insignia religioni catholicae *manifeste hostilia* » (can. 1233 § 2). — **c.** « Laici cadaver, generis vel dignitatis cuiusvis fuerit, clerici ne deferant » (can. 1233 § 4).

6°. *Sepulcra Sacerdotum* ac clericorum cuiusvis ordinis, ubi fieri potest, a sepulcris laicorum separata sint, ac decentiore loco sita, (Rit. Rom. tit. VII c. 1, 21.).

7°. *Taxarum funeralium* **a.** seu eleemosynarum *indicem* conficit loci Ordinarius; si in indice plures classes enumerentur, liberum est iis, quorum interest, classem eligere (can. 1234.). **b.** Districte prohibetur quidquam *ultra* exigere, quod in diocesano taxarum indice statuitur (can. 1235 § 1.). **c.** « *Pauperes* gratis omnino ac decenter funerentur et sepeliantur, cum exsequiis secundum liturgicas leges et dioecesana statuta, praescriptis » (§ 2.), « ac debita lumina suis impensis, si opus sit, adhibeant sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas, si sit, iuxta loci consuetudinem » (Rit. Rom. tit. VII, c. 1, 11.).

8°. « Expleta tumulatione, minister *in libro defunctorum* describat nomen et aetatem defuncti, nomen parentum vel coniugis, tempus mortis, quis et quae Sacramenta ministraverit, locum et tempus tumulationis » (can. 1238.).

9°. Per se *Crux in tumulo* erigenda non praescribitur etsi multis in regionibus hoc fiat, si corpus extra coemeterium rite benedictum sepultum sit, « corpus in locum sacrum quamprimum transferatur, et interim semper Crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse » (Rit. ibid. n. 24.).

10°. *Exhumatio*: « Nullum cadaver perpetuae sepulturae ecclesiasticae ubivis traditum exhumare licet, nisi de licentia Ordinarii » (Rit. ibid. n. 25.).

11°. *Concrematio cadaveris* ab Ecclesia reprobatur (can. 1203 § 1.), qui mandaverit corpus suum cremationi dari, illi neganda est ecclesiastica sepultura (can. 1240 § 1. n. 5), si ad quos pertinet hoc mandatum exsecuti non sint, sepultura tamen locum habere non potest (Comm. Pont. Interpret. 10.nov.1925. ad X.). Si crematio ex aliena voluntate consecuta esset, per se licita est sepultura ecclesiastica sc. delatio in ecclesiam, exsequiae ibi celebratae, minime vero delatio (liturgica) ad crematorium (S. C. Inquis. 15.dec.1886); etiam haec partialis sepultura illicita est, si propter specialia rerum temporumque adiuncta scandalum removeri non posset (S. Offic. 19.jun.1926.).

12°. *Quibus denegetur* sepultura ecclesiastica cf. superius (De Eccl. sacrificante F. 2. c.).

d) Ritus sepulturae.

1°. Ab ecclesia proceditur ad *domum defuncti* (Rit. Rom. tit. VII, c. 3, 1-2.). **a.** Parochus indutus stola nigra et superpelliceo, vel etiam pluviali, nunquam vero alba, etiamsi immediate Missam sit celebraturus (C. Rit. d 3035, 1), sine assistentibus dalmatica indutis (d 2915, 8), clerico praeferente Crucem, alio aquam benedictam procedit ad domum defuncti. *Ordo huius processionis*: praecedunt confraternitates laicorum, regulares et saeculares clerici bini, parochus ante feretrum, alii funus comitantes, si associationes catholicae in habitu laicali adsint, non praecedunt, sed sequuntur feretrum (d 4109.). — **b.** Cadaver *aspergitur* aqua benedicta, sine cantu dicitur ant. « *Si iniquitates* », et Ps. 129., dein *effertur* cadaver, celebrans de domo procedens intonat ant. « Exsultabunt Domino », et *inter processionem* ad ecclesiam dicitur Ps. 50., ac si longitudo itineris postulet, Psalmi graduales, vel Psalmi ex Officio defunctorum, in fine cum « Requiem aeternam ». — **c.** In *domo defuncti* in Hungaria iuxta consuetudinem inde a medio aevo vigentem Officium dicitur defunctorum *symbolice abbreviatum*: Invitatorium cum antiqua ant. « Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me », dein statim « Benedictus » cum ant. « Absolve Domine animam famuli tui », dein versiculi et oratio (Rit. Strigoniense tit. VI. c. 3, 2-7.).

2°. In *ecclesia fiunt exsequiae* (Rit. Rom. tit. VII. c. 3, 3-10.).

a. Ecclesiam ingressi cantant responsorium « *Subvenite sancti Dei* », feretrum interim deponitur *in medio* ecclesiae, « ita, ut defuncti pedes sint versus altare maius, si vero fuerit sacerdos, caput sit versus ipsum altare », (Rit. n. 4.).

b. Dein dicitur *officium defunctorum* (Matutinum, Laudes), ut habetur in Rit. Rom. (Tit. VII. c. 4), « dicatur saltem primus nocturnus cum Laudibus vel etiam sine Laudibus » (tit. VII, c. 3, 16), « quod si, ob rationabilem causam, ne unus quidem nocturnus sine Laudibus dici possit, aliae praedictae preces et suffragia nunquam omittantur » (ibid. n. 17.).

c. Post officium dicitur Missa *de die obitus*. Finita Missa, celebrans deponit casulam et manipulum in plano ad cornu epistolae, et sumit *pluviale* nigri coloris, diacono et subdiacono paratis remanentibus (n. 7.), celebrans debet enim ipse etiam absolutionem peragere, nisi illam peragat episcopus ordinarius (C. Rit. d 3029, 10.).

d. Post Missam, ante absolutionem potest fieri *sermo in laudem defuncti*, « ante absolutionem accedat sermocinaturus vestibus nigris indutus sine cotta et facta oratione in medio altaris nulla petita benedictione... signans se signo Crucis, facit sermonem » (Caer. Ep. l. II. c. 11, 10), nec stolam induere potest, hic ordo, ergo etiam sermo, si lubet, in omnibus servari debet ecclesiis (C. Rit. d 2888.).

e. Dein fit *absolutio*: subdiaconus cum Cruce (vel in eius defectu minister) se sistit ad caput defuncti (ergo inter feretrum et portam ecclesiae), medius inter ceroferarios cum candelabris et candelis accensis, celebrans vero (cum Diacono a sinistris, si habetur, sistit se contra Crucem ad pedes defuncti, retro astantibus duobus acolythis, uno cum thuribulo et navicula, alio cum vase aquae benedictae et aspersorio.

f. Dein dicit orationem absolute incipiendo: « *Ne intres* », notandum: « omnes orationes in exsequiis et in officio defunctorum cantantur *in tono feriali i.e.* recto tono, vel in altero tono feriali ad libitum; *conclusio* longa orationum adhibetur tantummodo in Missa et officio, extra vero semper brevis » (Rit. n. 5. in fine). Oratio « Ne intres » dicenda est «nulla numeri aut generis facta mutatione, etsi pro pluribus aut pro femina dicatur» (Rit. n. 7.).

g. Postea cantatur resp. « Libera », chorus finito responsorio cantat «*Kyrie eleison* », celebrans dicit alta voce « Pater noster », inter cuius recitationem secretam *circumeundo* feretrum *aspergit* corpus defuncti ter a parte sinistra cadaveris (i.e. ad pedes, ad medium, ad caput, interea semper incedendo), dein simili modo a parte dextera defuncti. Transeundo ante altare facit inclinationem profundam (genuflexionem, si ibi Sanctissimum asservetur), item ante Crucem ad caput defuncti, diaconus in utroque casu genuflectit. Eodem modo *thurificat* corpus defuncti et stans in loco suo cantat iunctis manibus « Et ne nos inducas in tentationem », versiculos et orationem « Deus cui proprium est ».

3°. *Processio ad sepulcrum* (Rit. Rom. tit. VII, c. 3, 11.). Finita oratione corpus defertur ad sepulcrum, usus currus, super quo imponatur feretrum equis vehendum ad coemeterium vel etiam in ecclesiam, tolerari potest (C. Rit. d 3212, 1.). Durante processione clerici cantant ant. « In paradisum deducant te angeli ».

4°. *Inhumatio cadaveris.* Cum ad sepulcrum perventum fuerit, celebrans prius benedicit illud, si non sit benedictum (Rit. n. 12-13.). Deinde intonat ant. « *Ego sum* », cantatur *Benedictus*, repetitur ant., cantatur *Kyrie*, inter « *Pater noster* » corpus, quin circumeat, aspergit. Postea dicuntur versiculi et cantatur oratio « *Fac quaesumus* », et celebrans manu dextera faciens signum Crucis super feretrum, dicit: *Requiem* etc. — *N. B. pro Germania* post Benedictus concessus est ritus sepeliendi alius (cf. Collectio rituum pro omnibus Germ. dioecesibus 1950, pars II. c. 1, 15-22.).

5°. *Processio in ecclesiam.* Dum a sepulcro in ecclesiam revertuntur, celebrans inchoat sine cantu ant. « Si iniquitates » cum Ps. 129., in sacristia antequam exuatur sacris vestibus dicuntur versiculi, oratio « Fidelium » et «Requiem aeternam » (Rit. Rom. tit. VII. c. 3, 15.).

e) Ritus absolutionis ad tumulum.

1°. *Tumulus* vocatur capulus seu arca (bara, Sarg, cercueuil, coffin, koporsó) sine cadavere, seu « castrum doloris, lectus mortuorum ». Symbolice collocatur in medio ecclesiae, si cadaver absens est, ut absolutio post Missam ad eum fieri possit. *Tres casus* possunt esse: cadaver potest adesse *physice* praesens, potest esse *absens* et potest esse *moraliter* praesens (iuxta terminologiam S. C. Rit. d 4034, 3), « non solum insepultum, sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu censeri potest ac si foret physice praesens » (d 3767,26.). In primo casu celebratur absolutio ad *feretrum*, in duobus ultimis absolutio ad *tumulum.*

2°. Absolutio ad tumulum habetur post Missam sollemnem de requiem *absente* cadavere, quae potest sed non debet fieri « finita Missa, si facienda

est absolutio » (Rit. cel. XIII, 4), e. gr. die tertio, septimo, tricesimo, anniversario ab obitu seu depositione. Eadem absolutio habetur cadavere *moraliter* praesente, sed cum omnibus privilegiis Missae exsequialis, in hoc casu omitti non potest oratio « Non intres » et absolutio ut supra (cf. d. 2°.) facienda, *absente* vero cadavere, oratio « Non intres » omittenda est (Rit. Rom. tit. VII, c. 5, 1.).

3°. *Absolutio* super *cadaver* aut super *tumulum* novas leges accepit in reformatione S. P. Joannis XXIII. — **a.** *Debet* fieri post *Missam exsequialem* (NCR 401. a), sed quia Missae defunctorum omnes possunt esse aut in cantu aut lectae, (NCR 400), videtur etiam absolutionem fieri posse voce clara sine cantu. — **b.** Absolutio fieri *potest* etiam post ceteras Missas defunctorum (NCR 401. b), si fideles hoc vellent. — **c.** Ex rationabili causa fieri potest etiam post Missas quae *non sunt defunctorum* (NCR 401. c), quod usque 1961 vetitum erat (CRit d 2186; 3014, 1; 3780, 8).

f) Ritus sepeliendi parvulos.

1°. Adhibendus est, si « infans vel puer defunctus sit *ante usum rationis* » (Rit. Rom. tit. VII, c. 7,1.). Iuxta decr. « Quam singulari » Sancti Pii X. (8, aug. 1910) « detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et extremam unctionem pueris post usum rationis, eosque sepeliendi ritu parvulorum » (nr. VIII. decreti). Omnes ergo, qui septennium expleverint, vel etiam ante expletum septennium, si iam usu rationis fruerentur, praesertim si iam primam Communionem libaverint, competit sepultura ritu adultorum, non possunt enim privari suffragiis Ecclesiae, quibus supponuntur indigere.

2°. Pueri induuntur iuxta aetatem imponiturque eis « *corona* de floribus seu de herbis aromaticis et odoriferis, in signum integritatis carnis et virginitatis » (Rit. n. 1.). *Celebrans* induitur superpelliceo et stola albi coloris, Crux sine hasta defertur. *Ad domum* defuncti sacerdos aspergit corpus, et cantatur Ps. 112. (Laudate servi Domini) cum ant. « Sit nomen Domini ».

3°. Dein *portatur corpusculum ad ecclesiam,* interim dicantur Psalmi 118. 148. ut in Rituali (n. 2.). *In ecclesia* dicatur Ps. 23. cum ant. « Hic accipiet benedictionem », notandum quod ad Psalmos semper canitur « Gloria Patri », in Triduo Sacro Hebdomadae sanctae omitti potest, aspersio vero aquae minime (C. Rit. d 1589, 4.).

Post repetitam ant. dicuntur versiculi et oratio « Omnipotens et mitissime Deus », inter « Pater noster » aspergitur corpus parvuli. Quia parvuli ante usum rationis decedentes Ecclesiae suffragiis non indigent, *Missa non* dicitur, sed potest dici missa de die, *vel melius* iuxta consilium S. C. Rituum votiva de Angelis (d 3481, 2), at haec Missa non est privilegiata, dici potest solummodo tamquam Missa votiva IV. cl.

4°. *Processio ad sepulcrum.* Ps. 148 (Laudate Dominum de caelis) cantatur inter hanc processionem cum ant. « Juvenes et virgines ».

5°. *Ad sepulcrum* pervento dicitur « Kyrie eleison », versiculi, oratio « Omnipotens sempiterne Deus, puritatis amator », postea aspergitur et thurificatur corpus et tumulus, dein sepelitur.

6°. *In revertendo ad ecclesiam* dicitur Cant. trium puerorum cum ant. « Benedicite Dominum » et oratione ante altare « Deus qui miro ordine Angelorum ».

3. De suffragiis pro mortuis oblatis.

a) Notio suffragii mortuorum.

1°. *Nomen suffragii* derivatur a « suffragium » (= sub fragium); primitus sic vocata fuit *tabella testacea* seu fragmentum vasis fictilis seu testaceae (coccio, Tonscherbe, débris, clayey piece, cserépdarab), in his describebant cives vota seu « voces » ad significationem voluntatis in creandis magistratibus, legibus ferendis etc. Inde *ipsa vox seu votum* est nomine « suffragii » (voto, voce, Stimme, suffrage, szavazat), actus suffragationis « testarum suffragium », Graece ostrakismos. *Translate* dein « suffragium » significat existimationem, favorem (raccomandazione, favore). Inde mature a christianis suffragia dicta sunt *Sacramenta*, quibus Ecclesia ex hac vita decedentes adiuvat, (Cod. Theodos. XV, 7, 1), dein etiam orationes, quibus auxilium Sanctorum apud Deum imploratur, aut quas pro nobis ad Deum fundunt ipsi Sancti (Forcellini V, 733.). Theologi dein inde a medio aevo « suffragii » vocabulo denominabant intercessionem Ecclesiae militantis, qua animas fidelium defunctorum Dei misericordiae commendare solita est ad eripiendum eas piaculari igne detentas.

2°. *Rationem cur Ecclesia adhibet suffragia*, reddit optime S. *Augustinus*: « Supplicationes pro spiritibus mortuorum..... sub generali commemoratione suscipit Ecclesia, ut quibus ista desunt parentes aut filii, aut qualescunque cognati, vel amici, ab una eis exhibeatur Matre communi » (De cura pro mortuis geranda c. 4.).

3°. Ceterum omnes Patres, tota s. Traditio uno ore affirmat defunctorum *animas purgatorio poenas luentes adiuvari posse*, quod sollemniter ab Ecclesia pluries definitum est, sic 1274. in Conc. oecumenico Lugdunensi II.: « Ad poenas huiusmodi relevandas prodesse eis (sc. defunctis in purgatorio) fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta » (Denz. 464., quod verbotenus repetitum est a Conc. Florentino 1439. Denz. 693.). Similiter *Tridentinum*: « Catholica Ecclesia..... in hac oecumenica Synodo docuit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari » (sess. XXV. 1563. Denz. 983.).

4°. *Genera* ergo suffragiorum pro mortuis sunt: Sacrificium Missae, actus caritatis erga proximum (eleemosyna), orationes et alia pietatis officia.

b) Sacrificium Missae

maxime prodest defunctis, de quo cf. supra (De Eccl. sacrificante D. 3. h. Thesis), ubi etiam demonstratum est Missarum celebrationem pro defunctis antiquissimam esse consuetudinem.

1°. « *Memento* » *mortuorum* inde iam a saec. IV-o demonstrari potest, exemplum habetur primum in Euchologio Serapionis (Quasten p. 63), eam

memorat S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Chrysostomus vero hunc morem originis putat apostolicae (In Phil. hom. 3,4 PG 62, 204.).

2°. *Tricenarius Gregorianus* a S. Gregorio Magno invectus a Tridentino sola series Missarum permissa nunc tempori adhuc celebrari consuevit (de qua cf. De Eccl. sacrific. F. 1. f. 3°. XII.).

3°. Missa *conventualis* pro defunctis *sacerdotibus, benefactoribus et aliis* a. dici *debet* quolibet *mense,* excepto tempore natalicio et paschali, et mense novembri: *prima feria IV. cl.,* proinde excluditur tempore Adventus, Quadragesimae et Passionis (NCR 290. a). — **b.** *Talis* Missa conventualis dici *potest* qualibet *hebdomada, prima feria IV. cl.,* item excluso tempore natalicio et paschali, et ut patet, Adventus, Quadragesimae et Passionis, quia habent feriae III. cl. (NCR 290. b). — **c.** Ad has Missas sumitur Missa quotidiana, cum oratione « Deus, veniae largitor » (ibid.).

4°. Infra *octiduum Omnium Fidelium defunctorum,* i.e. a die 3.-9. nov. **a.** in ecclesia cathedrali celebratur *Missa conventualis* « pro animabus omnium episcoporum et ecclesiae cathedralis canonicorum defunctorum de iisdem anniversariis » (NCR 293). — **b.** Infra idem octiduum *omnes Missae* quae applicantur « pro omnibus vel quibusdam defunctis, dici possunt de requie, adhibita Missa quotidiana cum oratione convenienti (NCR 422).

5°. *Privilegium altaris* quoque defunctis consolandis ab Ecclesia concessa est (cf. infra De Poenit. G. 5. b.).

c) Orationes pro defunctis

permultae delegantur ad Deum privatim a fidelibus, ad liturgiam pertinent orationes officii defunctorum, de quo iam locuti sumus. Hoc officium medio aevo saepe recitabatur quotidie in choro, huius usus residuum est recitatio versiculi « Fidelium animae » etc. Nunc hoc versu absolvitur Matutinum, sia Laudidibus separetur in recitatione tam publica, quam privata absolvuntur eo Laudes, Tertia, Sexta, Nona et Vesperae (NCR 179).

c) Alia pietatis officia.

Ad ecclesiastica instituta pertinent *dies exsequiales,* quando nempe exsequiae defuncto iam sepulto iterum persolvuntur. Valde antiquus mos est dies hos celebrandi; in utraque Ecclesia *tres dies,* sed alia successione celebrantur. *Ecclesia orientalis* celebrabat *diem III., IX. et XL-um* ab obitu seu depositione defuncti, morem secuta civilem « novendialis » luctus, qui adhuc in sepultura Summi Pontificis observatur. *Ecclesia Romana* morem V. Testamenti secuta *diem III., VII. et XXX-um* celebravit ad suffragandum defunctis. In expiationis officio diei *tertii* enim ad memoriam reducebat tertium diem resurrectionis Domini, typum spei christianae resurrectionis; quoad *septimum* diem auctoritas adducta est Geneseos (Gen 50), per septem enim dies duraverunt exsequiae patriarchae Iacob, nam seriore quoque tempore « luctus mortui septem dies » erant (Eccli 22, 13.). *Tricesimum* diem celebrabant, quia multitudo filiorum Israel tum Aaron, quum Moysen triginta dierum luctu flevisse scriptum reperitur (Num 20, 30 et Deut 34, 8.). Praeclarissimus dies exsequialis est iam inde a saec. II-o (Tertullianus) *anniversarius dies* ab obitu seu de-

positione (sepultura). Dies III. VII. XXX-us et anniversarium privilegium habent quoad Missae celebrationem (cf. De Eccl. sacrif. G. 1. 21.).

Pietatis officium est *institutio Commemorationis Omnium Defunctorum* 2. novembris. Hoc die unusquisque sacerdos tres Missas potest celebrare (De Eccl. sacrific. F. 3. c. II. regula), de indulgentia plenaria toties-quoties cf. De Poenit. G. C. b. 1° c.), de ipso die cf. Heortologia H. 5 d.

Litteratura.

F. Probst, Exequien, Tübingen 1856. — *L. Ruland*, Die Geschichte der kirchlichen Leichenfeier, Regensburg 1901. — *H. Leclercq*, Funérailles, *in*: DAL V, 2 (1923) 2705-2715. — *M. Gatterer*, Praxis celebrandi ordinarias functiones sacerdotales, Oeniponte 1926, 2. ed. p. 368-376. — *E. Freistadt*, Altchristliche Totengedächtnistage und ihre Beziehung zum Jenseitsglauben und Totenkultus der Antike, Münster 1928. — *L. Gougaud*, Études sur les Ordines commendationis animae, *in*: Eph. Liturg. 1935, 1-29. — *L. Eisenhofer*, Handbuch der kath. Liturgik, 2. ed. 1941. II, 434-446. — Reallexikon für Antike und Christentum II (1941) 194-219. — *J. B. Müller - J. B. Umberg*, Zeremonienbüchlein 19. ed. Freiburg i. Br. 1941. — *A. C. Rush*, Death and Burial in Christian Antiquity, Washington 1941. — *M. Righetti*, Storia liturgica II (1946) 317-349. — *P. de Amicis*, Caeremoniale parochorum, 4. ed. Romae 1948, 321-333. — *R. Lesage*, Dictionnaire pratique de liturgie Romaine, Paris 1952, col. 462-464, 976-977. — *J. Lechner*, Liturgik des römischen Ritus, 6. ed. 1953, 333-336. — *H. Frank*, Römische Herkunft der karolingischen Beerdigungsantiphonen, *in*: Mélanges M. Andrieu, Strassbourg 1956, 161-171. — *H. R. Philippeau*, Pour un ressourcement et complément du Rituel de l'agonie et des funérailles, *in*: Eph. Lit. 1957, 369-407. — *Th. Maertens - L. Heuschen*, Die Sterbeliturgie der kath. Kirche. Glaubenslehre und Seelsorge, Paderborn 1959.

III. Tractatus tertius.

De Augustissima Eucharistia ut est Sacramentum.

Prodromus. Theologiae sacramentalis specialis maxima et sublimissima pars est De Ecclesia sanctificante, consideratio earum rerum, per quas Ecclesia vices agens operis sanctificationis Christi, mundum volentis senctificare per suum piissimum adventum et suam beatam passionem, consecrat hominum vitam ritu christianae religionis per Sacramenta et Sacramentalia, tempus per annum liturgicum, loca et aedificia, imo vestes et supellectilia sacra.

Longe maior pars tractationis impendenda est Sacramentis Christi, quibus Ecclesia instituit et perficit ritum christianae religionis, quamque *tractationem cum augustissimo Sacramento Eucharistiae iure exordiendam esse censemus.*

Enimvero Sacramentum Eucharistiae est *potissimum inter alia Sacramenta,* nam in Eucharistiae Sacramento continetur ipse auctor ceterorum Sacramentorum substantialiter, dum in aliis continetur quaedam virtus instrumentalis participata a Christo (III q. 65. a. 3.). Deinde ut Ecclesiae magisterium ordinarium enuntiat, Eucharistia est *fons omnium gratiarum,* rivuli tantum cetera Sacramenta ex Ipsa manantes, a qua « tamquam *a fonte ad alia Sacramenta,* quindquid boni et perfectionis habetur, *derivantur* » (Cat. Trident. p. II. 4, 47 s.). « Sicut sol consistit in medio, et dat virtutem et claritatem aliis planetis, ita Sacramentum Eucharistiae computatur: a quo alia Sacramenta recipiunt virtutem et claritatem », ut dicit S. Vincentius Ferrerius.

Omnia enim *cetera Sacramenta,* ut theologi dicunt, ex enumeratis causis *ordinem dicunt ad augustissimum Eucharistiae* Sacramentum. Per *baptismum* incipitur incorporatio in Christum, sed culmen suum haec incorporatio accipit per participationem ipsius Christi in sumptione Eucharistiae. *Confirmatio* ordinatur ad protegendam et tuendam hanc incorporationem, est enim Sacramentum perseverentiae in corpore Christi. *Poenitentia* removet obstaculum peccati impedientis participationem in vitae consortio corporis Christi. *Extrema unctio* aptum reddit hominem ad participandum vitae consortium quam plenissimum, delendo reliquias peccatorum, consequendum in gloria. *Ordo* ordinatur totus quantus ad conficiendam Eucharistiam, ministrosque eius constituendos. *Matrimonium* Christi et Ecclesiae unionem mirabilem figurans ordinatur ad Eucharistiam, ut ad suam causam exemplarem et finem.

Ideoque initium sumendum esse a tractanda Eucharistia declarantes, monemus cum cl. De la Taille, quod, « sicut ecclesiarum nostrarum aedes in orientem solem spectant, ita et *Sacramentorum agmen* totum totusque cultus

christianus atque ecclesiastica disciplina *respicit ad Eucharistiam*, in qua visitavit noos Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent » (Mysterium fidei p. 575.).

Sequenti ordine tractabitur materia nostra:

A) De existentia Eucharistiae.
B) De essentia Eucharistiae.
C) De efficientia Eucharistiae.
D) De necessitate Eucharistiae.
E) De personis sacramentalibus Eucharistiae.
F) De facto praesentiae Christi in Eucharistia.
G) De actu praesentiandi Christum in Eucharistia.
H) De modo praesentiae Christi in Eucharistia.
J) De legibus cultualibus SS. Eucharistiae.

A) De existentia Eucharistiae.

Nunc tantum praeliminari modo de existentia huius Sacramenti agitur, supponendo probationem praesentiae Christi in Eucharistia. Agitur ergo interim: 1. De nominibus Eucharistiae, dein 2. de Eucharistia ut Sacramento.

1. De nominibus Eucharistiae.

a) **Ex institutione Christi:**

habemus nomen: *Sôma, haima,* = corpus, sanguis Domini. Prima parte medii aevi monographias de SS. Eucharistia tali nomine scripserunt. Nomen istud adhuc in germanico Fron-leichnam conservatur.

b) **Antiquissimum nomen scripturisticum**

est: *klasis tou artou* = fractio panis (Act. 2,42. 46; 20, 7; 27, 35.). Idem nomen in Didaché ut *klasma* (= quod fractum est), occurrit (9, 4 Quasten p. 11.).

c) **Denominationes Paulinae,**

e quibus conspici potest eas esse proprias inventiones genii hagiographi, nondum autem eas evasisse terminos technicos. Hae sunt:

1°. *Deipnon kyriakon* (1 Cor 11, 20), « Coena dominica »; optime notat quoad hunc terminum Zubizarreta: « Hoc nomen Novatoribus familiare, retinendum est, quia a SS. Patribus saepe usurpatum fuit et est aptissimum ad designandum Eucharistiam ».

2°. *Trapezê Kyriou,* « mensa Domini » (1 Cor 10, 21), quae est denominatio synecdochica (continens pro contento).

3°. *Koinônia,* « communio », quod nomen effectum primarium Eucharistiae respicit. Cf. 1 Cor 10, 16: « Koinônia tou haimatos... sômatos Christou ».

4°. *Eulogia* « benedictio », denominatio desumpta ex actione liturgica, quam relationes coenae novissimae vicissim adhibent eodem sensu ac termi-

nus Eucharistia, sic 1 Cor 10, 16; « Potêrion tês eulogias ». Nomen « eulogia » ut nomen proprium Eucharistiae diu remansit; in Catacumbis Alexandrinae urbis in pariete depicta videtur societas commensalium cum textu declarante: « Tas eulogias tou Christou esthiontes » — « benedictiones Christi comedentes ». Eulogia deinde evasit nomen *panum benedictorum,* quae ut supplementum Eucharistiae in fine distribuebantur usque ad s. VI. etiam in Occidente, in Oriente autem usque hodie.

d) **Antiquissima denominatio post Sacram Scripturam:**

est 1° *Eucharistia,* gratiarum actio, quae iam saec. I. in finem vergente in usu fuit, uti videri potest e Didaché: « Ne quis vero comedat de eucharistia vestra (apo tês eucharistias hymôn), nisi qui baptizati sunt in nomine Domini » (9,5 Quasten p. 11.). Eodem nomine ut fixo ttrmino technico utitur S. *Ignatius Antiochenus*: « Spoudasate mia eucharistia chrêstai = Studete una eucharistia uti » (Ad Philad. 4,1 Quasten p. 335), et *Iustinus* versus 155: « Hê trophê hautê kaleitai par hêmin eucharistia — cibus iste vocatur apud nos eucharistia » (Apol. I. 66. Quasten p. 17.).

2°. *Eucharistia*: (Doronzo 6-7 p.) est = « gratus animus, actio gratiarum»; *eucharistein* = « gratum esse, gratias agere penes scriptores Graecos *profanos*: Demosthenem (s. IV. a. Ch.), Polybium (s. II. a. Ch.), Diodorum Siculum (s. I. a. Ch. — I. p. Ch.). — In libris Graecis *deuterocanonicis V. T.-i*: Sap. 18, 2: « qui ante laesi erant, quia non laedebantur, gratias agebant »; 2 Mach I, 11: «De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi »; similiter in *versione LXX. In N-o T-o* frequens est usus vocabuli Eucharistia, sed non relate ad Sacramentum; dum « eucharistein » iam in relatione adest cum actione Christi consecrativa in caena ultima (« eucharistêsas »).

3°. Prona est *convenientia* huius nominis **a.** ut « *bona gratia* »: in ea continetur Christus auctor gratiae; vitae aeternae pignus datur, quae est consummatio gratiae, melior est gratia eius sacramentalis, quam aliorum Sacramentorum; **b.** ut « *gratiarum actio* » convenit sacrificio N.T-i inprimis eius gratiae tam excellenti bono, quam nobis hoc Sacramento tribuit.

e) **Aliae denominationes aevi antiqui.**

1°. *Ephodion* = « viaticum » sc. nutrimentum, quod nomen primo in genere usitatum fuit de Eucharistia, *Nicaenum* (c. 13) sic loquitur de ea; posterius autem restrictam accepit significationem designans Eucharistiam ut sumptam ante mortem.

2°. *Synaxis,* graecum nomen pro latino « convocatio, statio », sic loquitur *Ps, Dionysius Areopagita* inter 485-515 de « mystêrion synaxeôs » seu communionis — « Mystêrion synaxeos eitoun koinonias » (Eccl. Hierarch. III, 2.).

f) **Denominationes S. Augustini:**

Panis caelestis vel *mysticus* (C. Faustum 20, 13.). *Sacramentum panis et calicis,* aliter: *panis caeli* (In Jo. tract. 26.), *Panis Christi* (In Jo. 6. Sermo 130.), *Sacramentum mensae dominicae* (Sermo 227.), et ex eo aliter nomen usque hodie usitatissimum: *Sacramentum altaris* (Sermo 228.).

h) **Denominationes medii aevi:**

1°. *Sanctissimum Sacramentum,* vel breviter « *Sanctissimum* », nomen usitatum in multis regnis a populo, dein a libris liturgicis in rubricis; desumpta est ex eo, quod Eucharistia dignitate sua alia Sacramenta praecellit.

2°. *Panis angelorum,* sec effatum Ps 77, 25 « panem angelorum manducavit homo », quod primario de manna edictum fuit. Angeli enim videntes Verbum, saturantur hac visione, idem autem Christus etiam noster cibus est, delectamentum in se habens.

3°. *Hostia*: secundum suam primigeniam significationem animal ad sacrificium adhibitum, hac voce vertebatur iam in Vetere Latina, dein in Vulgata graecum « thysia », sacrificium. Vocabulum hoc in multis linguis modernis nomen Eucharistiae evasit.

2. De Eucharistia ut est Sacramentum.

a) **Definitio.**

1°. Primo definiri debet, ut *totaliter* sumitur, sacramentum simul et sacrificium. *Catechismus Catholicus* talem dat **definitionem:**

« *Eucharistia quasi bona gratia vel gratiarum actio est, divinissimum Redemptoris donum et fidei mysterium, in quo sub speciebus panis et vini ipsemet Jesus Christus continetur, offertur, sumitur, sacrificium simul et sacramentum Novae Legis* » (quaest. 371.).

2°. Dein definitio dari potest, de Eucharistia *praecisive sumpta* ut Sacramento, secundum eundem *Catechismum*:

«Eucharistia est Sacramentum a Jesu Christo institutum, quo sub speciebus panis et vini ipsemet Jesus Christus, auctor gratiae, vere, realiter ac substantialiter continetur ad spiritualem nostrarum animarum refectionem » (quaest. 396.).

b) **Eucharistia ut Sacramentum et ut sacrificium**

quomodo secernatur, declarat idem Catech. Cath.:

1° « Eucharistiae sacramentum a sacrificio secernitur quia sacramentum *consecratione* perficitur, et *permanet,* omnis vero sacrificii vis in eo est, ut offeratur, et ideo divina hostia, quae in pyxide continetur, vel ad aegrotum defertur, Sacramenti, non sacrificii rationem habet ».

2°. « Quia sacramentum qui divinam hostiam sumunt, *meriti* causam affert et spirituales utilitates, sacrificium vero non merendi solum, sed *satisfaciendi quoque* efficientiam habet » (quaest. 398.).

c) **Eucharistia est verum Sacramentum**

i.e. generice convenit cum ceteris Sacramentis N.T-i, quod de fide est definita, iuxta Trident. (sess. VII. can. 1) enim est unum de septem ritibus, qui vocantur « vere et proprie Sacramenta ». Revera Eucharistia est:

1°. *Sacramentum quoad species,* nam ipsae species « veram et absolutam huius nominis rationem habent » (Catech. Rom. p. II. c. 4. qu. 8.). Species enim sunt in ratione continentis cum contento, i.e. corpore Christi, cui per modum unius agentis uniuntur.

2°. Species habent *rationem signi sensibilis*: utique non in se, sunt enim accidentia remanentia panis et vini, nihilque aliud sensibus *naturali modo* significant, quam panem et vinum, « visus, gustus, tactus in te fallitur ». *Sed « auditu* solo tuto creditur »: nam per *verba Salvatoris* consecrativa species iam in sensu formali et exclusivo ostendunt corpus etc. Christi, quatenus id continentes. Apposite dicit De la Taille: « Intellectui luce fidei perfuso sensibilis est per externum signum sacramentale caro et sanguis Christi in locum substantiae paneae et vineae succedens. Addito enim verbo (Hoc est corpus meum) ad elementum, Christus in ratione epuli sacrificalis ostenditur, nobis praesens per speciem alienam » (p. 510 s.).

3°. Species *significant* rem aliam, i.e. *gratiam.* In Eucharistia quidem verba consecrativa *in recto* (grammaticaliter) significant corpus, *in obliquo* autem (sacramentaliter) gratiam, quia ipsa verba prout signant species panis et vini, significant corpus etc. Christi, ut constitutum est sub specie panis, hoc est nutrimenti: « Hoc » seu hic panis, cuius substantia convertitur, est corpus Christi. Quia vero nutrimentum Eucharistiae ad animam alendam inservire debet, quod per gratiam tantum fit, pronum est, verba haec etiam gratiam significare (Doronzo p. 666.).

4°. Species etiam *efficiunt aliquid,* habent ergo *rationem causae,* et quidem duplici modo. *Primo* sunt *causa relate ad corpus Christi,* non quidem quoad eius existentiam, sed quoad permanentiam: corpus etc. Christi tamdiu praesens manet, quamdiu species existunt (Doronzo p. 314, nota 6.). *Secundo* sunt causae *quoque gratiae,* etsi hoc quidam negabant (Caietanus, S. Rob. Bellarminus, Card. Franzelin, De la Taille), alii vero rectius affirmant (Suarez, Lugo, Salmanticenses, Doronzo p. 671-675); S. Thomas, ut Doronzo ostendit, veram causalitatem tribuit etiam speciebus (p. 672.).

5°. Eucharistiam *a Christo institutam* esse, nemo ambigit.

Scholion. De computatione numerica Eucharistiae.

Ut *principium fundamentale* haberi debet, Eucharistiam, etsi sub duplici specie continetur, *unum Sacramentum esse,* Habet enim rationem *epuli sacrificalis,* ad convivii perfectionem autem non solum cibus, sed etiam potus pertinet, ergo sumptio potus et cibi unum est convivium divinum. Sic obtinetur autem tantum Eucharistia, ut Sacramentum praestantissimum quidem, sed *unum e septem,* nam aliter « septenarius Sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque a Conciliis Lateranensi, Florentino, et Tridentino decretum est, constare non poterit » (Cat. Rom. p. II. c. 4. qu. 10.), tunc enim essent octo Sacramenta.

Sequitur ergo:

1°. Quoad duae species *unicam refectionem constituunt,* quiergo sub utraque specie communicat, non accipit plus, quam qui unam tantum speciem accipit, etsi analogice ad repraesentationem sacrificii *significatione pleniore* participat *sacrificium,* qui sub utraque sumat Eucharistiam. Celebrans ideo debet semper sub utraque communicare; item ratio habetur, cur possint fideles orientalium rituum sic accedere ad communionem, et cur sic factum sit etiam in Ecclesia occidentali ante saec. XIII.

2°. Qui *plures sumit particulas* vel hostiam maiorem loco minoris, non plus accipit, nam si sumens e.gr. tres particulas in celebratione, consumendo reliquas, non communicat tribus vicibus, tunc etenim « deberet trium Sacrificiorum fructum percipere: quod nemo tamen concedit », item « generaliter loquendo, qui ex una mensa sumit tria poma vel tria panis frustula, non dicitur uti tribus conviviis, sed uno» (De la Taille p. 511.).

3°. Species *deglutiri debent*, ut significatio sacramentalis habeatur, secus enim gratiae non esset particeps. In tali sumptione enim non salvaretur ratio cibationis.

Litteratura.

Opera enumerata ad totum tractatum de Eucharistia consuli possunt; cf. adhuc litteraturam inferius quoad factum praesentiae et actum praesentiandi (F. et G.).

Opera systematica et historica. *Th. Lamy*, De Syrorum fide et disciplina in re eucharistica, Paris 1859. — *J. Corblet*, Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du Sacrement de l'Eucharistie, Paris 1885. — *F. A. Béguinot*, La très sainte Eucharistie des douze premiers siècles I. II., Paris 1903. — *L. Tarchier*, Le sacrement de l'Eucharistie d'après St. Augustin, Paris 1904. — *S. A. Chollet*, La doctrine de l'Eucharistie chez les scolastiques, Paris 1905. — *O. Blank*, Die Lehre des hl. Augustin vom Sakrament der Eucharistie, Paderborn 1907. — *K. Adam*, Die Eucharistielehre des hl. Augustin, Paderborn 1908. — *L. Billot*, De Ecclesiae Sacramentis, 5. ed. Romae 1914, I, 317-579. — *J. Müller*, De SS. Eucharistiae Sacramento, Oeniponte 2. ed. 1921. — *E. Hugon*, La sainte Eucharistie, 3. ed. Paris 1922. — *F. J. Dölger*, Die Eucharistie nach Inschriften frühchristlicher Zeit, Münster 1922. — *M. de la Taille*, Mysterium fidei. De augustissimo Corporis et Sanguinis Christi sacrificio et sacramento, 2. ed. Paris 1924. 3. ed. 1931 (2. ed. citatur!). — *P. Batiffol*, L'Eucharistie, 7. ed. Paris 1925. — *J. Kramp*, Eucharistie. Von ihrem Wesen und Kult, Freiburg 1926. — *H. Muckermann*, Sinn und Wert der Eucharistie, Freiburg 1927. — *A. d'Alès*, De SS. Eucharistia, Paris 1929. — *P. Hobeika*, L'Eucharistie et l'Église Maronite, Beirut 1930. — *G. Lecordier*, La doctrine de l'Eucharistie chez St. Augustin, Paris 1930. — *W. Goossens*, L'Eucharistie dans l'Église primitive, 3. ed. Paris 1931. — *J. B. Card. Franzelin*, Tractatus de SS. Eucharistiae Sacramento et sacrificio, 5. ed. Romae 1932. — *J. Quasten*, Monumenta eucharistica et liturgica vetustissima, Bonn 1935-7. — *P. Bertocchi*, Il simbolismo ecclesiologico della Eucaristia in Sant'Agostino, 1937. — *Schütz Antal*, Eucharisztia. Az Oltáriszentség a hit és az ész világánál, Budapest 1938, (germanice: Christus mit uns. Grund und Kraft der eucharistischen Wirklichkeit, München 1939). — *E. Walter*, Eucharistie. Das Sakrament der Gemeinschaft, 3. ed. 1940. — *E. Doronzo*, Tractatus dogmaticus de Eucharistia. Tomus I. De Sacramento, Milwaukee (Typogr. Bruce) 1948. — *L. Lercher*, De mysterio Christi in sua plenitudine perenni (Inst. Theol. Dogm. IV, 2), 3. ed. Oeniponte 1948, 205-383. — *M. Righetti*, L'Eucaristia. Sacrificio e Sacramento (Manuale di storia liturgica, III), Milano 1949. — *R. Garrigou - Lagrange*, De Eucharistia, Romae 1948. — *J. A. Jungmann*, Missarum sollemnia. Eine genetische Erklärung der römischen Messe, I. II. 3. ed. Wien 1952. — *I. Filograssi*, De SS. Eucharistia quaestiones dogmaticae selectae, 5. ed. Romae 1953. — *A. Grail - A. M. Rouget*, L'Eucharistie, *in*: Institutions théologiques, Paris 1954, IV, 501-596. — *M. Premm*, Katholische Glaubenskunde, Band III, 1, Wien (Herder) 1954, 187-311. — *A. Piolanti*, Il Mistero eucaristico, Firenze 1955.

Respectu pastorali. *D. Prümmer*, Man. Th. Moralis, III. 4. ed. 1929. n. 165-228. — *M. Gatterer*, Praxis celebrandi functiones ordinarias sacerdotales, Oeniponte 1940. 3. ed. (citatur ed. 2. 1926.). — *Collectio decretorum* ad s. liturgiam spectantium ab 1927-1946, Romae 1947. — *L. Molien*, Liturgie des Sacraments, Paris 1948, p. 208-276. — *M. de Amicis*, Caeremoniale parochorum, 4. ed. Romae 1948. — *A. Vermeersch - J. Creusen*, Theol. Mor. III. 4. ed. Romae 1948, n. 336-402. — *B. Merkelbach*, Summa Th. Moral. III. 8. ed. Romae 1949, n. 197-300. — *J. Aertnys - C. A. Damen*, Theol. Mor. II. 16. ed. Marietti 1950. n. 99-177. — *J. Fanfani*, Man. theorico-practicum Theol. Mor. IV. Romae 1951, p. 135-238. — *O. Schöllig - R. Weber*, Verwaltung der hl. Sakramente unter pastoralen Gesichtspunkten, Freiburg i. Br. 4. ed. 1952, p. 57-84. — *M. Conte a Coronata*, De Sacramentis tract. canonic. I. 2. ed. 1951, n. 183-335. — *H. Noldin - A. Schmitt - G. Heinzel*, Summa Th. Mor. III. 30. ed. Barcelona 1954, n. 98-163.

B) De essentia Eucharistiae.

Status quaestionis.

Quod attinet structuram seu *compositionem physicam* Eucharistiae, paulo aliter procedendum est, ac penes cetera Sacramenta. Nam *materia remota* Eucharistiae consistit in iis *elementis* e quibus Eucharistia conficitur. Materia *proxima* est autem *usus* materiae remotae, quae quidem fit per actum *consecrationis*, quo Christus praesens ponitur ut victima: haec est autem essentialiter ipsummet sacrificium Missae, de quo iam actum est, et vocari apte potest *materia proxima* Eucharistiae *in fieri*. Materia autem *proxima in statu esse* nil aliud est, quam species, quae continent corpus et sanguinem Christi: de hac materia autem agitur in quaestionibus sequentibus. *Respectu dogmatico* ergo tantum agendum nobis est de materia *remota* Eucharistiae, nam aliae quaestiones alibi enodantur. *Respectu* autem *iuridicomorali* tractanda est tum materia remota, tum materia proxima. Dein agendum est de *forma* huius Sacramenti, quae insimul etiam Missae sacrificii essentiam respicit.

Ordine autem sequenti fit disquisitio:

1. De materia remota Eucharistiae.
2. Normae pastorales quoad materiam Eucharistiae.
3. De forma Eucharistiae.
4. Normae pastorales quoad formam Eucharistiae.

1. De materia remota Eucharistiae.

THESIS. Materia remota Eucharistiae: (1) valida est panis et vinum, (2) et quidem triticeus panis et vinum de vite, (3) sive in azymo, sive in fermentato.

I. pars: Panis et vinum.

De fide definita e *Tridentino sess. XIII. can. 2*: « S.q.d., in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine..... a. sit » (Denz. 884.).

Adversarii. *Artotyritae* (= pano-caseistae), qui aevo antiquo una cum pane etiam caseum consecrare tentabant. *Aquarii*, secta quaedam Gnostica, quae vino abhorrens aqua usus est. *Calvinistae*, qui putabant in defectu panis et vini posse adhiberi quemlibet cibum, quod secus etiam Melanchthon concessit in epistola sua ad Ruthenos adhibendi loco vini aquam mellitam. *Graeci schismatici*, qui putant ad valorem consecrationis necessariam esse panem fermentatum.

Scriptura Sacra in suis relationibus coenae novissimae simpliciter de pane (artos) loquitur et de vino, et quidem « de genimine vitis » (Mc. 14, 25), similiter autem S. Paulus. Ex his testimoniis nullum dubium relinquitur, quid sit materia Eucharistiae, nam Dominus praeceptum strictum dedit: « Hoc facite in mei memoriam! »

Traditionem superest allegare, nam nemo invenitur, qui non de pane et vino loqueretur.

II. pars: Panis triticeus et vinum de vite.

Theologice certum e *Decreto pro Armenis*: « .... materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet » (Denz. 698.). *Missale Romanum*: « Si panis non est triticeus, non conficitur Sacramentum ». *Can.* 815 §. 1: « Panis debet esse mere triticeus, et recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis. » — §. 2: « Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum ».

Usus antiquus commendat panem *triticeum;* quod Iudaeos attinet, hoc omnino certum non est, quod *massoth,* i.e. azymi, quos adhibuerunt, triticei erant. *Vinum* aliud non potuit esse, quam *jajin,* oinos, i.e. vinum *de vite,* nam omnia alia inebriantia *šeker* vocabantur.

III. pars: Sive in azymo, sive in fermentato.

De fide ex *Conc. Florentino*: « Diffinimus... item in azymo sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici » (Bulla « Laetentur coeli » 6.Iul.1439. Denz. 691-2.).

Usus Ecclesiae peremptorie probat hanc theseos partem, nam usque ad saec. VIII. utraque pars Ecclesiae utebatur pane triticeo fermentato. Rationes cur s. VIII-o uti coeperunt pane fermentato sumendae sunt e venerationis augmento huic Sacramento debitae, nam haec veneratio aucta (« gesteigerte Ehrfurcht ») adducebat, ut praeferantur panes mundae, albae, orbicularesve tenues, quas facilius sine periculo deperditionis micarum frangere potuerunt (Jungmann I, 111.).

2. Normae pastorales quoad materiam Eucharistiae.

I. QUOAD MATERIAM REMOTAM:

Quatuor qualitates requiruntur ad validitatem, item quatuor ad liceitatem materiae remotae.

a) **Ad validitatem materiae remotae PANIS requiritur:**

1°. Ut sit *triticeus,* panis triticeus est panis *e farina et aqua confectus et igne decoctus* (gebacken, sült). **a.** Frumentum (Getreide, grains, corn, biade, gabona) aliud ac triticum materia est invalida; aliqui dubitant de usu *secalis* (Roggen, seigle, rye, segala, rozs), quae certo illicita sed dubie valida est, nam in multis regionibus e secali quoque fit panis usualis. **b.** *Tritici species* iam omnes adhiberi possunt. « Generatim dicendum est, illud frumentum, quod in determinata regione communi hominum iudicio dicitur et est triticum, constituit validam Eucharistiae materiam » (Noldin-Schmitt-Heinzel, III, nr. 106, 1.). Procul dubio triticum vocatum « Turcicum » = *Zea mais* (Mais, indian corn. granoturco, kukorica) invalida materia est, nam non est triticum, tantum nomen eius usurpat.

2°. *Aqua* requiritur, nam *farina* etiam triticea, in *lacte* cocta non est panis, sed placenta (Kuchen, cake, gâteau, focaccia, kalács), neque si *vino* coqueretur farina. Si ex aliis humoribus aliquid admisceretur (lac, vinum, aqua artefacta etc.) in modica quantitate, est panis; materia valida, sed illicita. Similiter, si farinae aliquid aliud adiungeretur, ut *hordeum* (Gerste, orge, barley, orzo, árpa), fabarum farina, sal, butyrum.

3°. *Igne coctus* debet esse panis, non mera massa farinae cum aqua confecta in statu crudi, nec cocta per modum *pultis* (Brei, bouilli, panade, potta, pép), nam tale quid nunquam dicitur panis, similiter nec *collyra* (pasta asciutta, Nudeln, metélt).

4°. Debet esse panis *substantialiter incorruptus*, nam panis factus totaliter mucidus (schimmelig, moisi, mouldy, muffato, penészes), iam non habetur panis usualis.

b) **Ad liceitatem materiae remotae PANIS:** requiritur:

1°. Ut sit *ritui proprio conformis*: « In Missae celebratione sacerdos, secundum proprium ritum, debet panem azymum vel fermentatum adhibere ubicumque Sacrum litet » (can. 816.). *Conc. Florentinum* expressis verbis praecepit ritum proprium servandum esse, nam sacerdotes affirmantur « Domini corpus conficere debere, unumquemque secundum suae Ecclesiae sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem » (Denz. 692.). Praeceptum hoc *sub gravi* obligat, et secundum auctores una datur solummodo exceptio: sacrificii incompleti consummatio, ut, si post consecrationem vini advertat, quod azymus corruptus sit, potest uti fermentato triticeo. Secus « nec ad communicandum infirmum, nec ut populus die festo audiat missam, licitum est hunc ritum mutare » (Merkelbach III. ed. 8. 1949, n. 219.), « ab hoc praecepto ne necessitas quidem viatici pro moribundo, sed sola necessitas complendi sacrificii excusat » (Noldin-Schmitt-Heinzel n. 107, 1 III.), similiter Tanquerey (III, 610.).

a. Horum et aliorum auctorum ratio tamen ad epikiae usum videtur nobis valere *etiam ad conficiendum viaticum* (praeceptum divinum debet praeferri praecepto ecclesiastico); imo fingi potest etiam casus, quando sacerdos *in peculiaribus adiunctis* per menses, imo per annos careret pane azymo: tunc utique ad suam et aliorum utilitatem sane sine peccato posset conficere in fermentato. Praescriptio enim procul dubio gravis est, sed in peculiaribus adiunctis, quae auctoribus antiquioribus *prorsus ignota* erant, tamen cedere debet legi divinae de necessitate tum Missae, tum Eucharistiae.

b. Quod *communionem accipiendam* attinet, olim vetitum erat *communionem alio ritu* sumere, quod nunc licitum est: « Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas, ut, *pietatis causa*, Sacramentum eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant ». - §. 2.: « Suadendum tamen, ut suo quisque ritu fideles praecepto communionis *paschalis* satisfaciant ». - §. 3.: « Sanctum *Viaticum* moribundo ritu proprio accipiendum est, sed, urgente necessitate, fas esto quolibet ritu illud accipere » (can. 866).

c. Quod *communionem distribuendam* attinet, « ubi necessitas urgeat, nec sacerdos diversi ritus adsit, *licet* sacerdoti orientali, qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam in azymo, vicissim latino, qui utitur azymo, ministrare in fermentato, at *suum quisque ritum* ministrandi servare debet » (can. 851. §. 2.).

Necessitas haec habetur, quoties fideles communicare vellent. Distributio tum intra Missarum sollemnia, tum extra eam fieri potest, puta si orientalis celebraret in altari occidentalium, ubi habetur tabernaculum, ipse vero non habeat sufficientes particulas fermentatas.

2°. Panis azymus sive fermentatus debet esse *recens*, ita ut non incipiat corrumpi (can 815: « ...recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis »). Ad hunc finem consequendum « hostiae consecratae, sive propter fidelium communionem, sive propter expositionem sanctissimi Sacramenti, *et* recentes sint, *et* frequenter renoventur » (can. 1272); simili modo in genere *Instructio S. Cong. de disciplina Sacr. 26. Mart. 1929.* (Collectio decretorum ad s. liturgiam spectantium ab anno 1927-1946, Romae 1947, p. 120. nr. 4: « Pervigilem adhibeant curam, ut hostiae nonnisi recenter confectae consecrentur, et sacrae particulae, in pyxide adservatae, frequenter renoventur »); praescriptum *Caerimonialis Episcoporum* quod Eucharistia « saltem semel in hebdomada mutetur et renovetur », iam certo est tantum directivum. Quod *tempus* attinet, talis praescriptio praecisa nunc vigens non habetur, certum est abusum esse, consecrare hostias a tribus mensibus in hieme, a sex in aestate confectas (CRit d 2650), proin ergo tamdiu recenter confectas asservare. *Pro praxi* norma haberi potest Noldin - Schmitt - Heinzel: « Inter hostiarum confectionem earumque sumptionem interponi non debent, nisi quatuor vel summum sex hebdomadae » (nr. 107,2). Ceterum standum est praescriptionibus *dioecesanibus* hac in re. — Demum observandum, ut *periculum evitetur corruptionis*, monitum Instructionis supra citatae: « ...studeant, ut tabernacula, ubi sacra collocatur Eucharistia, quantum fieri poterit, ab humido, vel a nimio rigido aere sint defensa, humore siquidem extante, facile hostiae marcescunt, algore autem friabiles fiunt » (l. cit. p. 120.).

3°. Panis debet esse *immaculatus*, i.e. sine fractione, sine macula, squalore aliquo. Quoad peccati gravitatem bene notat Merkelbach, « secluso semper scandalo, videtur solum veniale, sine causa rationabili consecrare hostiam fractam, vel maculatam, et nullum est peccatum, si deprehendatur post oblationem » (III. n. 218,2). — Hoc ultimum tamen vix contingit, si sacerdos celebraturus observet Missalis rubricam, quod *in sacristia* « Hostiam integram (ergo debet eam inspicere!) leviter extergit a fragmentis, si opus est » (Rit. celebr. I, 1).

4°. Panis azymi *forma* debet esse *orbicularis maior*, fermentatum orientalium *quadratus*, in particulis triangularis. In hostia latinorum sit *imago* Crucifixi sec. constantem consuetudinem (CRit d 2714. « Servetur consuetudo », si ergo alicubi non esset, tunc non est obligatio). — Particulae ne sint nimis *tenues*, nec nimis *parvae*, ne a manu sacerdotis distribuentis dilabantur, neve iam in ore fidelium dissolvantur, tunc enim non recepissent communionem, nam signum sacramentale est manducatio, ad quod pertinet, quod in stomachum traiiciantur sacrae species. *In Urbe* habent particulae diametrum saltem 3-3.5 centimetrorum. — Si sacerdos non haberet hostiam maiorem ad celebrandum, potest

adhibere *parvam*, semper secluso scandalo, etiam ad privatam celebrationem e mera devotione, secus populus monendus esset (Vermeersch-Creusen III. n. 339,6).

c) **Ad validitatem materiae remotae VINI requiritur:**

1°. Ut sit *vinum de vite* quod est liquor de uvis maturis expressus. a. Vinum ergo eucharisticum non potest esse « vinum » de *pomis, piris* (cidre, sidro, Apfelmost, alma-, körte-bor) vel e *ribibus rubris* (Johannisbeeren, groseille, currant, ribes, piszke) confectum, nec *agresta* expressa ex uvis adhuc immaturis, neque *lora*, i.e. « vinum *secundum* », quod obtinetur per infusionem aquae super uvas iam semel expressas, nec « vinum » *adustum* (cognac; Treber; törköly), neque vinum *artefactum* (Kunstwein, mübor), arte chimica e Zea mais vel alio genere frumenti confectum: omnia enim huius generis immerito usurpant nomen vini usualis. — **b.** Vinum iam habetur, si est liquor de uvis non omnino immaturis ita expressus, ut fermentatio consueta saltem incoepta sit; *completa fermentatio non requiritur.* Atque « cum acini (Weinbeere, grain de raisin, szölöszem) franguntur, moraliter statim quaedam fermentatio initium habet », dicit Vermeersch (III. nr. 340,1.). Ita intelligitur mos medio aevo late diffusus, in Festo Transfigurationis Domini consecrare vinum tunc ex uvis ante Missam expressis. — **c.** *Color vini* nullo modo a lege generali praescribitur, in coena novissima certo erat vinum rubrum, nam coenae rituali tale vinum adhibendum erat. In Oriente etiam nunc rubrum vinum praefertur in oblatione, medio aevo erant praescripta particularia adhibendi vinum rubrum, ut evitetur permutatio cum aqua (sic Synodus Parisiensis 1210, Claromontana 1268, Beneventana 1374); inde, quo linteolum seu « purificatorium » a saec. XVI. usuvenit, magis vinum album adhibetur (Jungmann, Missarum sollemnia ed. 3. II, 48.).

2°. Vinum debet esse *ex uvis maturis expressum,* ergo uvae non sunt materia consecrabilis, nam uva nondum est vinum. Uvae *siccatae* (raisin sec, Rosinen, uva passa, mazsola) adhiberi possunt, « dummodo liquor ex colore et gustu dignoscatur esse verum vinum » (S. Offic. 10. Apr. 1889.). *Modus quo fit* tale vinum est sequens. Acini exsiccati seu zebidi exprimuntur, dein tantum pondus, quantum zebidi habent, aquae infunditur super hanc massam expressam, totum relinquitur in apto vase, per sex, ad summum decem horas, deinde extrahitur massa expressa et iterum panno stringitur vel torculari premitur. Liquor inde resultans verum vinum est et sine ulteriore diligentia adhiberi potest.

3°. Vinum non potest esse *mixtum alio liquore notabilis quantitatis;* materia invalida esset, si e.gr. *quinta pars* aquae immisceretur in vinum. Permissum, imo consultum a S. Congr. Officii (Decr. 31. Iul. 1890 et 5. Aug. 1896, renovatum a S. Congr. de disciplina Sacr. 26. Mart. 1929), quod vino multum debili (5-6%), ut non statim, praesertim aestivo tempore acescere incipiat, spiritus vini seu *alcohol immisceatur,* quantitas duodecim pro centum (12%),

dummodo mixtio fiat, quando « fermentatio (Gährung, erjedés) sic dicta tumultuosa, defervescere incoepit », i.e. quando vinum adhuc valde recens est. Hic modus commendatur, *non* vero ut vino admisceatur 10% sacchari ex canna (canne à sucre, nádcukor). — (Cf. Collectio decretorum ad s. lit. spectantium ab 1927-1946, Romae 1947, 116).

4°. Vinum debet esse *incorruptum,* nam vinum corruptum non esset iam vinum. « Si vinum sit factum penitus acetum, vel de uvis acerbis seu nondum maturis expressum, vel ei admixtum sit tantum aquae, ut vinum sit corruptum, non conficitur Sacramentum » (Missale, De defectibus IV, 1).

d) **Ad liceitatem materiae VINI requiritur:**

1°. Ut sit *vinum perfectum;* ideo *mustum* i.e. succus recenter expressus, de quo supra (c. 1°.) Vermeersch locutus est, materia valida, sed nunc temporis graviter illicita est (De defectib. IV, 2: « ...conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat »). In casu autem necessitatis licet uti musto (Tanquerey III, p. 612).

2°. Vinum debet esse *purum,* i.e. non licet vino sacrificali admiscere aromata vel saccharum nec in modica quantitate, excepto casu alcoholi supra descriptum (c. 3°.). Vinum in dolio asservatum per exhalationem minuitur et ideo debet *expleri,* hoc autem convenienter *cum vino* debet fieri, non cum aqua, etsi talis aqua non redderet vinum, cum sit multo maius quantitate, illicitum.

3°. Vinum debet esse *liquidum, non congelatum.* Nam etiam vinum congelatum dicitur et est vinum, tamen illicite consecraretur, quia hoc contrarium est usui Ecclesiae; sunt qui putant, talem consecrationem nec validam esse. Ab ea ergo omnimode abstinendum est, et vinum congelatum pannis calefactis, vel ponendo vinum in vase aquae calidae solvi debet. Secus *pro praxi* consulendum, vinum et aquam, si ecclesia valde frigida sit, ponere in urceolis suis in aliquod vas aquae calidae, tunc ab offertorio usque ad communionem vix unquam contingit, quod vinum congeletur.

4°. Vinum debet esse *corrumpi non incipiens,* ut lex rubricalis praescribit: « Si vinum coeperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre (Stich!)... conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat » (De defect. IV, 2).

e) **Materia remota AQUAE.**

Non ad validitatem, sed *ad liceitatem semper* requiritur « modicissima aqua ». Sic semper mos fuit Ecclesiae, quem morem primum Conc. Trullanum 692. contra Armenos edixit; item Tridentinum adversus Protestantes: « Monet

Sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent » et can. 9: « S.q.d. ... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo, quod sit contra institutionem Christi: a.s. » (Denz. 945. 956.) Debet esse:

1°. Aqua *naturalis*, i.e. talis, qualis e fonte scaturit, potest ergo esse aqua naturalis mineralis.

2°. Aqua debet esse « *modicissima* » (can. 814). Auctores loqui solent de guttulis non plus quam octo vel decem, sed difficulter guttulae numerari possunt, ideo adhiberi poterit cochlear parvum, unam vel duas guttulas capiens, « usus parvi cochlearis non est prohibitus » (CRit d 3064,4).

3°. Aqua debet infundi *in offertorio*, tunc enim praescriptum est. « Si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti » (De defectib. IV, 7).

4°. Aqua non debet tantum interiori parti calicis inhaerere, sed *mitti in calicem*, nam sic tantum perficitur symbolismus ab Ecclesia intentus. *Quadruplicem symbolismum* enim in hac mixtione vini cum modica aqua invenerunt.

Primum protulit *Cyprianus*, dicens: « Videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vinum aqua miscetur, Christo populus adunatur » (Ep. 63., PL 4,383). Significat ergo mixtio aquae Ecclesiae unionem cum Christo: ergo *Corpus Christi mysticum*.

Secundus symbolismus invenitur apud *S. Ambrosium*: « Unus de militibus tetigit latus eius et de latere eius aqua fluxit et sanguis. Quare aqua? Quare sanguis? Aqua, ut emundaret, sanguis, ut redimeret » (De Sacramentis 5, 1 Quasten p. 164). Mixtio ergo symbolica repraesentatio est *redemptionis*, quae fiebat per sanguinem, aqua iterum *Ecclesiam* significat.

Tertius symbolismus in disputationibus christologicis *in Oriente* ortum habuit: significat enim *naturam divinam et humanam* Christi. Armeni ad radicalem monophysitismum conversi, repudiabant mixtionem aquae cum vino et etiam fermentum, praecise, ut demonstrarent se unam tantum naturam divinam in Christo profiteri.

Quartus et nunc in liturgia Romana usitatus symbolismus ortum habuit in regno Francorum, adhibens ad mixtionis ritum orationem Leoniani (« Deus qui humanae substantiae... » cum additione « per huius aquae et vini mysterium »). In hac oratione symbolismus occidentalis (Ecclesiae unio cum Christo) mira unitate coalescit: « ... da nobis per huius aquae et vini mysterium eius divinitatis esse consortes » (*unio cum Christo*), « qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps » (*unio naturarum in Christo*). — (De symbolismo hoc cf. Jungmann II, 48-51 et 78-80).

Hic ritus mixtionis symbolicus est, sed verificatur eo, quod sec. sententiam communem aquae guttulae permixtae vino consecrantur et sic participes fiunt Sacramenti, nam species cum substantia Christi unum quid constituunt.

II. QUOAD MATERIAM PROXIMAM.

Quaedam requiruntur tum ad validitatem, tum ad liceitatem.

a) Ad validitatem materiae proximae requiritur.

1°. Utraque materia remota *physice praesens* debet esse. Sic enim fuit in prototypo sublimi omnium Missarum, in coena novissima; pronomina demonstrativa exigunt etenim veram et realem praesentiam materiae remotae. Secus enim dici deberet: « Illud est corpus meum. » — *In praxi* autem non requiritur ad validitatem, ut materia remota *videri* possit, caecus enim sacerdos tunc non potuisset celebrare. Tamen ad demonstrandam praesentiam physicam *praescribuntur* per legem rubricalem, si plures hostiae simul consecrandae sunt in aliquo calice seu vase: *In offertorio*: « Calicem illum, seu vas dextera discooperit, et intentionem suam etiam ad illas offerendas et consecrandas dirigens, dicit, ut supra: Suscipe etc. ... ». Post repositionem patenae: « Si autem adsit vas seu calix cum aliis hostiis, ipsum cooperit ». — *Ad consecrationem*: « Si adsit vas cum aliis hostiis consecrandis antequam accipiat hostiam, discooperit manu dextera calicem, seu vas aliarum hostiarum, ... profert verba consecrationis super Hostiam et simul super omnes, si plures sint consecrandae... ». *Post elevationem Hostiae*: « Reposita Hostia consecrata super corporale, genuflexus ipsam veneratur, si adsit vas aliarum hostiarum, patena vel palla cooperit ut supra » (Rit. celebr. VII, 3 et VIII, 5.6.) — Si tamen *oblitus esset* huius discooperitionis, consecratio procul dubio valida est, si habuit intentionem consecrandi.

2°. Materia remota debet esse *sufficienter determinata*, ut consecratio valida sit, ad leges enim generales intentionis conficientis Sacramentum pertinet: si materia non est determinata, non potest habere intentionem circa eam. Ideo si tantum post consecrationes adverteret, alias quoque hostias esse praesentes, illae non sunt consecratae. « Excipe tamen, si sacerdos intentionem satis praesentem habuerit consecrandi quidquid est in corporali » (Vermeersch-Creusen n. 346,2). — Praeterea *tres casus* perpendi solent.

a. Primus casus est: num *guttulae vini calici adhaerentes* consecrentur? Guttulae *exterius* calici adhaerentes per intentionem sacerdotis nunquam censentur consecrari, nam « non cadunt sub intentionem celebrantis; qui eas consecrare vellet, graviter peccaret » (Vermeersch ibid.). — Num guttulae calici *interius* adhaerentes consecrentur, non constat, hoc enim a sacerdotis intentione dependet. Si enim *non vult* eas consecrare — quae secus non deberent interius adhaerere, sed extergi iam ad offertorium — tunc aliquid non consec-

ratum maneret in calice. At non videtur, cur hic casus raro contingens, tanti esset momenti: nam si casu sumantur hae guttulae non consecratae cum sanguine Christi, non videtur committi irreverentia. Nec *si vellet* eas quoque consecrare, committeret irreverentiam, nam calix, etiam si pluries celebret, aqua purificandus est sec. Constitutionem « Christus Dominus » (de qua cf. inferius). — *Consuli* ergo potest cum Noldin-Schmitt-Heinzel semel pro semper intentionem eliciendam esse non consecrandi guttulas vini interius calici adhaerentes (III. n. 115,1).

b. *Secundus casus* est *de micis panis.* Si *iam ante consecrationem divulsae* erant ab hostia, certo non sunt consecratae, sive in ciborio sint, sive in corporali, nam sacerdos talem intentionem habere non debet. Si micae *adhaerent hostiae* vel particulis, idem casus ac supra. Item cum eodem auctore *consuli* potest: semel pro semper eliciendam esse intentionem non consecrandi nec micas hostiae adhaerentes, nec a fortiori separatas.

c. *Tertius casus* est de *particulis altari contra leges liturgicas positis.* (1) Hostiae enim consecrandae vel ab initio iam in altari sunt, vel quod Mediator Dei possibile dicit, « christifideles, sacris assistentes ritibus ... nonnunquam — quod antiquitus eveniebat crebrius — administris altaris panem vinumque offerunt, ut Christi corpus et sanguis fiant » (n. 89). *Ad offertorium* ergo adferre hostias consecrandas omnino licitum est. — (2) Ex iusta causa licet hostias *ante praefationem* allatas recipere consecrandas, tunc sufficit eorum oblatio mentalis. — (3) *Post praefationem* iam *gravis causa* requiritur, communicatio infirmi vel plurium, qui sine communione manerent, aut nimis diu expectare deberent (Noldin-Schmitt-Heinzel n. 116). — (4) *Post consecrationem* consecrare solum in *unico* casu licet: si sacrificium complendum est, i.e. si hostia maior non est certo consecrata.

b) Ad liceitatem materiae proximae requiritur:

1°. Ut materia remota etiam *liturgice praesens sit.* Materia consecranda debet esse **a.** In altari. — **b.** *In lapide consecrato;* si altare non est consecratum. — **c.** *Super corporali,* et quidem Hostia maior ante calicem, particulae consecrandae vel « super corporale *ante* calicem », ergo inter Hostiam maiorem et calicem, vel, si in calice consecrato aut vase mundo benedicto sint, « ponit eas *retro* post calicem » (Rit. celebr. II, 3). Tantum in eo casu, si loci exiguitas hoc non sinit, potest eos *ad latus* ponere calicis, et quidem tunc per analogiam liturgicam versus cornu evangelii.

2°. *Utraque species simul consecranda* est, et quidem mandato divino, nam consecratio non exclusive eo fine fit, ut habeatur cibus animarum, sed semper etiam eo, quod per hanc consecrationem Christus in statu victinae praesentetur, quod non contingit, si tantum una species consecretur. Ideo inter mythos redigenda sunt quae narrantur de consecrationibus panis sine vino a parte aliquorum, qui in talibus versati sunt peculiaribus adiunctis, quod vinum nullo modo habere potuerunt. Consecratio talis nunquam est licita: « *Nefas est,* urgente

etiam *extrema necessitate,* alteram materiam sine altera consecrare » (can. 817). — Inter conditiones de liceitate ideo posuimus hanc conditionem, quia consecratio panis cum intentione statim postea consecrandi alteram, certissime valida est. Si vero *sine hac intentione* consecraretur panis, omnino certa non potest dici consecratio. Ecclesia hoc nunquam, neque per exceptionem exercuit, nec unquam permisit vel probavit. Sunt optimae notae theologi qui talem consecrationem sine intentione consecrationis alterius speciei invalidam habent; Card. Lugo e.gr. dicens, Eucharistiam institutam esse ut sacrificium, ad quod duarum specierum consecratio omnino necessaria est.

3. De forma Eucharistiae.

De forma Eucharistiae, quae Christum praesentiat, primo investigandum est, *quid sit* haec forma essentialis, deinde propter Orientales dissidentes, *quid non sit,* nempe e ratione formae essentialis penitus excluditur epiclesis.

I. De forma Eucharistiae QUID SIT.

THESIS. Formam Eucharistiae constituunt Verba Domini praesentiam eius enuntiantia.

De fide catholica, indirecte definita.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Decr. pro Armenis*: « Forma huius Sacramenti sunt verba Salvatoris quibus hoc confecit Sacramentum » (Denz. 698). — Quae autem intelligantur verba — etsi nullum dubium esse potuisset — dicitur in conclusione communi omnium decretorum Ecclesiam Orientalem respicientium: «... quia ... non est explicita forma verborum, quibus in consecratione corporis et sanguinis Domini sacrosancta Romana Ecclesia ... semper uti consueverat, illam praesentibus duximus inserendam » — et adducuntur verba « Hoc est corpus meum » etc. (Denz. 715). — Sollemnis definitio tamen his data non est, tum quia hoc Decretum nunc iam vix haberi potest dogmaticum, tum autem quia Graeci explicite petierunt abstinendum esse a dogmatica definitione, ne Ecclesia ipsorum reciperet ignominiam, quasi hactenus aliud tenuisset, cum semper fuerit concors cum hac doctrina (Müller p. 310).

2°. *Trident. sess. XIII. cap. 3*: « Semper haec fides in ecclesia Dei fuit, *statim post consecrationem* verum D.N.J. Christi corpus... exsistere, sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi *verborum* » (Denz. 876). — Quae sint autem haec verba — etsi, ut iterum dicamus, nullum sit dubium — clare eruitur e *cap. 1.*: « ...se suum ipsius *corpus* illis praebere ac suum *sanguinem disertis* ac *perspicuis verbis* testatus est, quae verba a sanctis

Evangelistis commemorata et a divo Paulo postea repetita... sunt » (Denz. 874). Nullum ergo dubium remanere potest, *quae fuit mens Concilii*, ita ut iure dici potest hanc esse definitionem indirectam. — Doctrina de fide catholica autem eruitur e magisterio Ecclesiae ordinario:

3°. *Catech. Tridentinus*: « Itaque a sanctis evangelistis Matthaeo et Luca, itemque ab apostolo docemur illam esse formam: Hoc est corpus meum... Quae quidem consecrationis forma, cum a Christo Domino servata sit, ea perpetuo catholica Ecclesia usa est » (Pars II. cap. 4. qu. 18), et:

4°. *Miss. Romanum*: « Verba consecrationis, quae sunt forma huius Sacramenti, sunt haec: Hoc est enim corpus meum » et sic porro (De defect. V, 1).

b) **Scriptura Sacra**

nullum relinquit dubium, quod verba Salvatoris sunt forma huius Sacramenti. Relationes enim coenae novissimae volunt *posteritati tradere, quomodo* facta sit coena illa augustissima, ut et successores tali modo faciant. *Atqui* praeter verba Salvatoris (Hoc est corpus etc.)., *nullum aliud*, quod refertur, *potest esse forma* huius Sacramenti. *Non*: *ritus sacri* a Domino adhibiti, quod « accepit » panem et calicem, vel quod « elevatis oculis » id fecit, quod pluries fecit, resuscitando Lazarum, multiplicando panes etc. *Non*: *fractio et distributio*, quae sunt praeparativa communionis et consecutiva consecrationis iam factae. — *Non*: *preces aliae*, quae tantum in genere commemorantur, nec: *gratiarum actio* (eucharistêsas), nec *benedictio*, quae memoratur. Nam huius benedictionis verba non communicantur, immo a Luca et Paulo nec memorantur: nullo modo possunt ergo esse forma essentialis, Ecclesia enim relicta esset in re tam gravi in tenebris. « Benedictio » ergo intelligenda est verisimiliter hebraica benedictio panis et vini, sicut in Mishna traduntur (Tract. Berakhoth), vel, quod minus probabile est, intelliguntur ipsa sanctissima verba consecrantia.

c) **Traditio sacra**

unanimis est, et mirandum, quomodo inde a saeculo XVI-o e mera infensitate adversus Ecclesiam Romanam absona doctrina vim consecrativam verborum Christi negans oriri potuit. Exempli tantum instar aliqua documenta allegantur.

1°. *Ex antiqua aetate Ecclesiae* clarissime loquitur a. S. *Iustinus* versus 155: « ...illa alimonia, quae per precem verbi ab Ipso (Iustinus loquitur de Christo) originem ducentis Eucharistia facta est », tunc autem refert « verbum » hoc: « Jesus accipiens panem et gratias agens dixit: Hoc facite in meam commemorationem, hoc est corpus meum » (Apol. I. 66, 1-3). Mirum est, quomodo quidam, ut J. Quasten, epiclesin detegere potuit his verbis delitentem: « His verbis Iustinus epiclesin describit, qua ho Logos invocatur, ut descendat super panem et vinum eucharisticum » (Monumenta eucharistica et liturgica vetustissima, Bonn 1937, 18 nota 1.). Si legatur totus contextus, clarum est, ne verbum quidem esse posse de aliquali epiclesi (v. inferius totum textum: F. De facto praesentiae, 4. c.).

b. S. *Irenaeus* circa 185 candide enuntiat: « ... calix mixtus et panis facticius in se recipit verbum Dei et fit Eucharistia, corpus Christi » (Adv. haer. V, 2,2-3),

ubi iterum mirandus Quasten: « Epiclesin logi iam saeculo secundo in usu fuisse s. Irenaeus testatur » (loco quo supra). Irenaeus enim Lugdunensis clare dicit, quid sit hic « logos », i. e. *verbum*, non *Verbum* qua secunda persona divina. Loquitur enim in hoc contextu de Christo, « qui panem e creatura oriundum proprium corpus esse confirmavit », ergo « verbum » hoc nil aliud est, quam verbum: Hoc est corpus meum (legas, quaeso totum textum infra: F. 4. d. 1°.).

c. *Tertullianus* antiquitatis testis Latinus, pluries confitetur formam Eucharistiae, sufficit unum testimonium: « Acceptum panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit 'Hoc est corpus meum' dicendo » (Adv. Marcion. 3, 19).

2°. *Inde a saeculo IV-o*, quando eius decursu primae veri nominis epicleses in usum venere in Oriente, audiantur e permultis tantum item *tres testes* catholicae veritatis.

a. S. *Gregorius Nyssenus* versus 385 dicit: « Panis sanctificatur (hagiazetai) *per verbum Dei et orationem* (enteuxeôs), non quod cibatione (brôsis) transeat in corpus Verbi, sed quod statim in corpus Verbi transmutatur (metapoioumenos), sicut dictum est a Verbo: Hoc est corpus meum » (Orat. catech. 37. PG 45, 93).

b. Doctor Eucharistiae, S. *Chrysostomus* invicte annuntiat veritatem catholicam de forma Eucharistiae, cuius testimonium a Bessarione, tunc archiepiscopo Nicaeno, in Concilio Florentino allegatum fuit ad testandam fidem Graecorum: « Non enim homo est qui facit, ut proposita (ta prokeimena) efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens (schêma = Umriss, körvonal, Christi nempe, ministri primarii) stat sacerdos *verba illa* proferens, virtus autem et gratia Dei est (sc. verborum) 'Hoc est enim corpus meum' — inquit. *Hoc* verbum transformat proposita » (De proditione Iudae, hom 1,6 PG 49,380); « transformat » graece: « metarrhythmizei », *rhy-tmos* — « motus aequalis, forma », ergo transformat proposita dona, panem et vinum, verbum autem est: « Hoc est corpus meum! ».

c. Tertius allegatur Pater Graecus concludens seriem Patrum, *Joannes Damascenus*, qui transsubstantiationem cum creatione mundi comparans, quae item Verbo appropriari solet, haec enuntiat: « ...omnia quaecunque voluit, Dominus fecit, si dixit: Fiat lux, et facta est lux ... In principio dixit: Producat terra herbam virentem ... dixit perinde Deus: Hoc est corpus meum, et: Hic est sanguis meus, et: Hoc facite in meam commemorationem, — idque omnipotente eius praecepto fit, donec veniat » (De fide orthodoxa, 4,13 PG 94, 1140).

d) Ratio theologica.

In tali materia quid tenendum, solum e fontibus revelationis potest probari. Tamen dicere possumus, congruens esse, quod etiam augustissimum Sacramentum formam habeat verborum. *Christus Dominus* quidem potuisset *sine verbis* consecrare, quod revera factum esse opinabatur *Innocentius III.* ante suum pontificatum (De s. altaris mysterio IV, 6), deinde *Durandus* et saec. XVI. *Ambrosius Catharinus*, adhuc ante Tridentinum hanc proferens sententiam, absonam quidem, nam nulla ratio dari potest, cur hagiographi retulissent verba evidenter praesentiam significantia. *Ministris* autem secundariis omnino competens fuit quibusdam verbis enuntiare hoc factum praesentiae, nam homo quo-

modo potuisset certior fieri, hanc praesentiam admirabilem revera contigisse? Qualia verba autem haec debent esse, solus Dominus potuit determinare, nam *per se* haec verba *possent* esse etiam verba, quibus invocatur Spiritus Sanctus. Quod non haec sint verba essentialia, probatum est.

II. De forma Eucharistiae QUID NON SIT.

THESIS. Eucharistiae forma (1) nullo modo est epiclesis, (2) etsi habeat suam rationem liturgicam.

Proxima fidei quoad I. partem, sententia communis II. Pars.

I. pars probatur: Epiclesis nullo modo est Eucharistiae forma.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Benedictus XII.* transmisit ad Armenos epistolam (« Iam dudum » a. 1341.), in quibus quaestiones posuit de recriminationibus contra fidem Armenorum; Armeni autem e Synodo anno 1342 in Sis habita responsa miserunt S. Sedi. Responso ad qu. 66. profitebantur se et omnes Armenos sine exceptione credere quod panis et vinum *per verba Christi transmutentur* in corpus et sanguinem Christi (Hefele-Knöpfler, Konziliengeschichte VI (1890) 660). Quaestione ergo Summi Pontificis supponitur tenendam esse fidem, epiclesim non valere ad transsubstantiationem.

2°. *De Concilio Florentino* 1439 iam actum est supra. (I. a. 1°.).

3°. *Clemens XI.* anno 1716 enuntiavit archiepiscopo Tyri et Sidonis, epiclesim non esse interdictam, si ita intelligatur, quod virtus consecrativa tantum verbis Christi competit.

4°. *Benedictus XIII.* anno 1729 declaravit, « non per invocationem Spiritus Sancti, sed per verba consecrationis fieri transsubstantiationem » (Coll. Lacensis II, 439.).

5°. *Pius VII*, anno 1822, ad patriarcham Antiochenum datis litteris districte praecepit, ne quis audeat deinceps « tueri opinionem, quae tradit ad admirabilem illam conversionem... necesse esse, praeter Christi verba, eam etiam ecclesiasticam precum formulam recitare, quam saepe memoravimus » (Coll. Lacensis II, 551).

6°. *Sanctus Pius X.* 26. Dec. 1910 edidit Litteras Apostolicas, quibus vulgatum quoddam scriptum reprobatur circa quaestionem de ecclesiis ad catholicam unitatem revocandis (AAS 1911, 117-121, scriptum a Princ. Maximiliano Saxoniae in diario « Roma e l'Oriente »: Pensées sur la question de l'union des Églises), ubi gravis edicitur reprehensio: « ...nec ibidem *intacta relinquitur catholica doctrina* de SS. Eucharistiae Sacramento, cum praefracte docetur, sententiam suscipi posse, quae tenet apud Graecos *verba consecratoria* effectum non sortiri, *nisi iam prolata* oratione illa, quam *epiclesim* vocant... » (cf. Denz. nr. 2147 a.). — His omnibus documentis Pontificiis putamus iure dici posse, sententiam in thesi enuntiatam esse fidei proximam.

b) **Nomine epiclesis**

intelligitur epiclesis stricte dicta, quae est invocatio Spiritus Sancti post consecrationem facta ad transmutandum panem et vinum in corpus et sanguinem Christi. — *Duo ergo elementa constitutiva* requiruntur ad veri nominis epiclesim: 1°. ut prolata sit *post consecrationem*, 2°. ut textus loquatur adhuc de pane et vino *transmutandis*. — Exempli instar legatur *textus* Liturgiae S. Chrysostomi: « Domine, qui Spiritum Sanctum tuum hora tertia apostolis tuis misisti, eum non aufer nobis, optime, sed renova nobis, qui ad te precamur ...Et fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui. Quod autem in calice hoc est, pretiosum sanguinem Christi tui: Transmutans Spiritu tuo Sancto ».

c) **Argumentum dogmaticum ex historia.**

Duo facta certa sunt: Epiclesis *non fuit semper in usu*, sed tantum, ut videtur, saeculo IV-o ad finem vergente incepit. Item: *in Occidente nunquam* erat, nec habetur epiclesis. Argumentatio ergo est: Si epiclesis esset forma essentialis, vel pertineret ad formam essentialem, semper debuisset in usu esse, et simili modo in Ecclesia occidentali. Ecclesia enim usum quod attinet Sacramentorum, errare non potest.

1°. **Epiclesis non fuit semper in usu.** Uti iam diximus, *Iustinus et Irenaeus* nec vestigium habent verae epicleseos.

a. Epiclesis inveniri dicitur in *Paradosi Apostolikê* S. Hippolyti Romani, scripta ante 220, sed melius inspecta non est veri nominis epiclesis, nam *elementum secundum deest* (prex transmutationis panis). Post consecrationem sic precatur: « Et petimus ut mittas Spiritum tuum Sanctum in oblationem sanctae Ecclesiae, in unum congregans de omnibus qui percipiunt, sanctis *in repletionem Spiritus Sancti, ad confirmationem fidei in veritate* » (Quasten p. 30.). Epiclesis ergo haec nullam difficultatem affert dogmaticam, nam petit effectum communionis.

b. Similis epiclesis invenitur in papyro *Dêr-el-Balyzeh* saec. III., similis eo sensu nempe, quod *non sit* epiclesis. In textu enim huius venerandi monumenti *deest primum elementum* verae epicleseos (non est post consecrationem). *Ante* verba Domini enim, statim post Trisagion legitur: « Reple et nos gloria tua, quae apud te est, et mittere dignare Spiritum sanctum tuum super creaturas istas et fac panem quidem corpus domini et salvatoris nostri Jesu Christi, calicem autem sanguinem novi testamenti Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Et quem admodum iste panis sparsus erat super montes et colles et agros et commixtus factus est unum corpus, sicut vinum hoc expressum e sancta vite David et aqua ex agno immaculato et commixta duo facta sunt unum mysterium, ita collige catholicam ecclesiam Jesu Christi. Ipse enim Dominus noster Jesus Christus, qua nocte tradebat se, accepto pane... ». (Quasten p. 40 adhuc versionem exhibet textum Graeci Papyri ante 1950 cogniti; hoc anno edidit *C. H. Roberts*, Oxoniensis professor novas incognitas partes huius documenti pretiosissimi, nos versionem huius textus critici secuti sumus Latinam, factam ab A. Bugnini, L'Eucologio di Dêr-Balizeh, *in*: Eph. Lit. 1951, 157-170.).

c. In hoc textu eucharisticae precis Papyri Dêr-el Balizehensis reliquia invenitur orationis alicuius *post consecrationem*, quae ad Spiritum Sanctum directa *non panis et vini transmutationem* petit, sed effectum communionis conse-

quendum, sicut iam in Paradosi Apostolikê S. Hippolyti invenitur. Textus Papyri Balyzehensis fragmentum hoc habet, postquam circiter 15 lineae exciderunt: « ...et praebe nobis servis tuis in virtutem Spiritus sancti, in confirmationem et augmentum fidei, in spem futurae aeternae vitae » (Sec. textum criticum Roberts, versio latina Bugnini, 169). Haec prex ad Spiritum Sanctum pro participatione effectus communionis, ut vidimus, primo invenitur in textu S. Hippolyti, qui precem similem exhibet. — Dolendum si recentiores litterati, ut *H. Elfers* (Die Kirchenordnung Hippolyts von Rom, Paderborn 1938, p. 287 s.) audacter affirmant, heic inveniri primum vestigium (« erster Ansatzpunkt »), quando epiclesi pro transmutatione essentiale pondus tribui coepit (« ... der Epiklese für die Umwandlung eine wesentliche Bedeutung beizumessen »). Errori Elfers dein etiam *O. Casel adstipulatur* (AfLw 1952, p. 128), adiungens suspicionem, quod Hippolytus hanc epiclesim ex Oriente mutuatus est, quod possibile potest esse, at nullibi habetur in hoc textu prex conversionis panis *post consecrationem*.

2°. **Ante edictum Mediolanense (313) epiclesis veri nominis** revera non invenitur, sed habetur epiclesis ante consecrationem et habetur prex invocationis Spiritus Sancti *post* verba institutionis ad consequendum effectum communionis. — Quod conclusio haec e paucissimis textibus tamen valet, demonstrat epiclesis *Serapionis* versus 340 in Aegypto, ubi etiam Papyrus Balyzehensis in usu erat et etiam Paradosim Hippolyti cognoscebant. Serapionis Euchologion *statim post* verba institutionis hanc affert precem: « *Adveniat,* Deus veritatis, *sanctum tuum verbum* super hunc panem, ut *panis fiat corpus* verbi et super hunc calicem, ut calix fiat sanguis veritatis, et fac, ut omnes communicantes remedium vitae accipiant... Te enim Ingenitum invocavimus (agennêton epekalesametha) per Unigenitum in Sancto Spiritu » (Quasten p. 62-63.). Heic habetur *clavis solutionis*: iam post verba institutionis, sed *statim,* fit « invocatio » (epekalesametha = epiklêsis!) et quidem ipsius « verbi » = « adveniat sanctum tuum verbum », quod videtur nobis esse illud « verbum », quod tam clare penes Iustinum et Irenaeum *verbum effatum Domini* est, i.e. *verba institutionis,* quae mox dicta et recitata sunt. Per *proslépsim* liturgicam voluerunt demonstrare, quod iam factum est, verborum nempe consecrationis verificationem, simulque adiecta est oratio ad Spiritum Sanctum pro consequendo effectu communionis.

3°. In **liturgiis Orientalibus,** quae certe quoad essentiam iam **exeunte saec. IV-o** talem textum habebant, **invenitur epiclesis.** *Vestigium* autem *epicleseos veteris ante consecrationem* in Aegypto remansit, in liturgia veneranda a S. *Marco* nuncupata. Ante consecrationem sic precatur: « Plenum enim est caelum et terra gloria tua per apparitionem D.N. Jesu Christi. Fac o Deus, ut plenum quoque sit hoc sacrificium benedictione tua, per adventum sanctissimi Spiritus tui! », dein immediate sequuntur verba institutionis (Renaudot, Collectio liturgiarum orientalium I, 139). *Post* verba institutionis, in media anamnesi *secunda epiclesis* autem sic sonat: « Emitte praeterea super nos et super panes et calices istos Spiritum Sanctum tuum, ut eos sanctificet et consecret, tamquam Deus omnipotens (elata voce): Et faciat panem quidem corpus (Populus: Amen!), calicem autem sanguinem Novi Testamenti ipsius Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ut fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus in fidem, in sobrietatem, in medelam, in temperantiam, in sanctificationem » (Renaudot I, 141). — Iure videtur ergo dici, quod *epiclesis primigenia,* quae

stricti nominis nondum fuit talis, post consecrationem *interpolationem accepit,* et quidem precem, quod Spiritus Sanctus transmutet panem et vinum. *Praecise hoc elementum defuit ex epiclesi primigenia,* ut videri potest in Paradosi Apostolike S. Hippolyti, quae tantum consecutionem effectus s. communionis pro obiecto habuit, sicut etiam Papyrus Balyzehensis.

4°. **In Occidente autem non invenitur vestigium epicleseos.** Nec Iustinus, nec Irenaeus, nec Hippolytus eam cognoscunt, ea nempe forma, quod elementum essentiale habeat, invocationem Spiritus Sancti ad transformanda oblata dona. **a.** S. *Ambrosius* videtur loqui de aliqua epiclesi, dicens: « Quomodo igitur non omnia habet quae Dei sunt, qui cum Patre et Filio a sacerdotibus in baptismate nominatur et *in oblationibus* (i.e. Missis) *invocatur?* » (invocatio = Graece epiclesis, De Spiritu Sancto 3,16). At certum est, heic non agi de epiclesi orientalium. *Primo quia essentialem formam* vult memorare, sicut in baptismate fecit (nominatio S. Trinitatis est forma essentialis), « invocatio » ergo est essentialis pars precis consecratoriae, ut etiam Casel putat, hunc textum allegans (JfLw 1924, 173). *Secundo* quidem, quia Ambrosius « *sermonem operatorium* » *vocat verba*: « Accipite et edite, hoc est enim corpus meum » (De Sacr. IV, 15, iterum citatus a Casel: AfLw 1952, 123). *Tertio* autem praecise ex Ambrosio novimus *vetustissimam formam Canonis,* quam fidelibus suis exponit, ubi nullum vestigium epicleseos invenitur. — **b.** *Nec in aliis liturgiis occidentalibus* epiclesis habetur, etsi aliquae orationes variabiles in liturgiis *typi Gallicani,* ubi Canon deest, inde a saeculis VI-VII. aliquoties invocationem Spiritus Sancti, e.gr. in liturgia Mozarabica *e 225 formulis orationis* « *Post pridie* » (i.e. post consecrationem) tantum 39 invocant Spiritum Sanctum et tantum in sex formulis (!) petitur transformatio donorum (sic. J. Armitage Robinson 1924. cf. Litteraturam).

5°. In Oriente ergo saeculo IV-o ad finem vergente iam adest epiclesis — quod concluditur ex eo, quod s. V-o uniformiter adest in omnibus liturgiis Orientis. Sed quaestio surgit: **cur tantum in Oriente?** Certe non ideo, ut aliqua differentia statuatur inter Orientem et Occidentem, multo minus, ut per hoc determinetur instans et forma consecrationis Eucharistiae, nam lites circa hanc rem tantum s. XIII-XIV. exoriebantur. Hypothesis instar iure provocare possumus cum memorato Robinson ad *controversias acres,* quae *circa 360 in Oriente exarserunt quoad divinitatem Spiritus Sancti. Macedonius* Constantinopolitanus, dein *Marathonius* episcopus Nicomediae et alii negabant divinitatem Spiritus Sancti et affirmabant eum esse primam et praestantissimam creaturam Filii. Pronum ergo erat *fidem orthodoxam,* uti moris fuit, *etiam in Liturgia exprimere,* et quidem in epiclesi iam existente extollendo Spiritus Sancti momentum in consecratione. Nam Spiritus Sanctus partes habuit in Incarnatione, quando adumbravit Virginem incontaminatam, virtus sanctificans Sacramentorum iam semper Ei appropriabatur, nunc ergo, ut clare demonstretur Spiritum non esse creaturam Filii, in praesentiando Filii corpus et sanguinem *modo demonstrativo invocabatur.* Eo quod hoc in epiclesi post consecrationem fiebat, nemo voluit affirmare dominica verba non efficere conversionem illam mirabilem. Agitur tantum de re stilistica, nempe de proslepsi liturgica, et sic transeundum est ad II. partem theseos.

II. pars probatur: Epiclesis habet suam rationem liturgicam.

a) **Sensus epicleseos.**

Nam, si *non* haberet talem rationem, Ecclesia non toleraret eam, quod tamen nunquam contigit. Explicandum ergo restat, quomodo possit epiclesis intelligi, ut sensum habeat.

1°. Omittendi sunt nisus, seu « *theoriae* » *explicationis epicleseos*: theoria « dramatica », « communionis vel fructuum spiritualium », « historicae evolutionis vel corruptionis » (de his cf. Müller p. 314-325 et Doronzo p. 147-150), nam solutio simplex inveniri potest stilum attendendo liturgiae.

2°. Hunc *stilum respiciendum* esse, si textus liturgici explanantur, optime ostendit *J. B. Umberg S.J.* (Liturgischer Stil und Dogmatik, *in*: Scholastik 1926, 481-503). Inter principia liturgiae saepe adhibetur principium stilisticum « *temporis vicarii* » (Prinzip der Zeitvertretung = időhelyettesítés), i. e. « *nunc* » habetur pro « *tunc* ». Effectus enim Sacramentorum in instanti producuntur, sic etiam transsubstantiatio. Ecclesia autem orat, loquitur et ritus adhibet, ante et post hoc unicum instans et tempore utitur praesenti, « nunc » pronuntiat pro « tunc »: sive pro tempore praeterito sive pro futuro. — Putamus primum agendi modum stilisticum apte posse vocari « *prolepsim* » (anticipatio, Vorhernahme, elővételezés), secundum vero modum *proslepsim.*

3°. *Prolepsis* habetur, *quando aliquid nondum factum est,* et tamen Ecclesia orans se gerit, ac si iam factum esset. Sic a. *in ritu Romano* in oblatione panis et vini dicitur « hostia immaculata », « calix salutaris », i. e. salutem efficiens, quod tunc tantum fit, si vinum consecratum est. In *secretis Romanis* quam plurime petitur a Deo, ut « suscipiat hostias redemptionis humanae » (Gelasianum, Wilson p. 93), « suscipe Domine, sacrificium placationis et laudis » (ibid. 203), « hostia immaculata, qua illud D.N.J. Christi immensae caritatis opus renovamus... sit salutare remedium » (18. Jul. Camilli de Lellis, Miss. Rom.), etsi ante consecrationem nondum est hostia redemptionis; nec hac hostia, mero pane scilicet renovatur « opus Christi », sacrificium videlicet Crucis. Tamen iure hoc edicitur, quia Missa qua *una actio totalis* concipitur: panis et vinum oblata iam per anticipationem vocantur sacrificium: « nunc » est intelligendum pro « tunc » *futuro,* sc. post consecrationem. — b. *In liturgia Byzantina* haec prolepsis adhuc expressius usuvenit: *in proskomidia* facta *ante* Missam vocatur panis: « Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, pro mundi vita et salute ». Quando autem portantur oblata (prosphorae) in « magno introitu » ad altare, cantatur Cherubicon: « ...recipimus regem omnium, quem invisibiliter portant angelorum chori » et hoc cantu salutantur panis et vinum nondum consecrata, sed utique mox consecranda.

4°. Praeter prolepsim habetur *etiam liturgica proslepsis* (*reassumptio,* nam « posticipatio » non esset usualis = Nachhernahme, utóvételezés) quando videlicet *aliquid iam factum est* et Ecclesia orans se gerit, ac si nondum factum esset, « nunc » pro « tunc » *praeteriti* temporis. Sic habetur « mysterii obiective unius atque instantanei quasi-explicatio » (=Entfaltung, kifejtés, Lercher p. 289). — Exemplum huius proslèpsis, reassumptionis *in liturgia Romana* habetur in ordinatione presbyteri, quando postquam iam consecravit concelebrando, dicitur ei: « Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis... »,

ac si « *nunc* » tantum acciperet hanc potestatem, *etsi iam* « *tunc* », scilicet ante consecrationem Missae, in ordinatione ritu essentiali eam accepit. — Similiter *in confirmationis ritu* episcopus super fideles iam confirmatos orat, ut « Deus eos confirmet atque perficiat. » — Postquam iam *baptizati* sunt, tunc accipiunt vestem candidam, etsi id, quod vestis haec symbolizat, iam factum est, gratiae nempe primae infusio.

b) **Epiclesis Orientalium.**

Inter has « proslepses », de quibus mox actum est a nobis, liturgicas *numeranda est etiam epiclesis Orientalium,* quae nullam affert difficultatem, si recte intellegatur, quod in antiquitate sic factum est et tantum propter adversitatem antilatinam saec. XIV. in haereticum sensum detorquebatur.

1°. Antea nec *Photius,* nec *Michael Cerularius,* schismatis fautores de epiclesi locuti sunt, etsi omnia congesserunt contra « Latinos », usum « Alleluia », barbae gestionem et talia adiaphora.

2°. *Nicolaus Cabasilas,* metropolita Thessalonicensis (1361-1363) fuit primus, qui in opere suo ceterum benemerito « Hermêneia tês theias leitourgias » ad consecrationem dixit *etiam* epiclesim necessariam esse sicque heterodoxam sententiam « *semiepiclesismi* » invexit. Eius opinionem in Concilio Florentino *Marcus Eugenicus,* metropolita Ephesinus (1437-1440) et Isidorus Kiowiensis tuebantur, qui postea unioni non adhaeserunt.

3°. Deinde saec. XVII. inde a *Petro Mogila,* metropolita Kiowiensi, adversitas acerbior evasit, ita, ut iam affirmarent, *tantum* per epiclesim fieri consecrationem: sic nata est haeresis « *epiclesismi* ». Num si sacerdos orientalis intentionem excitet, se tantum per epiclesim velle consecrare, hoc valide faceret, alia est questio. Sunt qui putant, valide etiam talem consecrare, si in genere habeat intentionem, faciendi quod facit Ecclesia Christi, sed hoc non possumus acceptare. Magisterium enim ecclesiasticum invalidas declaravit ordinationes Anglicanas, quia ideo mutaverunt ritum ut non faciant id, quod Ecclesia « papistica », atqui nobis videtur, praecise hoc fieri in casu supposito.

Corollarium.

Ecclesia ideo per *decretum S. Officii 12. Feb. 1951.* ad quaestionem: « Utrum magna prostratio (gonyklisia), ubi in usum venerit in celebratione Missae ritus Byzantini, facienda sit post Christi verba, in consecratione panis et vini pronuntiata, aut tandem post prolatam epiclesim? » — respondit: « Affirmative ad primam partem. Negative ad secundam partem ».

4. Normae pastorales quoad formam Eucharistiae.

a) **Ad validitatem**

requiritur essentia formae unicae, nempe verborum institutionis: « Hoc est corpus meum », dein: « Hic est calix sanguinis mei », vel: « Hic est sanguis meus ».

1°. Haec sententia communis est contra *Scotum,* qui putavit, *totam narrationem institutionis* (inde a Qui pridie) recitandam esse ad valorem. Ut ratio

affertur, quod solis his verbis sacerdos significat, se in persona loqui Christi. Hoc autem non constat, nam intentio sacerdotis requiritur faciendi, quod facit Ecclesia et fecit Dominus in coena novissima.

2°. Thomistae vero essentialia putant verba quibus *finis propitiatorius* indicatur: ut « qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum »; « hoc probabile est », dicit Vermeersch (III, n. 351.). At ratio non habetur, cur hoc probabile sit, si autem « Thomistica » esset sententia, nempe ab ipso S. Thoma prodiens, aliter res se haberet, Doctor autem Communis ultimam sententiam proferens aperte dicit: « Si sacerdos sola verba praedicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, quia intentio faceret, ut haec verba intellegerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis praecedentibus hoc non recitaretur, graviter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc Sacramentum, utpote ritum Ecclesiae non servans » (III q. 78. a. 1. ad 4). Agitur de verbis in toto hoc articulo tractatis: « Hoc est corpus meum » et « Hic calix sanguinis mei ». Haec est ergo genuina sententia Thomistica, quae sane probabilior est.

3°. Si haec essentialis forma *substantialiter mutaretur*, invalida esset consecratio, ut patet. Sic *si* diceret, « *Hic* est corpus meum » etiam in forma sanguinis: « *Hîc* est calix etc. » verbum « hîc non ut pronomen sumendo sed ut adverbium: « *hîc* » i.e. « *heic* » = hoc loco, certo non conficeret Sacramentum. Quia vero nemo sanae mentis talia vult intendere, si per lapsum linguae dixisset « *hic* est corpus meum », consecratio certo valida esset, nam error est solum grammaticus. — Supervacaneum est loqui *de aliis possibilitatibus*, ut auctores solent (« hoc est substantia mea », « hoc corpus est meum », id est sensu: « ad me pertinet », « hoc sit, fit, fiat corpus meum » etc.), quae reddant invalidam formam, talia enim nemo facit.

4°. *In dubio num consecravit*, vel *valide* consecravit, standum lege rubricali: « Si celebrans non recordetur se dixisse, quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari » (M. Rom. De defect. V, 2). — Si autem *dubium fundatum* et prudens haberet de validitate consecrationis, i.e. « valde probabiliter dubitet, se aliquid essentiale omisisse, *iteret formam* saltem sub tacita conditione » (ibid.). Haec repetitio, *si inter* consecrationem necessaria esset, ab ipsis verbis essentialibus incipitur (« Hoc est... Hic est... »), si *tantum post* consecrationis actum, tunc ad analogiam rubricae (De defect. III, 5.7 et IV, 3,4.) incipiendum est *a tota narratione*: « Qui pridie » et « Simili modo ».

b) **Ad liceitatem**

usus formae requiritur, ut verba formae sint prolata:

1°. Respectu materiali: *recitative* seu narrative, quia per narrationem « Qui pridie » et « Simili modo » vult exprimere, se verba essentialia dicere tamquam a Christo dicta.

2°. Respectu formali: *assertive*, i.e. ut ipse quoque affirmare vult, panem *esse* corpus Christi. Nam si mere respectu materiali *diceret* (quod utique nemo vult!), tunc nil plus faceret ac si in contione vel catechesi narraret, quomodo Dominus instituit hoc Sacramentum. — Quod dicitur, etiam « practice » non speculative (Noldin - Schmitt n. 121,3) seu « effective et practice » (Merkelbach n. 226), idem est, ac « assertive ».

3°. *Sine mutatione accidentali,* i.e. nec unum quidem verbum omittendo e *toto* textu formae, sic e.gr. nefas est (ergo grave peccatum) verba « mysterium fidei » omittere (S. Offic. 24. iul. 1958). Sec. Lehmkuhl (nr. 170) *veniale* esset corrumpere « est » in « es », « corpus » in « copus », « meum » in « meu », « calix » in « calis », « sanguinis » in « sanguis », sed quis quaeso, vellet tale veniale committere? — Imo sequendum sapiens monitum Gatterer, *ne nimiis anxietatibus* ianua aperiatur: « Attente, reverenter, distincte et secreto profert verba consecrationis... absque capitis nutibus, sine oris contorsione, sine violentia et vocis elatione, nulla mora inter singula verba interposita » (Praxis celebr. 260).

Scholion. De adiectis verbis in forma consecrationis vini.

In relationibus coenae novissimae e verbis Domini desunt haec verba: « (novi) *et aeterni* (testamenti) *mysterium fidei* ». A Protestantibus saec. XVI-i adiecta haec adhibita sunt, ut demonstrent Papisticam Ecclesiam falsificasse verba Scripturae. Etiam quidam catholici erronee dicunt haec verba non esse desumpta e S. Scriptura, nam testamentum dicitur « *aeternum* » in Veteri Testamento (Ps 110,9; Eccli 17,10, 45, 8.19); alia verba autem a S. Paulo, praecise de diaconis, qui in antiqua Ecclesia partem habuerunt in distributione calicis: « Habentes *mysterium fidei* in conscientia pura » (1 Tim 3,9). Verba haec saec. IV-o adhuc desunt (cf. Ambros. De Sacramentis 5,22 Quasten p. 160), saec. VI-VII. iam continentur transsumpta e liturgia Romana in Gallicanae liturgiae documentis. Unde coniecturae instar suscipi potest hypothesis Th. Michels, quod tempore Leonis Magni adiecta haec fuere ad calicis verba, nam Manichaei abstinebant a sumptione sanguinis Domini (cf. Jungmann Missarum sollemnia 3. ed. II, 249-251.).

Litteratura.

Quoad materiarm. *Ad. v. Harnack,* Brot und Wasser, Leipzig 1891. — *A. Scheiwiler,* Die Elemente der Eucharistie in den drei ersten Jahrhunderten, Mainz 1903. — *F. Cabrol,* Azymes, *in*: DAL I (1907) 3254-3260.

Quoad formam. *K. J. Merk,* Der Konsekrationstext in der römischen Messe, Rottenburg 1915. — *J. B. Umberg,* Die wesentlichen Messopferworte, *in*: ZfkTh 1926, 73-88.

Quoad epiclesim. *R. Buchwald,* Die Epiklese in der römischen Messe, Wien 1906. — *S. Salaville,* La double epiclèse des anaphores égyptiennes, *in*: Échos d'Orient 1910, 133. — *J. Höller,* Die Epiklese, Wien 1912. — *S. Salaville,* Epiclèse *in*: Dict. théol. cath. V (1913) 194-300. — *J. Brinktrine,* Zur Entstehung der morgenländischen Epiklese, *in*: ZfkTh 1918, 331-326, 483-518. — *J. W. Tyrer,* The meaning of epiklesis, *in*: Journ. of theol. stud. 1923-4, 139-150. — *O. Casel,* Neue Beiträge zur Epiklesenfrage, *in*: JfLw 1924, 169-178. — *M. de la Taille,* Mysterium fidei 1924, p. 273-283, 438-453. — *J. Armitage Robinson,* Invocation in the holy Eucharist, *in*: Theology 1924, 89-100 (cf. JfLw 1924, p. 266 et 177-178. — *J. B. Umberg,* Liturgischer Stil und Dogmatik, *in*: Scholastik 1926, 481-503. — *Th. Spačil,* Doctrina theol. Orientis separati de Sanctissima Eucharistia, II. Romae 1929, p. 1-114. — *J. Brinktrine,* Neue Beiträge zur Epiklesenfrage *in*: ThuGl. 1929, 434-452. — *M. Jugie,* De forma Eucharistiae. De epiclesibus eucharisticis, Romae 1943. — *O. Casel,* Die Kirchenordnung Hippolyts von Rom, *in*: AfLw 1952, p. 123-129 (de epiclesi Hippolyti). — *J. A. Jungmann,* Missarum sollemnia, 3.ed. Wien 1952, II, 238-243. — *B. Durst,* Das Wesen der Eucharistie und des christlichen Priestertums, Rom 1953. — *J. Brinktrine,* Die sakramentale Form der Eucharistie nach der Lehre der abend- und morgenländischen Väter, *in*: ThuGl 1953, 411-425. — *Idem,* Die ersten Spuren der kath. Lehre von der sakramentalen Form der Eucharistie. ibid. 1954. 338-351. — *J. Brinktrine,* Die sog. Einsetzungsworte der Eucharistie in den Liturgien, ThuGl 1959, 25-29. — *J. P. de Jong,* Epiklese, *in*: LfThK 2. ed. 3 (1959) 935-6.

Respectu pastorali: *D. Prümmer,* Man. Th. Mor. III. 4. ed. 1929, n. 169-180. — *A. Vermeersch - J. Creusen,* Theol. Mor. III. 4. ed. 1948, n. 336-352. — *B. Merkelbach,* Summa

Th. Mor. III. 8. ed. 1949, n. 204-232. — *J. Aertnys - C. A. Damen*, Theol. Mor. II. 16. ed. 1950, n. 104-120. — *J. Fanfani*, Man. theor.-pract. Th. Mor. IV. 1951, p. 143-158. — *O. Schöllig - R. Weber*, Verwaltung der hl. Sakramente, 4. ed. 1952, p. 57-63. — *H. Noldin - A. Schmitt - G. Heinzel*, Summa Th. Mor. III. 30.ed. 1954, n. 105-122.

C) De efficientia Eucharistiae.

THESIS. Effectus (1) principalis Eucharistiae est unio vivificans cum Christo, (2) e qua unione resultant ceteri effectus.

De fide catholica.

Vox Ecclesiae.

Trid. sess. XIII. cap. 2.: « Sumi autem voluit Sacramentum tamquam spiritualem *animarum cibum*, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me et ipse vivet propter me, et tamquam antidotum quo liberemur *a culpis quotidianis* et a peccatis *mortalibus praeservemur*. Pignus praeterea id esse voluit *futurae nostrae gloriae*, et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique non tamquam membra arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata ». — *Can. 5*: « S.q.d., vel praecipuum fructum ss. Eucharistiae esse remissionum peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit » (Denz. 875. 887.).

Adversarii

sunt *Protestantes*, qui unicum effectum recognoscebant *remissionem peccatorum*. Sic e.gr. *Lutherus* statim ab initio opinatus est: « Verbum divinae promissionis huius Sacramenti cum exhibeat peccatorum remissionem, secure accedit, quicumque peccatorum suorum vexatur sive morsu sive titillatione. Est enim testamentum hoc Christi medicina unica praeteritorum, praesentium et futurorum peccatorum, modo indubitata fide ei adhaeseris et credideris, tibi gratuito dari id, quod verba testamenti sonant » (De captiv. Babyl.).

I. pars probatur: Unio cum Christo.

a) **Scriptura Sacra**

promissione Christi Domini probat hunc principalem effectum: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo » (Jo 6,57). « Manere » in invicem significat vitam mutuam perfecti amoris: hac unione cum Christo fit christianus theophorus, hac unione est Eucharistia transfiguratio vitae christianae.

b) **Traditio**

hunc effectum principalem multoties extollit. Sicut *Cyrillus Hierosolymitanus* dicit: « Divinorum mysteriorum digni facti, concorporales et consanguinei Christi facti estis (syssômoi kai synaimoi) » (Cat. mystag. 4,22). — S. *Gregorius Nyssenus* autem enuntiat: « Unione, quae ad immortalitatem tendit, homo incorruptibilitatis particeps fit » (Logos katêchêtikos 37. PG 45,93).

Haec unio *intensitatem auget incorporationis* in Christo, ut Gelasianum dicit: « Quaesumus, omnipotens Deus, ut inter eius numeremur membra, cuius corpore communicamus et sanguine » (Wilson p. 18).

II. pars probatur: Effectus ex unione resultantes.

a) **Primus effectus.**

Unio secum portat effectus gratiae huius: sic *gratias actuales praeservantes a peccato.* Hoc adeo probe notum fuit, ut iam *Ignatius Antiochenus* anno 107 edixit: « Unum panem frangimus, medicina est immortalitatis, antidotum est non moriendi, ut non moriamur, sed in Christo vivamus » (Ad Eph. 20,2 Quasten p. 335.). Pronum est Patrem apostolicum hoc loco de morte animae locutum esse, nam corporaliter omnes homines debent mori, non potest ergo a morte corporis homo praeservari.

Gelasianum hoc sic exprimit, quod participatio Eucharistiae (mensae libatio, i.e. participatio, cibatio sacrificalis) *augmentat gratiam* habitualem et *protegit nos*: « Sacrae nobis quaesumus Domine, mensae libatio *et* piae conversationis (i.e. gratiae habitualis) augmentum *et* tuae protectionis continuum praestet auxilium » (Wilson p. 13.). Cum peccatorum patrationi diabolus instet, s. liturgia precatur, ut etiam ab eius incursione liberemur: « Gregem tuum, pastor bone, placatus intende, et oves, quas pretioso sanguine Filii tui redemisti, diabolica non sinas incursione lacerari » (Wilson p. 68.).

b) **Alter effectus**

resultans ex unione cum Christo est *per se deletio venialium* et *per accidens etiam mortalium.* Effectum deletivum unionis cum Christo sic debemus intelligere, quod Eucharistia sacramentum vivorum est et ideo oportet eam in statu gratiae accipere (v. inferius E. 3.a.) Per accidens tamen « potest hoc Sacramentum operari remissionem peccatorum ... etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet » (III q 79. a. 3.). Quia tamen non solum Protestantes, sed etiam aliqui recentiores catholici putabant, antiquitatem christianam tenuisse *peccata indiscriminatim* per sumptionem Eucharistiae *remitti,* quaestio haec penitius investiganda est. Veritas est haec: antiquitas christiana saepe *in genere locuta est de deletione* peccatorum per Eucharistiam, sed eodem modo omni convictione docuit, *in statu peccati mortalis illicitam,* immo nocivam esse communionem.

1°. **Saepe in genere** *locuti sunt* de remissione peccatorum. **a.** Conferatur S. *Ambrosius,* talia dicens: « Quotiescunque accipimus, mortem Domini adnuntiamus. Si mortem adnuntiamus, adnuntiamus remissionem peccatorum. Si, quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum (sc. sanguinem) *semper accipere,* ut semper *mihi peccata dimittantur.* Qui *semper pecco,* semper debeo habere medicinam » (De Sacramentis 4,6,28 Quasten p. 162). — Quaestio nunc est, num Ambrosius hoc necessario dicit de omnibus indiscriminatim peccatis. Expressio: « ... semper pecco » in ore Ambrosii minus congruenter significaret etiam mortalia peccata. Quod de sumptione *Eucharistiae,* non autem de vi remissiva Missae agit, clarum est ex alio textu: « Quotiescunque enim bibis, remissionem accipis peccatorum et inebriaberis spiritu » (5,3,17 Quasten 166). — Dein S. Ambrosius de peccato loquens, more Patrum saepe intelligit etiam concupiscentiam et sic loquitur de Eucharistia: « Qui vulnus habet, medicinam requirit, vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est coeleste et venerabile sacramentum » (5,4,25 Quasten p. 169); « sub peccato esse » heic sumitur effectus peccati, sc. concupiscentia,

de lege enim agit Ambrosius inevitabili, quod nullo modo potest esse peccatum mortale. — **b.** In genere loquitur de remissione peccatorum per Eucharistiam etiam liber *Constitutionum Apostolicarum* circa 400, in epiclesi enuntians: « ... ut efficiat hunc panem corpus Christi tui ... ut qui eius participes fiunt, ad pietatem confirmentur, *remissionem peccatorum* consequantur, a diabolo eiusque fraude defendantur » (VIII, 12,39 Quasten p. 224). In gratiarum actione autem sic precatur: « Accipientes pretiosum corpus et sanguinem Christi gratias agimus dignos facienti, ut accipiamus sacra eius mysteria et deprecemur eum, ut non in iudicium, sed in salutem fiat, in utilitatem animae et corporis, in custodiam pietatis, *in remissionem peccatorum,* in vitam futuri saeculi » (VIII, 13,14 Quasten p. 231). — **c.** Tales generales enuntiationes de vi remissiva peccatorum, quantum volumus, possumus invenire etiam *in liturgiis Latinis,* e.gr.: « Concede nobis, Domine, quaesumus, ut sacramenta, quae sumpsimus, quidquid in nostra mente vitiosum est ipsius medicationis dono curetur » (Gelasianum Wilson p. 3.).

2°. Verum ergo est, quod christiana antiquitas in genere loquebatur de peccatorum remissione per Eucharistiam. Sed item similiter verum est, quod omni convictione enuntiavit *nefas esse in statu peccatis mortalis participare mensam Domini.* Tunc temporis utique sufficiens erat contritio ad communionem, si vero aliquis in « peccata capitalia » lapsus fuerit, ad mensam Domini tantum post peractam publicam poenitentiam accedere potuit. — **a.** De dignitate iam *Didache* prima vice loquitur mentionem faciens liturgicae adclamationis ante communionem: « Si quis sanctus est, veniat! Ei tis hagios estin erchestho! » (10,6). — Notissima est enim adclamatio omnibus priscis liturgiis communis: « Ta hagia tois hagiois = Sancta sanctis! » in universis antiquis et hodiernis quoque orientalibus liturgiis usitata. — **b.** Clare prodit mentem suam *Origenes,* dicens de communione: « In pane Dei proinde utilitas est, qui utitur eo, (nunc autem Origenes conditionem prodit:) *Si* intemerata mente et pura conscientia fit particeps panis » (In Matth comm 11,14 PG 13,949). — **c.** S. *Basilius Magnus* autem talia dicit: « Quali cum timore, quali plena convictione, qualive affectu accipiamus corpus et sanguinem Christi? » Responsum: « Timorem docet nos apostolus, dicens: qui manducat et bibit indigne... » (Regulae brevius tractatae qu. 172. PG 31,1196). — **d.** S. *Augustinus* et *Chrysostomus* ambo de Juda loquentes monent fideles, ne cum gravi peccato accipere audeant corpus Domini. *Chrysostomus* quidem hoc dicit: « In mentem veniat tibi, quomodo indignatus sis contra proditorem, contra crucifigentes. Vide nunc, ne et tu particeps peccati sis corporis et sanguinis Christi. Illi occiderunt sanctissimum corpus, tu autem immunda anima suscipis eum post tot beneficia » (In Mt hom. 82,5 PG 58, 743). — *Augustinus* vero consimili modo: « Sicut Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non *malum* accipiendo, sed *male* accipiendo locum in se diabolo praebuit, sic indigne quisque sumens dominicum sacramentum non efficit, ut, quia ipse malus est, *malum* sit (sc. Sacramentum), aut quia non ad salutem acceperit, nihil acceperit... » (De baptismo 5,8,9 PL 43,181): ergo qui Iudam sequens cum evidenti peccato gravi suscipit, non ad salutem accipit, i.e. non consequitur remissionem peccatorum, imo locum in se diabolo praebet per sacrilegium.

3°. *Peccatores publici* autem *semper arcebantur a mensa Domini,* saepe invehebantur in tales qui audebant accedere, e.gr. *Tertullianus*: « Christianum

ab idolis in ecclesiam venire... est manus admovere corpori Domini, quae daemoniis corpora conferunt ... Proh scelus! Semel Iudaei Christo manus intulerunt, isti cotidie corpus eius lacessunt » (De idololatria c. 7. PL 1,745). — *Cyprianus* autem similiter de lapsis dicit, quod « ... ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis, vis infertur corpori eius et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt » (De lapsis c. 16 PL 4,479).

4°. *Error* ergo esset putare, quod veteres christiani *aliter opinati essent* ac theologi medii aevi. *S. Thomas* clara distinctione enodat quaestionem de vi remissiva Eucharistiae: « Virtus huius Sacramenti potest considerari dupliciter, uno modo *secundum se*, et sic hoc Sacramentum habet virtutem ad remittendum quaecunque peccata ex passione Christi, quae est fons et causa remissionis peccatum ». Generales ergo enuntiationes verae sunt, ad quod in sequentibus Aquinas dicit, hoc etiam antiqui Patres sic professi sunt: « Alio modo potest considerari (sc. Eucharistia) per comparationem ad eum, qui recipit hoc Sacramentum, prout in eo invenitur vel non invenitur impedimentum percipiendi huius Sacramenti effectum. Quicunque autem habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum huius Sacramenti ». Rationem autem assignat Thomas: « Non vivit spiritualiter et ita non debet nutrimentum suscipere » (III q. 79. a. 3.). — Deletio *mortalis peccati per accidens* fieri potest, — ut supra declaratum est — si aliquis oblitus esset peccati mortalis nondum remissi, vel si inscio ipso invalide absolutus esset: in hoc casu per communionem consequitur remissionem peccatorum, nam non ponens obicem, recipit gratiam quae cum mortalibus peccatis incompatibilis est.

c) **Tertius effectus**

Eucharistiae est *ius ad clarificationem corporis*, quae tantopere extollitur in sermone promissionis Eucharistiae: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die » (Jo 6,55).

1°. Huius futurae nobis gloriae tum causa, tum pignus est Eucharistia, ut *Leo XIII.* dicit: « ...non animo tantum sed etiam corpori ... Corpori autem caduco et fluxo hostia illa divina futuram ingenerat regenerationem, siquidem corpus immortale Christi semen inserit immortalitatis, quod aliquando erumpat. Utrumque istud et animo et corpori bonum inde obventurum Ecclesia omni tempore docuit » (Enc. « Mirae caritatis » 1902).

2°. Saec. II-o in *Actis Thomae* sic laudatur haec fides resurrectionis futurae per Eucharistiam operandae: « Cum baptizati et vestiti essent, panem in mensa posuit et benedixit et dixit: Panes vitae quem edentes incorrupti permanebunt, panis, qui satiat animas esurientes beatitudine, tu dignatus es accipere donum, ut fiat nobis remissio peccatorum, et manducantes immortales evaderent » (Quasten 344).

3°. *Gelasianum* autem Eucharistiam proleptice *remedium immortalitatis* appellat, et divinae creationis circa nos auxilium, ideo, quia in resurrectione quasi noviter creari debet corpus, magis quam occasione sanationis miraculosae. Sic intelligitur oratio haec: « Offerimus, tibi Domine, munera quae dedisti,

ut *et* creationis tuae circa nos testificentur auxilium *et* remedium immortalitatis operentur » (Wilson p. 41.).

d) **Quartus effectus**

est Eucharisticae unionis cum Christo capite: *unio caritatis etiam membrorum huius corporis* inter se. Nam — ut *Tridentinum* enuntiat — Christus reliquit Eucharistiam « in Ecclesia tamquam symbolum unitatis et caritatis qua christianos omnes inter se coniunctos et copulatos esse voluit » (Prooemium, Denz. 873). Talem effectum sublimem praedicat praesertim *Augustinus*, e.gr.: « Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non neglegant ... O sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum caritatis! Qui vult vivere, habet, ubi vivat, habet, unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur » (Tract. in Jo 26,13). Ideo debenus intelligere sec. *Catechismum Tridentinum*, « quam indigni sint christiano nomine, qui inimicitias exercent, odiaque dissidia et discordias, ut teterrimas fidelium pestes, omnino exterminandas esse, cum praesertim quotidiano religionis nostrae sacrificio nihil nos studiosius servare quam pacem et caritatem profiteamur » (2. pars. 4,4.).

e) **Omnes hos quatuor effectus,**

vocem secuta Christi Domini, liturgia, Patres, theologi metaphorice exprimunt dicentes Eucharistiam esse *cibum, quo anima « vegetatur »*, i.e. vivit, subsistere potest et continuo innovatur. Sicut *Gelasianum* dicit: « Vegetet nos, Domine, tuae mensae libatio, quae fragilitatem nostram gubernet et protegat, et in portum perpetuae salutis inducat » (Wilson p. 43.). — « Filii Dei corporis et sanguinis sacrosancti alimonia » (Gelas. p. 44): verus est animae cibus, conditio nempe sine qua non, sicut etenim corpus languescit, si nutrimento careat, ita nec supernaturalis vita possibilis est sine Eucharistia: « Qui non manducat corpus meum et sanguinem non bibit, non habet vitam in semetipso », dicit Dominus. Cibus hic realis cibus est, sed secundum essendi leges sacramentales: cibus est corpus Christi sub speciebus naturalibus panis delitescens, quae apparenter nil differunt a vino et pane quotidiano. Attamen sub his speciebus aliquid totaliter aliud continetur, quam specierum apparentiis convenisset: vita enim continetur divina, quae *in se* invisibilis *per* visibilia naturae accidentia, continentia Christum, visibiliter apparuit.

Litteratura.

K. J. Lohrum, Die sakramentalen Wirkungen der hl. Eucharistie, 1886. — *J. Behringer*, Die hl. Kommunion in ihren Wirkungen und ihrer Heilsnotwendigkeit, Regensburg 1898. — *I. Bellamy*, Les effets de la communion, Paris 1900. — *J. Nicolussi*, Die Wirkungen der hl. Eucharistie, Bozen 1918. — *O. Lutz*, Ueber die Wirkungen und die Notwendigkeit der hl. Eucharistie *in*: ZfkTh 1920, 398-420, 505-537. — *C. Gasque*, L'Eucharistie et le corps mystique, Paris 1925. — *O. Lutz*, Ist die hl. Eucharistie die Wirkursache aller Gnaden? *in*: ZfkTh 1931, 438-466. — *E. Doronzo*, De Euch. I. Milwaukee 1947, 448-476.

D) De necessitate Eucharistiae.

Status quaestionis.

In aliis Sacramentis quaestio necessitatis brevius expeditur, quoad Eucharistiam aliquantulum fusius debet explicari, fuerunt etenim, qui necessitatem *medii* asseverabant, alii autem necessitatem absolutam sumptionis *utriusque* speciei affirmabant.

Necessitas *medii absoluta* seu *physica* habetur, si aliquid tali modo necessarium est, ut eo etiam inculpabiliter omisso, salus consequi non potest. — Necessitas *medii relativa* seu *moralis* habetur, si salus sine hoc medio *moraliter* non potest obtineri, i.e. maxima difficultate tantum. — Necessitas *praecepti* habetur, si aliquid lege *divina* vel *humana* (ecclesiastica) praescriptum sit.

His praemissis agimus de sumptione Eucharistiae simpliciter, et sumptione sub una vel utraquae specie:

1. De necessitate sumptionis Eucharistiae.
2. De necessitate sumptionis sub utraque specie.
3. Normae pastorales de sumptione Eucharistiae.

1. De necessitate sumptionis Eucharistiae

hac thesi comprehendimus, quae scienda sunt:

THESIS. Eucharistia (1) non est necessaria necessitate medii pro infantibus, sed (2) necessaria est necessitate morali et (3) praecepti tum divini tum ecclesiastici adultis.

I. pars est de fide, II. pars probabilissima, III. pars de fide.

I. pars. Eucharistia non est necessaria necessitate medii PRO INFANTIBUS.

a) **Vox Ecclesiae.**

Trident. sess. XXI. can. 4: « S.q.d., parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem: a.s. » (Denz 937).

b) **Adversarii**

sunt 1°. *Graeci schismatici*, asserentes, quod communio etiam parvulis necessaria est ad salutem. — 2°. *Armeni* saec. XIV. dicentes baptismum tunc tantum validum fieri, si iam Eucharistia sacramentaliter sumpta sit (errores Armenorum anno 1341. sub Benedicto XII. Denz. 542). — 3°. *Calvinistae* perperam citantur ut adversarii (e.gr. Tanquerey ed. 24. III, 640), nam paedobaptismum retinuerunt, sed ad coenam non admittebant parvulos. Sic v.gr. *Catechism. Genevensis* anni 1545: « Quod ad baptismum pertinet, quia nonnisi infantibus hodie confertur, discretio locum non habet, in coena vero cavere debet minister, ne cui ipsam porrigat ». Similiter *Confessio fidei regni Scotiae* 1560: « Baptismum existimamus non minus communicandum infantibus fidelium ... coenae autem dominicae participes esse debere eos modo credimus... qui sese ipsi probare et examinare possint »; item *Compendium doctrinae christianae in tota Ungaria et Transsylvania* 1562: « Efficitur, coenam Domini iis non competere, qui seipsos non possunt explorare, vel quod nullum habeant rationis usum, sicut infantibus accidit » (E. F. Karl Müller, Bekenntnisschriften d. ref. Kirche, p. 152. 261. 425.). — 4°. Elapso saeculo *Ant. Rosmini-Serbati* († 1855) affirmans communionis necessitatem putavit, quod momento mortis in futura vita administrabitur Eucharistia iis, qui in vita s. communionis participes non fuerint (« quella comestione della carne e del sangue di Cristo, che non fece nella vita presente, gli verrà somministrata nella futura, al punto della sua morte e così avrà la vita in se stesso », cf. De la Taille p. 587), quae sententia damnata est a Leone XIII. (Denz. 1922.).

c) **Scriptura Sacra**

probat doctrinam catholicam, inquantum simpliciter dicitur: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit » (Mc 16,16), nam ibi nulla alia conditio, ac baptismi gratia requiritur. — *Nec obstant* verba Christi: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis » (Jo 6,54). E verbis his enim legitime infertur praeceptum divinum, imo necessitas medii *moralis pro adultis, nam talibus dictus est sermo* promissionis Eucharistiae. — Non agi heic de necessitate medii *absoluta,* etiam inde sequitur, quod *sanguinis sumptio* quoque *aeque* memoratur ac manducatio panis, sed potio sanguinis certo certius non est necessaria ad vitam.

d) **Traditio**

de sufficientia baptismi ad salutem (quoad infantes) clare loquitur.

1°. Sic *S. Irenaeus* dicit: « (Christus) omnes venit per semetipsum salvare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos et pueros et iuvenes et seniores » (Adv. haeres. 2,22,4 PG 7,784). — Simili ratione *S. Cyprianus*: « Si etiam gravissimis delictoribus ... remissa peccatorum datur et a baptismo atque gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit » (Ep. 59,5 PL 3,1054). *S. Chrysostomus* in fragmento quodam homiliae deperditae sic loquitur: « Etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut iis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut eius membra sint » (cit. ab Augustino C. Julian. 1,6,21 PL 44,655). E quibus clare sequitur, per baptismum iam aliquem fieri, etiam si infans sit, sanctum etc. et heredem, ut patet, vitae aeternae.

2°. *S. Augustinus* allegat hoc effatum Chrysostomi, qui in acerrima pugna contra pelagianos asserentes, infantes sine baptismo posse consequi regnum caelorum, e praxi liturgica sui temporis communicandi infantes post baptismum, putavit, Eucharistiam necessariam esse necessitate quadam medii. *In aliis textibus* baptismum sufficientem tenet ad vitam aeternam et ideo Lercher (p. 376) recte dicit sensum S. Augustini esse: Vita aeterna obtineri nequit sine *participatione corporis Christi, i.e. sine incorporatione in Ecclesiam,* quae fit baptismo, allegans dictum eius: « (parvulos) nec vitam aeternam posse habere praeter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur » (De pecc. merit. et remiss. III, 4,7). Revera Augustinum eius admirator et abbreviator, *S. Fulgentius Ruspensis* († 533) sic intellexit, nam ad eum provocans scribit haec: « Arbitror, sancte frater, disputationem nostram sancti Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, *tunc* unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate *membrum* corporis Christi efficitur, *nec alienari* ab illo panis calicisve consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat » (Ep. 12,11,26 PL 65,392). Sic quidem Fulgentius, « Augustinus contractus » vocari solitus. At Augustinus, procul dubio hac in materia ambigue loquendo provocat etiam ad *Innocentium I.,* qui simili modo de communione infantium post baptismum, eo tempore usitata loquitur. Post Augustinum adhuc alius Pontifex talia dixit.

3°. S. *Gelasius I.* nempe ad episcopos in Piceno (regio Italiae centralis inter Umbriam et mare Adriaticum) scripsit hac de re: « Ipse Dominus Jesus Christus caelesti voce pronuntiat: Qui non manducaverit carnem Filii hominis et biberit sanguinem eius, non habebit vitam in semetipso: ubi utique neminem videmus exceptum, nec ausus est aliquis dicere, *parvulum sine hoc sacramento* salutari ad aeternam vitam posse perduci » (Ep. 7,5 PL 59,37). — Gelasius his noluit dare definitionem dogmaticam, toto enim contextu contra Pelagianos loquitur, et primario non de necessitate absoluta Eucharistiae voluit doctrinam tradere.

4°. Doctrina igitur Patrum hac in re ambigua optime explicari potest sec. Fr. Diekamp, quod affirmant necessitatem medii Eucharistiae ad salutem pro omnibus, ita tamen, ut non intelligant hoc etiam de Sacramenti *perceptione*. « Secus enim explicari iam nequit, cur, ut supra diximus, tam saepe agnoscant baptismum esse medium sufficiens ad salutem aeternam consequendam, quin communionis mentionem faciant » (IV, 208 s.).

e) **Rationes**

fere sequentes afferri possunt.

1°. Medium aliquod, quo quis fieri possit particeps corporis Christi ad salutem necessarium est. Haec autem *participatio corporis Christi incipit per incorporationem,* quam producit baptismus, sine qua nec corpus Christi eucharisticum posset utiliter et cum fructu vitae aeternae manducari. Haec corporis Christi participatio *inchoata* omnino necessaria est ad salutem infantibus, participatio autem *perfecta* per manducationem eucharisticam necessaria non est. Nam *vel* membrum vivum effectus est parvulus, *vel* non. Si primum, tunc baptismus vi careret, effectu suo primario frustratus, quod nemo Patrum et Pontificum intelligere voluit. Si secundum verum esset, tunc baptismus nihil esset — omni ergo modo sufficit infantibus baptismus ad salutem.

2°. Possumus sec. doctrinam S. Thomae dicere, etiam in infantibus adesse *votum Eucharistiae*: « Ante sumptionem huius Sacramenti potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum ... Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam, perceptio autem Eucharistiae est necessaria ad consummandam ipsam, non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut et finis habetur in desiderio et intentione ... Ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam, et sicut ex *fide* Ecclesiae *credunt,* sic ex *intentione* Ecclesiae *desiderant* Eucharistiam et per consequens recipiunt rem ipsius » (III q. 73. a. 3). Patet votum hoc non esse actum ab Ecclesia aliqualiter eliciendum, sed nihil aliud, quam *ordinationem baptismi* ad sumendam Eucharistiam.

II. pars: Eucharistia necessaria est necessitate medii moralis PRO ADULTIS.

a) **Vox Ecclesiae.**

Pulchram collationem transscribimus, quam cl. Lercher hac de re e documentis ecclesiasticis confecit. Ecclesia enim Eucharistiam praedicat *ut medium, quo*:

« a malo retrahimur, confortamur in bono » (1), dein ut:
« antidotum, quo... a peccatis mortalibus praeservemur » (2), ut

« animae vitam et perpetuam sanitatem mentis » (3), quod:
« augendo caritatem, libidinem coercet » (4), ut inde robur
« capiant ad compescendam libidinem... et ad graviora peccata praecavenda » (5), ut:
« unicum ac salutare remedium » (6), ut:
« sacrosanta mysteria, in quibus Deus omnem sanctitatis fontem constituit » (7).

(1) Decr. pro Armenis, Denz. 698. — (2) Trident. Denz. 875. — (3) Trid. Denz. 882. — (4) Leo XIII. Enc. « Mirae caritatis ». — (5) Sanctus Pius X. « Sacrosancta Tridentina synodus » Denz. 1981. — (6) Postcomm. Mariae Magd. jul. 22. — (7) Secr. S. Ignatii.

Atqui talibus expressionibus *iure concluditur necessitas moralis* pro adultis sumendi Eucharistiam, si velint perseverare in statu gratiae.

b) **E Scriptura Sacra**

effatum Domini *Jo 6,53* (« Nisi manducaveritis ») non potest intelligi, ut *merum praeceptum*, ac si solummodo significaret: « Transgressione huius *praecepti* vitam amittetis, nam Christus Dominus tali modo loquitur de necessitate medii Jo 3,5 de baptismo: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » (sic Diekamp IV, 205).

c) **Traditio**

hanc sententiam videtur commendare. *Chrysostomus* aperte affirmat: « Nemo salvus fieri potest, qui carnem Christi non manducat ... Sine carne eius vivere non possumus » (In Jo 47,2 PG 59,263). — *S. Cyrillus Alexandrinus* autem enuntiat: « Qui gratiae divinae iam participes facti per longum tempus ab eulogia Christi se removerant ... communionem Christi mysticam repudiando *ipsi a vita aeterna se excludunt* ac vitam sibi oblatam accipere renuunt » (In Jo 3. VI, 35. PG 73,521).

d) **Rationes theologicae.**

1°. Ex eo, quod votum Eucharistiae aliquando *verificari debet*, ut Doctor communis affirmat: « *Sine voto* percipiendo hoc Sacramentum *non potest homini esse salus.* Frustra autem esset votum, *nisi impleretur quando opportunitas adesset.* Et ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere ... Hoc Sacramentum dicitur non esse necessitatis, sicut baptismus, quantum ad pueros, quibus potest salus esse sine hoc Sacramento, non autem sine Sacramento baptismi, quantum vero ad adultos, utrumque est necessarium » (III q. 80. a. 11. incorp. et ad 2.).

2°. Necessitatem moralem clare videtur S. *Thomas* iunior asserere: « Quia enim in quotidiana pugna sumus, vita spiritualis in nobis evanesceret, nisi aliquando cibum vitae sumeremus ... (Sacramentum ergo) non esset *necessarium* simpliciter, ut sine quo non esset salus, sed *ex suppositione finis*, si scilicet homo in vita spirituali firmus persistere vellet » (In IV. dist. 12 q. 3. a. 2. sol. 1. et ad 1.).

III. pars: Eucharistia necessaria est necessitate praecepti tum divini, tum ecclesiastici pro adultis.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Quoad praeceptum divinum*: *Trid. sess. XIII. cap. 2*: « *Salvator noster*... Sacramentum hoc instituit ... et in illius sumptione colere nos sui memoriam *praecepit* » (Denz. 875).

2°. *Quoad praeceptum ecclesiasticum*: *Later. IV.*: « Omnis utriusque fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit ... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum ... alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura » (Denz. 437). — Similiter *Trid. sess. XIII. can. 9*: « Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum *iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae*: anathema sit » (Denz. 891). — Idem mandatum innovatur *can. 859.*; specialiter dicitur, quod « praecepto communionis recipiendae non satisfit per *sacrilegam* communionem » (can. 861).

b) **Scriptura Sacra**

mandatum Domini *Jo 6,53* continens iam allegatum necessitatem moralem inculcat, a fortiori ergo saltem praeceptum divinum est, ut omnes ultro concedunt. — Idem sequitur *e verbis institutionis*: « Hoc facite in meam commemorationem », quae verba quasi interpretatur *S. Paulus*: « Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat » (1 Cor 11,26): quod ad omnes et singulos fideles directum est. Commemoratio Domini *non solum per actionem* apostolorum *consecrativam*, *sed etiam per actionem fidelium*, sumendo nempe cibum divinum, efficitur. Iure ergo Aquinas affirmat, quod « homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiae, sed etiam ex mandato Domini, dicentis: Hoc facite in meam commemorationem » (III. q. 80. a. 11.).

2. De necessitate sumptionis Eucharistiae sub utraque specie.

Inde ab Ecclesiae primordiis communio intra Missam ubique gentium sumebatur sub utraque specie, panis et vini. In Ecclesia Orientali usque hodie sic fert mos communicandi sub utraque specie, in Occidentali versus saec. XII. invaluit in quibusdam ecclesiis mos communicandi tantum sub specie panis, qui mos deinde saec. XIII-XIV. paulutim generalis evasit, quin Ecclesia aliquo modo hoc praecepisset. Cum autem Joannes Hus, magister Pragensis, absolutam necessitatem asseveravit communionis sub utraque specie, Ecclesia doctrinam suam sollemniter protulit. Ideo propugnanda est:

THESIS. Communio sub utraque specie e Dei praecepto non est necessaria. De fide.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Conc. Constantiense* sess. XIII. Definitio de communione sub una specie: « Haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est *rationabiliter introducta*, quod licet in primitiva Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen postea a conficientibus sub utraque et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, *cum firmissime credendum sit* et nullatenus dubitandum, *integrum Christi corpus et sanguinem* tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri... » (Denz. 626.).

2°. *Conc. Trident. sess. XXI. can. 1*: « S.q.d., *ex Dei praecepto* vel *necessitate salutis* omnes et singulos fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere: a.s. » — et *can. 2*: « S.q.d., sanctam Ecclesiam

catholicam *non iustis causis et rationibus* adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret: a.s. » (Denz. 934.935.).

b) **Adversarii.**

1°. Iam *Manichaei* adversarii erant aliquo modo, testante Leone Magno (Sermo 4. de Quadrag.): nunquam voluerunt nempe Eucharistiam sub specie *vini* sumere, arbitrabantur enim vinum esse fel draconis negabantque veram Christi mortem et ideo praecise sanguine abhorrebant.

2°. *Hussitae* post mortem magistri eorum usque ad saec. XVII. perseverantes, etiam *Utraquistae et Calixtini* nominati sunt, quia sacrilegum et illicitum tenebant usum Ecclesiae latinae. Hussitarum erat pars aliqua quae retinebat totam liturgiam, etiam linguam Latinam, tantum Jo. Hus, Hieronymum Pragensem ut martyres coluerunt, sed usum calicis obligatorium esse una cum Hussitis alae sinistrae etiam ipsi pertinaciter affirmabant.

3°. *Novatores* etiam in hac quaestione Hussitis adhaerebant, et renovabant eorum accusationes. **a.** Sic e.gr. primo querelas instauravit « Introductio reformationis » *Zwinglianae* descripta a senatu urbis Turicensis (Züricher Einleitung 1523): « Man hat ouch die einen gstalt, des blutes, abgeschnitten, das man sy dem gemeinen mentschen nit gegeben hat, die doch Christus hat yngesetzt, als ze besorgen ist » (E. F. Karl Müller p. 28.). — **b.** Asseclae *Lutheri* in « *Confessione fidei Augustana* » dicebant anno 1530: « Laicis datur utraque species sacramenti in coena Domini, quia hic mos habet mandatum Domini Math. 26, 27: Bibite ex hoc omnes. Ubi manifeste praecepit Christus de poculo, ut omnes bibant » (J. T. Müller p. 48.). — **c.** *Calviniani* in « *Confessione Helvetica posteriore* » anni 1562. enuntiabant: « Improbamus itaque eos, qui alteram speciem, poculum inquam Domini, fidelibus subtraxerunt. Graviter enim hi peccant contra institutionem Domini dicentis: Bibite ex hoc omnes: id quod ad panem non ita expresse dixit » (E. F. Karl Müller p. 213.). Vel similiter « *Confessio Neerlandica* » 1566: « Dat te Kelc den Leecken t'on recht onttogen wort » (= « quod calix laicis iniuste prohibitus fuit », art. 11, E. F. Karl Müller p. 938.). — **d.** *Anglicani* in *Synodo Londinensi* 1563. declararunt: « Calix Domini laicis non est denegandus: utraque enim pars dominici sacramenti ex Christi institutione et praecepto omnibus christianis ex aequo administrari debet » (E. F. Karl Müller p. 516.).

4°. *Orientales schismatici* hodierni adeo solum processi sunt, ut praxim suam liturgicam e praecepto Christi *graviter obligatoriam* affirmarent.

c) **Scriptura Sacra**

adhiberi potest ad arguendam sumptionem sub una specie.

1°. *Bellarminus* ingeniose demonstrat hoc e *figuris Eucharistiae* (X. Controv. gen. 1.4,24). Pleraeque enim figurae seu typi Eucharistiae de manducatione unius speciei loquuntur: sic *lignum* vitae in medio paradisi, ubi nullus potus adiunctus fuit, *agnus* paschalis, dein *manna*, item *panes* propositionis, in quibus nullus admiscebatur potus, participatio *sacrificiorum* in quibus sanguis et libamina effundebantur, unde recte colligitur cum S. Bellarmino: « Non est igitur

ullo modo probabile, Christum *imperaturum* fuisse sumptionem utriusque speciei: figuratum enim figurae respondere debet ».

2°. Aliud argumentum scripturisticum (ibid.) sumit princeps apologetarum, Bellarminus *ex exemplo Domini*, qui sermonem dicens de usu Eucharistiae (Jo 6,58.59.52.50) *quater de unius speciei manducatione* loquitur, affirmans hoc sufficere ad salutem: « Qui manducat me, vivet propter me. Qui manducat hunc panem vivet in aeternum. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex eo manducet, non moriatur ». Optime fit conclusio: « Non ergo fieri potest, ut idem Dominus *mandaverit* utramque speciem sumendam, tamquam necessariam ad salutem ».

d) **Traditionis**

argumentum peremptorium habetur *ex usu Ecclesiae antiquae*, ut iam Bellarminus collegit (l. cit.). *Per exceptionem* quidem etiam temporibus antiquissimis *validam habebant* sumptionem sub una tantum specie, sive vini, sive panis. Sic iam inde a S. Iustino scimus, Eucharistiam maiores nostros sub specie panis secum portasse, ut *domi* cibus hunc sanctum « antequam alium cibum gustarent » (Tertullianus) sumant quotidie, item in *carceres* acolythi vel diaconi portabant panem sanctum, *infirmi* decumbentes saepe sub specie panis vel etiam tantum vini accipiebant communionem, *infantes* sub specie vini, in liturgia *praesanctificatorum* tantum sub specie panis fiebat communio. Impossibile autem est, quod si sumptio sub utraque mandatum esset Domini, hoc antiqua Ecclesia non observasset, « quae cum vera Ecclesia fuerit, sine dubio contra expressum Christi mandatum nihil egisset », — dicit Bellarminus. Exempla cf. Doronzo p. 540-542.

e) **Rationes theologicae.**

1°. *Nemo fraudatur*, aut laeditur sumens sub una tantum specie, nam totus Christus in utraque specie seorsim sumpta praesens est, *eandem* ergo *gratiam unionis* efficit. Corpus enim Christi, qui « resurgens ex mortuis iam non moritur » (Rom 6,9) coniunctum est cum sanguine, anima, divinitate, *sed* « omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est et hic est Antichristus » (1 Jo 4,3), Christus totus ergo accipitur.

2°. Obiici posset, quae tunc tamen *ratio sumptionis sub utraque*? Ratio est, **a.** quod participationem *sacrificii* melius exprimit; nam sumptio hostiae, Christi victimae est complementum sacrificii, quod praecise per separationem specierum ostenditur; Hungari ideo lingua sua recte vocant s. communionem « sacrificationem » (áldozás). Iure ergo dicitur quod « ex parte ipsius Sacramenti convenit, quod utrumque sumatur, scilicet corpus et sanguis, quia in utroque consistit perfectio Sacramenti » (III q. 80. a. 12.), quod ideo sacerdos sacrificans omnino debet facere, « quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit » (ibid.). — **b.** *Altera ratio* cur tamen sumi possit Eucharistia sub utraque, est ea, quod licet unica communio sit, tamen *ante sumptionem secundae* speciei potest quis habere actum affectuosum erga Christum et tunc meliore dispositione *ex opere operantis* plus potest acquirere fructus.

3°. Rationes, *cur Ecclesia* occidentalis *vult* sumptionem *sub una specie*, inde iam a Bellarmino haec solent enumerari. **a.** Si populus communicaturus *valde numerosus* sit et sacerdos unus tantum, fere impossibile esset communio

sub utraque. — **b.** *In effusione* possibili sanguinis Christi maioris irreverentiae casus haberetur, nam sanguis nequit rursus colligi, ut hostiae in terram delapsae. — **c.** « Tertium incommodum est, quod multi abhorrent a vino, et vel natura *abstemii* (Abstinenzler, antialkoholista) sunt, vel educatione, ut in calidis regionibus ». — **d.** In multis regionibus *vinum non crescit* et ideo communio frequens, praesertim nostris temporibus difficilis esset nimis. Bellarminus affert exemplo regnum tunc temporis noviter detectum: « Certe in Japonia adeo nulla est copia vini, ut vix ad sacra facienda commode haberi possit. — **e.** *Melanchthon Ruthenis* schismaticis scripsit, recte facturos esse, si ob vini penuriam uterentur « hydromelito », i.e. aqua mellita, seu medone. At nemo *materiae commutationem* Ecclesiae concessit, sapientius ergo est sub una, quam cum materia invalida communicare.

Corollarium.

Communio permissa est sub utraque Latinis sec. CIC can. 866: « Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas, ut pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant ». Communio *paschalis* suadetur proprio ritu, *Viaticum* debet proprio ritu sumi, urgente necessitate, quolibet ritu fas est illud accipere. — Decreta quoad communionem alio ritu confectam sumendi noviter collecta et ordinata fuerunt a Sancto Pio X. 4. sept. 1912 (« Tradita ab antiquitate »), inde in CIC transsumpta, sicque in regionibus, ubi etiam Orientales catholici vivunt, possibile est communicare sub utraque specie e mera pietate.

3. Normae pastorales de sumptione SS. Eucharistiae.

Supposita necessitate morali s. communionis, pronum est, quaestionem tractandam esse, quoties consulendum est sumere SS. Eucharistiam, quandove incipit obligatio sumendi, si infantes rationis usu carentes non accipiunt Eucharistiam.

I. Regula pastoralis: De frequentia sacrae communionis.

a) Curandum ut *evitetur tum minimalismus, tum maximalismus.* Minimum enim est praescriptum Ecclesiae, quod divinum mandatum determinat: semel in anno, Paschatis tempore communicandum est. Sapienter *Lercher* (p. 372) adnotat ad hoc: « In genere non imprudenter coniicitur, communionem annuam ab Ecclesia praescriptam esse extremum terminum, ultra quem communio differri nequeat, quin frustretur eius efficacia respectu perseverantiae diuturnae; altera ex parte concedendum videtur *communionem annuam* in adiunctis normalibus seu *ordinariis sufficere* ratione perseverantiae, secus enim Ecclesia hoc praecepto fideles in periculosum errorem inducere dicenda esset ». Attamen *minimalismus* esset putare fideles *non esse sedulo hortandos* ad plus faciendum: praescriptum enim Ecclesiae minimum est, ut videri potest e verbis « ad minus » et « saltem » in paschate. — *Maximalismus* posset vocari affirmatio frequentem, vel cotidianam communionem esse iure divino necessariam, quod a *B. Innocentio XI.* damnatum est anno 1679: « Etsi frequens quotidianusque sacrosanctae Eucharistiae usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus ... episcopi

et parochi seu confessarii *redarguant* asserentes, *communionem quotidianam esse de iuro divino* » (Denz. 1147. et 1150.).

b) Sed, etsi *iuro divino* nullum praeceptum habeatur communionis cotidianae, *mentem Ecclesiae* circa hanc quaestionem peremptorie patefecit Pontifex maximus Eucharistiae, *Sanctus Pius X.* decreto suo saluberrimo « *Sacra Tridentina Synodus* » de quotidiana SS. Eucharistiae sumptione (20. dec. 1905. A. Bugnini, Doc. pont. 1953, 35-38; Denz. 1981-1990; *J. M. Derély,* Les decrets eucharistiques du Pie X., *in*: Nouv. Rev. théol. 1951, 1033-1048).

1°. Breviter narratur *historia disputationis de frequenti communione*: « Ianseniana lue undequaque grassante disputari coeptum est de dispositionibus, quibus ad frequentem et quotidianam communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores tanquam necessarias expostularunt. Huiusmodi disceptationes effecerunt, ut perpauci digni haberentur, qui SS. Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero Sacramento pleniores effectus haurirent, contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda coelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum, qui essent matrimonio coniuncti » (n. 5.).

2°. Decretum declarat, *cur optet* Christus et Ecclesia, « ut *omnes* (!) Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant », — desiderium enim hoc « in eo potissimum est, ut Christifideles per Sacramentum Deo coniuncti robur inde capiant ad *compescendam libidinem*, ad *leves culpas*, quae quotidie occurrunt, abluendas, et *ad graviora peccata*, quibus humana fragilitas est obnoxia, *praecavenda* — *non autem* praecipue, ut Domini honori ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut premium sit suarum virtutum » (n. 3).

3°. Declaratur, *qualis dispositio* requiratur ad « frequentem et quotidianam communionem ... omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis ». Ad dispositionem requiruntur duo: *Status gratiae et recta piaque mens.* **a.** *Status gratiae*: « Etsi quam maxime expediat, ut frequenti et quotidiana communione utentes, venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, *sufficit* nihilominus, ut *culpis mortalibus vacent*, cum *proposito* se nunquam in posterum peccaturos » (nr. 3.). — **b.** *Recta piaque mens* « in eo est, ut qui ad s. mensam accedit, *non* usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, *sed* Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere » (nr. 2).

4°. Ad duo requisita dispositionis adduntur *duae conditiones*: « Curandum est, ut sedula ad s. communionem *praeparatio* antecedat et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia ». — Altera conditio est: « *Confessarii consilium* intercedat », iste tamen cavere debet, « ne a frequenti seu quotidiana communione quemquam avertat, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat » (nr. 4-5).

Cavendus ergo est « *sacramentalismus* » *falsus*, quando nempe « communio frequens in sensu composito tepiditatis crescentis et negligentiae omnis praeparationis cedere potest in maximum animae detrimentum » — animadvertit recte Billot (I, 569 s.). — De frequenti comm. cf. inferius J. 3.

II. Regula pastoralis, quando obligare incipit praeceptum divinum communionis.

a) *Lateranense IV.* tantum de obligatione loquitur, quae incipit « postquam ad annos discretionis pervenerit » utriusque sexus fidelis. Tamen praesertim sub influxu detestabili *Jansenismi* haec aetas sub pietatis specie valde dilata est; in Gallia et Germania fuerunt regiones saec. XVIII-XIX. ubi tantum versus 13-14 annum aetatis pueri (et puellae) ad primam communionem admittebantur, quae non raro antecedebatur a prima confessione, quamque ulteriores confessiones per annum vel ultra sequebantur, adhuc sine communione, quae praetendebatur a pueris « nondum intelligi ». Controversiae habitae non multum efficiebant, initio saeculi nostri adhuc tantum inter annos 9-10-11 facta est prima communio, magna cum pompa, fere in omnibus mundi regionibus. Postquam iam communio quotidiana per *Sanctum Pium X.* inde per quinque annos in pristinum honorem restituta est, edidit idem venerandus Pater per S. Congregationem de Sacramentis 8. aug. 1910. *decretum* maximi momenti *de aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam* (Decr. « Quam singulari »). — (Totum textum v. A. Bugnini, Docum. pontif. p. 41-46, cf. adhuc Denz. 2137-2144.).

b) Cum hoc decretum recte dicatur non legem esse mere ecclesiasticam, *sed divinae legis declarationem authenticam* (M. Gatterer, Erstkommunion der Kinder 45 s. iam anno 1911, dein F. Müller *in*: ZkTheol 1913, 504-537, Lercher IV, 2 p. 367), inde sequitur hoc decretum etiam pro Ecclesia Orientali valere. Momentum eius autem et efficaciam ostendit illud ver sacrum eucharisticum, quod e semine huius decreti inde per quinque decennia iam per totum orbem terrarum pullulavit. (W. Bless, Frühkommunion, St. d. Zeit 1959, 175-183).

c) *Singula praescripta* huius decreti sequentia sunt:

1°. Determinatur, quid sit « *aetas discretionis* ». Est aetas, « in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive *etiam infra* » (I. n. 17).

2°. Determinatur, quod Sacr. poenitentiae et Eucharistiae *non possunt seiungi,* nam « ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto confessionis et communionis » (ibid.).

3°. Determinatur, *quid requiratur cognitionis* ad primam confessionem et communionem. **a.** Primo dicitur *quid non est necessarium*: « Ad primam confessionem et ad primam communionem necessaria non est *plena et perfecta* doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere » (II. n. 18). — **b.** Deinde dicitur, *quid sit necessarium*: « *Cognitio* qua ... ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat », ad quod, hoc repetendo, CIC can. 854 § 3. tantum addit: « et *devote* pro suae aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant ». — **c.** *In periculo mortis*: « Ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac *debeat,* satis est, ut sciant Corpus Christi a communi cibo *discernere* et illud reverenter adorare » (can. 854. § 2.).

4°. Deciditur, *quae sint personae,* in quas obligatio praecepti confessionis et communionis recidat: « Ad *patrem,* aut ad illos, qui eius vices gerunt, et ad

confessarium ... pertinet admittere puerum ad primam communionem », quod CIC can. 854 § 4. sic propius determinat: « De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eiusve parentibus aut iis, qui loco parentum sunt ».

5°. Habetur praescriptum de *generali communione puerorum*: « *Semel aut pluries in anno* curent parochi indicere atque habere communionem generalem puerorum, ad eamque non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, *iam antea primitus de altari sancta libarunt*. Pro utrisque *dies aliquot* instructionis et praeparationis praemittantur » (V. n. 21). — Heic addi debet can. 851 § 5. *de officio vigilandi parochorum*: « Parocho autem est officium *advigilandi etiam per examen, si* opportunum prudenter iudicaverit, ne pueri ad sacram synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione, itemque curandi, ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi, quamprimum hoc divino cibo reficiantur ».

6°. Inculcatur *cura pro futuro*: « Puerorum curam habentibus omni studio curandum est, ut post primam communionem *iidem pueri* ad sacram mensam *saepius accedant*, et si fieri possit *etiam quotidie*, prout Christus Jesus et mater Ecclesia desiderant » (VI. n. 22).

7°. Omnino *improbatur consuetudo* non admittendi ad confessionem pueros et « *abusus non ministrandi viaticum* eis et extremam unctionem post adeptum usum rationis eosque sepeliendi more parvulorum » (VIII. n. 24). — De prima comm. cf. infra J. 5.

Litteratura.

Quoad necessitatem: *J. Nicolussi*, Die Notwendigkeit d. hl. Eucharistie Bozen 1917. — *E. Springer*, Ueber das in der Taufe eingeschlossene votum der Eucharistie, *in*: Linzer theol.-prakt. Quart.schrift 1921, 525-540. — *O. Lutz*, Die Lehre des hl. Thomas über die Notwendigkeit der Euch. *in*: ZfkTh 1922, 20-54. — *De la Taille* ed.2. 587-617. — *L. Lercher*, Die hl. Euch. als notwend'ges Hilfsmittel zur Bewahrung des Gnadenstandes, *in*: ZfkTh 1931, 287-293. — *D. Bertetto*, Il Magistero eucaristico di Pio XII., Torino 1957.

Quoad utramque speciem. DAL III, 2,2437-47. — *L. Pastor*, Gesch. d. Päpste VII (1920) 365-381. — *A. Franzen*, Die Kelchbewegung am Niederrhein, Münster i. W. 1955.

E) De personis sacramentalibus Eucharistiae.

Tractandum est nobis hac quaestione de illis, qui conficere queant Eucharistiam, i.e. consecrandi habent potestatem, dein de ministris qui ordinariam habeant potestatem ministrandi hoc Sacramentum augustissimum, de ministris extraordinariis et necessitatis, demum de subiecto suscipiente Eucharistiam, hoc ordine:

1. De ministro confectionis.
2. De ministris dispensationis.
3. De subiecto Eucharistiae.
4. De dispositione corporis ad communionem.

1. De ministro confectionis.

THESIS. Minister confectionis est solus sacerdos. De fide.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Professio fidei Waldensibus* praescripta ab Innocentio III. anno 1208: « Confitemur quod ... non potest nec debet Eucharistiam consecrare, nec altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter, a visibili et tangibili episcopo regulariter ordinatus » (Denz. 424).

2°. *Conc. Lateran. IV. 1215*: « Hoc utique Sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus » (Denz. 430).

3°. *Trident. sess. XXII. cap. 1*: « Deus et Dominus noster ... corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini ... Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque successoribus, ut offerrent, praecepit » (Denz. 938.). — *Ibid. can. 2:* «S.q.d., illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum: a.s. » (Denz. 949.).

b) **Scriptura Sacra.**

Ut per se patet, Christus in coena novissima *apostolis* tradidit potestatem conficiendi coenam Eucharisticam, *atqui*, ut item Scriptura dicit: «Nec quisquam sumit sibi honorem, nisi vocatur a Deo » (Heb 5,4). Ergo *tantum* apostolis, iis, qui acceperunt mandatum Domini: « Hoc facite in meam commemorationem », competit ius et potestas iterandi coenam Christi. Eorum *successoribus* in munere ideo debet competere hoc ius et potestas, quia Eucharistiae *coena continuanda* est usque ad adventum Domini, ut iterum Scriptura dicit: « Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat » (1 Cor 11,26).

c) **Traditionem sacram**

fere superest allegare, tam clarum est eius testimonium, inde a S. *Ignatio Antiocheno*, dicente: « Valida (bebaia) Eucharistia illa habeatur, quae sub episcopo peragitur, vel sub eo, cui ipse concessit » (Ad Smyrnaeos 8,1 Quasten 336.). — S. *Cyprianus* loquitur de confessoribus in carcere, qui visitandi sunt, « ut *presbyteri* illic apud illos offerant » (Ep. 5,2); idem Sanctus dicit: « Christus summus sacerdos Dei Patris *et* sacrificium Patri seipsum obtulit, *et* hoc fieri in suam commemorationem praecepit, utique ille sacerdos vere vice Christi fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur » (Ep. 63,14 PL 4,385).

d) **Rationes theologicae S. Thomae.**

1°. *E dignitate Sacramenti huius*, nam propter hanc dignitatem « non conficitur, nisi *in persona Christi*. Quicunque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri *per potestatem* ab eo concessam » (III q. 82. a. 1.). — Nec potest *excipi*, quod etiam alia Sacramenta conficiuntur in persona Christi, qui eorum administer principalis est. Enimvero etiam ibi dicit e commissione et potestate e Christo accepta, sed suo nomine: « Ego te baptizo » etc., maxime autem in Eucharistia evanescit persona ministri secundarii, quando dicit: « Hoc est corpus meum », quod evidenter de Christi corpore dicit.

2°. *E necessitate minore* huius Sacramenti, ac baptismi: « Perceptio huius Sacramenti non est tantae necessitatis, sicut perceptio baptismi ... ideo licet *in necessitatis articulo* laicus possit baptizare, non tamen potest hoc Sacramentum conficere » (ibid. ad 3.).

3°. Cur possint *simul consecrare* plures, aliis verbis concelebrare, ideo possibile est, « quia sacerdos non consecrat, nisi *in persona* Christi, multi autem *sunt unum* in Christo, ideo non refert, utrum per unum aut per multos hoc Sacramentum consecretur, nisi quod oportet ritum Ecclesiae servari » (ibid. a. 2. ad 2.).

2. De ministro dispensationis.

a) **Minister ordinarius.**

1°. Minister dispensationis Eucharistiae est *sacerdos* ut *minister ordinarius*, sec. Trident. sess. XIII. cap. 8: « In sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent, qui mos tanquam ex traditione apostolica descendens iure ac merito retineri debet » (Denz. 881). — Similiter can. 845. § 1: « Minister ordinarius sacrae communionis est solus sacerdos ».

2°. **Rationes** huius gravis praescripti sunt:

a. Quia sacerdos *consecrat in persona Christi*, sic debet agere, sicut Dominus, *sed* Dominus « sicut consecravit corpus suum in coena, ita et aliis sumendum dedit. Unde, sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio » (III q. 82. a. 3.).

b. Quia sacerdos *mediator est inter* populum et Deum: « Sacerdos constituitur medius inter Deum et populum, unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offere, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere » (ibid.).

b) **Minister dispensationis extraordinarius**

« est *diaconus*, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur » (can. 845. § 2.). In antiquitate christiana revera diaconi semper assistebant in distributione communionis, calicem porrigendo.

1°. Quae sit *gravis causa*, ponderandum est. Talis non videtur esse sola devotio, vel exercitium ordinis diaconatus, sed si aliquis eo die non posset communicare, vel si sacerdos confessiones audiat, vel celebret et communicantes adsunt, vel si magna multitudo adesset et etiam diaconus distribueret communionem simul cum sacerdote. Iudicium de causae gravitate est penes eum, qui licentiam dat.

2°. *Casus necessitatis* adesset, si quis non communicaret eo die, quia parochus absens est et non potest licentiam dare, vel praesertim in communione infirmorum.

3°. *Deferre Sanctissimum* semper licet diacono: « Diaconus ratione ministerii sui, potest, etiam praesentibus sacerdotibus et extra casum necessitatis, SS. Sacramentum de suo altari ad alterum deferre » (RCong. decr. 4194 ad 3.).

4°. *Ritus communionis a diacono* ministratae. Iuxta rubricas Ritualis Romani noviter editi inde ab anno 1925. a diacono communionem administrante, servandus et ritus descriptus quoad sacerdotem, excepta stola transversa, non excepta benedictione danda fidelibus per formulam: Benedictio Dei etc. (Comm. Pont. Interpretat. 13. iul. 1930.). Similiter in communione *infirmorum* ritus servandus pro sacerdotibus praescriptus, non excepta aquae aspersione et benedictione cum Sanctissimo danda tum infirmo in eius cubiculo, tum in ecclesia quando revertitur cum Sanctissimo. Secus benedictionem cum Sanctissimo dare diacono non licet. « Minister enim benedictionis eucharisticae est solus sacerdos, nec eam impertire diaconus potest, nisi in casu, quo viaticum ad infirmum detulerit » (can. 1274. § 2.).

c) **Minister necessitatis**

Eucharistiae potest esse et alius, secundum auctores recentiores, e quibus meretur *Noldin-Schmitt-Heinzel* nominari (III. n. 125,3): « In gravissima necessitate moribundi posset absente sacerdote et diacono, etiam *subdiaconus et clericus*, et si absque scandalo fieri posset, *etiam laicus moribundo deferre viaticum* et ministrare. Id probabiliter permittunt complures auctores et recte quidem, cum *praeceptum divinum sumendi* in morte Eucharistiam *praevaleat praecepto humano*, quod prohibet, ne a laico tangatur aut deferatur SS. Sacramentum ».

1°. Hoc argumentum nequit infirmari, sicut *Merkelbach* facit, eo, « quia praeceptum divinum cessat, quando cum debita reverentia ex recepta consuetudine Ecclesiae statuta impleri nequit » (III. n. 338,2), quod falsum est, nam Sacramenta primario in bonum hominum condita sunt, non ad exhibendam reverentiam. Secus *ipse S. Thomas* permittit, ut laici tangant Eucharistiam in casu necessitatis: « Nulli alii tangere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu » (III q. 82. a. 3.), quod sane haberi censetur, si infirmus sine Eucharistia moreretur.

2°. Accedit, quod *in aevo antiquo laici* per saecula ordinarie secum assumebant Eucharistiam, atqui absonum esset supponere, Ecclesiam tamdiu tolerasse sine ulla reprehensione « irreverentiam », quae relativa est et a communi aestimatione dependet.

3°. Et sane *exempla historica* ostendunt, quod persecutionis tempore nemo scandalizatur, si Eucharistia iis defertur per pios laicos, qui secus nullo modo possent ad eam pervenire. Sic factum est adhuc saec. XII-o cum *Synodus Londinensis* anni 1138 laicis in casu necessitatis viaticum deferre concedebat, quod usque ad hoc tempus usitatum erat (Mansi 21, 551). S. Congregatio de *Propaganda fide 10. aug. 1841* permisit, ut christianis in carcere Eucharistia deferatur, ut seipsos communicare queant (L. Eisenhofer II, 300). In persecutione *Parisiensi 1870* feminae deferebant communionem sacerdotibus detentis. Forsan etiam alia exempla possent afferri: omnes, etiam timorati non scandalum, sed aedificationem inde sumpserunt. Iuxta facultates extraordinarias *Ordinariis Mexicanis* datas 23. dec. 1927. etiam laicis concessum est deferre Eucharistiam. In casu vero ergo necessitatis extraordinariae deferre licet etiam laico SS. Eucha-

ristiam (Cappello, De Sacr. I. n. 334, Vermeersch-Creusen III. n. 354., Fanfani IV, p. 162.).

4°. Sine necessitate ministrantes *irregulares* fiunt, excepto diacono, qui ordinem suum exercet, etsi extraordinarie.

Scholion.

Sacerdos qua minister necessitatis s. communionis sibimetipso ministratae. Necessitas *tunc solum* adest, si sacerdos celebrare non posset, ex alia vero parte nemo adesset, qui ei communionem ministraret.

1°. Nulla habetur *difficultas dogmatica*, nam etsi minister Sacramenti semper distinctus debeat esse a subiecto suscipiente, quando Sacramentum *conficitur*, administratio s. communionis *non* est *actio* sacramentalis ex parte ministri, *nec passio* sacramentalis ex parte subiecti, actio sacramentalis habetur, dum conficitur Eucharistia, passio vero sacramentalis fit in materia panis et vini (Doronzo, De Sacr. in genere 1946, p. 435.).

2°. Iuxta sententiam auctorum modernorum nec videtur adesse *difficultas e parte legum cultualium*, nam usque nunc non habetur vetitum Ecclesiae, etsi, ut sententiam negans Merkelbach dicit (III. 338,1), modus communicandi nunc receptus et Ecclesiae consuetudo sit, distributio communionis per ministrum distinctum. In casu necessitatis etiam antiquiores opinabantur communionem sacerdotis sibiipso ministratam licitam esse, nunc vero frustra diceretur non adesse necessitatem: nam sec. Sanctum Pium X. desiderium Christi et Ecclesiae est ut omnes fideles *quotidie* ad s. mensam accedant. Ergo quod nullibi fit mentio talis communionis, neque in CIC, nec in Rubricis Missalis vel Ritualis (ad quod Fanfani provocat, liceitatem tamen asserens III. p. 163), argumentum non est convincens: agitur enim de casu *extraordinario*, *raro* contingente et de *sacerdote* qui in Missa semper seipsum communicat. Nihil ergo repugnat, salvo utique meliore iudicio Ecclesiae, quod sacerdos in casu supradictae necessitatis seipsum communicet (Aertnys-Damen II. n. 122., Cappello, De Sacramentis I. n. 337., Vermeersch-Creusen III. n. 354. dicens: « potius quam id diacono committat, se ipse communicet, neque id putamus esse grave, si indebite factum sit »).

3°. Noldin-Schmitt-Heinzel eousque procedit, quod dicat, tum sacerdotem, tum *diaconum* absente alio sacerdote posse non solum necessitatis, sed etiam devotionis causa hoc Sacramentum sibi ministrare: « Sacerdos enim et diaconus, solum si adsit alius sacerdos vel diaconus, se ipse communicare prohibetur » (III. n. 125,4).

4°. Si quis sacerdos *utens probabilitate* huius sententiae, sibi ministraret Eucharistiam, debet hoc facere in stola et superpelliceo, candelis altaris accensis, ipse recitat « Confiteor » etc., dicit « Agnus Dei » etc, dein omnia quae praescripta sunt post communionem extra Missam.

3. De subiecto Eucharistiam suscipiente.

a) De dispositione animae subiecti.

THESIS. Subiectum suscipiens Eucharistiae est baptizatus in statu gratiae. De fide.

1°. **Vox Ecclesiae.** *Trident. sess. XIII. can. 11*: « S.q.d., solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae Eucharistiae Sacramen-

tum: a.s. Et, ne tantum Sacramentum indigne atque adeo in mortem et commendationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus exsistat » (Denz. 893.).

2°. **Status quaestionis.** Triplex sumptio Eucharistiae haberi potest secundum doctrinam Tridentini. a. Prima est, qui « *sacramentaliter* tantum sumunt, id est, peccatores », qui ideo « Sacramentum tantum » sumunt, i.e. corpus et sanguinem Domini, etsi baptizati sint, sed « rem tantum », i.e. gratiam non accipiunt.— b. Secunda sumptio est *communio spiritualis*, quando « voto propositum illum panem caelestem edentes fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt ». — c. Tertia autem sumptio est *sacramentalis simul et spiritualis*, « hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad divinam hanc mensam accedunt » (Sess. XIII. cap. 8. Denz. 881.). Nunc agitur de communione sacramentali et simul spirituali, quae tamen secus simplicitatis causa « sacramentalis » solet vocari.

3° **Adversarii.** Thesis ut est dirigitur contra eos, qui *per defectum* peccaverunt, sc. *Novatores.*

a. *Lutherus* enim iam 1517 in thesibus suis famosis dixit fidem esse solam, quae requiritur et sufficit: « Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Eucharistiae accedunt huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicuius peccati mortalis, quod praemiserint orationes suas et praeparatoria: omnes illi iudicium manducant sibi et bibunt. Sed si credant et confidant, se gratiam ibi consecutoros, haec sola fides facit eos puros et dignos » (Prop. damn. 1520. Denz. 755). — Item in *Apologia confessionis*: « Missa non est satisfactio, sed promissio et sacramentum requirens fidem » (Art. 24. cf. J. T. Müller, p. 268.). Ut intelligitur, fides fiducialis Lutheri supponitur.

b. Alii adversarii surrexerunt saec. XVII. *Iansenistae*, qui talia tenebant: « Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint ». Dein: « Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers » (cf. Errores Iansenistarum damnatos 1690. Denz. 1312. 1313.). Thesis directe non contra illos dirigitur, qui per excessum peccant. Thema hoc iam absolvimus superius, loquendo de decreto salutari Sancti Pii X-i (D. 3. I. Regula).

4°. **Sacra Scriptura** evidenter docet, *1 Cor 11,27-29:* « Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne... iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini ». a. « *Indigne* » bibit, qui peccatis affectus est gravibus: Corinthiis sic fuit, nam redarguuntur, quod se inebriant, multum comedendo in ecclesia (conventu nempe agapês), peccant ergo graviter contra temperantiam, dein aliis fratribus non dant, et hi esuriunt, peccant ergo graviter contra caritatem. Ideo cit. textu dicitur: « Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat ». — b. Hunc locum *authentice Ecclesia interpretatur*, cum dicat: « Eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur,

absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat » (Sess. XIII. cap. 7. Denz. 880.).

5°. **E Traditione sacra a.** iam *Didache* memorat hoc, dicens: « Si quis sanctus est, veniat, si quis non est, poeniteat (metanoeitô) » (c. 10. Quasten p. 12.). — **b.** Deinde e saec. II-o in *Actis Joannis* dicitur de Joanne: « Et fracto pane dedit nobis omnibus unicuique fratri, implorans (epeuchomenos), ut sit dignus gratia Domini et sanctissima Eucharistia » (Quasten p. 341.). Putamus his duobus textibus clare iam resonare antiquissimam liturgicam admonitionem: « Ta hagia tois hagiois! » = « Sancta sanctis! ». — **c.** Deinde *Origenem* allegamus, qui tali modo adhortatur fideles Alexandrinos: « Communicare non times corpus Christi accedens ad Eucharistiam *quasi* mundus et purus, quasi nihil in te sit indignum, et in his omnibus putas, quod effugias iudicium Dei? Non recordaris illud quod scriptum est, quia propterea in vobis infirmi et aegri et dormiunt multi? Quare multi infirmi? Quoniam non seipsos diiudicant, neque seipsos examinant nec intellegunt, quid est communicare ecclesiae vel quid est accedere ad tanta et tam eximia sacramenta! » (PG 12,1386). — **d.** Item saec. IV-o *Testamentum Domini* liturgicam exhortationem affert, quae clarissime prodit statum gratiae necessarium esse ad communionem: « In coelos corda vestra! Si quis odium contra proximum habet, reconcilietur, si quis in conscientia infidelitatis versatur, confiteatur ... si quis pollutus, si quis non firmus, locum det, si quis alienus a praeceptis Jesu, abeat, si quis prophetas despicit, semet segreget, ab ira Unigeniti semet servet! » (Quasten p. 12). — **e.** Demum audiatur adhuc e permultis testibus, qui afferri possent, unus S. *Cyrillus Hierosolymitanus*: « Symbolum est, quod vos puri debetis esse (dei hymas kathareuein) ab omnibus peccatis et iniquitatibus: ablutio » (nipsasthai, e verbo « nizo », se lavare, declarat manuum ablutionem in Missa), (Cat. mystag. 5,2 Quasten p. 98.).

6°. **Rationes theologicae** sumi possunt sec. S. Thomam (III q. 80. a. 4).

a. Probatur necessitas status gratiae ad communionem *e significatione Sacramenti* huius. Eucharistia enim significat et efficit unionem cum Christo, « quicunque hoc Sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum, et membris eius incorporatum ». Hoc autem tantum per fidem *formatam* fit, quam nullus habet, qui est in statu peccati mortalis. Sumens enim cum mortali peccato falsitatem in Sacramentum committit.

b. Probatur ex eo, quod Eucharistia *medicina est*. Nam « non quaelibet medicina competit sec. quemlibet statum infirmitatis, nam medicina quae datur iam liberatis a febre ad confortationem, noceret, si daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam baptismus et poenitentia sunt quasi medicinae purgativae, quae dantur ad tollendam febrem peccati. Hoc autem Sacramentum est medicina confortativa, quae non debet dari, nisi liberatis a peccato » (Thomas ib.).

c. *E natura peccati mortalis* sic arguitur: Qui habet conscientiam peccati mortalis, non vivit spiritualiter, sed est reus aeternae mortis. *Atqui* mortuus iam non potest nutriri, « et ita non debet spirituale nutrimentum suscipere, quod non est nisi viventis », dicit Doctor Communis (q. 79. a. 3.).

b) **Normae pastorales de dispositione animae.**

I. Regula: De procuratione necessariae dispositionis.

Lex fundamentalis est: « *Sacerdos sibi conscius* peccati mortalis quantumvis se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione Missam ce-

lebrare ne audeat, quod si, deficiente *copia confessarii* et urgente necessitate, elicito tamen perfectae contritionis actu, celebraverit, quamprimum confiteatur » (can. 807). — *Pro fidelibus* idem praescribitur: « Nemo quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad s. communionem accedat, quod si urgeat necessitas ac copia confessarii desit, actum perfectae contritionis prius eliciat » (can. 856).

1°. Quoad *obligationem confessionis* notetur, quod peccati gravis commissio *certe constare* debet, (« qui sibi conscius est »), suaderi potest tamen confessio, nisi scrupulosus sit. Recte vero additur a Noldin consilium practicum: « Communicans in hoc casu conari debet ante communionem contritionem perfectam elicere, ne se exponat periculo frustrandi Sacramentum... nam cum certa sit obligatio praecavendi frustrationem effectus Sacramenti, certa est etiam obligatio adhibendi medium ad hunc finem necessarium » (n. 141). — Si iam confessione peracta recordetur quis se inculpabiliter (ergo non ob defectum praeparationis) oblitum esse aliquod mortale, non obligatur ad confessionem, nam peccatum cuius accusationem inculpabiliter omiserit, iam indirecte remissum est per infusionem gratiae sanctificantis, in hoc casu obligatio manet in sequenti confessione etiam hoc peccatum oblitum confitendi.

2°. Quoad *necessitatem excusantem*. Licet communicare sacerdoti « *urgente necessitate* elicito tamen perfectae contritionis actu » (can. 807), et quoad non-sacerdotes: « quod si urgeat necessitas » (can. 856), quaeritur, *quae sit* ista necessitas. a. Quoad *sacerdotes*: necessitas haec habetur, *si ex officio celebrare debet* (die festo, Missam iam annuntiatam publicam), si scandalum generaret, e.gr. si iam ante altare steterit, demum in casu, si deesset Hostia pro moribundo necessaria. — b. Quoad *non-sacerdotes*: « Si coram aliis iam est in scamno communicantium, si absque infamia non potest abesse a communione generali etc » (Noldin-Schmitt-Heinzel n. 142,2, Arregui, Summarium Theol. Moralis nr. 545). Verumtamen recte monet cl. Vermeersch-Creusen: « Post propagatam cotidianam communionem, periculum verae molestae notae patiendae minus raro oboritur » (Theol. Mor. n. 359.). Standum est in praxi pastorali sapienti *consilio* eiusdem auctoris: (1) « Ut sufficiens *sollicitudo* habeatur de perfecta contritione », dein, (2) « ut accessus sine praevia confessione componatur *cum reverentia* debita ss. eucharistiae ». Alterum eiusdem consilium autem est: « Maxime in collegiis sancta sit libertas non solum communicandi, sed etiam *abstinendi usu* ss. eucharistiae, cur confessarii prudenter dirigant poenitentes in *stricte cotidiano* accessu ad s. mensam, eamque dissuadeant ei qui facile labitur in peccatum grave nec paratus est contemnere astantium mirationes ». — Ad quod adiungere possumus, neminem unquam alium respicere debere, praesertim autem nunquam « mirari ».

3°. Quoad *copiam confessarii*, quae altera conditio est, quod aliquis celebrare vel communicare possit cum sola contritione perfecta, dicenda sunt: Confessarius deesse potest vel eo, quod *non sit praesens* sacerdos qui iurisdictione polleat, nam si non habet facultatem absolvendi, deest ut confessarius. Haec praesentia *moraliter* dimetienda est, nam « talis potest esse *temporis angustia*, ut ne sacerdos quidem qui quinquaginta passibus a celebraturo separatur, praesto esso censeatur » sec. Vermeersch-Creusen (III. n. 290,2). — Con-

fessarius deinde deesse potest eo, quod *sine gravi damno, confessioni* utique *extrinseco,* adiri non potest, v.gr. si « adiuncta peculiaris familiaritatis, venerationis qua senex honoratur a iuvene cooperatore, damnum istud facere possunt extraordinarium, ac talem verecundiam parere quae moraliter invincibilis sit » (Vermeersch ibid. b.). *Quoad sacerdotes* audienda sunt, quae idem Vermeersch-Creusen inculcat: Si unus vel summum alter confessarius praesto sit, positive *permitti potest,* ut omittatur confessio, « praesertim cum facile accedat verum scandalum iunioris qui enorme senis peccatum noverit ». — Si plurium confessariorum optio fuerit, omissio confessionis probari non potest, « in *casu tamen speciali* ubi poenitens sibi conscientiam sic formaverit, et facile in desperationem moralem caderet post factum, *tacere licebit* ». — Si autem de sacerdote agatur, qui pravae consuetudini indulgeat, ita ut non raro sine confessione celebret ... *tolerare non possumus* habitualem istius praecepti omissionem ».

II. Regula: De sacrilega communione.

1.° Communionem sine sufficienti dispositione animae, i.e. sine statu gratiae, esse sacrilegium, pronum est. *Non est tamen gravissimum,* ut S. Thomas docet, nam gravissima sunt quae committuntur contra *divinitatem* (blasphemia, infidelitas), — dein secundarie gravia sunt, quae committuntur contra *humanitatem* Christi, — tertio loco sunt peccata *contra Sacramenta* commissa, ut patet primo loco contra Eucharistiam, nam ibi ipse auctor eorum continetur, — « post haec sunt alia peccata contra puras creaturas » (III. q. 80, a. 5.). *Maximum sacrilegium erga Eucharistiam* tamen non communio sacrilega est, sed si quis « species consecratas *abiecerit* vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit » (can. 2320), rationem reddente eodem Doctore Communi: « Quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam faciendi huic Sacramento, quod *non intendit peccator* indigne corpus Christi accipiens, secundo quia peccator est capax gratiae: unde etiam magis est aptus ad suscipiendum hoc Sacramentum quam quaecumque alia irrationalis creatura » (ibid. ad 3.).

2°. Quod attinet locos communes afferri solitos quoad communionem sacrilegam, idem Aquinas sic distinguit. Si communio indigna comparatur *cum peccato occidentium* Christum, hoc verum est secundum *similitudinem* quia utrumque committitur contra corpus Christi, — non est verum secundum criminis quantitatem. Peccatum occidentium enim contra corpus Christi in specie propria commissum est, hoc peccatum autem contra corpus in specie Sacramenti; item in communione sacrilega deest intentio nocendi Christo. — Altera comparatio est *cum peccato Iudae,* qui osculo Jesum tradidit, quod verum est secundum similitudinem, quia uterque peccator signo caritatis offendit Christum, non autem ad criminis quantitatem, ut iam supra dictum est (ibid. ad 1. et ad 2.).

III. Regula: De dispositione meliore.

1°. Dispositionem meliorem ad uberiorem capiendum fructum e s. communione *preparatio* ad communionem suppeditat. a. Haec constat primo *e statu animae,* qui melior vel minus melior potest esse. Ad hoc ergo « puritatem colant, abstinendo a peccatis etiam venialibus deliberatis, fide et caritate saepe Christo uniantur non solum in oratione sed etiam in implendis status sui officiis, humilitate profunda et ardenti desiderio Christum in se attrahant » (Tanquerey III, 658 s.). — b. Secundo praeparatio fit etiam *per preces.* Ad quod moneri

potest, bonam esse praeparationem, si textus liturgici Missae audiantur, vel simul cum sociis comprecentur, vel cantentur, vel sibi legantur. Totus ritus, et textus Missae enim etiam eo tendunt, ut unione divina compleatur sacrificium. « *Laudibus igitur digni sunt,* qui ... Missale Romanum apte in populi manibus ponere conatur ... itemque ii laudibus exornandi sunt, qui efficere contendunt, ut Liturgia externo etiam modo actio sacra fiat, quam reapse adstantes omnes communicent » (MDei n. 104.). Etsi missalium lingua vulgari exaratorum iam immensus sit numerus, oblivisci tamen non debet *monitum* eiusdem documenti: « *Haud pauci* e christifidelibus Missali Romano, etiam si vulgata lingua exarato, *uti nequeunt,* neque omnes idonei sunt ad recte, ut addecet, intellegendos ritus, ac formulas liturgicas ... ac praeterea animorum necessitates et propensa eorum studia non eadem in omnibus sunt, neque in singulis semper eadem permanent » (ibid. n. 107.).

2°. *Gratiarum actio* post communionem etiam privata, imo praecise privata, ab Enc. Mediator Dei valde commendatur, tum sacerdotibus, tum etiam fidelibus, plus ergo fieri debet, quam hucusque factum est. a « Valde consentaneum est eum, Eucharistica accepta dape ac publicis conclusis ritibus se recollegere, ac cum Divino Magistro intime coniunctum, cum eodem, prouti rerum adiuncta concedant, *dulcissime, salubriterque colloqui* ... Tantum abest, ut sacra Liturgia intimos singulorum christianorum sensus reprimat, ut eos potius idcirco refoveat atque instimulet, ut Jesu Christo assimilentur ... Divino enim placet Redemptori nos deprecantes audire, nobiscum aperto animo colloqui, nobisque in flagranti Corde suo praebere refugium » (n. 121.122). — **b.** Huic gratiarum actioni iuxta monitum sanctae Matris Ecclesiae *etiam petitiones* aptissime *coniunguntur*: « Caelestem opem eo horae momento imploramus, quo *nullum magis opportunum* datur ad petenda impetrandaque Christi nomine auxilia » (MDei n. 125). Exemplum sumi potest meditatione « postcommunionum », quae optimas ostendunt petitiones quaeve semper novam materiam suppeditare possunt ad privatim has preces amplificandas et excavandas (Cf. Jungmann II, 525-527).

4. De dispositione corporis ad communionem.

Alia dispositio nunc iam *non requiritur, nisi ieiunium eucharisticum* seu sacramentale, etsi etiam nunc apud aliquos auctores sermo fit de *munditia corporis et vestium.* Verum quidem est, quod « iure naturali requiritur ad s. communionem ea corporis et vestium compositio, quae internam animae devotionem exhibeat » (Tanquerey III, 663), hoc tamen praeprimis nunc in intentione quaerenda est, nam antea hoc facile etiam in externo habitu requiri potuit, cum communio rara fuit. Nunc autem, late diffusa communione frequenti imo cotidiana, sane nemo recte faceret retinendo operarios, agricolas, vel alios euntes vel revertentes a labore cotidiano, ut communicent, tantum quia eorum vestes nec compositae nec sat mundae possunt esse. — Dein ante communionem frequentem commendabatur etiam ut abstineant a communicando qui *pollutionem involuntariam* passi sunt, vel operi coniugali indulgebant. Utrumque nunc iam obsoletum est — supposito, ut patet quod actus non fuerunt coniuncti cum peccato, utputa exclusionis prolis — nam omnibus frequens, imo cotidiana *communio* nunc iam commendatur, etsi secundum rerum naturam tum pollutiones

involuntariae, tum actus coniugales occurrant. Agendum ergo nobis restat solummodo de ieiunio eucharistico, etquidem a) De ratione ieiunii eucharistici, b) de historia ieiunii eucharistici, c) de lege ieiunii eucharistici « Christus Dominus » (1953), item d) de praescriptionibus singulis huius legis (Christus Dominus 1953), demum e) de lege ieiunii nunc vigente sec. Motuproprio « S. Communionem » (1957).

a) **De ratione ieiunii eucharistici.**

1°. *Reverentia commendat* ieiunium eucharisticum, ut nempe *ante omnes alios cibos* sumeretur; iam Augustinus ait: « Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti prius in os christiani corpus dominicum intraret, quam ceteri cibi » (Ad Ianuarium c. 6. III. q. 80. a. 8. cf. PL 33,203). Reverentia erga corpus Christi hoc ieiunio eo exhibemus, quod usu hoc « luculenter demonstramus illud esse primum ac summum nutrimentum, quo animus alatur noster eiusque augeatur sanctitas » (AAS 1953, 16).

2°. Ieiunium commendatur etiam propter eius *significationem*, nam, ut Aquinas dicit, sic « datur intelligi, quod Christus, qui res est huius Sacramenti et caritas eius, debet primo fundari in cordibus nostris, secundum illud Mt 6,33: Quaerite primum regnum Dei » (ibid.). Sic autem, ut Ecclesia dicit, per ieiunium pietas fovetur, « ideoque ad saluberrimos illos sanctitatis fructus augendos conferre potest, quos bonorum omnium fons et auctor Christus a nobis, gratia ditatis, elici postulat » (AAS 1953, 16).

3°. Argui potest *e naturali utilitate* huius ieiunii, ut Ecclesia edicit: « Cum *corpus cibo oneratum non sit*, mens erigitur agilior, atque impensiore movetur virtute ad arcanum illud excelsumque meditandum mysterium, quod in animo, tamquam in templo, agitur divinam adaugens caritatem » (AAS p. 17). Haec ratio extendi potest, ut S. Thomas facit, etiam ad naturalia pericula: « Periculum scilicet vomitus et ebrietatis, quae quandoque contingunt ex hoc, quod homines inordinate cibis utuntur » (l. cit.).

b) **Historia ieiunii eucharistici.**

1°. Inde iam *ab antiquissimis temporibus* cerni potest mos Eucharistiam ieiune sumendi. Primus testis *Tertullianus* est, qui ad uxorem dicit, si maritum habeat gentilem, quid eum dicturum esse, si mane « ante omnem cibum » gustaverit de Eucharistia secum portata (2,5 PL 1,1408). — *S. Basilius* sic loquitur de sacerdote celebraturo: « Neque enim fieri potest, quod absque ieiunio audeat ad sacrum accedere ministerium » (Hom. I. de ieiun. 6. PG 31,171.). — *S. Chrysostomus* enuntiat: « Dicunt me post convivia aliquibus communionem dedisse, si hoc feci: expungetur nomen meum e libello episcoporum ... ecce, si tale quid perpetravi, Christus me eiiciat e regno suo! » (Ep. 125. Ad Cyriacum PG 51,683).

2°. *Legislatio ecclesiastica* suam fecit hanc institutionem, quae primitus tantum pia erat consuetudo. *Concilium Hipponense anno* 393 et *Carthaginense III.* 397 idem decreverunt: « Sacramenta altaris nonnisi a ieiunis hominibus celebrentur », *alia posteriora concilia* (Toletanum VII. anno 646) excommunica-

tionis poena, imo depositione puniebant transgressores huius praecepti (Conc. Bracarense anno 572 et Matisconense anno 585, cf. AAS 1953, 17). — Concilium universale Constantiense autem anno 1415 definivit hanc consuetudinem laudabilem esse: « Sacrorum canonum auctoritas, laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi Sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel Ecclesia concesso vel admisso » (Denz. 626). Ubi clare edicitur, in Ecclesiae esse potestate, « interdum esse opportunum, ob peculiaria rerum adiuncta, hanc ieiunii legem ad christifideles quod attinet, *aliquatenus relaxare* » (AAS 1953, 17).

3°. Tales relaxationes incipiebant sub *Sancto Pio X. anno 1906. die 7. Decembris* per decretum emanatum a S. Congr. Concilii quoad communionem *infirmorum*, quod etiam a CIC can. 858 § 2. transsumptum est. — Altera relaxatio pro sacerdotibus data est a S. Officio regnante *Pio XI. 22. Maii 1923*, permittente dispensationes pro iis qui *tardioribus* horis celebrent vel pluries in die (AAS 1923, 151 et 585). *Epistola 1. Jul. 1931.* haec dispensandi facultas extensa est ad *sacerdotes* infirmos quoque etiam sine causa ministerii sacri (Periodica de re morali etc. 1932, 105). — Durante secundo bello mundiali 1939-45 fere per totum orbem *etiam fideles* accipiebant dispensationes per Ordinarios locorum dispertiendas ad mitigandum ieiunium eucharisticum. Sic via strata fuit ad edendam novam legem universalem, quae duobus gressibus emanata est annis 1953 et 1957 per Pium XII. Prima lex est Constit. « *Christus Dominus* » *6. ian. 1953* cum *Instructione S. Officii* adiecta (AAS 1953, 15-24 et 47-51), secunda est Motuproprio « *Sacram communionem* » *19. mart. 1957* (AAS 1957, 177-8) extendens indulta supradictae Constitutionis.

c) **Lex ieiunii eucharistici « Christus Dominus » anni 1953.**

Prima mitigatio fundamentalis ieiunii eucharistici per hanc Constitutionem Apostolicam elargita fuit. Quae etiam nunc non habet valorem exclusive historicum, nam *huius* Constitutionis indulta sunt extensa per secundam legem anni 1957 quam edens Pius XII. enixe hortatus est « sacerdotes et christifideles, qui id praestare valeant, ut venerandam ac vetustam eucharistici ieiunii formam ante Missam vel s. communionem servent » (AAS 1957, 178). Idcirco etiam documentum primae mitigationis fusius a nobis exponitur.

Rationes, cur haec nova lex edita sit, enumerantur (cf. « Christus Dominus », AAS 1953, p. 19-21):

1°. Rationes mitigationis adsunt e *parte cleri* qui numero impar est necessitatibus pastoralibus, nimiosque labores tolerare debet pluries celebrandi, confessiones audiendi, catecheses impertiendi, ceteraque munera subeundi.

2°. *Fideles* oppressi sunt muneribus alternis non modo per diem sed etiam noctu, iteratisque laboribus; matres familias domesticis curis occupantur; pueri communicantes ad nutrimentum sumendum domum redire non valent; multitudo populi ex alio ad alium locum transgreditur ad religiosas celebrationes, quae omnia impediunt quominus ad communionem ieiuni accedere valeant.

3°. E parte omnium sumentium valet, quod « praesentis vitae conditiones... eiusmodi sint, ut non parum corporum constitutionem valetudinemque debilitaverint » (p. 21).

4°. *Finis* ergo *legis editae* de ieiunio eucharistico est, ut conferat « ad eucharisticae pietatis incrementum atque adeo aptius permovere atque excitare omnes ad Angelorum participandam mensam, adaucta procul dubio Dei gloria ac Mystici Corporis Iesu Christi sanctimonia » (p. 22).

5°. *Finis* vero *Instructionis* adiectae est: « Ut normae ad huiusmodi concessiones pertinentes ubique *conformi* ratione serventur atque evitetur quaelibet *interpretatio*, quae concessas facultates *amplificet*, utque ab omni abusu hac de re caveatur » (p. 47).

d) De praescriptionibus singulis huius legis (Christus Dominus 1953)

I. Lex generalis ieiunii eucharistici.

« Ieiunii eucharistici lex *a media nocte* pro iis omnibus *vigere pergit*, qui *in peculiaribus condicionibus non versentur*, quas per Apostolicas has Litteras expositurí sumus. Principium tamen generale et commune omnibus in posterum esto, sive sacerdotibus, sive christifidelibus: *aquam* videlicet *naturalem* eucharisticum ieiunium non frangere » (Constit. p. 22. nr. 1.).

Breviter: *A media nocte ieiunium naturale servari debet*, iuxta can. 808 et 858. § 1., *tantum aqua sumi potest.* — In specie singillatim expendenda:

1°. Terminus **mediae noctis** remanens *stricte* sumi debet, ut hucusque. Ad temporis supputationem respiciendus can. 33 eiusque interpretatio authentica extensiva data die 29. Maii 1947 per Comm. Interpret. (cf. De Eccl. sacrificante F.3. a) — Indulta data quoad hanc legem inferius enodabuntur.

2°. **Aqua naturalis** nunc iam *non* frangit ieiunium, et est sec. Instructionem « *aqua naturalis sine ulla cuiuslibet elementi adiectione* ». — Excluduntur ergo aquae « gazzosae » (vulgo « Soda »), spumantes, vel coloratae et per aliquod elementur (e.gr. saccharum) conditae (sorbitiunculae, szörpök). Non excluduntur *aquae vere naturales*: fontis, putei, aquaeductus, etiamsi elemento e rationibus hygienicis adiecto purificatae sint: lacus, fluvii, roris, pluviae, imo aqua mineralis, ita sicuti e fonte emanat, monendum tamen permultas aquas « minerales » vocatas esse iam artefactas, ergo non permissas (eau travaillée, kristályviz).

3°. **Omnia cetera frangunt** ieiunium eucharisticum et ideo manent interpretationes Moralistarum huius generis. Sufficit allegare cl. Vermeersch (II, n. 360-368). *Rationem cibi* habet, vel potus, quod *digestibilis est per se*. « Hinc *rationem cibi vel potus non habent* vel non habere censentur — sec. eundem Vermeersch — metallum (bene vero pulvis ferreus vel similis, a medicis non raro praeceptus), vitrum, lapilli, capilli, filum sericum vel laneum bene vero lineum, ossicula fructum bene depurata, et probabiliter ungues, frustulum ligni sicci, nisi sit comestibile ut rhabarbara, glycyrrhiza (Süssholz, réglisse, édesgyökér), charta, cera, terra, creta ». — Ad sumptionem pertinet quod *ab extrinseco* debet sumi, hoc autem deficit, ut idem auctor citetur, « in eo, qui reliquias cibi *ex pridie* peracta comestione traicit casu vel etiam ex industria, cum rubrica casum non distinguat » (De defectibus IX, 3), agitur de ciborum reliquiis dentibus inhaerentibus, — deinde « *qui sanguinem* ex dentibus, lingua, ulcere intra os, vel *interius* ex naso profluentem etiam consulto deglutiat, qui *aromata* vel folia *tabaci* ori imponat, vel aliquid gustet, dummodo *nihil transmittat* in stomachum » (Vermeersch n. 360, 2), sic e.gr. mater infantulo degustans caliditatem lactis vel pultis (Mus, pép). Huc pertinet etiam, « quod *inter respirationem* simul casu in os attrahitur, sive pulvis, musca, culex (Mücke, gnat, zanzara, szunyog) fuerit, — quod casu *per nasum* attrahitur, v. gr. pulvis tabaci, quod mixtum saliva simul cum ea deglutitur ... particula folii tabaci, quod masticaveris, paucae guttulae sanguinis vel pellicula ex labiis exterioribus assumptae ... fumus tabaci, vel aiud fumigium, — sic dicta inhalatio, clysterium nutritivum, iniectiones subcutaneae » (Vermeersch I. cit.).

4°. **Excipiuntur quidam casus: a.** « *Si mortis urgeat periculum* » (can 858 § 1.), etiam si ob causam extrinsecam e.gr. tempore incursionis aereae. Notandum: « Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum, secundum prudentis confessarii consilium, *pluries, distinctis diebus* administrari et licet et decet » (can. 864 § 3.), ideoque, ut Vermeersch adiicit: « *etiam cotidie,* si confessarius id expediens aestimet » (n. 379, 2. c.). — *N. B. in dubio de periculo mortis* pro facultate communicandi respondendum est (Génicot-Salsmans II, 202, Vermeersch n. 362,1). — (Cf. inferius J. 7. b. 2.). — **b.** Alter casus est: « *necessitas impediendi irreverentiam in Sacramentum* » (can. 858 § 1.), quod etiam ad *laicos* se extendit, nam nulla fit distinctio. Sic sumi debet Eucharistia tempore incendii, vel profanationis imminentis, incursus aerei ruinam secum ferentis; fragmenta detecta post ablutionem, etiam in sacristia (Vermeersch n. 362,3). — **c.** Tertius casus est *observatio legis rubricalis,* si adultus baptizetur, accipit sal, tamen post baptismum communionem sumit non obstante acceptione salis (Resp. Congr. de Propag. fide 16. febr. 1806.). — **d.** Quartus casus est praeceptum divinum *sacrificium complendi,* tunc etiam si alius non habeatur, sacerdos non ieiunus debet continuare Missam, vel sumere Eucharistiam (Miss. Rom. de defectib. X, 3, cf. superius De Eccl. sacrificante C. 2. b. I. Regula 3°).

II. Indulta pro fidelibus et sacerdotibus infirmis.

« Infirmi, etiamsi non decumbant, aliquid sumere possunt, de prudenti confessarii consilio, per modum potus, vel verae medicinae, exceptis alcoholicis. Eadem facultas sacerdotibus infirmis conceditur Missam celebraturis » (Constit. p. 22. nr. II.).
Breviter: sine ulla temporis limitatione medicina et potus sumi potest de consilio confessarii. — In specie singula:

1°. **Infirmi** sunt etiam ii, qui non decumbunt. « Infirmus » hoc sensu non idem est ac « aegrotans » (krank, sick, malade, beteg), sed habens *aliquam debilitatem* (gyengélkedö, débil, schwächlich). « Indispositio ergo seria, *etsi transiens* sufficit, sicuti gravis indigestio nocte superveniens, vel dolor capitis » (Moise Roy p. 16). Adnumerari certo possunt *senes,* si spectetur monitum Ritualis Romani: « Senectus ipsa morbus », inquantum necessarium haberent uti hoc indulto, ut bene dicit Ephemeris quaedam (Verordnungsblatt f. d. Gebiet d. Apost. Administr Innsbruck-Feldkrich 1953, nr. 2. S. 13.).

2°. Quod attinet **confessarii consilium, a.** eius nomine venit tantum sacerdos, qui *iurisdictionem,* i. e. absolvendi potestatem *habet in infirmum.* Nam si non haberet talem potestatem, non posset confessionem eius audire, hoc autem requiritur., — **b.** *non ut revera confessio fiat*: « Confessarius suum consilium dare poterit sive in foro interno, sacramentali, sive in foro interno extra-sacramentali, etiam semel pro semper, perdurantibus eiusdem infirmitatis condicionibus » (Instructio p. 48 nr. 2.). Non debet ergo quis ad habitualem confessarium ire, consilium confessarii dari potest etiam alicui catervae fidelium, semper supposita, quod iurisdictionem eos absolvendi habeat. — **c.** Neque hoc est necessarium, ut fidelis *ante sumptionem* medicinae vel potus iam petierit consilium confessarii, *etiam post talem sumptionem* potest dare consilium, ut patet, ante communionem faciendam. — **d.** Num fidelis possit *prudenter praesumere consilium confessarii* et post communionem ei tantum patefacere suum statum, *Roy* non putat improbabile. (Rev. euch. du clergé 1953, 14); quod quidem *probare non possum,* nam expresse vetatur per legem hanc « quaelibet interpretatio quae concessas facultates amplificet » (Const. AAS p. 23), talis vere agendi modus vix non esset amplificatio, insuper neque necessaria, quia facile potest consilium semel pro semper accipere. — **e.** *Sacerdotes* vero *non debent* tale consilium a confessario petere, lege enim de hac re nihil dicitur aliud, nisi: « Sacerdotes infirmi, etiamsi non decumbant, dispensatione pariter uti possunt, sive sint Missam celebraturi sive ss. Eucharistiam recepturi » (Instr. nr. 3). Iure ergo censemus cum pluribus auctoribus sacerdotem sibi ipsi decidere posse prudenter casum.

3°. **Per modum potus** possunt tales infirmi aliquid sumere, quod, quia *hac lege non* determinatur, recte censetur per declarationes officiales hucusque vigentes interpretandum esse. **a.** Declaratio haec emanata est *a S. Officio die 7. sept. 1897,* secundum quam « licet sumere iusculum (Suppe, zuppa, potage, leves), caffeum, lac, aut alium cibum liquidum, etsi sit ei permixta substantia aliqua ex.gr. leves pastilli farinae (semolino, Gries, dara), panis radula tritus (Krume, crum, mie, pangrattato, morzsa), ovum dilutum etc. dummodo mixtio non amittat naturam cibi liquidi ». Ad hanc declarationem adhuc vigentem adiungit Vermeersch (n. 363,6) Cappello I, 507) et Moise Roy (p. 16 nota 9.) *ipsum ovum in statu naturali,* seu non decoctum vel valde leviter decoctum, quod dicitur bibi. Admitti tamen

non potest *saccharum* « bibi », etsi iam in ore penitus solvatur (Vermeersch l. cit.). — b. « *Exceptis alcoholicis* » potionibus, putamus quidem hac in re non dari parvitatem materiae, nam ieiunio sacramentali hoc videtur melius congruere et cavendum est ab interpretatione extensiva, etsi Roy (p. 16 nota 7.) putet, si quis per inadvertentiam aliquas guttulas alcoholi in coffeam fudit, hoc constituere parvitatem materiae.

4°. « **Per modum verae medicinae** » intelligitur secundum Instructionem (nr. 1.): « sive liquidum (*exclusis alcoholicis*), sive solidum, dummodo de vera medicina agatur, a medico praescripta vel uti tali vulgo recepta. Advertendum tamen est, non posse medicina haberi quodlibet solidum pro nutrimento sumptum ». — Sic ergo e.gr. excluditur usus prunorum ut laxativum, aquae vitae ut medicamen stomachi, illud quia nutrimentum est, hoc quia alcoholicum.

III. Indulta pro sacerdotibus in peculiaribus adiunctis.

« Sacerdotes qui vel *tardioribus horis*, vel post gravem sacri ministerii *laborem*, vel post *longum iter* celebraturi sunt, aliquid sumere possunt *per modum potus*, exclusis alcoholicis, a quo tamen se abstineant saltem per spatium unius horae, antequam sacris operentur. — Qui autem bis vel ter Missam celebrant, ablutiones sumere possunt, quae tamen, in hoc casu, non vino, sed aqua tantum fieri debent » (Constit. AAS p. 22. nr. III. et Iv.).

Breviter: Sacerdotes sani in peculiaribus tribus adiunctis versantes usque ad unam horam ante Missam per modum potus aliquid sumere possunt. — Speciatim singula explicantur:

1°. Quid intelligi debet sub « **tardioribus horis** » declaratur Instructione: « *i.e. post horam nonam* » (p. 48 nr. 4). Si sacerdos pluries celebret, Missamque litare debeat e.gr. iam hora octava, dein aliam hora nona, tunc iuxta Resp. S. Officii Ordinario Strigoniensi datum « facultate de qua sub nr. 4. Instructionis agitur, uti licet iam ante Missam hora octava celebrandam » (cf. Litt. Circ. Strigoniens. 1954. I. nr. 134.), et etiam inter duas Missas (Roy p. 17). Bene notandum: *pro sacerdote* computatur una hora ante inceptam Missam: « antequam sacris operentur ».

2°. **Gravis sacri ministerii labor** est causa secunda ob quam uti potest sacerdos indulto. Instructio S. Officii enuntiat: « v.gr. iam a summo mane seu per longum tempus » (nr. 4). *Labor* ergo *tantum tunc excusat*, si « *sacri ministerii* » est labor, id est contio, confessionum exceptio, servitium sacrum, directio animarum, administratio parochialis etc. Indultum valet, *si Missa ante horam 9.* celebretur, nam tunc sola hora tardior sufficeret. Roy putat unam horam iam « longum tempus » esse (p. 18), quod nullo modo possumus acceptare, nam sane sacerdotes omnes laborant in sacro ministerio saltem per unam horam. Si autem infirmus est, habet aliam causam ad utendum indulto: haec exceptio pro sanis datur, qui procul dubio non unam sed multo plures horas possunt laborare in sacro ministerio et non indigent tali indulto.

3°. « **Longum iter** » quid sit, eadem Instructio determinat: « i.e. saltem 2 *km. circiter pedibus percurrendum*, vel proportionate longius pro variis vehiculis adhibitis, difficultatis quoque itineris vel personae habita ratione » (p. 48). « *Proportionate longius* », e.gr. secundum Roy bicycleto utens circa per mediam horam, vehiculo aliquo una hora in viis bonis, semihora in malis. « *Personae habita ratione* »: quarta pars horae potest iam multum esse pro sene, in viis lubricis (Roy p. 18).

4°. **Per modum potus** possunt sumere, qui modus iam declaratus est superius, ut Instructio ad cautelam adiungit: « *semel vel pluries*, servato ieiunio unius horae ante Missae celebrationem » (nr. 6.).

5°. **Ablutiones** sumere possunt, **sed tantum aquam,** quae nunc iam non frangit ieiunium. Instructio S. Officii duas ulteriores praescriptiones addit: **a.** « Qui tamen die Nativitatis Domini vel in Commemoratione omnium fidelium defunctorum tres Missas *sine intermissione* celebrat; quod ad ablutiones attinet, *rubricas observare* tenetur » (nr. 7.), i.e. in aliquo vase parato abluit digitos cum aqua, calicem cooperit palla et in ultima Missa ordinario modo sumit ablutionem. — **b.** Alia exceptio: « Si vero sacerdos qui bis vel ter Missam celebrare *debet, per inadvertentiam vinum* quoque in ablutione sumat, non vetetur, quominus secundam et tertiam Missam celebret » (ibid. nr. 8), quod non obtingit, si mere ex devotione celebret.

6°. *Monitum* notandum est S. Officii: « Tres casus supra numerati tales sunt, ut **omnia comprehendant rerum adiuncta**, in quibus legislator praefatam facultatem concedere intendit, ideoque quaelibet vitetur interpretatio quae facultates concessas amplificet » (ibid. nr. 5.).

IV. Indulta quoad fideles in peculiaribus adiunctis.

« Christifideles pariter, etiamsi non infirmi, qui ob grave incommodum — hoc est, ob *debilitantem laborem*, ob *tardiores horas*, quibus tantum ad Sacram Synaxim accedere possint, vel ob *longinquum iter*, quod suscipere debeant, — ad eucharisticam mensam omnino ieiuni adire nequeant, de prudenti confessarii consilio, hac perdurante necessitate, aliquid sumere possunt, per modum potus, exclusis alcoholicis; a quo tamen se abstineant saltem per spatium unius horae, antequam Angelico nutriantur pane » (Const. p. 22 nr. V.).

Breviter: Usque ad unam horam ante communionem fideles in peculiaribus adiunctis aliquid sumere possunt per modum potus. Singula nunc elucidantur:

1°. **Debilitans labor, a.** quid sit, declaratur ab Instructione S. Officii: « Hoc labore afficiuntur, tum opifices, qui, officinis vel vehicularibus maritimisque muneribus vel aliis publicae utilitatis officiis addicti, diu noctuque per vices (Schicht, müszak) occupantur; tum illi, qui ex officio *vel* ex caritate noctem vigilem transigunt (v.gr. valetudinarii, custodes nocturni, *etc.*); tum mulieres praegnantes et matresfamilias, quae, antequam ecclesiam adire queant, in domesticis negotiis per longum tempus incumbere debent, *etc.* » (Instr. n. 10, a). — **b.** *Casus* gravis incommodi sunt *taxative* enumerati, ergo « omnia comprehendunt rerum adiuncta » (Instr. nr. 5), sed *classes* hominum seu munera eorum (Beruf, profession,foglalkozás) enumerantur *demonstrative*, ergo et alii similes afferri possunt. Sic opinantur recte omnes auctores; provocari enim potest ad particulas « *etc., v.gr.* » in Instructionis textu, quae evidenter ostendunt enumerationem hanc demonstrativam esse. — **c.** Ideo iure adnumerantur *ad opifices* agricolae, animalium curam habentes; *inter publicae utilitatis officiis* addictos: vigiles publicae securitatis, custodes carcerum, telegraphi et telephonii curam habentes, cellarii (Kellner, garçon, waiter, cameriere, pincér); inter matresfamilias quantum ad occupationem etiam ancillae, nutrices, sorores infantium, amitae vel materterae (Tante, aunt, zia, nagynéni), aviae et tales, quae eundem laborem subire debent domesticum.

2°. Quod attinet **tardiores horas**, Instructio haec determinat: « Hora tardior, qua sacra communio recipitur, — sunt enim haud pauci *fideles*, qui tantummodo serioribus horis possunt apud se sacerdotem habere, qui sacris operetur; sunt pueri *complures*, quibus nimis grave est, antequam ad scholam se conferant, ecclesiam adire, angelico pane vesci, postea vero domum reverti, ientaculi sumendi gratia, *etc.* » (nr. 10, b). — **a.** *Duplex* habetur hic *casus*: *primus* eorum, qui « *tantummodo serioribus horis* » possunt ad communionem accedere. Iure putamus, *solam pigritiam* in surgendo *non esse* causam sufficientem, nam si necesse habeant quietem matutinam, computantur inter « infirmos ». Hora heic nominata non est, potest *per analogiam sumi hora nona*, ut auctores opinantur. — **b.** Hoc fortasse ideo omittitur, quia *alter casus* respicitur: « *pueri complures ... ad scholam* » se conferentes, nam hoc iam hora maturiore contingere potest. Quia etiam heic adiungitur in Instructione « *etc.* », Roy (p. 21) putata *favorem* hunc *se extendere etiam ad alios*, qui in talibus adiunctis versantur: alumni universitatum, professores, operarii, qui iam non possunt domum redire ad sumendum ientaculum.

3°. « **Longum iter peragendum**, ut supra explicatum est », dicit Instructio (nr. 10. c.). « Quod (iter) suscipere *debeant* », dicit Constitutio — ergo sine causa non potest uti indulto, qui prope domum suam habeat occasionem communicandi. Certo certius autem potest, si sanctuarium longe distans devotionis causa vult visitare ibique communicare (congressus eucharisticus, adoratio XL horarum, publicae precationes et alia), nam Constitutio inter causas talia enumerat, quae excusant a ieiunio totaliter observando.

4°. Potest haberi **casus complexivus**, quando « adiuncta seorsim sumpta e praecedentibus non viderentur sola sufficere sacerdoti vel fideli cuidam utendi aliquo indulto, sed simul sumpta iam constituant causam sufficientem » (Roy p. 22-23). Talis e.gr. esset: *labor* defatigans per minus tempus, ad quod accedit *adhuc iter* faciendum, seorsim sumptum neutrum sufficeret ad causam constituendam utendi indulto, simul sumpta iam sufficere censetur et similia.

V. Lex de Missis vespertinis.

« Si *rerum adiuncta* id necessario postulant, *locorum Ordinariis* concedimus, ut Missae celebrationem vespertinis, ut diximus horis permittere queant, ita tamen, ut haec initium non habeat *ante horam IV. post meridiem...* servato a sacerdote ieiunio *trium horarum* quoad cibum solidum et potus alcoholicos, unius autem horae quoad ceteros potus non alcoholicos. In his autem Missis christifideles ad Sacram Synaxim accedere poterunt, hac eadem servata

norma ad ieiunium eucharisticum quod attinet, firmo praescripto can. 857. » (sc. semel communicandi in die). (Const. nr. VI.).

Breviter: in communione vespertina trium horarum ieiunium quoad cibos solidos, unius horae (ultimae nempe e tribus horis) *autem ieinium etiam quoad potus ceteros non alcoholicos praescriptum est.* — Singula exponenda sunt:

1°. Quae sint « **rerum adiuncta** *quae necessario postulant* » Missas vespertinas, edicitur *Instructione*: « Bonum commune aliquando sacrorum mysteriorum celebrationem post meridiem expostulat: *v.gr.* pro quarumdam industriarum opificibus, qui festis quoque diebus laboribus succedunt in vices; pro illis operariorum classibus, qui matutinis festorum horis occupantur, ut muneribus portuum addicti; pro iis pariter, qui ex dissitis etiam regionibus maxima frequentia in unum locum conveniunt, ad quandam festivitatem religiosam vel socialem celebrandam *etc.* » (AAS p. 50).

a. Ut statim videri potest, haec enumeratio circumstantiarum, quae Missam vespertinam necessariam faciunt, est *demonstrativa* (*v.gr., etc.!*), possunt ergo esse etiam aliae consimiles circumstantiae. — **b.** Terminus horae *a quo definitur*: non ante horam IV. pomeridianam (hora 16.), terminus *ad quem non limitatur*, ut in facultatibus specialibus hucusque plerumque fiebat. *Subintelligitur* Missa ante coenae tempus, quod tempus variatur sec. locorum consuetudines, in Italia e.gr. coenae tempus intra 8-9 horas pomeridianas, in Hispania inter 9-10 horas est usitatum, secus sec. necessitatem eorum pro quibus celebratur, potest, hoc tempus statui, ut nempe Missae adstare possint (Roy p. 24.). — **c.** *Non edicitur, num una, vel plures Missae* possint concedi ab Ordinario; etiam in hac concessione necessitas pastoralis prae oculis habenda est.

2°. Statuitur tum a Constitutione, tum ab Instructione, **quibus diebus** possit celebrari Missa vespertina. Tantum his diebus potest celebrari Missa, aliis non, nam agitur de « certis diebus taxative statutis » (Instr. nr. 12.). Hae dies sunt sequentes. Primo *dies ab anno liturgico independentes* (**a.b.c.**), dein dies festi huius anni (**d.e.**).

a. « Primis cuiusque mensis feriis sextis. »
b. « Ceteris sollemnibus qui cum magno populi concursu celebrantur ». Talia essent: Congressus et dies Eucharistici, XL Horae, Tridua, Novendiales, exercitia, missiones etc.
c. « Die uno in hebdomada, praeter dies supra memoratos, si bonum peculiarium personarum id postulat. » — Intra dies memoratos numerantur etiam dominicae et festa, quae sequuntur.
d. « Festis de praecepto *vigentibus* ad normam can. 1247. § 1. » et:
e. « Festis de praecepto *suppressis*, iuxta Indicem a S. Congr. Concilii editum die 28. Dec. 1919. ».

Horum dierum, tum vigentium tum suppressorum *Catalogum* concinnamus, his diebus semper possunt celebrari Missae vespertinae ex Ordinarii licentia.

Omnes dominicae.
1. Jan. Octava Nativ.
6. Jan. Epiphania.
2. Feb. Purificatio.
24. Feb. Matthiae.
19. Mart. S. Joseph.
25. Mart. Annuntiatio.
Fer. II. Paschatis.
Fer. III. Paschatis.
11. Maii Philippi et Jacobi.
Ascensio Domini.
Fer. II. Pentecostes.
Fer. III. Pentecostes.
Fest. Corporis Christi.
24. Jun. Joannis Bapt.
29. Jun. Petri et Pauli.
25. Jul. Jacobi ap.
26. Jul. S. Annae.
10. Aug. S. Laurentii
15. Aug. Assumptionis.
24. Aug. Bartholomaei.
8. Sept. Nativitatis B.M.V.
21. Sept. S. Matthaei ap.
29. Sept. S. Michaelis.
28. Oct. Simonis et Judae.
1. Nov. Omnium Sanctorum.
30. Nov. S. Andreae.
8. Dec. Concept. Immaculata.
21. Dec. S. Thomae ap.
25. Dec. Nativitas Domini.
26. Dec. S. Stephani mr.
27. Dec. S. Joannis Ev.
28. Dec. Innocentium.
31. Dec. S. Silvestri.
Festum Patroni loci.
Festum Patroni dioecesis.
Festum Patroni regni.

3°. **Quale ieiunium** praescribatur iis, qui *vespertinis horis celebrant vel communionem sumunt,* edicitur ab Instructione, quae hoc casu legem pressius declarat: « Sacerdotes, qui pomeridianis horis Missam celebrant, itemque fideles, qui in eadem sacram communionem recipiunt, possunt *inter refectionem,* permissam usque *ad tres horas ante* Missae vel communionis initium, sumere *congrua moderatione alcoholicas* quoque potiones inter mensam suetas (*v.gr.* vinum, cerevisiam *etc.*), exclusis quidem liquoribus. Quoad potus autem quos sumere possunt ante vel post dictam refectionem, usque ad unam horam ante Missam vel communionem, excluditur *omne alcoholicorum genus* » (nr. 13.).

Sec. quosdam auctores in hac parte aliqua obscuritas invenitur (e.gr. Mahoney l. infra cit. p. 95; vel J. Miller p. 215). Mens S. Sedis autem clare elucet e responso S. Officii supracitato, dato 1954. Ordinario Strigoniensi: « Ante Missas vespertinas tota die — excepto ieiunio trium horarum — cibus solidus ad libitum sumi potest, *potus* vero *alcoholicus tantum durante refectione principali.* » Item: « *Exclusio* omnis generis *alcoholici* ante dictam refectionem intelligenda est *iam a media nocte,* ita ut qui consueti sint mane ad stomachum refocillandum modicum liquoris sumere, die, quo ad S. Missam vel Communionem accedere voluerint, ab hoc se abstinere debeant » (cf. Litt. Circul. Strigon. 1954. I. n. 134).

4°. Quoad **communionem vespertinam fidelium** Instructio haec habet: « Fideles, quamvis non sint de eorum numero pro quibus Missa vespertina forte instituta sit, ad sacram Synaxim libere accedere possunt, *infra dictam Missam,* vel *proxime ante et statim post* » (nr. 15.). — Hic est ergo ordinarius casus, *extraordinarius* esset, si quis non potest mane ad mensam Domini accedere, tantum *horis pomeridianis et extra Missam* vespertinam. Non videtur, cur huic non possit applicari *can. 867. § 4:* « Sacra communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat ». Moise Roy putat, etiam his applicari posse legem ieiunii sacramentalis, supra descriptam pro iis, qui defatigantem laborem exercent, vel horis tantum turdioribus communionem sumere possunt (Instr. n. 10. a.b.c.). Tales ergo certo *possunt communicare,* si tantum *per modum potus aliquid sumpserunt* (Roy p. 25.). (Cf. adhuc infra e. 1. b.).

5°. Praeceptum Ecclesiae quoad ieiunium eucharisticum **omnes sub gravi obligat** secundum communem sententiam doctorum, sacerdos insuper celebrare praesumens non ieiunus « suspendatur a Missae celebratione ad tempus ab Ordinario secundum diversa rerum adiuncta praefiniendum » (can. 2321). Bene ergo harum legum studio deditum esse oportet, ut omnes fideles instruere possit sacerdos et vitia non committat. Verum est, novas has leges difficiliores fuisse, quam legem ieiunii sacramentalis per tot saecula vigentem. Ideo quatuor annis elapsis iam mitigatae sunt et quidem peremptorio modo, simulque simpliciori forma praeditae. Scopus omnium harum legum est, ut « fideles studiose excitent, ut frequentem Missae sacrificio adstare velint et pane eucharistico reficiantur », locorum Ordinarii autem et sacerdotes « opportunis inceptis, praesertim sacra praedicatione, illud promoveant bonum, cuius adipiscendi gratia Summus Pontifex Pius XII. » leges has condere voluit (Instr. n. 20).

c) Lex ieiunii nunc vigens sec. Motuproprio « S. Communionem » 1957.

Secundus gressus mitigationis ieiunii eucharistici factus est *19. mart. 1957* per Motuproprio « *Sacram communionem* » SS. Patris Pii XII., quo indulta Const. Apostolicae « Christus Dominus » extensa sunt, tum quoad sacram communionem tum quoad Missas vespertinas. *Ratio* huius secundae mitigationis datur ab ipsomet Summo Pontifice: « Uberibus fructibus ex hac concessione (=Const. Ap. « Christus Dominus ») captis permoti, Episcopi maximas Nobis egerunt gratias et plures eorum, ad maius fidelium bonum, instantibus et iteratis precibus postularunt facultatem permittendi *quotidie* Missae celebrationem *horis postmeridianis.* Postularunt insuper ut *idem* statueremus *tempus ieiunii servandi* ante Missam vel sacram Communionem, quae horis antemeridianis celebraretur vel reciperetur ». Summus Pontifex, attendens « ad notabiles mutationes, quas or-

dinatio laborum ac munerum publicorum necnon universae vitae societatis passa est », sequentibus decretis totam legem ieiunii eucharistici et Missarum vesper tinarum ordinavit (Textus: AAS 1957, 177-8; Doc. Pont. II. 1959, p. 64-65).

1°. *Quoad tempus ieiunii eucharistici* vigens lex est: « Tempus ieiunii eucharistici servandi a sacerdotibus ante Missam et a christifidelibus ante sacram Communionem, horis sive antemeridianis, sive postmeridianis, limitatur ad *tres horas* quoad *cibum solidum* et *potum alcoholicum*, ad *unam horam*, quoad *potum non alcoholicum*, aquae autem sumptione ieiunium non frangitur » (Motupr. n. 2). **a.** His lex servandi *ieiunium a media nocte* abrogata est, consequenter enim statuitur, quod « ieiunium eucharisticum per tempus supradictum servare tenentur etiam, qui Missam celebrant vel s. Communionem recipiunt media nocte aut primis diei horis » (n. 3), ergo qui nocte Nativitatis Domini celebrat, a hora 21. iam ieiunium eucharisticum servare tenetur. — **b.** S. *Communio* — ut declaratum est a S. Cong. Rituum — *horis postmeridianis* quidem sumi potest, sed per se *in Missa vel immediate ante vel post* (cf. decr. Rit. Eph. Lit. 1957, 316). Ubi vero Missae vespertinae non habeantur, applicetur haec norma «etiam *aliae functioni sacrae* ab ipso loci ordinario determinandae ac postmeridianis horis celebrandae » (S. Offic. 21. mart. 1960. AAS 1960, 360). S. Officium censuit clausulam can. 867. § 4 (s. communio distribuenda tantum horis Missae « *nisi aliud rationabilis causa suadeat* ») « licet formaliter non abrogatam, iam rarius applicari posse, cum mitigata lege ieiunii eucharistici difficilius huiusmodi rationabilis causa occurrat ». In peculiaribus ergo adiunctis si tamen occurrat, iudicium pertinet ad ordinarium vel ad sacerdotem curatum et semper solum in casu particulari (L. Rennwart Nouv. Rev. théol. 1957, 865).

2°. *Quoad infirmos* praescribitur: « Infirmi quamvis non decumbant, potum non alcoholicum et veras ac proprias medicinas, sive liquidas, sive solidas, ante Missae celebrationem vel Eucharistiae receptionem sine temporis limite sumere possunt » (Motupr. n. 4). Amplius ergo iam non videtur *praescribi* consultatio confessarii, quae tamen *suaderi* potest.

3°. *Quoad Missas postmeridianas* statuitur: « Ordinarii locorum, exceptis Vicariis Generalibus sine mandato speciali, permittere possunt Missae celebrationem horis postmeridianis quotidie, si bonum spirituale notabilis partis christifidelium id postulet » (Motupr. n. 1). **a.** Potest celebrari *etiam altera Missa* horis postmeridianis, « si bonum notabilis partis fidelium id postulet » (CRit Januen. 21. iun. 1957. n. 1.). — **b.** In vigore manet praescriptum Constit. Apostolicae « Christus Dominus » (Instr. n. 12), quod Missa postmeridiana *post horam quartam* solum incipi potest (CRit d 21. iun. 1957. n. 2.). — **c.** Episcopus permittere potest « Missam vespertinam diebus festis *una cum celebratione Matrimonii* », sub conditione tamen « si bonum notabilis partis fidelium id postulet, non autem commodum unius familiae », ut S. Cong. Rituum declaravit (d Caietan. 21. iun. 1957, cf. Eph. Lit. 1957, 316.).

4°. *Quod aquam attinet*, merito audiatur Card. Ottaviani in suo Commentario ad decr. citatum: « Formula qua dicitur aquam non frangere ieiunium eucharisticum (prius dicebatur aqua naturalis), clare innuit verbo aqua comprehendi quamlibet aquam, iuxta sensum communem huius verbi; nihil refert si agatur de aquis mineralibus, quibus aliquando gasium immiscetur ad obti-

nendam effervescentiam, vel de aquis naturalibus expurgatis aut quae a substantiis chimicis innocuae sunt redditae » (Eph. Lit. 1957, 193).

Litteratura.

De ieiunio eucharistico. *E. Bergh, S.J.,* Constitution apostolique « Christus Dominus » du 6. janvier 1953 sur la discipline à observer a l'égard du jêune eucharistique, *in*: Nouv. Revue théol. 1953, 191-198. — *A. J. Gauthier,* En lisant la Constit. apost. Christus Dominus, *in*: Revue eucharistique du clergé 1953, 1-9. — *Moise Roy,* Le jeune eucharistique et les Messes du soir. Annotations et commentaire, *ibid.* p. 10-26. — *J. Miller,* Zum eucharistischen Nüchternheitsgesetz, *in*: Der grosse Entschluss 1953, 213-216. — *E. J. Mahoney,* On the Eucharistic fast. The significance of the recent Apostolic Constitution, *in*: The Tablet 1953, 95-96. — *R. Rouquette,* La nouvelle discipline du jeûne eucharistique, *in*: Études 1953, 390-394. — *F. Hürth,* Periodica de re morali, canonica, liturgica 1953, 50-86. — *A. Gennaro,* La nuova disciplina ecclesiastica sul digiuno eucharistico e sulle messe vespertine, Torino 1953. — *R. Bruch,* Die neuen Bestimmungen über das Jejunium eucharisticum, *in*: ThuGl 1954, 1-17. — *F. Hürth,* Indulta e Const. Ap. « Christus Dominus » extenduntur, *in*: Periodica 1957, 218-242. — *J. Obernhumer,* Abendmesse und eucharistische Nüchternheit nach dem Motuproprio « S. communionem », *in*: Theol. prakt. Quartalschr. 1957, 223-229. — *A. G. Martimort,* La jeune eucharistique et les Messes du soir, Motu proprio « S. communionem », *in*: Maison-Dieu cah. 51. (1957) 127-131. — *G. B. Guzzetti,* La nuova legislazione sulle Messe vespertine e sul digiuno eucaristico, *in*: Scuola catt. 1958, 19-48.

Respectu pastorali. *D. Prümmer,* Man. Th. Mor. III. n. 216-225. 186-204. — *A. Vermeersch - J. Creusen,* Theol. Mor. III. 4.ed. 1948, n. 353-368. — *B. Merkelbach,* Summa Th. Mor. III. 8.ed. 1949, n. 336-340. 268-285. — *J. Aertnys - C. A. Damen,* Theol. Mor. II. 16.ed. 1950, n. 121-168. — *J. Fanfani,* Man. theor.-pract. Th. Mor. IV. 1951, p. 159-181. — *M. Conte a Coronata,* De Sacramentis tract. can. I. 2.ed. 1951, n. 290-335. — *O. Schöllig - R. Weber,* Verwaltung der hl. Sakramente, 4. ed. 1952, p. 63-77. — *A. Chavasse - R. Pernoud,* Communion solennelle et profession de foi, Paris 1952. — *M. Gaucheron,* L'Église de France et la communion des enfants, Paris 1952. — *H. Noldin - A. Schmitt - G. Heinzel,* Summa Th. Mor. III. 30.ed. 1954, n. 123-163. — *A. Loetscher,* Das herrliche Mahl. Anleitung zur tieferen Erfassung der hl. Kommunion, Luzern 1957.

F) De facto praesentiae Christi in Eucharistia.

Nihil aliud hac quaestione agendum est, nisi demonstrare factum centrale Eucharistiae: praesentiam Christi Domini in hoc augustissimo Sacramento. Perlustranda ergo sunt:

1. Doctrina catholica de facto praesentiae.
2. Adversarii veritatis Eucharistiae.
3. Testimonium Verbi Dei de veritate Eucharistiae.
4. Testimonium sacrae Traditionis pro Eucharistia.
5. Testimonium rationis pro veritate Eucharistiae.
6. De adoratione Christi in Eucharistia.

1. Doctrina catholica de facto praesentiae.

simplici thesi enuntiatur:

THESIS. Christus in Sacramento Eucharistiae vere, realiter ac substantialiter sub speciebus continetur.

De fide.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Professio fidei Waldensibus praescripta* 1208: « Sacrificium, id est panem et vinum, post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem D. N. J. Christi, firmiter et indubitanter corde puro credimus et simpliciter fidelibus verbis affirmamus » (Denz. 424.).

2°. *Conc. Lateranense IV.* anno 1215: cap. 2.: « ... Jesus Christus, cuius corpus et sanguis in Sacramento altaris *sub speciebus panis et vini veraciter continentur,* transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina... » (Denz. 430).

3°. *Conc. Trident. sess. XIII.* (1551. 11. oct.) cap. 1: « Docet sancta Synodus ... in almo sanctae Eucharistiae Sacramento post panis et vini consecrationem D. N. J. Christum verum Deum atque hominem *vere, realiter ac substantialiter sub specie* illarum rerum sensibilium *contineri* ... Hoc tam admirabile Sacramentum in ultima caena Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est ». — *Ibid. can. 1*: « Si quis negaverit, in sanctissimae Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. Christi ac proinde totum Christum, sed dixerit, tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute: a.s. » (Denz. 874.883.).

b) **Explicatio definitionis.**

1°. Dicitur in almo Sacramento *corpus et sanguinem* adesse Christi, aliis verbis « Christum verum Deum atque hominem ». Quo edicitur quod *totus* Christus continetur in Sacramento « una cum anima et divinitate ».

2°. Hoc efficitur « *post panis et vini consecrationem* » non ex ubiquitate Christi, ut Lutherani volunt, vel quod e promissione evangelii in concione explicata fit Sacramentum, ut contendunt Calvinistae.

3°. Christus adest *vere* in SS. Sacramento, i.e. non in signo vel figura, ut contendit Zwingli.

4°. Christus adesse dicitur *realiter,* non tantum per virtutem suam, uti contendit Calvinus, sicut praesens est in aliis Sacramentis.

5°. *Substantialiter,* secundum substantiam suam, *non fide* apprehensum, dum substantialiter corpus eius esset in caelo, ut Zwingli dixit, se credere in coena verum corpus Christi adesse, hactenus, quod fidei contemplatione veluti praesens sistitur, vel Calvinus affirmans, Christi corpus quoad substantiam esse in caelo, e quo vigor aliquis manat in symbola sancta coenae.

6°. Christus « sub specie illarum rerum sensibilium *continetur* », i.e. ut Bellarminus dicit: « Non est in Eucharistia ut in loco, vel ut in vase, aut quasi sub velo, sed est *ad eum modum, quo erat* substantia panis sub suis accidentibus, eo excepto, quod illa accidentia inhaerebant panis substantiae, Christi autem substantiae non inhaerent ».

2. Adversarii veritatis Eucharistiae.

a) **Ante saec. IX.**

non fuit vera adversitas contra veritatem Eucharistiae. Nam *Doketae,* negantes Eucharistiam hoc ideo fecerunt, quia incarnationem negabant, item *Iconoclastae* per comparationem dixerunt, solam imaginem a Christo institutam, proin legitimam, esse corpus eius, quin intenderent pugnare contra veritatem Eucharistiae.

b) **Prima veri nominis controversia**

exarsit saec. IX-o ad medium vergente *in regno Francorum*, ut nos putamus influxu interpretationis allegoricae orientalis, quae tunc temporis coepit ibidem mentes occupare. Haec prima controversia eucharistica nota quidem est, sed forsitan non plene intelligitur.

1°. *Amalarius Metensis* circa 830 scripsit opus « De divinis officiis », in quo omnia symbolice seu allegorice explanantur, quod deinde per totum medium aevum usuvenit. Probabile est, quod influxu *Ps. Dionysii Areopagitae* scripsit; opus eius ab *Agobardo* archiepiscopo Lugdunensi eiusque diacono, *Floro* aggressum est; sed Agobardus mortuus est 840, Amalarius eum superans 10-13 annis, victor mansit. Nova spiritualitas seu mentalitas vigere coepit: incepit medium aevum post renascentiam Carolingicam.

2°. *Hic novus modus explicandi* liturgiam *extensus est*, ut nobis videtur, etiam ad Eucharistiam. Ansam praebuit liber optimus, sensu traditionali compositus, abbatis *Paschasii Radberti* circa 840 scriptus. Opus hoc « De corpore et sanguine Domini » ad instruendos in fide pueros Saxonum concinnatum, novum cursum (Richtung, irányzat) interpretationis liturgicae irritavit. Paschasius erat abbas Corbeiensis, huius partis rex, *Carolus Calvus* (inde ab 838) in sua schola Palatina, Parisiis, quaestionem proposuit, ut finem faciat disceptationibus: an usus corporis et sanguinis Domini « *in mysterio an in veritate* » fiat. Rathramnus, monachus et discipulus Paschasii Radberti, aggressus est eum opuscolo « De corpore et sanguine Domini » (PL 120). Realem praesentiam Christi quidem aperte non negat, sed negat corpus eucharisticum idem esse, ac corpus natum e Maria virgine. Christi corpus tantum « in sacramento verum » est, tam verum, ac ignis pictus in pictura est verus ignis pictus, Christus etenim « secundum figuram » continetur in Sacramento. *Paschasius*, qui etiam hodie dicitur, quod « discrimen in modo existendi minus inculcabat » (Lercher p. 207), orthodoxo et a maioribus tradito modo scripsit. Quod suggessit, est: *identitas Christi* historici et sacramentalis, expressa eo, quod idem corpus habetur in Sacramento, ac corpus natum a Maria Virgine et passum in Cruce, quod tunc temporis fuit expressio nova veritatis, *e Syria*, uti videtur in Galliam importata. *Moses bar Kepha* etenim scripsit: (815-903): « Verum est, quod nos inquirimus, quod panis, quem Christus apprehendit, benedixit, sanctificavit, et suum corpus appellavit, idem corpus sit, quod a Virgine accepit, vel aliud corpus praeter hoc. Et nos dicimus, hoc esse eius corpus et sanguinem illius, quod a Virgine acceperat » (De la Taille 626, nota 1.). Locuti sumus iam de arcta necessitudine Syriam inter et Galliam: sic intelligitur *tum* novus exprimendi modus « realismi » sacramentalis (Paschasius), *tum* nova interpretatio allegorica totius liturgiae, in specie nova *falsa expositio* praesentiae eucharisticae. *Rathramnus* enim († 868), erronee etiam Bertramus vocatus (inde eius asseclae « *Bertramitae* » apud Bellarminum et alios) pessime se expressit; liber eius usque ad annum 1900 in Indice prohibitus fuit.

3°. Tamen non iste fuit *verus innovator*, sed *Joannes Scotus*, monachus ex Hibernia (Eriu, ideo a saec. XV. « *Eriugena* » vocatus», qui Carolo Calvo praedilectus, inde ab 847 Parisiis rexit scholam Palatinam. Opera eius fere omnia deperdita sunt, famaque eius nebulosa, sed cum certitudine probabili coniici potest, eum fuisse *auctorem huius novae interpretationis* « *Sacramen-*

tariae ». Scotus fuit, qui translationem Ps. Dionysii Areopagitae donavit Occidenti, fuit neoplatonista, qui primus per philosophiam illuminare conatus est theologiam, sed propter eius graves errores methodus eius valde suspecta evasit. Scotus Eriugena in opere deperdito aperte negasse videtur praesentiam Christi realem; *Hincmarus Remensis* coaevus (844-882 archiepiscopus) enim scribit de Joanne quod secundum eum: « Sacramentum altaris non verum corpus et verus sanguis est Domini, sed *tantum memoria* veri corporis et sanguinis eius » (De praedestinatione c. 31, PL 125,296, ubi loquitur de Prudentio episcopo et « Joanne Scottigena », qui « contra fidei catholicae veritatem dicunt »). Alius coaevus Joannis Scoti, *Adrevaldus*, monachus Floriacensis († 878) opusculum scripsit « De corpore et sanguine Domini contra ineptias Joannis Scoti » (PL 124, 947-954). *Berengarius* autem, de quo statim, saec. XI. ad Joannem Scotum provocabat, ut fautorem sententiae suae sacramentariae.

4°. Etsi Paschasius Radbertus coactus est renuntiare dignitati abbatiali (851), posteritas omnino ratum habuit eius modum loquendi, innisum dogmati catholico, cantando medio aevo cantilenam hucusque usitatam: « Ave verum *corpus natum de Maria* virgine, vere passum, immolatum *in cruce* pro homine... ».

c) **Secunda controversia eucharistica**

saeculo XI-o exarsit et iure vocatur *haeresis Berengariana*. Berengarius enim, archidiaconus ingenio pollens Andegavensis (1000-1088) circa 1047 scripsit librum ad 1941 deperditum «De coena Domini». Profitens se esse sequacem Joannis Scoti, cuius liber tunc ideo publice concrematus fuit, « veritatem dominici corporis et sanguinis contra evangelicam veritatem abnegare praesumpsit, videlicet asserens panem in sacrificio Domini non vere, nec essentialiter, sed *figurate* tantum converti in corpus et sanguinem dominicum », ut dicit de eo coaevus eius *Bernoldus Constantiensis* (PL 148,1453). Reapse magna lis exorta est, quod clare demonstrat sententiam eius novam et piis auribus offensivam fuisse. Contra eum scripserunt *Durandus* (PL 149,1375) *Lanfrancus*, celebris magister Becensis, (PL 150,407), *Guitmundus Aversanus* (PL 149,1427). Synodi habitae sunt permultae contra eum in Gallia et Italia, donec *in synodo Romana 1079* coram S. Gregorio VII. professionem fidei edidit, quae errorem eius clare detegit: « Ego Berengarius corde confiteor et ore profiteor, panem et vinum ... substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem D. N. J. Christi » (Denz. 355). Galliam redux reversus est ad suam haeresim, et nescitur utrum catholicus fuit, quando fere nonagenarius vita functus est.

d) **Saec. XII-XIII.**

Petrobrusiani, dein *Waldenses* et *Albigenses* realem praesentiam tantum negabant per consequentiam: nam tenebant, Christum non habuisse verum corpus. Ideo debebant profiteri, quod Christus fuit « homo verus ex matre, veram carnem habens ex visceribus matris ... manducavit et bibit, dormivit et fatigatus ex itinere quievit, passus vera carnis suae passione ... » (Denz. 422). Secunda controversia eucharistica valde promovit conscientiam veritatis catholicae, adeo ut vix potest haberi:

e) **Tertia controversia**

qua talis, quam *Wiclefus* provocavit superbia inflatus, dicens: « Vix papa cum suis complicibus, omnes episcopi Angliae cum suis doctoribus sciunt dicere,

quid est hostia consecrata ». *Negabat* enim Wiclefus *duas theses* fundamentales: « quod accidens est sine subiecto » et « quod non remanet substantia panis et vini post consecrationem » (De apostasia c. 16. Filograssi p. 193). Quia eius errores etiam Jo. Hus transsumpsit, Concilium Constantiense damnavit hanc doctrinam: « Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris », dein: « Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento », demum: « Christus non est in eodem Sacramento identice et realiter propria praesentia corporali » (Prop. 1.2.3., Denz. 581-583.).

f) Quarta controversia

tempore Reformationis exarsit. 1°. *Solus* **Lutherus** defendit realem praesentiam contra, uti eos denominavit, Sacramentarios, i.s. adversus Carolostadium, Zwinglium, Oecolampadium et Calvinum: « Dass die Worte Christi: Das ist mein Leib veste stehen wider die Schwarmgeister » (opusculum « contra fanaticos »), ubi 1527. talia scripsit: « Si centum milia diabolorum una cum omnibus fanaticis adveniant et dicant: Quomodo potest panis et vinum corpus Christi esse? tamen scio, omnes spiritus et literatos insimul non esse tam sapientes, quam divinam maiestatem digito brevissimo ».

2°. Tamen etiam Lutherus excepta praesentia reali Christi falso opinabatur *quoad transsubstantiationem.* Wiclefi enim renovavit errores et una cum *Melanchthone* de hac re vario modo locuti sunt. In *Confessionis Augustanae* textu primigenio (1530) adhuc fassi sunt: « De coena Domini docent, quod corpus et sanguis Christi *sub speciebus panis et vini* vere adsint et distribuantur vescentibus in coena Domini et improbant secus docentes » (I. pars. art. 10.), tamen verba « sub speciebus » etc. iam in Apologia Confessionis 1531 omittebant. — Lutherus *tres errores fassus est.* Primus est: **a.** impanatio. Etenim iam anno 1522 scripsit: « Postquam vidi, quae esset Ecclesia, quae aliter determinasset, nempe Thomistica, id est Aristotelica, audacior factus sum et stabilivi ... esse verum panem et verum vinum, in quibus Christi vera caro verusque sanguis non aliter nec minus sit, quam ipsi sub accidentibus suis ponunt » (De captiv. Babylon. Eccles.). — In *Formula Concordiae* anni 1536, qua Helvetos voluit suae doctrinae allicere, enuntiavit, corpus Christi « una cum pane et vino » esse praesentem (cf. P. Schanz, Lehre von den hl. Sacramenten p. 356), quam doctrinam iam 1529 in *Cathechismo Maiore* edixit: « ... verum corpus et sanguis D. N. J. Christi *in* et *sub* pane et vino ... » (V. pars, 8.). Substantia ergo panis remanet (*com*panatio), serius etiam affirmavit quia non fuit sibi constans panem unionem inire cum substantia corporis Christi (*im*panatio). Nec sermo esse potest ergo de *trans*substantiatione, de qua scripsit: « Impius et blasphemus est, si quis dicit, panem et vinum transsubstantiari » (Contra Henricum regem Angliae, cf. Filograssi p. 160), sed solum de aliqua *con*substantiatione. Hoc post mortem Lutheri apertissime pronuntiatum fuit in *Formula Concordiae* 1577: « Papisticam transsubstantiationem, cum videlicet in papatu docetur panem et vinum in sacra coena substantiam atque naturalem essentiam suam amittere et ita annihilari atque elementa illa ita in Christi corpus transmutari, ut praeter externas species nihil de iis reliquum maneat » (I. pars VII, 22). — **b.** Praeter impanationem falso etiam putavit praesentiam eucharisticam niti in *ubiquitate corporis Christi;* hoc iam opere « Wider die Schwarmgeyster » scripsit. Falsa

haec opinio item e Scoto Eriugena sumpta est, qui hoc opere suo « De divisione naturae » docuit (cf. Schanz p. 350). — c. *Tertius error* Lutheri erat quod Christus *tantum in momento sumptionis* praesens est, quod iam Formula concordiae 1536 edixit: « ... panem esse corpus Christi, hoc est, porrecto pane sentiunt (sc. Lutherani) simul adesse et vere exhiberi corpus Christi. Nam extra usum, cum reponitur aut asservatur in pixide aut ostenditur in processionibus, ut fit apud papistas, sentiunt non adesse corpus Christi » (J. T. Müller, Symbol. Bücher d. evang.-luther. Kirche ed. 11., p. 649).

3°. **Ulrichus Zwinglius** fuit, *qui minimum retinuit* e doctrina eucharistica antiquitus tradita. In opere suo « De vera et falsa religione » scribit verba Christi accipienda esse tropice eo sensu, quod « est » accipi debeat ac « *significat* ». Ipse enarrat, quando iam biduo frustra disputasset coram senatu Turicensi (Zürich), quod tunc nocte sequenti adstitit ei nescio quis in sommo, « ater autem, an albus fuerit, nihil memini » — inquit — et ab eo monitum acceperat, utendum esse textu Scripturae: « Est enim Phase, id est, transitus Domini » (Ex 12,11), et hoc argumento ridiculo vicit senatum (Cf. Bellarmin. l. I, 8).

4°. **Joannes Calvinus** autem multa habet *de laude* huius mysterii: « Nihil restat nisi ut in eius mysterii admirationem prorumpam, cui nec mens plane cogitando, nec lingua explicando par esse potest » et: « In Sacra coena iubet me sub symbolis panis et vini corpus ac sanguinem suum sumere: nihil dubito, quin *et* ipse vere porrigat *et* ego recipiam ». Quomodo autem hoc intelligendum sit, claie prodit dicendo: « Ingenue confiteor, mixturam carnis Christi cum anima nostra vel transfusionem, qualis ab ipsis docetur, me repudiare, quia nobis sufficit, Christum e carnis substantia vitam in animas nostras spirare, imo propriam in nos vitam diffundere, quamvis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro » (Instt. relig. christ. 1536, IV. c. 17,7. 32.). Secundum Calvinum ergo Christus sic praesens est, sicut secundum doctrinam catholicam in aliis Sacramentis: *effectu nempe virtutis suae.*

g) **Nostra aetate.**

1°. **Protestantes liberales** iam omnino discesserunt a magistris quondam suis. *Ad. Jülicher* anno 1892 affirmavit, Christum coenam celebrantem *nihil* prorsus instituisse, nil voluisse pro quadam Ecclesia futura. — Idem enuntiat *R. Spitta*, dum *W. Brandt* et *J. Hoffmann* coenam ut merum symbolum societatis discipulorum considerabant. *Alb. Schweitzer* coenam novissimam eschatologico sensu interpretavit. — At medio saec. XX. iterum multi protestantes propius accedunt ad doctrinam traditionalem de coena. *Commissio theologorum* confessionis evangelicae in Germania post decem annos studiorum 25. jul. 1958. octo theses publicavit, qua fructum recentioris exegeseos protestanticae. Iuxta has theses coena habetur ut institutio Christi, annuntiat mortem Domini, qui cum pane et vino ipse sumitur in ea, sed transsubstantiationem repudiant (cf. LfThK 2. ed. 1959, 111, 1153).

2°. Nostro saeculo iam superius memorata **schola historiae religionum** permulta affert ad coenam christianam insulse explicandam. Fuerunt qui dixerunt, Eucharistiam esse adaptationem mutuatam e *religionibus mysteriorum* (Kalthoff, Dietrich, Reitzenstein); schola nunc iam obsoleta « *panbabylonismi* » putavit etiam Eucharistiam e sacrificio Gilgamesh seu Xisuthri originem ducere; Xisuthros enim nepoti suo Gilgamesh in monte post diluvium dedit panes. — Inter has impossibiles inventiones habetur etiam ea, quae affirmat Eucharistiam

esse reliquiam gentiliciam manducandi animalia *totemistica*, quippe a quibus tota stirps (clan) originem ducat, sic *Salomon Reinach* (Cultes, mythes, religions t. II, 1906, p. VI. et Orpheus 3.ed. 1909, p. 126), quae sententia etiam late propagatur.

3°. Allegandi sunt breviter etiam **Modernistae**, quos circumferebat omnis ventus doctrinae et ideo etiam de coena Domini et Eucharistia miranda praedicabant, ut e.gr. quod « non omnia, quae Paulus narrat de institutione Eucharistiae, historice sunt sumenda » (Decr. « Lamentabili sane exitu » 1907. Denz. 2045); deinde quod « coena christiana paulatim indolem actionis liturgicae assumente, hi, qui coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt » (ibid., Denz. 2049).

Inter has undas ambiguas semperque variabiles maris haeresium sola prominet *petra firmissima catholicae veritatis*: « O sacrum mysterium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia et futurae nobis gloriae pignus datur! ».

3. Testimonium e verbo Dei de veritate Eucharistiae.

Tres sunt textus classici de veritate Eucharistiae:

a) Sermo eucharisticus in Capharnaum Jo 6,1-72.
b) Relationes coenae eucharisticae.
c) Testimonium Paulinum de Eucharistia.

a) Sermo eucharisticus in Capharnaum Jo 6,1-72.

1°. Compositio totius capitis Jo. 6.

Introductio: 1-21 v. Tria miracula eucharistica, eo sensu nempe, quod intuitu promissionis tam incredibilia patrata sunt. **a.** *V. 1-15*: *multiplicatio panum* est primum miracu um, quo Dominus ostendebat, se circa panem habere potestatem. — **b.** *V. 16-20*: *Jesus ambulat super aquas*, quo secundo miraculo, item. — **c.** *V. 21*: *navis instantanee* (eutheôs) *advenit*, quo tertio miraculo Jesus demonstrat se habere potestatem super materiam. Quo primo miraculo *Judaei*, aliis *discipuli* praeparati sunt ad credendum sermoni eucharistico.

Sermo ipse Capharnaiticus: *v. 22-71* variis modis dividi solet. Putamus eum sic posse dividi, quod supponatur, more Semitico non poni partes in se completas sermonis unam post aliam (tractatione *epicyclica*), sed iuxta parallelismum syntheticum, quando nempe pars sequens priorem partem amplificans complet (tractatio *concentrica*, i.e. ad modum circulorum idem centrum habentium). Auctor sibi conscius *signa externa* adhibet ad designanda initia partium. *Duae partes* distinguuntur, *in unaquaque duo doctrinae capita*, ergo insimul quatuor. Haec capita cognoscuntur per verba: « Amen, amen dico vobis » (v. 26. 32. et 47. 53). Post unamquamque partem describitur *effectus* per sermonem productus: « *gongysmos* », murmuratio, post primam partem murmur Judaeorum, post secundam discipulorum (cf. v. 41: « egongyzon » murmurabant Iudaei et v. 61: « gongyzousin » murmurant discipuli eius. — **Divisio** ergo est:

I. pars sermonis v. 22-46.

v. 22-25: *descriptio scaenae*, turba venit in Capharnaum.

v. 26-31: *prima doctrina* (Amen, amen) de cibo quaerendo, qui permanet in vitam aeternam, Iudaei signum postulant, ad quod Dominus novo inciso sermonis respondet:

v. 32-40: *secunda doctrina* (Amen, amen): Pater dat « panem de caelo verum », hic panis vitae ipse est Jesus, famem sitimque pellit et resuscitabit fruentes eo.

v. 41-46: « *Gongysmos* » *primus, Iudaeorum,*
v. 41-43: ipse murmur
v. 44-46: responsum Domini.

II. pars sermonis v. 47-59.

V. 47-51: *Prima doctrina* (Amen, amen): qui panem hunc manducat, « vivet in aeternum », hoc inciso primario edicit Dominus, quod Ipse sit panis caelestis (tribus vicibus: « *Ego* sum panis vitae... *ego* sum panis vivus... panis quem *ego* dabo... »).

V. 52: « litigabant » (emachonto) Iudaei (attende aliud verbum, non « gongyzein »!), quod tantum ansa est sequentium:

V. 53-59: *Secunda doctrina* (Amen, amen): nisi manducaverint carnem et sanguinem Filii hominis, non habebunt vitam. Hoc inciso Dominus complens, quae in prima doctrina dixit, primario semper enuntiat: *carnem* suam et sanguinem esse hunc cibum (quatuor vicibus: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... qui manducat meam carnem... caro enima mea verus est cibus... qui manducat meam carnem... »).

V. 60-65: « *Gongysmos* » *secundus, discipulorum,*

v. 60-61. a): ipse murmur,
v. 61-65. b): responsum Domini.

Epilogus totius sermonis: *66-71.* Schisma perfectum est, poli contrarii iam inter apostolos: Petrus et Iudas Iscariotes. Attendendum: sicuti in parte introductoria *duo* apostoli memorantur, Philippus et Andreas (v. 5 et 8), hic quoque *duo.*

2°. Utrum totus sermo Jo 6. ad Eucharistiam referendus sit,

disputatur. Maior pars exegetarum et aliqui theologi (ut Card. Franzelin, Van Noort, Filograssi) tenent in prima parte sermonis (26-46) agi de manducatione seu *participatione Christi per fidem.* Hoc per se nihil efficit, nam secunda pars sermonis etiam iuxta auctores accipienda est de promissione Eucharistiae, et haec secunda pars (47-59) quoque luculenter demonstrat indolem instituendae Eucharistiae. Nos tamen contra maiorem partem exegetarum et dictos theologos opinamur cum Cornelio a Lapide, Card. Toleto, Perrone, De Augustinis, Chr. Pesch, Billot, Diekamp, J. Müller, Lercher et Doronzo totum plane sermonem inde iam a prima parte referri ad Eucharistiam.

Quod solidis argumentis probari potest. **a.** *Tota compositio* arte semitica facta - uti prae oculis iecimus — hoc commendat, agi de sermone, qui ab initio iam edicat veritatem, sed obscuriore adhuc modo, quam deinde per decursum sermonis paulatim evolvit uberiusque illustrat. — **b.** *Ipse contextus* quoque hoc suadere videtur: initio Jesus invitat auditores, in parte prima sermonis, ut operentur cibum *caelestem,* quem Ipse in futuro daturus est (v. 27), in secunda parte sermonis item loquitur de hoc pane caelesti et affirmat, panem hunc quem daturus est, esse suam carnem (51). Cur esset de fide sermo in prima parte, si idem cibus caro asseveratur Christi in secunda? — Dein: in utraque parte hic panis est *dumtaxat futurus,* adhuc non existit (dôsô = dabo v. 51. et dôsei = dabit v. 27.), atqui si panis fidem significaret in Christum, tempus futurum locum non haberet, nam iam tempore, ubi Dominus evangelizavit Iudaeos, fides praesens non futura debuit esse, imo fides iam conditio salutis fuit in Antiqua Lege, per fidem spirituali modo manducaverunt Patriarchae Christum ut videri potest e 1 Cor 10.3-4 (Doronzo p. 185). — **c.** *Ipse textus Jo 6.* unitatem huius sermonis probat, *eadem* enim *vocabula* occurrunt in utraque parte: panis vitae, panis vivus, dans vitam aeternam, et resurrectionem causans (v. 32-35 et 48-59). — **d.** Declarandum restat, cur de fide in prima parte locutus sit Dominus, praesertim v. 65: « Ego sum panis vitae, qui *venit* ad me, non esuriet et qui *credit in me,* non sitiet unquam ». Revera fides est necessaria, qua instrumentum, quo « operatur » (ergazesthai) cibus vitae aeternae (v. 27), operatio haec, qua attingitur hic cibus, est fides (29). Fides vero necessaria est, ut aliquis accipiat mysterium hoc, et sola fide fit manducatio huius panis frugifera, seu sacramentalis et simul spiritualis.

3°. Doctrina e sermone deducta.

a. Clarum est, Dominum locutum esse *de re aliqua omnino insolita*: hoc tum enuntiationes eius, tum admiratio et murmur inde ortus ostendunt. Christus nempe declaravit: se esse « panem, qui vivit » (ho artos ho zôn), hic panis nihil aliud est, quam ipsa caro eius et sanguis (ho artos hon egô dôsô, hê sarx mou estin - v. 51). — *Item*: *sensu proprio manducare* debent hunc panem, nam secus non habebunt vitam in semetipsis (ean mê phagête tên sarka ... ouk echete zôên en heautois v. 53). — *Effectus* autem emphatico modo elatus est *unio* cum Christo Domino: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo » (v. 56); et *vita, zôê*: « Qui manducat meam carnem, *habet* (echei) vitam aeternam *et* ego resuscitabo eum in novissimo die » (v. 54). Vita aeterna ergo iam in terris incipitur, et perficitur in die novissimo

mundi per resuscitationem corporum, eorum, qui manducabant et bibebant cibum hunc mirabilem.

b. *Ipse Dominus testis est,* quod verba promissionis non possunt sumi alio sensu, quam litterali i.e. proprio. Dixit etenim: « Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita » (v. 51). Iudaei tunc litigabant: « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » — ergo sensu litterali intelligebant dictum Domini. *Nunc autem*: Christus, si non sensu proprio edixit aliquid, *statim corrigit* audientes. Sic *Nicodemus* renascentiam hominis a Christo praedictam de nativitate iteranda corporali intellexit, Christus eum corrigit: renasci debemus ex aqua et Spiritu Sancto (Jo 3,4). — Quod speciatim *cibum* attinet, correctio quoque statim sequitur. E.gr. Jo 4,32-34: « Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis! » Ad quod discipuli: « Numquid aliquis attulit ei manducare? » Dominus subito eos corrigit: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me. » — Similiter alia vice locutus est Dominus *de fermento*: « Cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum! » Discipuli autem cogitabant intra se dicentes: « Quia panes non accepimus », i.e. non potest esse reprehensionis locus. Ad quod Christus: « Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete etc.? » Discipuli autem tunc « intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisaeorum et Sadducaeorum » (Mt 16,6-12). — *Ergo* si in sermone eucharistico relinquit audientes, ut credant, corpus vere esse cibus, hoc solummodo ideo potuit facere, quia Ipse sic et non aliter voluit intelligi.

c. *Auditores* quoque testes sunt, imprimis *Iudaei.* Viri Iudaei, etsi miraculum ingens vidissent die praecedente, murmurabant, dicentes: « Nonne hic est *filius* Joseph, cuius nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de caelo descendit? » *Rationem,* cur murmurabant, ipse evangelista prodit: « Murmurabant Iudaei de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus ». Dein inter se litigabant ad invicem dicentes: « *Quomodo* potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » (Jo 6,41 s. 52). — Dominus autem reliquit eos in intellectu litterali verborum, imo rursus inculcavit propositionem suam. Similiter etiam:

d. *Discipuli Jesu* et quidem « multi audientes ex discipulis suis » dixerunt: « Durus (sklêros) est hic sermo et quis potest eum audire? » Dominus vero etiam eos reliquit in eorum acceptatione sermonis sui, interrogans eos: « Hoc vos scandalizat? Et sinivit, quod « abierunt retro et iam non cum illo ambulabant ». Christus non edocebat eos, quod eum male intellexissent, imo *etiam duodecim* apostolos simpliciter interrogavit, quaestionem ponens eis: « Numquid et vos vultis abire? » (Jo 6,61-67). — « Cibus, qui permanet in vitam aeternam » (v. 27), tali modo effectus est aquarum divortium (Wasserscheide, vízválasztó) inter fideles et infideles; qui non vult credere hoc, in aeternum peribit.

e. Iam ex hucusque dictis clarum est, Dominum debuisse sensum verborum suorum dilucidare, si non voluisset ea litteraliter accipi. Adhuc evidentius hoc fit, si consideretur *modus loquendi Palaestinensium,* quam absonum significarent verba Christi metaphorice intellecta. « *Carnem edere* » enim significabat alicui nocere, mala loqui de eo, e.gr. « Cum invadunt me maligni, ut edant carnem meam, hostes mei et inimici mei, labuntur et cadunt » (Ps 26,2). Vel apud Michaeam: « Qui comederunt carnes populi mei et pellem eorum desuper excoriaverunt » (3,3). — « *Sanguinem bibere* », eo inebriari significat aliquem

cruente trucidare, e.gr. « Cibabo hostes tuos carnibus suis, et quasi musto, sanguine suo inebriabuntur » (Is 49,26), vel: « Sanguinem Sanctorum et Prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere » (Apoc 16,6). — Tota series optime collecta harum locutionem metaphoricarum habetur apud *Card. Wiseman* (op. infra cit. Praelectio II.) Recte adnotat S. *Bellarminus* ad hunc eventum: « Quis credat, Dominum, qui tantopere sitiebat hominum salutem, passurum fuisse, ut tot discipuli ab ipso discederent, si potuisset uno verbo eos revocare, dicendo se figurate loqui et rem facillimam creditu se proposuisse? » (Lib. I, 6).

f. *Ex absurditate sententiae Protestanticae* demonstrat *Bellarminus* l. cit. veritatem Eucharistiae (capite Jo. 6.). Nam revera si panis, de quo Dominus loquebatur in Capharnaum, tantum *significaret* corpus Domini, quo pacto esset evidenter *praestantior*, quam multiplicatio panum miraculosa et praesertim manna, quod miraculum grandissimum erat, nullum autem miraculum haberetur in communi pane, significante corpus Domini. — Item, si manducatio carnis Christi non vera eius comestio esset, sed tantum eius apprehensio per fidem, *cur* instituisset *etiam calicem*, nam nulla esset ratio distinctionis inter cibum et potum, ad quem utraquistae Protestantes tam pertinaciter adhaerebant. — Demum si Jesus non veram carnem et sanguinem promisisset se daturum in pane caelesti, cur debuisset hoc probare *per* suam futuram *Ascensionem*, dicens: « Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius? » (v. 62).

b) **Relationes coenae eucharisticae.**

SYNOPSIS.

Mt 26,26-28	Mc 14,22-24	Lc 22,19-20	1 Cor 11,23-25
Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite	Et manducantibus illis, accepit Jesus panem et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite,	Et accepto pane, gratias egit, et fregit et dedit eis, dicens:	Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate:
Touto estin to sôma mou.	= =	+to hyper hymôn didomenon.	Touto mou estin to sôma to hyper hymôn klômenon.
		Touto poieite eis tên emên anamnêsin.	= =
Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes:	Et accepto calice, gratias agens dedit eis et biberunt ex illo omnes. Et ait illis:	Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens:	= =
Touto gar estin to haima mou tês diathêkês to peri pollôn ekchynomenon *eis aphesin hamartiôn.*	Touto gar estin to haima mou tês diathêkês to ekchynomenon hyper pollôn.	Touto to potêrion hê kainê diathêkê en tô haimati mou, to hyper hymôn ekchynomenon.	Touto to potêrion hê kainê diathêkê estin en tô emô haimati, touto poieite, hosakis ean pinête, eis tên emên anamnêsin.

Doctrina e relationibus Coenae deducta.

1°. Historicitatem harum relationum *ope philologiae* probare possumus; genuinitatem nempe produnt *semitismi*, quibus scatent. Joachim *Jeremias* demonstravit archaicam indolem linguisticam relationum e semitismis et e collatione cum litteratura rabbinistica (Die Abendmahlsworte Jesus 1949). *H. Schürmann* ei adstipulavit, errorem ostendens Jeremias, quod textus antiquissimus sec. eorum apud Marcum haberetur (Semitismen im Einsetzungsbericht etc. 1951). Antiquissimus enim textus apud S. Lucam invenitur, ut Schürmann probavit, haurivit enim e traditione Palaestinensi modum, quo coenae eventus enarrari solebant. Tales semitismi sunt: absentia particularum « *de* » et « *gar* », « labôn » (accipiens): « fregit et dedit » est formula constans semitica; « *sôma mou* » est suffixum semiticum — omnia simul penes Marcum et Lucam. Vocabulum « *anamnêsis* » significatione « memoria » in formulis hellenisticis non invenitur, ubi « mnêmê » occurrit et sic porro.

2°. Institutione Eucharistiae *promissio Domini Jo. cap. 6. verificata est. Si ibi* sensu litterali sumenda fuerunt verba Christi, *etiam nunc* sic sumenda sunt. Quod iam perpulchre ostendebat *Bruno Astensis* († 1125): « Exponit Dominus hoc in loco, quid significaret, quod alibi diceret: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ecce: sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech panem et vinum virtute ineffabili in sui corporis et sanguinis substantiam convertit... Mutantur enim ista (panis etc.) in illa (corpus etc.), comeduntur et bibuntur (corpus etc.) in istis (pane etc.), quod qualiter fiat, ipse solus novit, qui omnia potest et omnia novit », (In Matth 26. PL 165,290).

3°. *Circumstantiae quoque institutionis* sensum litteralem affirmant.

a. Primo quidem hominibus magna ex parte *rudioribus* locutus est Dominus, istis dedit primo coenae novissimae mysterium. Talibus circumstantiis insolitum prorsus esset, metaphorice loqui, modo, quo nondum fiebat. Apostoli tamen nil interrogabant, non dicebant, uti solebant: « Edissere nobis parabolam istam! » Secus tum Christus, tum evangelistae semper declarare solent locutiones metaphoricas.

b. Dein coenam hanc *quasi testamentario modo* in memoriam sui ipsius ordinavit. Recte adnotat S. Bellarminus: « *Testamenta humana in proprio sensu verborum* intelligenda esse iubent humanae leges, non aliter. Et ideo, si testamento relinquatur domus vel ager, et vellet aliquis cavillari, non esse relictam domum veram, sed depictam et exponeret: Relinquo domum, id est signum domus — apud nullum iudicem obtineret. Quanto igitur minus obtinere debent adversarii, qui testamentum ipsum Christi contra morem omnium testamentorum detorquere audent ad metonymias » (L. I, 9.).

c. Demum Christus qua Deus-Homo substantialiter sanctus *non potuit non praevidere*, qualis error oriendus est, si noluisset sensu litterali loqui, sed metaphorice, induxisset Ecclesiam suam in errorem idololatriae. Praevidere enim debuit, quod verbis suis proprio sensu intellectis, qualis adorationis, intimae pietatis, cultus liturgici, uno verbo *latriae qualis pelagus exoriri futurus sit*: et haec omnia solum e fatali errore originem duxissent. *Erasmus Rotterodamus* ingeniose dixit: « Nunquam mihi persuaderi potuit, neque poterit, Christum, qui veritas est et caritas, tamdiu passurum fuisse dilectam sponsam suam haerere

in errore tam abominando, ut crustulum farinaceum pro ipso adoraret » (Ep. ad Berum).

4°. Relationum textus *tunc tantum difficilis* et inintelligibilis evadit, *si derelinquitur sensus litteralis.* Veluti si cognovisset adversarios praesentiae realis saeculi XVI-i, *Paschasius Radbertus* iam a. 840 haec scripsit: « Audiant, qui volunt extenuare hoc verbum *corporis,* quod non sit vera caro Christi, quae nunc celebratur in sacramento in Ecclesia Christi ... Miror, quid velint nunc *quidam dicere,* non in re esse veritatem carnis Christi, vel sanguinis, sed in sacramento *virtutem* carnis, et non carnem, virtutem sanguinis et non sanguinem *figuram* et non veritatem, umbram et non corpus » (Expositio in Matthaeum XII, 26 PL 120,890). Immo ipse *Lutherus* 1527 scripsit: « Doctor Carolostadius ex his sacrosanctis vocabulis: Hoc est corpus meum, misere detorquet pronomen *hoc,* Zwinglius autem verbum substantivum *est* macerat, Oecolampadius nomen *corpus* torturae subiicit, alii totum textum excarnificant » (Wider die Schwarmgeyster).

5°. Quando *foedus Veteris Legis* percussum est, vero sanguine asperserunt populum, dicentes: « Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum » (Ex 24,8), ergo etiam « novum foedus in sanguine meo » non potest verus sanguis non esse.

c) Testimonium Paulinum de veritate Eucharistiae.

1°. Primus textus classicus 1 Cor 11,27-29:

« Itaque quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, ... qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans (mê diakrinôn) corpus Domini ».

Grave peccatum, iudicium Dei merens, declaratur manducatio in statu peccati gravis. *Sed* hoc supponit realem praesentiam Christi, nam nemo diceretur graviter peccare, si tantum signum vel figuram corpus Christi repraesentantia sumeret, sine intentione laesionis Christi. Apposite *Bellarminus* ad hanc quaestionem: «Si ideo peccarent, qui indigne sumunt Eucharistiam, quia illa Christum *repraesentat,* non liceret homini peccatori aspicere vel tractare imaginem Christi depictam, neque verbum Dei audire. Nam ista etiam Christum repraesentant et offerunt » (L. I, 13). — Adiici potest, quod *agnus paschalis* certissime erat figura Christi: tamen nemo unquam dicere ausus est, sacrilegium fuisse, si aliquis Israelitarum in statu peccati manducasset agnum paschalem et quod reus esset corporis et sanguinis Christi.

2°. Alter textus classicus 1 Cor 10,16-17:

« Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus ».

a. Hunc textum item ingeniose interpretatur idem Princeps apologetarum: « Significatur enim his verbis (sc. « benedictionis ») *consecrationem* esse *necessariam* ad hoc Sacramentum conficiendum, quae tamen necessaria non esset, si tantum contineret hoc Sacramentum figuram, seu repraesentationem sanguinis Domini, ad hoc enim *sufficeret prima institutio et voluntas Christi* declarata in

Scripturis. Nam *manna* et *aqua* de petra et *agnus* paschalis erant etiam figurae et signa corporis Christi, immo et Sacramenta secundum adversarios eiusdem generis cum nostra Eucharistia, et tamen nulla erat consecratio ad hoc, ut manna et agnus paschalis essent figurae vel Sacramenta ».

b. Textu hoc item clarissime edicitur sumentes *participes fieri* corporis et sanguinis Domini. Nam panis fractus et calix sumptus sunt: « koinônia », participatio sanguinis et corporis Domini. *Koinônia* triplicem habet significationem penes Paulum. Primo significat *distributionem*: « Necessitatibus sanctorum communicantes (koinônountes: Rom 12,13). Dein significare potest *societatem*: « Dederunt mihi et Barnabae dexteras societatis » (koinônias: Gal 2,9). Demum intelligi potest ut *participatio* alicuius rei, ut communicatio: « Tribulationi meae communicantes » (synkoinônêsantes: Phil 4,14). Omnes tres significationes loco hoc « videntur probabiles et in idem recidere: sive enim sit distributio sive confoederatio, sive participatio, omnium consensu Paulus docet sumi in Sacramento corpus Domini ». — Revera S. *Chrysostomus* sic intellexit cum multis aliis Patribus verba Pauli (calix benedictionis cui benedicimus, communicatio sanguinis Christi est): « Valde fideliter dixit et terribiliter. Dicit enim: quod in calice est, illud ipsum est, quod e latere eius fluxit et illius fimus participes » (In 1 Cor hom. 24,1 PG 61,199). *Apta comparatione* illustrat Chrysostomus intentionem Pauli, qui fideles Corinthios voluit cohibere ab idolorum sacrificiis et ideo aliquid praestantius eis offert, *quasi amans* quispiam videns personam amatam desiderare vestes, statim offert illi sua illius meliora. Sic etiam Paulus fecit, cum videret fideles eius desiderare participationem victimarum gentilium, ut eos impediret ab hoc scelere, eos invitat ad multo praestantius quid: ad participationem mensae Domini, ubi recipiunt corpus et sanguinem Christi.

3°. **Ex his duobus textibus eucharisticis Paulinis,**

(intelligendus est uterque textus simul et totaliter sumptus: 1 Cor 11, 17-34 et 10, 14-22) validum *argumentum historicum* fieri potest contra scholam historiae religionis et mythicam. Epistolam enim hanc Paulus post 20-25 annos scripsit, postquam Christus mortuus est. Quo fit, ut ad summum intra 25 annos fieri debuit ista evolutio praesupposita, « qua coena non solum ex sua quadam primitiva nihilitate in veram aliquam tractationem corporis pro nobis caesi atque sanguinis novi testamenti transiret, sed etiam haberetur pro instituta atque celebrata ut tali, ab ipso Christo » (De la Taille p. 191-192.).

4. Testimonium sacrae Traditionis pro Eucharistia.

Tam ampla et tam multiplicia sunt testimonia Traditionis pro reali praesentia Christi in Eucharistia, quod sufficit nobis *quatuor priora saecula* christianitatis perlustrare ad evincendam fidem sinceram praesentiae Christi eucharisticae semper viventem fuisse in cordibus fidelium.

a) **Monumentum primum Eucharistiae** anno 1952 detectum est Romae in ruinis vetustissimae domus cuiusdam sub palatio Caesarum e domo Flavia in colle Palatino. Est *inscriptio* quaedam, quam detector eius, Ezio Cannata publici iuris fecit:

« Panis accep(tus) in luce cresto(s)
susceptus pr(idie) k(alendas) mai(as) Com(modo) Pris(co)
coss. (consulibus). »

Tempus huius inscriptionis: annus 78 post Christum, quando Commodus et Priscus consules fuere, et dies 30. aprilis. « Crestos » est Christus, ut apud auctores Romanos et in inscriptionibus. « *Panis* » quod accepit auctor huius inscriptionis est panis eucharisticus, hunc panem « *in luce* » i.e. baptismo suscepit, quod « phôtisma » = illuminatio vocabatur, quia post baptismum statim acceperunt sacra mysteria. Hoc vero pane Christus « *susceptus* » est. (Cf. Osservatore Romano 1952).

b) Anno 107 iam fides realis praesentiae Domini expressa fuit per **S. Ignatium Antiochenum** modo quo clarius vix fieri potuisset: « Non delector alimento corruptibili, neque voluptatibus huius mundi. *Panem Dei* volo, qui est *caro Jesu Christi*, qui ex semine David factus est et potum volo sanguinem ipsius, qui est caritas incorruptibilis » (Rom 7,3 Quasten p. 335.). — *De Docetis* vero Incarnationem negantibus scripsit verba classica: « Ab eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confitentur *eucharistiam esse carnem Salvatoris* nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamque pater sua benignitate resuscitavit » (Ar Smyrnaeos 7,1 Quasten p. 336.). — Pronum est, Docetas non ab eucharistia, inquantum est gratiarum actio et ab omnimoda oratione abstinuisse, sed praecise ab *eucharistia, ut* « *Eucharistia* », i.e. celebratione et sumptione eius, nam ratio statim datur: non profitentur Eucharistiam veram carnem esse Domini, quia talem carnem negabant. Christiani ergo hac fide imbuti sunt.

c) Versus 155 perpulchra est confessio fidei eucharistiae penes **Iustinum martyrem.** Imperatori concinnans suam Apologiam, primum textum prolixiorem classicum donavit posteritati christianae: « *Alimentum* hoc apud nos appellatur *eucharistia*, quod nulli alii participare licet, nisi qui credat, vera esse, quae docemus, atque illo lavacro quod ad remissionem peccatorum et ad regenerationem institutum est ablutus fuerit, et sic vivit, uti Christus tradidit. Non enim ut communem panem et communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus (sarkopoiêtheis) Jesus Christus Salvator noster *et* carnem *et* sanguinem habuit pro salvatione nostra, — ita *etiam* illam *alimoniam*, quae per *precem verbi ab* Ipso originem ducentis *Eucharistia facta est* (tên di' euchês logou tou par' autou eucharistêtheisan trophên), e qua sanguis et caro nostra per *transmutationem* (kata metabolên) aluntur: eiusdem illius Jesu, qui caro factus est, carnem et sanguinem esse *edocti sumus*. Apostoli etenim in libris de memoria vitae (apomnêmoneumasin) ab ipsis compositis, qui vocantur euangelia, sic sibi mandatum esse tradiderunt: Jesus accipiens panem et gratias agens dixit: 'Hoc facite in meam commemorationem, hoc est corpus meum'. Et calicem similiter accipiens et gratias agens, dixit: 'Hic est sanguis meus' » (Apol. I. 66,1-3 Quasten p. 17-18.).

Haec quasi *magna charta* de fide eucharistica maiorum nostrorum omnia continet. 1°. « *Edocti sumus* » (edidachthêmen), Apostoli « tradiderunt nobis »: i.e. haec fides eucharistica pertinet ad traditionem. — 2°. *Nomen* quoque tunc usitatum cognoscitur: «eucharistia» est denominatio huius cibi sacralis. — 3°. Hic cibus, de quo sermo fuit in superiore capite (Apol. c. 65.) i.e. «panis et calix aquae et mixturae (krama=vinum mixtum aqua), *accipere debet verbum* (logos), quod oriundum est « ab Ipso » (par' autou), i.e. a Jesu, de quo solo sermo est in contextu; « verbum » vero hoc post aliquot lineas statim revelatur, verba enim sunt institutionis, de quo dubium esse non potest. En habes hic « materiam »

et « formam ». — 4°. Actio haec vocatur *metabolê*, i.e. transmutatio, per quam alimonia ista « eucharistizatur », i.e. fit eucharistia. — 5°. De hac alimonia « eucharistizata » candide enuntiatur, quod *caro est* et sanguis « ekeinou » = eiusdem illius Jesu, de quo totus sermo habetur.

d) Tribus decenniis elapsis **S. Irenaeus Lugdunensis** versus 185 aliud clarissimum testimonium nobis tradidit in libro suo Adversus haereses. *Tres textus* possunt allegari.

1°. Afferri potest argumentum eius *contra negantes* corporalem participationem *vitae aeternae*. Sic argumentatur: vita aeterna etiam corporis *possibilis esse debet*, nam *caro* et sanguis hominis augetur, consistit et *permiscetur sanguine et carne Christi*: « Eum calicem, qui est creatura, suum effusum sanguinem proprium (idion) confessus est (hômologêsen), ex hoc permiscetur sanguis noster (deusei — madefacere, permiscere) et panem e creatura oriundum proprium corpus esse confirmavit, per quod nostra auget corpora. Quando ergo calix mixtus et panis facticius (gegonos artos) in se recipit verbum Dei (epidechetai ton logon tou Theou), *et fit Eucharistia, corpus Christi*, ex his autem augetur et consistit carnis nostrae substantia, quomodo negant carnem capacem esse doni Dei, quae est vita aeterna? » (Adv. haer. V, 2,2-3 Quasten p. 347.).

2°. Allegari solet etiam simile argumentum contra *Gnosticos antimaterialistas*, qui negabant *carnis resurrectionem*, nam materia, i.e. corpus sec. eos intrinsecus malum est. Ideo dicit: « Quomodo dicunt carnem devenire in corruptionem, et participem non esse (mê metechein) vitae, quae (sc. caro) corpore Domini et sanguine eius nutritur? Aut sententiam mutent ergo, aut offerre supradicta omittant! Nostrae autem sententiae consonans est eucharistia et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram » (IV, 18,5 Quasten p. 347.). Sententia (gnômê) nostra est: resurrectio corporum, quam Gnostici negant; Eucharistiam autem etiam illi confitentur corpus Domini, quod non concordat eorum sententiae.

3°. In memoriam revocandus est textus superius allatus, qui testimonium est sacrificii Missae, in quo dicit quod Dominus de creatura panis dixit, hoc esse corpus suum et calicem creatum accipiens « suum sanguinem confessus est » (Adv. haer. IV, 17,5. Supra De Eccl. sacrific. B. 4. e.).

e) **Inscriptio sepulchralis episcopi Abercii** Hierapoli in Phrygia saeculi II. in finem vergentis, detecta 1883. a W. Ramsay, vocata (C. Kaufmann) « *regina inscriptionum antiquarum christianarum* », lingua quidem disciplinae arcani, sed apertissime prodit fidem Eucharistiae (Quasten p. 23-24):

> « ...Fides ubique me duxit,
> adposuitque cibum ubique piscem e fonte
> ingentem purum, quem prehendit virgo casta,
> et hunc dedit caris edendum perpetuo,
> vinum optimum habens, mixtum ministrans cum pane. »

Probe notum est, lingua secreta christianorum, « *ichthyn* », piscem esse Jesum, hic piscis Jesus est ingens, permagnus (ichthys panmegethos) relate ad christianos, qui sec. Tertullianum sunt « pisciculi ». Narratur ab Abercio, quod

« *ubique* » terrarum: Romae, in Syria, Nisibi, in cibum semper accepit hunc piscem pergrandem, i.e. Christum et — ut nec dubium exsurgere possit — hic cibus declaratur esse *panis et vinum.*

f) **Inscriptio altera,** detecta in Gallia 1830., est cuiusdam **Pectorii;** uti litterarum incisio prodit, exeuntis saec. IV-i. Huic inscriptioni sepulchrali inserta sunt tria disticha, quibus incipit inscriptio, haec autem disticha fragmentum sunt cuiusdam *hymni christiani e saec. II-o.* Heic, similiter inscriptioni Abercii, nominatur mystericus piscis, ut alimonia:

> « Salvatoris sanctorum mellitum accipe cibum,
> manduca, bibe, piscem tenens manibus.
> Pisce igitur satia, quaeso, domine salvator! »

De qua inscriptione idem dicendum, quam de inscriptione Abercii. Etiam in inscriptione Pectorii cibus est manducandus et bibendus, ergo idem ac penes Abercium: panis et vinum, utrumque est « piscis », i.e. ipse Christus Dominus.

g) **Tertullianus** ineunte saec. III-o 1°. fidem *realis praesentiae eucharisticae* profitetur, dicens: « Christus enim panis noster est, quia vita Christus et vitae panis. Ego sum — inquit — panis vitae, et paulo supra: 'Panis est sermo Dei vivi, qui descendit de caelis', tunc quod et corpus eius in pane censetur: 'Hoc est corpus meum' » (De oratione, scriptum inter 200-206, c. 6. Quasten 354.). — 2°. Item idem affirmat: « Caro abluitur, ut anima emaculetur ... caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu inluminetur, *caro corpore et sanguine Christi vescitur,* ut et anima de Deo saginetur » (De carnis resurrectione c. 8. Quasten p. 355). Clare habetur hoc loco baptismus (« abluitur »), confirmatio (« adumbratur »), et Eucharistiae communio. — 3°. Habetur utique Tertulliani locus, quo Sacramentarii saec. XVI-o *pessime abutebantur* suum loquendi modum Tertulliano tribuentes. Textus divulsus ex opere Adv. Marcion. (4,40 Quasten 355) sic sonat: « Acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum illum fecit 'Hoc est corpus meum' dicendo, id est, *figura* corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus ». Textus obscurior eiusdem auctoris secundum textus clariores debet interpretari: Tertulliani autem mentem iam vidimus. Deinde vox « figura » revera significare potest « orationis ornamenta » (rednerische Figuren, szónoki képek), ut tropum seu translationem sermonis. Sed primaria significatio « figurae » est: *forma, imago, schema, exterior species* alicuius rei. Tertullianus ergo dicit: « Hoc, i.e. panis, est corpus meum, id est exterior species corpori meo ». — Ceterum libro Adv. Marcion. Tertullianus, ut monet S. Bellarminus, « percurrit plurima Christi opera, ac demonstrat Christum in omnibus illis dedisse operam, ut impleret figuras legis, igitur hoc etiam loco non inducit figuram institutam in Testamento novo, sed impletionem tantum veterum figurarum » (L. II, 7.).

h) Tertulliano coaetaneus, **Clemens Alexandrinus** versus 211-215 etiam testis est illius sensus fidelium de veritate realis praesentiae Domini. Sic enim enuntiat hanc fidem, verba in orem Christi imponens: « Ego te regeneravi, qui male a mundo mortis victima fuisses genitus, in libertatem asserui, sanavi, redemi ... Ego sum nutritius tuus, *qui meipsum panem praebebam,* quem qui gustaverit, nemo adhuc mortis periculum faciet, qui *meipsum fundo cotidie potum immor-*

talitatis » (Tis ho sôzomenos plousios c. 23, PG 9,628.). Saepe quidem loqui videtur de Eucharistia perinde quasi eam allegorice intelligeret secundum morem Alexandrinum, de quo conferantur quae (sub nr. k.) inferius de Origene dicuntur.

i) Primus quoque textus liturgicus prolixior, **Apostolikê Paradosis** *S. Hippolyti Romani* circa 220, gravis testis est veritatis Eucharistiae. Loquitur enim de Missa sollemni post baptismum dicens: « Dedit carnem suam Christus, per quam sicut parvuli nutriuntur, qui credunt, in suavitate verbi amara cordis dulcia efficiens ... De universis vero his rationem reddat episcopus eis, qui percipiunt, frangens autem panem singulas partes porrigens dicat: 'Panis caelestis in Christo Jesu'. Qui autem accipit, respondeat: 'Amen' (Quasten p. 33.).

j) Testimonium **Papyri Dêr el Balyzehensis** saec. III. qui in epiclesi precatur, quod panis iste in corpus fiat Domini et Salvatoris nostri, iam vidimus superius (B. 3. II. c. 1°. **b. c.**).

k) **Origenes**, amator magnus allegoreseos, saepius utitur allegoriis tractans de carne et sanguine Christi, sicut etiam Clemens Alexandrinus. 1°. Nullo modo potest tamen invocari fautor alicuius « sacramentismi » sensu Novatorum, nam ut O. Casel demonstravit, haec allegorica seu « spiritualistica » interpretatio *supponit fidem communem de praesentia reali* eaque innititur (cf. Casel JfLw 1939, 184-195). — 2°. Origenes enim mentem suam interdum clare prodit, quando *simpliciter* loquitur de Eucharistia, e.gr. cum etiam baptismum commemorat: « Antea in aenigmate fuit baptismus in nube et in mari, nunc autem in specie regeneratio est in aqua et in Spiritu Sancto. Tunc in aenigmate erat manna cibus, nunc autem in specie *caro Verbi Dei verus est cibus*, sicut et ipse dicit: Caro mea vere est cibus » (In Num. hom. 7,2, scripta post 244.). — 3°. *Gentilibus* scribebat 246-248 alludens ad Eucharistiam: « Celsus vero, non agnoscens verum Deum, agat gratias daemoniis, nos autem Creatori universorum agimus gratias, et comedimus *illos panes* cum gratiarum actione et precibus, qui *per precem corpus aliquod sanctum effecti sunt*, et hi omnes sanctificant, qui mente sana utuntur illis » (Contra Celsum 8, 33.).

l) Eodem saec. III. **S. Dionysius Alexandrinus** haec affirmavit, respondens ad quaestionem alicuius episcopi, num mulier menstruata accedere possit ad communionem: « De feminis, quae in abscessu sunt, an eas sic affectas oporteat ingredi domum Dei, vel interrogare superfluum puto. Neque enim eas, si sint piae et fideles, taliter affectas existimo ad *sacram mensam* accedere ausas esse, vel *corpus et sanguinem Domini attingere*. Neque enim, quae duodecim annorum fluxum habebat, ipsam medicinam tetigit, sed solum fimbriam eius ... Ad sancta autem sanctorum, qui non anima et corpore purus est, accedere prohibetur » (Ep. ad Basilidem PG 10,1281.). Attentionem meretur, quod Eucharistiam quam « sancta sanctorum » nominat, adeo reputet corpus verum Christi, ut identificet cum corpore Christi historici. Nam si non credidisset, corpus dominicum identicum esse cum corpore historico, ratiocinatio eius nihil concluderet (Cf. Müller, De Eucharistia 93).

m) **S. Cyprianus** eiusdem Dionysii coaevus luculens testis est veritatis praesentiae, nam *tales appellationes* eucharisticas adhibet, quae clare revelant eius fidem in praesentiam Christi. Eucharistiam enim nominat « carnem Christi,

sanguinem Christi, corpus et sanguinem Christi, corpus Domini et sanguinem Domini, in Eucharistiae celebratione dicit corpus et sanguinem Christi offerri, in Eucharistiae autem susceptione sanguinem Christi bibi, et aliis iterum nominibus vocat eam panem dominicum, calicem dominicum, poculum Domini, sanctum Dei corpus » (Müller l. cit. 101.).

5. Testimonium rationis pro veritate Eucharistiae.

Ut patet, demonstrari ratione Eucharistia non potest, tantum rationes afferri possunt *congruentiae seu convenientiae* pro praesentia reali Christi in Eucharistia.

a). *Praesentia Christi eucharistica* **congruit vitae terrestri** *Domini nostri.* Modus enim existendi Christi in Eucharistia est sensibus nostris *inappercibilis* et modestissimus. *Atqui* praecise talis modus *praeferebatur* a Domino durante *vita sua terrena. Ergo* quam maxime convenit etiam existentiae modo eucharistico.

1°. **Maior probatur.** In SS. Eucharistia Christus tali modo existere voluit, quod inappercibilis esset sensibus et modestissimus. *Apparet* in altari, sine eo, quod agnosci possit, *non dat signa* suae existentiae eucharisticae et non potest percipi eius *divinitas.* Omnia haec tantum mediante fide Christo adhibita attingi possunt.

2°. **Minor probatur. a.** *Apparitio Christi* fiebat, sicut s. liturgia dicit, tempore, « dum medium silentium tenerent omnia, omnipotens sermo tuus, Domine, de caelis a regalibus sedibus venit » (Sap 18,14 s.). Reapse: in conceptione sua nil aliud percipi potuit, quam sola vox annuntiationis, quam angelicam vocem sola intemerata virgo audivit; dein secretum Regis custodivit in corde suo, adeo, ut neque Ioseph, viro iusto, sponso suo castissimo, hoc revelavit, homines autem per totam vitam terrestrem Christi putabant eum «filium Joseph».— **b.** Non dedit *signa suae existentiae*: vitam vivebat ut *infantulus,* inappercibiliter abscondens signa suae divinitatis. Nil videri potuit in eo, nisi « parens inops, infans puer », qui sicuti tam milia parvulorum, « lacte modico pastus est, per quem nec ales esurit ». — **c.** Per *triginta annorum* curriculum vitam duxit absconditam in gremio Sanctae Familiae, ac si nunquam voluisset redimere humanum genus. — **d.** In vita sua *publica principium eius fundamentale* erat: « Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius » (Mt 12,19) et: « Non venit regnum Dei cum observatione (« meta paratêrêseôs », cum pompa curiali, etiquette), neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est » (Lc 17, 20 s.). — **e.** *Divinitatem suam plerumque abscondit,* praesertim autem *in sua passione* pertulit cruciatus et mortem, tamquam si per carnifices occisus esset, etsi liberrima sua voluntate ediderit spiritum. Postquam sepultus est, modum hunc vivendi retinuit: *Resurrexit,* nemine vidente, angelus enim Domini revolvit lapidem ut ostenderet sepulchrum vacuum esse. Postea *apparens* eis, « oculi illorum tenebantur, ne eum agnoscerent » (Lc 24,16). Quando « stetit in littore, non cognoverunt discipuli, quia Jesus est. » (Jo 21,4). (Cf. G. Belon).

b) *Praesentia eucharistica,* **competit caritati Christi,** « ex qua — ut audiatur S. Thomas — pro salute nostra corpus verum nostrae naturae assumpsit.

Et quia maxime proprium *amicitiae est convivere* cum amicis ... sui praesentiam corporalem nobis repromittit in praemium, dicens Mt 24,28: 'Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae'. Interim tamen nec sua praesentia corporali nos in hac peregrinatione destituit, sed per veritatem corporis et sanguinis sui nos sibi coniungit in hoc sacramento. Unde hoc Sacramentum est maximae caritatis signum » (III q. 75. a. 1.).

c) **Oblatio mortis in coena** *postulat praesentiam Christi in Eucharistia.* Dominus in coena ultima obtulit mortem suam in remissionem peccatorum sub speciebus panis et vini. *Atqui* si sub speciebus tantum vinum et panis remansissent, mortem suam in remissionem peccatorum non obtulisset. *Ergo* mortis oblatio in coena novissima involvit realitatem corporis et sanguinis Christi.

1°. **Probatur maior.** Dominus uti iam demonstratum est, terminis technicis sacrificalibus utens, panem dixit corpus suum « pro vobis datum, fractum », sanguinem vero « pro vobis effusum », « calicem novi foederis in sanguine meo », quibus veri nominis sacrificium obtulit.

2°. **Probatur minor.** Si corpus Christi non adesset sub specie panis, sanguis sub specie vini, figurata locutio esset corpus eius pro nobis dari, sanguinem eius effundi pro remissione peccatorum. « *Ficte Christus offerret semetipsum,* ficte proinde Christus repropitiaret, ficte Christus nos Deo confoederaret, nec veritatem dixisset Veritas — quod absit! Quare negatores praesentiae realis vix non omnes amovent a coena rationem quamlibet sacrificalem » (De la Taille p. 109-111).

d) *Realis praesentia in Eucharistia competit* **perfectioni fidei**, « quae sicut est de divinitate Christi, ita est de eius humanitate, secundum illud Jo 14,1: 'Creditis in Deum et in me credite' ». Et quia *fides est invisibilium,* sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita et in hoc Sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo. Quae quidam non attendentes posuerunt corpus et sanguinem Christi non esse in hoc Sacramento, nisi sicut in signo, quod est tamquam haereticum abiiciendum, utpote verbis Christi contrarium » (III q. 75. a. 1. tertio).

e) **Difficultati satisfit,** quod tum *Patres,* tum *textus liturgici* aliquando videntur sic loqui de Eucharistia, quasi praesentia Christi *tantum symbolica, figurata* esset; Novatores ex iis aliquot textus adhibebant ad suum errorem « sacramentarium » probandum.

1°. Notandum *quoad Patres* monitum: « Eucharistia duabus quasi partibus constat: speciebus visibilibus et invisibili corpore Christi. Spectato elemento visibili Patres dicunt Eucharistiam *repraesentare* corpus Christi, vel esse *signum, symbolum, figuram, typum* corporis Christi tamquam antitypi; interdum vero panis et vinum vel species sacramentales *antitypa* corporis Christi vocantur. Porro quia Eucharistia est impletio typorum V. T., corpus Christi sub speciebus vocatur antitypus, i.e. *figura impleta* V.T.-i » (Lercher IV, 2, p. 224).

2°. Quoad **textus liturgicos** moneri debet, *vocabulorum varias esse significationes,* quae serio studio tantum erui possunt. Sic e.gr. *Walter Dürig* 1952. totum librum conscripsit de vocabulo usitato in s. liturgia « *imago* », et posuit,

quinque habere significationes. a. Sensu proprio: « *effigies, sculptura* » tantum in libris ritualibus adhibetur. — b. Sensu « *signum, signaculum* », usurpatur de crucissignatione. — c. Textus liturgici ad tramitem N.T.-i utuntur *sensu adaequationis* fidelis redempti cum Christo: « Imago hominis caelestis » (1 Cor 15,44-49). — d. Vox adhibetur ut *terminus consubstantialitatis* Verbi Dei: « Splendor et imago Patris » (Heb 1,3; 2 Cor 4,4 etc.). — e. Demum adhibetur de Eucharistia, non inquantum esset tantum « imago » veri corporis, sed *sumptio* Eucharistiae *est imago*, non symbolica, sed in se vera, quae tunc ulterius fit symbolum cum sensu et momento praesentiae plenae veritatis (« Imago besagt hier nicht ein blosses Hindeuten oder ein blosses Sinnbilden, sondern ein Sinnbild in der Bedeutung und mit dem Gewicht einer sinnerfüllten Erscheinungsform der vollen Wirklichkeit » p. 31). Ut *exemplum* adducitur orationis textus: « ... ut quod imagine gerimus sacramenti, manifesta perceptione sumamus ». Hoc est: nunc sumimus corpus verum Christi, sed sub Sacramento, invisibiliter, haec sumptio eucharistica vera est etiam « imago » i.e. symbolum futurae fruitionis Christi in caelo.

6. De adoratione Christi in Eucharistia.

Factum dogmaticum praesentiae realis Domini in Eucharistia secumfert sequelam maximi momenti: adorationem nempe Christi, quae praestanda est Ei in hoc augustissimo Sacramento. De hac quaestione ergo statuenda est sequens:

THESIS. Christo eucharistico (1) competit adoratio, (2) quae per Ecclesiam ab initiis praestita est in s. Liturgia, (3) dum adoratio distincta a Missa eodem principo orta pedetentim succrevit.

I. et II. pars de fide, III. certa.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Trident. sess. XIII. can. 6*: « S.q.d., in sancto Eucharistiae Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriae etiam externo adorandum, ... et eius adoratores esse idololatras: a.s. » (Denz. 888).

2°. **Quoad II. partem:** *ib. cap. 5*: « Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in catholica Ecclesia *semper recepto*, latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant » (Denz. 878). — Item *Mediator Dei*: « Ecclesia inde ab originibus, Christi corpus sub panis specie adoraverit » (n. 127).

3°. **Quoad III. partem:** *Mediator Dei*: « Quibus doctrinae principiis Eucharisticus adorationis cultus ortus est ac pedetemptim succrevit, a divina litatione distinctus » (ib. n. 129.).

b) **Adversarii.**

1°. Sunt omnes « *Sacramentarii* », i.e. qui negant praesentiam Christi realem in Eucharistia. *Lutherani* autem omnes affirmant idololatriam esse adorare corpus Christi *extra sumptionem*, nam secundum eorum errorem Christus tantum

in momento sumptionis est praesens. Sic Lutherus invehitur in eos, qui processiones sacramentales circumducunt (Epist. ad Waldenses.). Praesertim processiones theophoricas statim ab initio oppugnantes, clamitabant etiam Lutherani, hanc adorationem esse idololatriam. Sic e.gr. 1526 in civitate Transsilvaniae *Cibiniensi* (Sibiu, Nagyszeben, Herrmannstadt) occasione festi Corporis Christi « cives aliqui dixerunt: Sacerdotes nostri credunt, Deum factum esse coecum, ex quo tot luminaria incendunt. Alii dixerunt: Sacerdotes nostri arbitrantur Deum esse puerum qui velit instar puerorum duci et portari in brachiis vetularum circumcirca per civitatem; concludentes esse stultitiam et sacerdotum fraudulentorum deceptionem » (Capitulum Cibiniense ad Archiepiscopum Strigoniensem, Bunyitay-Rapaics-Karácsonyi, Monumenta ecclesiastica tempora innovatae in Hungaria religionis illustrantia, Budapest 1902, I, 261).

2°. De quibusdam *adversariis nostrae aetatis* Encyclica « Mediator Dei » mentionem facit, nam inter catholicos erant, qui minus recte de adoratione Christi eucharistici exhibenda opinati sunt: « Neque dicendum est, Eucharistico eiusmodi cultu, Christum *historicum* — ut aiunt — qui in terris aliquando vixit, ac Christum in Augusto altaris Sacramento *praesentem,* eumque, qui *gloriose* in caelis triumphat, supernaque impertit munera, una simul falsum in modum permisceri » (n. 132). *Nulla* ergo fit falsa *permixtio per cultum eucharisticum,* ut patet, enimvero Christus « historicus » i.e. Mariae filius, item Christus exspirans dein sursum sedens ad dexteram Patris, omnino idem est cum Eo, qui in Eucharistia continetur.

a) **Sacra Scriptura**

directe non probat doctrinam hanc, quod frustra obiicitur a Calvino catholicis, nam doctrina nostra *clare sequitur* ex institutionibus Sacrae Scripturae, Scriptura enim docet, Christum esse verum *Deum,* item aperte confitetur Eum in Eucharistia *contineri,* demum multoties praedicat, Deum esse *adorandum.* Secundum institutiones Sacrae Scripturae ergo Christo Eucharistico revera competit adoratio.

b) **Traditio sacra**

1°. venerationis Christi in Eucharistia testis est luculentus, quod *effata ostendunt.* a. Sic *Cyrillus Hierosolymitanus* docet baptizatos: « Proni et adorationis et venerationis in modum ad sanguinis poculum accedite » (Cat. mystag. 5,22). — b. *Ps 98,5* commentatus est pluries per Patres, verbum nempe: « Adorate scabellum pedum eius! » de adoratione Eucharistiae intellexerunt. Sic S. *Ambrosius*: « Per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam apostoli in Domino Jesu adoraverunt » (De Spir. S. 3,11,79 PL 16,794). Similiter S. *Augustinus* de hoc loco: « Caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem carnem illam manducat, *nisi prius adoraverit,* inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando » (Enarratio in Ps 98,5 nr. 9 PL 37,1264). Nunquam in mentem venisset eis dicere, adorandum esse *scabellum* pedum Domini, quod secundum Isaiam est (66,1) *terra,* si per accomodationem biblicam « *terram* » non intellexissent *carnem* hominis, quae secundum Scripturam

de limo terrae formata est. *Caro* autem statim in memoriam eorum duxit sacratissimam *carnem Christi*, quae revera in sacris mysteriis occasione communionis adorabatur et sic testes evaserunt huius usus liturgici et fidei in eo contentae. — **c.** *Aliquis controversista saec. XI-i* Graecos Latinis hostiles carpat, quod nolunt ratam habere Eucharistiam ex azymo confectam: « Nihil est medium: aut corpus est Christi (i.e. panis ex azymo consecratus), et omnibus adorandum (sc. etiam Graecis, nam nulla dubitatio, quod etiam hi adorant Eucharistiam), aut corpus eius non est, et ut idolum contemnendum » (PL 143, 1215).

2°. Traditionis sensus revelatur etiam *dictis Eucharistiam invocandam esse;* S. *Gorgonia* sic precabatur noctis tempore in sacello fratris sui Gregorii Nazianzeni, ut sanaretur ab morbi acerrimis doloribus, « eumque qui super illud colitur » obsecravit Eucharistiam in manibus arripiens et sibi applicans (Sermo 8. De s. Gorgonia, 18 PG 35,809).

3°. Item diligenter *cavebant, ne quid in terram cadat* de speciebus eucharisticis, ad quod saepe exhortabantur fideles. — Non permittebant antiquo tempore, quod Eucharistiae intersint *infideles*, imo nec catechumeni. — Saepenumero locuti sunt de *Angelis*, qui prope altare adstant et adorant Eucharistiam, sic Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius Magnus (Bellarm. L. II, 39).

III. pars probatur: (a) Cultus Eucharistiae a Missa distincta eodem principio ortus (b) pedetentim succrevit.

a) **« Eodem principio ortus »: Rationes theologicae.**

His rationibus aeque probatur rectitudo adorationis Eucharistiae tum in Missa, tum extra Missam, postquam I. et II. pars iam sufficienter demonstrata est.

1°. *E deitate Christi eucharistici* sumi potest ratio, etsi verum sit, quod *primaria ratio institutionis* huius Sacramenti *non fuit*, ut ibi Christus *adoratur*, sed ut cibus sit noster. Tamen Christus eucharisticus *etiam* adorandus est, nam ideo adoratur, quia verus Deus est etiam in Eucharistiae Sacramento, sive in communione, sive extra usum, ideoque dum adest, adorari debet, ut *Tridentinum* explicat: « Neque enim ideo minus est adorandum (sc. Sacramentum), quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum. Nam illum eundem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: 'Et adorant eum omnes Angeli Dei', quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur ». — Optime expolivit S. *Bellarminus* hoc argumentum *ad hominem*: « Quando hic in terris principes aliquo proficiscunt, non eunt ad eum finem, ut ab occurrentibus salutarentur, et tamen nemo illis occurrit, quin se eis prosternat ac reverenter salutet. Quare adversarii pluris faciunt principem externum, imo quemlibet amicum suum, quam Christum, cum solum Christum sine ullo honore excipiant » (De Euch. l. IV, 29).

2°. Adoratio Christi eucharistici recta est, sive in, sive extra Missam, quia per hoc *fidem nostram profitemur*, ut Mediator Dei dicit: « Cum Ecclesia nos iubet Christum Eucharisticis delitescentem velis adorare, ab eodemque superna ac terrestria ea dona petere, quibus nullo intermisso tempore indigeamus, vivi-

dam patefacit fidem, qua divinum suum Sponsum iisdem sub velis praesentem credit, gratam ei suam profitetur voluntatem, intimaque fruitur familiaritate eius » (n. 129).

3°. Variis exercitiis adorationis eucharisticae Ecclesia militans *resonat laudem Ecclesiae triumphantis,* « laudis hymnum perpetuo extollentis ad Deum et Agnum, qui occisus est. Quamobrem pia eiusmodi exercitia, usquequaque terrarum per saeculorum decursum propagata, non modo Ecclesia probavit, sed veluti sua effecit, auctoritateque sua commendavit » (ibid. n. 131.).

4°. Haec exercitia eucharistica adorationis « ex sacrae Liturgiae afflatu oriuntur, atque adeo, si debito decore eaque fide ac pietate fiant, quae ex sacris ritibus Ecclesiaeque praescriptionibus requiruntur, *ad liturgicam vivendam vitam* procul dubio summopere *conferunt* » (MDei n. 131).

5°. *Singula haec exercitia rationem habent, cur* instituta sint. **a.** Sic tum *adoratio publica* Eucharistiae, tum *privata,* quae saepe *visitatio* vocatur, rationem habet, ut vidimus *obiectivam,* eam nempe, quod Christus praesens sit in Eucharistia. *Subiectivam* autem habet, quod homo indiget aliqua propinquitate, ut sibi ob oculos ponere possit, quae sit latitudo et longitudo immensae caritatis Christi. Videns humilem speciem, sub qua delitescit, quo voluit nos ad se allicere, quia deliciae Eius esse cum filiis hominum, in eius proximitate melius accendimur amore, simulque fidem profitemur, speque supernae vitae roboramur. — **b.** *Publicae expositiones* Sacramenti insuper habent rationem expiationis et reparationis propter iniurias Ei illatas. — **c.** *Processiones theophoricae.* Eucharistia « reverenter et honorifice per vias et loca publica » circumfertur, quo fidem profitentur contra infideles et haereticos, tum praesertim die festo Corporis Christi occasio praebetur ut « christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos ... pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis eius victoria et triumphus repraesentaretur » (Trid. sess. XIII. cap. 5. Denz. 878). — **d.** *Benedictionis eucharisticae* autem ratio est, quando sacerdos « Angelorum panem ad caelum attollens, eumque in Crucis formam rite circumferens, caelestem Patrem comprecetur, benigna ut velit *oculos ad Filium* suum convertere, amore nostrum patibulo suffixum, eiusque causa et per ipsum, qui Redemptor et frater noster esse voluit, superna munera in eos effluere iubeat, quos immaculatus redemit Agni sanguis » (MDei n. 133).

b) **« Pedetentim succrevit »: dilucidatio historica.**

1°. Omnino certum est, uti vidimus, *Ecclesiam etiam antiquam* adorasse Eucharistiam. Sed hunc cultum adorationis — quantum hucusque scimus — *extra Missam non exercuit,* etsi etiam tunc panem corpus Christi confessa est. Sufficiat allegare solum S. *Cyrillum Alexandrinum,* qui veluti si directe adversus Novatores verba direxisset: « Audio alios esse, qui mysticam benedictionem (« eulogiam ») nihil ad sanctificationem iuvare dicunt, *si* aliquid ex ea (sc. « eulogia », i.e. ex Eucharistia) fiat relinqui in alium diem. Insaniunt autem, qui talia asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque sanctum eius corpus immutatur, sed benedictionis vis et facultas et vivificans gratia semper in ea existit » (Ep. 83 PG 76, 1076).

2°. Item certum est, quod exercitia adorationis Eucharistiae extra Missam incoeptae semperque altiorem gradum consecutae sunt ductu Spiritus Sancti, quando instigante diabolo nova *conamina impetus contra Eucharistiam* tentata fuerint. *Incepit enim cultus Eucharistiae* extra Missam saec. XI-XII-o, postquam haeresis *Berengariana* totum orbem christianum fere inundans commovit. Ut eruditi hanc quaestionem indagantes dicunt, praesertim cl. *Petrus Browe*, quem in sequentibus pressius secuti sumus, negatio impudica realis praesentiae ad cultum Eucharistiae inde iam ab initiis Ecclesiae repositae ducebat. **a.** Primo monasteria Clunyacensia incipiebant *signa adorationis* adhibere, genuflexionem, incensationes, serius lampada ante corpus Christi. — **b.** Haec iam s. XI. ad finem vergente incepta sunt, saec. vero XII-o reperiri possunt *visitationes Eucharistiae* repositae, praesertim in Anglia; S. Thomas Becket archiepiscopus Cantuarensis 1166 scribit in sua epistola ad regem Angliae, quod solitus est « ante maiestatem corporis Christi ... orare pro vobis ». Testimonia inde semper frequentiora fiunt. — **c.** Hae visitationes secumferebant evolutionem et cultum *tabernaculi*, ubi Sanctissimum repositum est. Synodi Parisiensis (1196) et Lateranensis IV. (1215) praescribebant, quod collocandum est « in pulchriore parte altaris » (Mansi, Coll. Concil. 22, 678); saec. XII-XIII-o construi ceperunt tabernacula retro vel iuxta altare, quae aedicula separata erant, vel in muris ecclesiarum immissa. S. Franciscus iam praecepit discipulis suis, « .. si in aliquo loco sanctissimum corpus Domini fuerit pauperrime collocatum, iuxta mandatum Ecclesiae, in loco pretioso ab eis ponatur, et consignetur, et cum magna veneratione portetur ».

3°. Novum incrementum cepit cultus Eucharistiae per novam devotionem *elevationis* et desiderium populi *videndi Hostiam*. **a.** Haec saec XII. in XIII-um vergente fiebant, ansam praebente iterum disputatione theologica, ut iam diximus, magistrorum Parisiensium *Petri Cantoris* († 1197) et *Petri Comestoris* († 1178), qui falso affirmabant, quod « non statim per prolationem priorum verborum fit transsubstantiatio, sed tunc demum cum utraque clausula completa fuerit, fit utriusque transsubstantiatio tum panis, quam vini... » (Dumoutet op. infra cit. p. 38). Multi alii participabant huic disputationi, quae tantopere agitata fuit, quod in extremo Oriente Europae mediaevalis, in Hungaria, iam inter 1192-1195 scriptor *Sacramentarii Boldvensis* (seu Codicis Prayani), post verba « Hoc est enim corpus meum » statim rubricam scripsit: « Depone. Hic uere fit corpus xpi ». (Radó, Libri liturgici manuscripti bibliothecarum Hungariae, I, Budapest 1947, 43, de integro canone C. Kniewald, *in*: Theologia, Budapest 1939, 15-23. — **b.** Cum elevatione statim coniunctae sunt *preculae privatae sacerdotis* celebrantis, sic in memorato Sacramentario manu saec. XIII. ineuntis: ad corpus Domini: « Aue sanctissima caro mea in perpetuum summa dulcedo ». Ad sanguinem vero: « Aue celestis potus mihi ante omnia et super omnia dulcis ». Similes preculae permultae leguntur in codicibus manuscriptis inde a fine saec. XII-i, imo *etiam fideles* recitabant talia lingua quoque vulgari, ut e.gr. in Anglia saec. XIII. ineunte iam: « Ave salus mundi, verbum Patris, hostia vera! » (Jungmann, Missarum solemnia 3.ed. II, 268).

4°. Saec. XIII. ineunte usque ad saec. XIV. *nova ingens motio eucharistica* in medium prodiit, cuius occasio fuit haeresis Waldensium et Albigensium negantium corporeitatem Christi, consequenterque Eucharistiam. Saec. XIII. iure vocatur a quibusdam « *saeculum Eucharistiae* ». Revera eodem anno,

1209, accepit B. Julianna prope Leodiam (Liège, Lüttich) in monte Cornelii primam visionem, quae *festum Corporis Christi* introducendum inculcabat, quod demum tunc tantum pro universa Ecclesia praescriptum fuit, quando Urbanus IV., olim archidiaconus Leodiensis Summus Pontifex fuit (1264 Bulla « Transiturus »). *Tres novae devotiones eucharisticae* ortae sunt hoc aevo, vocato « Gothico ».

a. Prima est *processio theophorica,* ab Urbano IV. nondum memorata, quae Coloniae in ecclesia S. Gereonis prima habita est inter 1274-1279. Inde ab annis 1300 per totam Europam usuvenerunt hae processiones cum « monstrantia cristallina », ut documenta tradunt, in festo Corporis Christi, dein etiam per alia festa (Browe, Verehrung p. 93-94.).

b. Secunda devotio eucharistica est *benedictio data cum Sanctissimo* eodem fere tempore, cuius primum vestigium Hildesheimi anno 1311 repertum est, quando sacerdos « stabit supra gradus ante altare S. Crucis cum ipsa Hostia sanctissima populum benedicens » (Browe p. 74.). Iam a multo tempore usitata fuit medio aevo post aliquam functionem vel processionem benedictio data cum reliquiis Sanctorum, cum patena, vel cum oleis sacris. Pronum erat ergo, quando corpus Christi iam in ostensorium crystallinum positum fuit, sicuti hoc iam cum reliquiis diu fiebat, etiam cum Hostia dandi benedictionem.

c. Tertia devotio nova est demum aevo hoc Gothico *expositio Sanctissimi.* Iam anno 1336 in Germania civitate Minden festo Corporis Domini exponebant Corpus Christi super altare, in Missa et ceteris officiis Primum privilegium talium Missarum secundum P. Browe singulis Feriis V. in hebdomada celebrandarum ecclesiae B. Mariae Virginis in arce Buda datum est a Sancta Sede Ludovico Magno regi Hungariae, quae devotio late ubique diffusa est. — Expositiones Sanctissimi *extra Missam,* praesertim pia et salutaris devotio « Quadraginta horarum » in Italia incepit inde ab anno 1527 Mediolani, a Clemente VIII. 1592 in Urbe praescripta fuit omnibus ecclesiis (cf. De Eccl. orante F. 1.).

5°. Hae devotiones omnes saec. XIII-XIV. ortae sunt e desiderio populi *per visionem* venerandi Hostiam. Incredibile emolumentum spirituale inde ortum est, negari tamen non potest, eodem aevo aureo Eucharistiae, inde a saec. XIII. *s. communionis frequentiam diminutam esse.* Fuerunt qui locuti sunt de « manducatione *per gustum* », i.e. sumptione Eucharistiae et de « manducatione *per visum* », i.e. visione Hostiae, de qua recte quidem asseverebant, quod « aspicere Corpus Christi provocatio est ad dilectionem » (Gulielmus Antissiodorensis † 1232), sed alii ultra procedentes dixerunt has manducationes aequivalentes esse. *Contra* horum commentum sapienter scripsit *Aquinas*: « Dicendum est quod per visum non accipitur ipsum corpus Christi, sed solum sacramentum eius, quia scilicet non pertingit visus ad substantiam corporis Christi, sed solum ad species sacramentales ... Sed ille qui manducat, non solum sumit species sacramentales, set etiam ipsum Christum qui est sub eis » (III q.80. a.4. ad 4.). Inde communiones rariores evaserunt, etiam penes timoratos. Sic e.gr. fratres laici Ord. Praed. quater, moniales S. Brigittae quinquies per annum communicaverunt, Sancti quoque, S. Ludovicus rex Franciae sexies, S. Elisabeth regina Portugalliae ter per annum (J. Hoffmann op. infra cit. p. 169. 174.).

6°. Aetate reformationis *contra Novatores exercitiis eucharisticis* nihil opportunius haberi potuit. Praecipue enim adorationem Eucharistiae abhorrebant,

eam una voce dicentes idololatriam. Restaurationis catholicae antesignani ergo, inde a saec. XVI-o, valde favebant his exercitiis, et recte, nam negatio eorum iam innitebatur fundamento haeretico et populus christianus nullo melius potuit ad catholicam fidem de Eucharistia educari, quam istis. Theatini, patres Societatis Jesu, S. Antonius Maria Zaccaria, Philippus Neri, Carolus Borromaeus, maximi erant fautores harum devotionum, quae tunc iam non solae sufficiebant, sed commendabatur et in praxim deducebatur quoque communio frequentior (per mensem, per hebdomadam, rarius cotidiana). Nostris temporibus reservatum fuit extendere communionem frequentem; sed etiam exercitia adorationis remanserunt, et a quibusdam recentioribus auctoribus immoderatius reprehendebantur, quod sane iuxta doctrinam Ecclesiae probari non potest.

7°. Conclusio dilucidationis historicae.

Quaeri posset, cur factum sit, quod ex una parte per decem saecula ignota fuerit *adoratio Eucharistiae extra Missam*, si reapse tam solido fundamento dogmatico innitatur, — ex altera parte autem; cur diminuta fuerit per sex fere saecula *s. communionis frequentia*. Videtur, quod divina Providentia forsitan his ostendere voluit, sanctitatem subiectivam fidelium *absolute* nec ab ista, nec ab illa dependere. Nam aevo Ecclesiae antiquo procul dubio communio frequens, immo in domibus fidelium etiam cotidiana in usu fuit, frequentior etiam remansit usque ad a. 1000 circiter, quam subsequente aetate Gothica. Recte notat ergo M. Righetti (Storia liturgica III, 1949, 488), quod aetate hac « Ecclesiae antiquae fides viva, profunda et efficax praesentiae realis exprimebat et etiam exhaurivit omnes affectus suos erga Eucharistiam occasione sacrificii et communionis ». Saecula autem inde a saec. XII-o videbant, etiam rarius communicando, cultum Eucharistiae intensivum in dies crescentem, qui miris modis alebat vitam spiritualem fidelium.

Nostra autem aetate felices sumus *utrumque possidere*: *et* frequentiam communionis *et* cultum Eucharistiae a litatione disiunctum. Fructus instar theologici huius historicae elucidationis moneri debet: *per se* non sola frequentia horum mediorum fit aliquis sanctus sine socia opera ea adhibentis. Ergo nec aevo nostro, renascentiae eucharisticae, oblivioni danda sunt media necessaria gratiae acquirendae: meritoria opera caritatis, sanctae abnegationis, virtutum exercitationis. Nam haec neglegendo fieri posset, ut quis vitam vivens eucharisticam et liturgicam, tamen in minore consisteret gradu gratiae, quam multi fideles praeteritorum temporum.

SCHOLION. Quid adoretur in Eucharistia.

Christo debetur cultus latriae etiam in Eucharistia. Sacramentum Eucharistiae qua tale dicitur adorari: « Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui », item: « Adoremus in aeternum sanctissimum Sacramentum! » Quis sit terminus adorationis, Suarez optime explicat: « Dicendum est simpliciter hoc Sacramentum adorandum esse adoratione latriae absoluta et perfecta, qua per se *adoratur* Christus, *co*-adorantur autem species. Probatur, quia hoc Sacramentum in re est unum constans ex Christo et speciebus, ergo eadem adoratione est adorandum, qua ipsemet Christus. Et ipsae species sunt coadorandae, sicut vestis vel thronus Christi ... sicut nec per se adoratur humanitas Christi, sed coadoratur verbo, neque ab ipso unquam separatur, nec suppositum per se constituit, ita species consecratae, quamdiu consecrationem retinent, et dignae

sunt adoratione, non separantur a Christo, cui sacramentaliter coniunguntur » (De Euch. disp. 65. sect. 2. nr. 2.).

* * *

Totam hanc maximi momenti quaestionem apte concludimus consideratione, cur Dominus voluit praesens esse in hoc augusto Sacramento. Sine dubio adorare Eum debemus, sed Eius finis non hic fuit, sed ut inter nos manens semper renovaret nobisque applicaret salutiferam suam mortem. Quae mors redemptiva repraesentata sacrificium constituit Ecclesiae, ad cuius participationem nos invitat, ut cibus esset noster; Rex Jesus enim « linteo humanitatis se praecingens, curavit quod infirmum erat. Confiteamur Regis et medici praesentiam » (Cyrill. Hieros. Cat. 12,1).

Litteratura.

Quoad praesentiam realem. *S. Bellarminus*, De Eucharistia L.I. de reali praesentia ex verbo Dei, L. II. ex testimoniis Patrum (ed. J. Fèvre, IV, 1-131.). — *Nic. Card. Wiseman*, Lectures on the real presence of Jesus Christ in the Blessed Sacrament, London 1836. — *J. Schnitzer*, Berengar von Tours, sein Leben und seine Lehre. 2.ed. Freiburg 1892. — *J. Ernst*, Die Lehre des hl. Paschasius Radbertus von der Eucharistiae, Freiburg 1896. — *Darwell Stone*, A history of the doctrine of the holy Eucharist, London 1899. — *A. Naegle*, Ratramnus und die hl. Eucharistie, Wien 1903. — *K. G. Götz*, Die Abendmahlsfrage in ihrer geschichtlichen Entwicklung 1904. — *A. Struckmann*, Die Gegenwart Christi in der hl. Eucharistie nach den schriftlichen Quellen der vornizänischen Zeit, Wien 1905. — *Pierre Hobeika* Témoignages syro-maronites de la présence réelle, Beirut 1908. — *G. Rauschen*, Eucharistie und Bussakrament in den ersten sechs Jahrhunderten, 2.ed. Freiburg i. Br. 1910. — *H. Leclercq*, Agapé, *in*: DAL I, 775-848. — *F. Cabrol*, Eucharistie, *in*: DAL V, 1 (1922) 681-692. — *Th. Philipps*, Die Verheissung der Eucharistie nach Joannes, Paderborn 1922. — *G. de Lai*, Della presenza reale di Gesù Cristo nell'Eucaristia, 2.ed. Roma 1924. — *J. Geiselmann*, Die Eucharistielehre der Vorscholastik, Paderborn 1926. — *J. Geiselman*, Die Abendmahlslehre in der Wende der christlichen Spätantike zum Frühmittelalter. Paderborn 1933. — *P. Batiffol*, L'Eucharistie. La présence réel'e et la transsubstantiation, Paris 9. ed. 1930. — *A. Arnold*, Der Ursprung des christlichen Abendmahls im Lichte der neuesten liturgiegeschichtlichen Forschung, Freiburg i. Br. 1937. — *H. Peltier*, Paschase Radbert, abbé de Corbie, Paris 1938. — *H. Weisweiler*, Die vollständige Kampfschrift Bernold von St Blasien gegen Berengar, *in*: Scholastik 1937, 58-93. — *W. H. Beekenkamp*, Berengar, De sacra coena 1941. — *C. Gliozzo*, La dottrina della controversia eucaristica in P. Radberto e Ratramno, Palermo 1945. — *J. Jeremias*, Die Abendmahlsworte Jesus, 2.ed. Göttingen 1949. — *H. Schürmann*, Semitismen im Einsetzungsbericht bei Markus und bei Lukas, *in*: ZfkTh 1951, 72-77. — *W. Dürig*, *Imago*. Ein Beitrag zur Terminologie und Theologie der römischen Liturgie, München 1952 (cf. Eph. Lit. 1953, 72-74). — *Belon Gellért*, Krisztus lelkülete a hét szentségben. Az Oltáriszentség (=Spiritus Christi in septem Sacramentis. SS. Eucharistia, e licentia auctoris). — *J. Betz*, Die Aktualpräsenz der Person und des Heilswerkes im Abendmahl nach der vorephesinischen griechischen Patristik, Freiburg i.Br. 1955. — *H. Schürmann*, Der Einsetzungsbericht Lk 22,19.20. Eine quellenkritische Untersuchung des lukanischen Abendmalberichtes Lk 22,7-38, Münster i.W. 1955. — *J. R. Geiselmann*, Abendmahlsstreit, *in*: LfThK 2.ed. I (1957) 33-35. — *H. R. Schlette*, Die Eucharistielehre Hugos von St. Viktor, *in*: ZfkTh 1959, 67-100.

Quoad adorationem Christi eucharistici. *J. Hoffmann*, Die Verehrung und Anbetung des allerheiligsten Sakramentes des Altars, Kempten 1897. — *F. Raible*, Der Tabernakel einst und jetzt. Eine historische und liturgische Darstellung der Andacht zur aufbewahrten Eucharistie, Freiburg 1908. — *Ch. Cordonnier*, Le culte du Saint Sacrement, Paris 1924. — *L. Gougaud*, Dévotions et pratiques ascétiques du moyen âge, Paris 1925. — *E. Dumoutet*, Le désir de voir l'hostie et les origines de la dévotion au Saint Sacrement, Paris 1926. — *P. Browe*, Die Entstehung der Sakramentsandachten, *in*: JfLw 1927, 83-104. — *Idem*, Die Elevation in der Messe, *in*: JfLw 1929, 20-66. — *Idem*, Die Verehrung der Eucharistie im Mittelalter, München 1933. — *A. Wilmart*, Auteurs spirituels et les texts dévots, Paris 1932. — *A. L. Mayer*, Die heilbringende Schau in Sitte und Kult, *in*: Heilige ueberlie-

ferung, herausgeg. von O. Casel, Maria Laach 1938, p. 234-262. — *Rogács Ferenc*, Lélekben és igazságban. Az adoráció elmélete és gyakorlata papok használatára (= In spiritu et veritate. Theoria et praxis adorationis pro sacerdotibus), Szombathely 1948. — *M. Righetti*, Il culto al SS. Sacramento extra Missam, *in*: Storia liturgica III. Milano 1949, p. 485-506.

G) De actu praesentiandi Christum in Eucharistia.

Hucusque locuti sumus de *facto* praesentiae Christi in Eucharistia, nunc tractandum est de *modo*, quo praesens *fit*: i.e. de actu praesentiandi, seu de transsubstantiatione, demum de modo, quo praesens *est* in Eucharistia.

Agitur circa transsubstantiationes de sequentibus:

1. Status quaestionis.
2. Dogmatis circumscriptio.
3. Non-coexistentia panis cum corpore et sanguine Christi.
4. Conversio totalis panis in corpus et sanguinem Christi.

1. Status quaestionis de transsubstantiatione.

a) **Notiones philosophicae.**

Breviter in memoriam revocantur conceptus philosophici huc pertinentes.

1°. *Substantia* est ens in se, quod non est in alio, ut subiecto inhaesionis.

2°. *Essentia* est id, quo ens in suo esse intrinsecus constituitur, et ab omni alio distinguitur. *Essentia* idem est, ac substantia, in quantum est principium essendi. Omne ens ideo est, quia aliquid est, nihilum *non est*.

3°. *Natura* idem est ac substantia, in quantum est principium operandi. Omne ens sic operatur, sicut est et non aliter: agere sequitur esse.

4°. *Accidens* est ens quod non est in se, sed in alio, ut subiecto inhaesionis. Non datur « magnum », « album », « rotundum », tantum talis arbor, domus, hostia etc.

5°. *Quantitas* i.e. extensio, est exigentia seu aptitudo ad extensionem. *Extensio actualis* in ordine ad locum est divisibilitas in partes integrantes, mensura activa vel passiva, impenetrabilitas. Quantitas est evidenter aliud quam substantia, qua remanente quantitas mutatur, e.gr. ex infante fit adultus.

6°. *Qualitas*, secunda e novem accidentibus, quae consideranda veniunt in re eucharistica, est accidens modificans substantiam et respondet ad quaestionem: Qualis? Est odor, color, sapor etc. Qualitates mutantur, dum substantia remanet.

7°. *Species* (Gestalten, espèces, szinek) est nomen ecclesiasticum accidentis, quod in documentis fidei occurrit. Species « iuxta terminologiam tempore Concilii Tridentini usitatam important ea quae in philosophia scholastica accidentia appellamus ... Noluit certe Concilium definire distinctionem realem accidentium a substantia, aut conceptum accidentis et substantiae consecrare », monet Filograssi (De SS. Euch. 5.ed. p. 159).

8°. *Quantitas* « ea est substantiae corporeae determinatio, *mediante qua insunt cetera accidentia,* quibus subiectum absolute in seipso perficitur. Nam certo etsi omnes qualitates et vires ex ratione sui generis inextensum aliquid dicant extenso tamen et dimensivo modo in corporibus noscuntur existere; sed hoc esse omnino non posset, nisi reciperentur in *subiecto* per prius *affecto quantitate* » (Billot I, 509-510). — Hoc etiam quoad accidentia Eucharistiae valet: quantitate mediante insunt qualitates iuxta hoc principium: « Ad sensum apparet *aliquod quantum* esse ibi coloratum et aliis accidentibus affectum ... Prima dispositio materiae est *quantitas dimensiva* ... Et quia subtracto subiecto, remanent accidentia secundum esse, quod prius habeant, consequens est, quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensivam » (III q.77. a.2.).

9°. *Forma substantialis,* grave momentum habens in re eucharistica, est id, quod aliquid facit, ut esset quod est. E.gr. in homine datur ferrum, phosphorium, natrium et sic porro, sed in tali compositione per animam fiunt haec substantia humana.

b) **De conversione.**

1°. *Conversio* est « mutatio, qua res, desinendo esse id quod erat, transit in aliquid aliud, quod non erat » (De conversione cf. Billot I, 363-372 et J. Müller p. 247-255. Inspicienda *Tabella I.*). Conversio est *species mutationis,* mutatio est genus, et ideo omnis conversio est mutatio, sed non omnis mutatio est conversio. « Conversio versatur inter duos terminos positivos, desinentem unum, succedentem alterum et ita quidem, ut cum sermo est de iis conversionibus quas agens naturale operatur, corruptio unius debeat esse alterius generatio » (Billot). Quod mutationem attinet, nullo modo est necessaria haec « desitio », quae in conversione invenitur.

2°. *Divisio conversionis.* a. Si conversio, i.e. transitus secundum *entitatem accidentalem* fit, habetur *conversio accidentalis.* Exempli instar: si homo indoctus paulatim doctus fit, sanus aegrotus etc.

b. Si conversio i.e. transitus secundum entitatem substantialem fit, habetur *conversio substantialis,* haec sola est veri nominis conversio.

c. Conversio substantialis potest esse *materialis,* si transitus afficit materiam, e.gr. homo materialiter mutatur manente eadem forma substantiali, videlicet anima. Dein potest esse conversio substantialis *formalis*: si transitus formam afficit. Ut Doctor Communis dicit: « In qualibet conversione (heic intelligit Thomas conversionem naturalem) manet subiectum, in quo succedunt sibi diversae formae, vel accidentales ... vel substantiales, unde conversiones formales nominantur » (Contra Gent. l. 4. c. 63.).

d. *Conversiones,* de quibus locuti sumus, sunt omnes *conversiones partiales.* Conversio *totalis* habetur, si totam substantiam attingit, quod tantum praeter naturae leges, i.e. per miraculum fieri potest. Haec conversio totalis potest esse *totalis secundum quid*: e.gr. conversio aquae in vinum facta in Cana Galileae. In Eucharistia habetur conversio unica: nempe conversio *totalis vera,* in qua singuli termini, seu momenta distinguenda sunt.

3°. *Termini distinguendi* in *omnibus* conversionibus totalibus sunt sequentes. Considerandi sunt terminus *a quo* et *ad quem* sub duplici respectu.

a. Si *secundum se* respicitur totum, i.e. integrum illud ens, quod transit in aliud, loquimus de *termino totali* a quo et ad quem. Terminus totalis a quo conversionis est integrum illud ens quod transit in alium et quatenus transit. Terminus totalis ad quem est ens resultants ex hac conversione.

b. Si illud respicitur secundum quod ens *esse desinit* seu secundum quod conversio fieri dicitur, loquimur de *termino formali* a quo et ad quem. Terminus formalis a quo conversionis est ergo illud, secundum quod esse desinit, *elemento communi manente.* In conversionibus secundum ordinem naturae, quae non sunt totales, termini tales habentur. Exemplo sit eruca (Raupe, chemille, bruco, hernyó) e qua fit papilio (Schmetterling, parpaglione, lepke); eruca desinit esse, sed papilio tamen idem individuum est. Feles (Katze, chat, gatto, macska) comedit murem, mus quidem desinit esse, sed eius partes dissolutae aedificantur in corpus felis; heic habetur « elementum commune », quod remanet. In conversione erucae terminus totalis *a quo* est eruca ipsa, totalis *ad quem* papilio, terminus *formalis a quod* est forma erucae quae desinit esse, et mutatur in terminum *formales ad quem* i.e. formam papilionis.

4°. Si *unicae verae conversioni totali,* nempe transsustantiationi applicatur haec consideratio, *terminus totalis a quo* est *substantia panis et vini cum accidentibus,* terminus *totalis ad quem* est *substantia corporis Christi cum accidentibus panis, inter hos terminos fit conversio.* In hac conversione *mirabili,* videlicet transsubstantiatione *non habetur inter duos hos terminos* ullum *elementum commune, substantiale* nempe, *solummodo species* (Filograssi p. 163). Et praecise *in hoc* differt conversio eucharistica *ab omni alia conversione,* ut Aquinas dicit: « In transmutatione *naturali* remanet *eadem materia* vel *subiectum*: in hoc autem Sacramento *remanent eadem accidentia* » (III. q. 75. a. 8.). In transsubstantiatione illud *secundum quod esse* desinit, seu terminus *formalis a quo* est panis substantia, terminus *formalis ad quem* corporis Christi substantia. (Conferatur *Tabella II.*).

5°. *Transsubstantiatio* et *consecratio* non omnino idem sunt, inquantum: a. consecratio est *actus quo fit* transsubstantiatio, i.e. conversio totalis panis etc. in corpus Christi. — b. Consecratio est species *mutationis supernaturalis* etquidem *conversivae,* quando aliquid subtrahitur profano usui et Deo dedicatur. Aedificia sic consecrantur in templa, mensae lapideae in altaria, homo laicus in ministrum Christi. « Consecratio » kat' exochén sublimissima et omnino sui generis est: quando per actum conversivum panis etc. Corpus Christi fit et Deo dedicatur per oblationem (cfr. *Tabella III.*).

c) **Nomina transsubstantiationis.**

1°. Hoc nomen primo dictus est invexisse *Hildebertus Cenomanensis* episcopus († 1132), recenter tamen putant opusculum, ubi nomen transsubstantiationis occurrit, non esse eius. Eodem fere tempore vero iam *Stephanus Augusto dunensis,* dein *Magister Rolandus* (Papa Alexander III.) versus 1150, dein multi Praescholastici usurpabant hunc terminum. Usque ad haec tempora conversio vocabatur « *transmutatio, transfiguratio, translocatio, conversio* ». Denominationem transsubstantiationis sancivit Lateranense IV.: «... transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina ».

2°. **Graecorum** denominationes consimiles sunt: « *metapoiein* », « *metaballein* » = transmutare; « *metarrhytmizein* » = transformare; « *metaskeuazein* » = transfigurare; « *metastoicheiôsai* » = transelementari, quod idem est quam

« transsubstantiari ». Apud Graecos unitos habetur etiam versio verbalis transsubstantiationis: « *metaousiôsis* ».

* * *

Adiiciuntur nunc tres Tabellae praecedentia illustrantia.

TABELLA I
DIVISIO CONVERSIONIS



TABELLA II
CONSPECTUS CONVERSIONIS EUCHARISTICAE

CONVERSIO:

Term. totalis a quo:		*Term. totalis ad quem*:	
	Panis ACCIDENTIA *et*	Panis ACCIDENTIA *et*	
Term. form. a quo:	Panis SUBSTANTIA	Corporis Christi SUBSTANTIA	*Term. form. ad quem*

TABELLA III
AMBITUS MUTATIONIS

M U T A T I O
C O N V E R S I O
CONSECRATIO
Trans-
subst.

2. Dogmatis transsubstantiationis circumscriptio.

a) Definitio Ecclesiae.

1°. *Trident. sess. XIII. can. 2*: « S.q.d., (1) in SS. Eucharistiae Sacramento *remanere* substantiam *panis et vini* una cum corpore et sanguine D.N.J. Christi, (2) negaveritque mirabilem illam singularem *conversionem* totius substantiae panis in Corpus et totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, (3) quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime *transsubstantiationem* appellat: anathema sit » (Denz. 884). — *Parte prima*

huius definitionis sollemnis damnatur error « impanationis »; *secunda* parte damnantur ii, qui negant conversionem totalem; *tertia* parte edicitur hanc conversionem singularem « aptissime » transsubstantiationem denominari.

2°. *Damnatio Synodi Pistoriensis* 28. Aug. 1794: « Doctrina synodi ... de ritu consecrationis ... prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis seu conversionis totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem ... quasi ageretur de quaestione *mere scholastica*: perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, favens haereticis » (Denz. 1529).

b) **Definitur ex hucusque dictis notio transsubstantiationis:**

Conversio a positivo termino totali desinente, afficiens totam substantiam panis, solis speciebus remanentibus, nullo subiecto manente, in positivum terminum totalem succedentem, qui est corpus Christi praeexistens.

c) **Dogma componitur:**

e tribus articulis fidei: 1°. realis et substantialis praesentia Christi, 2°. non-coexistentia panis cum corpore Christi, 3°. conversio panis in corpus Christi.

Hi tres articuli fidei, ut monet Card. Franzelin (p. 204 s.) arctissime inter se coniunguntur. Qui affirmat primum, non ideo affirmat etiam secundum et tertium, sed potest negare utrumque. Qui affirmat secundum, eo ipso affirmat primum, sed potest negare tertium. Affirmatio tertii includit affirmationem primi et secundi articuli.

d) **Essentia mysterii:**

in hoc dogmate tribus momentis videtur constare, quae penitus intelligi non possunt.

1°. *Quomodo convertitur* panis in corpus Christi, quando panis non annihilatur, sed convertitur; quando ex pane fit corpus Christi, sed non e substantia panis.

2°. Quomodo possunt *accidentia remanere sine substantia*, quod secus nunquam contingit; corpus etenim Christi *extrinsecus* sustentat haec accidentia, ergo non Christus est albus, rotundus, non habet saporem vini etc.

3°. Quod *speciebus* i.e. accidentibus *corruptis*, digestis vel destructis *desinit praesentia corporis Christi* et deinde accidentibus iterum substat alia naturalis substantia, quae naturali solet fieri modo e pane et vino, quando corrumpuntur, digeruntur vel destruuntur.

4°. Mysterium *non esse evidenter repugnans* S. Thomas sic demonstrat: « Divina virtus potest *producere effectus* quarumcumque causarum secundarum sine ipsis causis secundis, sicut potuit formare hominem sine semine et sanare febrem sine operatione naturae: quod accidit propter infinitatem virtutis eius et quia omnibus causis largitur virtutem agendi. Unde *et effectus* causarum secundarum *conservare* potest in esse sine causis secundis. Et hoc modo in hoc Sacramento accidens conservat in esse, sublata substantia, quae ipsum conservabat ». (Contra Gent. 1, 4. c. 65. et III q. 77. a. 1.).

3. Non-coëxistentia panis cum corpore et sanguine Christi.

THESIS: Panis et vinum non remanent cum corpore et sanguine Christi.
De fide.

a) **Sacra Scriptura.**

1°. In relationibus coenae novissimae enuntiationes verborum institutionis: « Touto esti to sôma mou — Hoc est corpus meum » procul dubio significant entitatem vere praesentem. « *Hoc* » in *propositione demonstrativa* significat entitatem, ad quam pertinent accidentia quae eam *entitatem adesse* manifestant, per se eam solam.

2°. Pronomen « *hoc* » *non demonstrat aliam entitatem etiam* praesentem, *excepto casu,* si prima entitas destinatione vel usu communi *ordinetur ad alteram entitatem continendam,* aut ad coexistendum cum ea (Filograssi p. 170). Exempli instar afferri solet *marsupium* (Beutel, borsa, erszény), quando ostenditur marsupium et dicitur: « Haec est mea pecunia »; vel quando de lagena vinum continente dicitur: « Hoc est vinum generosum ». In his casibus hoc ideo potest fieri, quia prima entitas (marsupium, lagena) ordinatur ad alteram entitatem (pecuniam, vinum) continendam.

3°. Sed *si prima entitas non ordinetur* ad alteram continendam aut coexistendum cum ea, tunc frustra et insipide affirmaretur identitas. E.gr. nullo modo posset dici de pane, in quo positus esset lapillus Indicus: « Hic est lapillus Indicus! » *atqui* praecise hoc contingit audiendo verba institutionis: « Hoc est corpus meum ». Haec propositio enim revera absona esset, si panis *coexsisteret* cum corpore Christi. Iam Doctor Angelicus annuntiat perinde quasi directe Lutherum respexisset: « Quidam posuerunt (intelligit Scotum Eriugenam et Berengarium), post consecrationem substantiam panis ac vini in hoc Sacramento remanere, sed haec positio stare non potest » (III q. 75. a. 2.). Triplici ratione id probat:

b) **Rationes theologicae:**

1°. « Per hanc positionem (sc. supra allegatam) tollitur *veritas huius Sacramenti,* ad quam (nempe veritatem) pertinet, ut verum corpus Christi in hoc Sacramento *existat,* quod quidem ibi *non est ante* consecrationem ... Manifestum est autem, quod corpus Christi *non* incipit esse in hoc Sacramento per motum localem, quia sequeretur quod desineret esse in caelo ... Ideo relinquitur quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc Sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum. *quod* autem *convertitur in aliquid, facta conversione non manet* ».

2°. « Haec positio contrariatur *formae huius Sacramenti,* in qua dicitur: Hoc est corpus meum, quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret ... sed potius esset dicendum: *Hic* (heic, hoc loco) est corpus meum.

3°. « Contrariatur *venerationi huius Sacramenti,* si aliqua substantia esset ibi, quae non posset adoratione latriae adorari ».

c) **Sacra Traditio.**

E multis testibus audiatur solum unus Latinus, unus Graecus et unus Arabs.

1°. S. *Ambrosius* in libro suo « *De Mysteriis* » in fide conversionis eucharisticae labefactos *plurimis exemplis* confirmare conatur, quibus exemplis affert

analogias, quod natura per omnipotentiam Dei multoties victa est. Mutationem enim inducit miraculosas *Veteris Testamenti*: Virgam Moysis versam in serpentem, Aegypti flumina versa in sanguinem, mare et fluvium Iordanis, quae viam pedestrem parabant aquis recedentibus, petram quae percussa virga Moysis aquam dedit, Elisaeum, qui ferrum securis in flumen mersum natare fecit. Deinde *deducit conclusionem*: « Advertimus igitur maioris esse virtutis gratiam, quam naturam ... Si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? ... Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est; vere ergo carnis illius sacramentum est» (9,51-53 Quasten p. 134-135).

2°. E Patribus Graecis afferatur *Joannes Damascenus*, qui dilucide declarat totam naturam conversionis: « Corpus illud vere unitum est divinitati quod est e sacra Virgine corpus, non quod assumptum corpus e caelo adveniet, sed quod ipse panis et vinum *transmutantur* (metapoiountai) in corpus et sanguinem Dei. Si autem modum quaesitas, *quomodo fiet*, sufficit tibi audire quod per Spiritum Sanctum... Et plus non cognoscimus, nam verbum Dei *verax* est et *efficax et omnipotens*, modus autem impervestigabilis ... Sic panis oblationis vinumque et aqua per invocationem et adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutantur (hyperphyôs metapoiountai) in corpus Christi et sanguinem, et non sunt iam duae res, sed *unum et idem* ... Nec vero panis et vinum sunt *figura* corporis et sanguinis Christi, quod absit, sed ipsum Domini corpus deificatum (tetheômenon), cum ipse Dominus dixerit: Hoc est meum — non figura corporis — corpus, et non figura sanguinis, sed: sanguis ». — quasi directe Sacramentariis saec. XVI-i hoc dixisset (De fide orthod. 4,13 PG 94,1144).

3°. Tertius testis est episcopus saeculi VIII-i *Theodorus Abukara* (« pater Haran », i.e. episcopus), qui iam arabice scripsit de conversione eucharistica. In *Dialogo* eius haec dicit Mahometano: « Ponit sacerdos panem super sanctam mensam, similiter et vinum, et precante eo praecationem sanctam descendit Spiritus Sanctus in ea et divinitate sua panem et vinum in corpus et sanguinem Christi mutat, non minus quam hepar cibum in corpus alicuius. En amice, non concedis, quod possit Spiritus Sanctus facere, quod hepar tuum potest? » (Opusculum contra haereticos Iudaeos et Saracenos, versione graeca PG 97, 1554).

4. De conversione totali panis in corpus Christi.

THESIS: (1) Tota substantia panis et vini (2) convertitur in corpus et sanguinem Christi (3) accidentibus remantibus.

De fide.

I. Pars probatur: Tota substantia panis etc.

Tota substantia i.e. tota entitas panis et vini mutatur in totam entitatem. Rationem speculativam clarissime S. *Thomas* suppeditat, distinctionem faciens

inter agentem creatum et agentem Creatorem, auctorem entis. Agens creatus tantum *determinatum* actum potest ponere, qui circa formam versatur; Deus autem, ut actus infinitus, *totam* entitatem potest attingere per conversionem:

« *Agentis creati* actio fertur super aliquem *determinatum actum*, determinatio autem cuiuslibet rei in esse actuali est per eius *formam;* unde nullum agens naturale seu creatum potest agere nisi ad immutationem formae, et propter hoc omnis conversio, quae fit secundum leges naturae, est formalis. Sed Deus est *actus infinitus* ... unde eius actio se extendit ad *totam* naturam entis. Non igitur solum potest perficere conversionem formalem, ut scilicet diversae formae sibi in eodem subiecto succedant; sed conversionem totius entis, ut scilicet tota substantia huius convertatur in totam substantiam illius; et hoc agitur virtute divina in hoc Sacramento, nam tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi ... unde haec conversio non est formalis, sed substantialis » (III q. 75. a. 4.).

II. Pars probatur: Convertitur.

Ergo haec conversio mirabilis non est:

a) **Annihilatio.**

Substantiam panis et vini annihilatum iri opinabantur *Duns Scotus* (1266-1308) dein *Wilhelmus Ockham* Oxoniensis († 1350) et *Gabriel Biel* praepositus († 1495). Haec sententia non heterodoxa, tantum erronea, impossibilem reddit notionem conversionis. Secundum definitionem Traditioni innixam enim agitur de « conversione totius substantiae panis », sed si annihilaretur panis, iam nil remaneret, quod convertatur. « Supponas totam panis substantiam vere labi in nihilum, deest iam *res quae* transit in aliam, *id quod* mutatur in aliud » (Filograssi (p. 219). Supposita veritate huius sententiae loco « conversionis » deberemus loqui *de « successione »*, successio autem iam non est conversio. *S. Thomas* qui nondum potuit cognoscere Scotum, tamen aperte declarat: « Conversio tollitur, posita vel annihilatione substantiae panis vel resolutione in praeiacentem materiam », (III q. 75. a. 3.). Hoc *ratione convenientiae* probat: « Impossibile videtur esse, quod substantia panis omnino in nihilum redeat. Multum enim de natura corporea primo creata in nihilum rediisset ex frequentatione huius mysterii. Nec est decens, ut in Sacramento salutis: divina virtute aliquid in nihilum redigatur » (Contra Gent. 4,63). — Secundo haec conversio mirabilis non est:

b) **Actio adductiva**

corporis Christi seu *adductio, transpositio,* ut aliqui theologi putaverunt. Ex his theologis eminent *Franc. Toletus S. J.*, primus cardinalis e Societate (1532-1596), *S. Bellarminus,* dein *Gabr. Vazquez S.J.* († 1604). *Card. Lugo S.J.* improbat terminum « adductionis » et loquitur de « *actione constitutiva* » corporis Christi, quod quoad rem idem est ac adductio. — Adductio enim aut cum coexistentia panis aut post annihilationem eius tantum possibilis fit, quod utrumque falsum est. Praeterea « adductio quocumque modo explicetur, non importat conversionem panis, atque ideo rationem conversionis inexplicatam reddit »

(Zubizarreta IV, 196). Atqui fontes revelationis Ecclesiaeque magisterium loquuntur de conversione. — Item haec conversio mirabilis non est:

c) **Productio seu reproductio**

corporis Christi, quod primo *Franc. Suarez S.J.* († 1617) videtur docuisse: « Verba consecrationis revera influunt de facto ipsum esse substantiale in corpus Christi ... et in hunc modum posset illa actio dici esse sufficiens productio termini, si alibi (Suarez intelligit in caelo) non esset ... Ergo non est adductiva, sed potius *de se productiva* seu conservativa corporis Christi, quod hic fit praesens » (De Euch. disp. 50, sectio 4,10 Op. omnia Parisiis 1866 t. XXI, 157-158). Similiter opinabantur *Lessius, Billuart, Card. Franzelin, Conninck, Gonetus, Piccirelli,* qui haec dicit: « Absolute loquendo, si Christus non existeret, illa actio (sc. productiva) talis est, ut possit sufficere ad ipsum de *novo aut primo* producendum » (Disquisitio p. 178). — Hanc doctrinam minus esse rectam clara argumentatione ostendit *Doronzo* dicens: « Omnis productio rei vel est ex nihilo sui et subiecti, i.e. ex non ente simpliciter in ens simpliciter (creatio), vel est ex nihilo sui, sed non subiecti (transformatio), in quo casu oportet, ut subiectum permaneat et sit pars eius, quod fit, secus hoc diceretur fieri totaliter, i.e. et sec. se et sec. subiectum suae formae. Iamvero transsubstantiatio non est productio rei ex nihilo sui et subiecti, quia non est mutatio ex non-ente in ens, sed ex ente in ens, nec est productio rei ex nihilo sui, sed non subiecti, quia in ea nullum remanet subiectum utrique termino commune. Ergo nullo modo productio esse potest » (I, 284). Nil ergo remanet, quod haec conversio mirabilis sit:

d) **Conversio simpliciter,**

id est mutatio totius entitatis panis etc. in corpus Christi praeexistens, vi conversionis non mutatum (fusius hac de re cf. Billot I, 356-363, De la Taille p. 621-640, Doronzo p. 302-315 et Filograssi p. 225-231).

1°. Haec sententia videtur esse genuina sententia « Thomistica » videlicet ipsius *S. Thomae,* qui haec dicit: « Substantia panis et vini, facta consecratione, neque sub speciebus Sacramenti manet, neque alibi; non tamen sequitur quod annihiletur: convertitur enim in corpus Christi » (III q. 75. a. 3 ad 1.). Ad quod coniungendum est effatum eiusdem Doctoris Communis: « In hac conversione ... substantia panis convertitur secundum se totum in corpus Christi, non quidem, ut sit *sub ipso,* sed ut sit *ipsummet* » (In IV. dist. 11. q. 1. a. 2. ad 1.).

2°. Ergo tantum panis etc. mutatur per conversionem, corpus Christi autem non mutatur in Eucharistia, etsi secus corpus glorificatum mutetur « mutationibus, quae cum corporis gloriosi incorruptibilitate et impassibilitate conciliantur » (Filograssi p. 225). Revera corpus Christi glorificatum mutari potest, e.gr. apparere ubi circumscriptive non erat, elevatis manibus benedicit, inhalat etc. In hoc Sacramento autem *vi conversionis* corpus Christi glorificatum *non mutatur,* haec *conversio pro Eo* solummodo *mutatio externa est.* Per hoc autem iterum perventum est ad nucleum mysterii pro nobis incomprehensibilem. *Billot* ergo recte dicit: « Quocumque te verteris, etiamsi recentiores tibi patronos eligas, incidis in mysterium » (I, 355). Similiter iam *S. Thomas iunior* dixit: « ... haec conversio videtur esse contra conceptiones intellectus, et propter hoc difficilius

assentitur ei quam creationi, quae est ex omnino non exsistenti, cuiusmodi mutationem non vidit » (In IV dist. 11. q. 1. a. 3. q. 3. ad 1.).

III. pars probatur: accidentium remanentia.

a) Quod post conversionem substantiae panis in corpus Christi accidentia remanent, *est de fide e Conc. Tridentino*: « Manentibus dumtaxat speciebus panis et vini », sub quibus tantum accidentia intelligi poterunt. Species, i.e. accidentia remanent *sine subiecto proprio*, sc. sine substantia *panis et vini, nec insunt corporis Christi* substantiae, *sicut in subiecto inhaesionis*. Recte monet S. Thomas: « Illae species sacramentales sunt quidem accidentia, *habent tamen actum et vim* substantiae » (III q. 77 art. 5 ad 2.). Accidentia tamen non sunt inter caelum terramque dubie pendentia, sed *ordinem dicunt ad corpus Christi*, sicut ordinem habuerunt ad substantiam panis et vini, *excepto* hoc, quod corpus Christi *non est* subiectum *inhaesionis*. Sic se habent proportionaliter accidentia ad corpus Christi, sicut se habebant ad substantiam panis, excepta inhaerentia.

b) Omnia haec manent etiam in cognitione *physicae modernae*, ut recte affirmatur a *Selvaggi*: « Quando in transsubstantiatione per verba Christi tota substantia panis et vini convertitur in corpus eius et divinum sanguinem, tunc protones, neutrones, electrones in actu pertinentia ad substantiam materiae consecratae, — atomi, moleculae, iones, complexus moleculares, microcrystalla, uno verbo *totalitas substantiarum* constituentium panem et vinum, *cessant existere* et convertuntur in corpus et sanguinem Christi. Remanent eorum loco accidentia quae pertinent ad has substantias, extensio, moles, contentio electrica (carica elettrica), cum omnibus energiis potentialibus et actualibus, magneticis, electricis, cineticis, quae inde derivantur, proinde omnes effectus optici, acustici, thermodynamici, electromagnetici, quos illae virtutes producere possunt, omnia vero haec insimul constituunt species eucharisticas ... In certo sensu debemus affirmare mutationem physicam, in quantum agitur de mutatione reali inter duos terminos reales physicos ... Si vero mutationem physicam iuxta usum physicorum modernorum intelligamus ... transsubstantiatio evidenter non est mutatio physica. Etsi revera substantia panis iam non sit praesens sub speciebus post consecrationem, tamen mutatio facta non potest per experimenta verificari, propterea, quia omnis experientiae obiectum immediatum remanent species, seu proprietates, et non substantia » (Cf. infra Litt. Civiltà catt. 1952).

c) Ratio declarans huius *rei* quam maximum *mirabilis*, quod panis et vini species in hoc Sacramento sine aliqua re subiecta constare possunt, *est virtus Dei omnipotentis*, ut S. Thomas superius citatus declarat.

Multa quidem etiam hac de re disceptabant theologi (succincte videsis Lercher IV, 2 p. 242-245). Monendum tamen cum Catech. Trid.: « Difficillima est huius mysterii explicatio ... fideles admonendi sunt, ne curiosius inquirant, quo pacto ea mutatio fieri possit: nec enim percipi a nobis potest, nec iam naturalibus mutationibus, aut in ipsa rerum creatione eius rei exemplum aliquod habemus ».

Litteratura.

J. Watterich, Der Konsekrationsmoment im hl. Abendmahl und seine Geschichte, Heidelberg 1896. — *J. Lebreton*, Le dogme de la transsubstantiation et la christologie antiochenne, *in*: Études 1908, 477-497. — *J. M. Piccirelli*, Disquisitio... de catholico intellectu dogmatis

transsubstantiationis, Neapoli 1912. — *L. Billot*, De Ecclesiae Sacramentis I. 5.ed. Romae 1914, 334-447. — *J. Müller*, De Sanctissima Eucharistia, 2.ed. Oeniponte 1921, 239-291 — *M. De la Taille*, Mysterium fidei, 2.ed. Paris 1924. — *J. Puig de la Bellacasa*, De transsubstantiatione secundum S. Thomam, Barcelona, 1926. — *V. Cachia*, De natura transsubstantiationis iuxta S. Thomam et Scotum, Roma 1929. — *J. B. Card. Franzelin*, Tractatus de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento. 5.ed. Romae 1932. — *P. Rupprecht*, Zum Vollbegriff der eucharistischen Konsekration, *in*: Divus Thomas 1937, 371-414. — *V. Zubizarreta*, Theol. Dogmatico-scholastica ad mentem S. Thomae, 3.ed. Bilbao 1939, IV. 189-230. — *L. Lercher*, Instit. Theol. Dogm. 3.ed. Oeniponte 1948, IV, 2 p. 225-245. — *E. Doronzo*, Tract. dogm. De Eucharistia, I. De Sacramento, Milwaukee 1947, p. 224-384. — *R. Garrigou-Lagrange*, De Eucharistia, Roma 1948, p. 86-129. — *F. Selvaggi*, La sostanza nella fisica dei quanti, *in*: Civiltà cattolica 1952, I, 510-522. — *J. Filograssi*, De SS. Eucharistia quaestiones dogmaticae selectae, 5.ed. Roma 1953, p. 157-230. — *M. Premm*, Kath. Glaubenskunde III, I, Wien 1954, 229-253. — *R. Falsini*, La « transformazione del corpo e del sangue di Cristo ». Antica formola eucaristica nella liturgia e letteratura dal IV al IX secolo, Firenze 1955. — *W. Büchel*, Quantenphysik und naturphilosophischer Substanzbegriff, *in*: Scholastik 1958, 161-185 (Anhang: Zur Auffassung der eucharistischen Gestalten p. 182-185).

H) De modo praesentiae Christi in Eucharistia.

Postquam iam actum est de facto praesentiae Christi in Eucharistia, et de modo praesentiandi Christum, nunc restat tractandus modus huius praesentiae, seu eius ratio interna. Praesentia Christi in Eucharistia secundum doctrinam catholicam quadruplici modo considerari potest; hic modus quadruplex item quoad unamquamque praesentiam sub triplici respectu tractatur.

Ieo agendum est nobis in hac quaestione de sequentibus articulis:

1. De praesentia totali Christi in Eucharistia.
2. De praesentia Christi permanente sed temporali.
3. De praesentia considerata ratione eius formali.
4. De praesentia Christi sacramentali.

1. De praesentia totali Christi in Eucharistia.

THESIS: Totus Christus (1) sub unaquaque specie (2) et sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta (3) et ante separationem quoque continetur.

I. et II. pars est implicite revelata sed de fide sollemniter definita; dum III. pars proxima fidei est.

I. Pars probatur: Sub unaquaque specie.

a) **Vox Ecclesiae.**

Trident. sess. XIII. can. 3: « Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri: anathema sit » (Denz. 885).

b) **Sacra Scriptura.**

Jo 6,56: « Qui manducat meam *carnem* et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo », item 6,57: « ...et qui manducat *me* et ipse vivet propter me ». Quibus verbis enuntiatur *identitas* manducandi Christum et manducandi

eius carnem et sanguinem. *Atqui* identitas tunc tantum possibilis est, si Christus totus continetur sub utraque specie: « me » enim non praecisive corpus significat, sed totum hominem.

c) **Sacra Traditio.**

Doctrina Patrum de praesentia totali illustratur tantum sumendo unum testem Graecum, Latinum et Syrum.

1°. *Gregorius Nyssenus* versus 385 dicit: « Omnibus credentibus oeconomia gratiae seipsum inserit (enspeirei) per carnem, quae est compositio (systasis= structura, Aufbau, szerkezet) e vino et e pane credentium corporibus commixtus (katakirnamenos) » (Or. catech. c. 37 PG 45,93). Caro Christi ergo « componitur » in Eucharistia e signis sacramentalibus panis et vini; clarius non posset exprimi Christum sub unaquaque specie totum praesentem esse.

2°. *S. Augustinus* dicit Christum semetipsum in manibus gestasse in ultima coena: « Ferebatur Christus in manibus suis quando commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis » (Enarr. in Ps 33,1.10 PL 36,306). — Ad mentem Augustini ergo *Christum* ferre et corpus eius ferre omnino idem est, quo dilucide exprimitur iam unam speciem, i.e. panem esse totum Christum, nam tantum de pane dicebatur a Domino, hunc esse corpus suum.

3°. *Ephraem Syrus* simpliciter dicit in oratione: « Comedimus *te,* Domine, et bibimus *te,* non ut *te* consumamus, sed ut per *te* vivamus » (Assemani, Bibl. orient. Patrum 1,101). Comedere tantum *unam* speciem possunt communicantes, similiter bibere et tamen Dominum i.e. *totum* Christum comedunt et totum Christum bibunt.

d) **Rationes theologicae.**

Sumuntur e S. Thoma et sunt sequentes:

1°. *E forma huius Sacramenti*: « Ex vi Sacramenti sub hoc Sacramento continetur, quantum ad species panis, non solum caro, sed *totum corpus* Christi, sc. ossa, nervi et alia huiusmodi. Et hoc apparet ex forma huius Sacramenti, in qua non dicitur: Haec est *caro mea,* sed: Hoc est *corpus* meum. Et ideo, cum Dominus dixit Jo 6,56: Caro mea vere est cibus, caro ponitur ibi pro toto corpore, quia secundum consuetudinem humanam videtur esse magis manducationi accomodata, prout sc. homines carnibus animalium vescuntur communiter, non autem ossibus, vel aliis huiusmodi (III q. 76. a. 1. ad 2.).

2°. Ex eo « quod corpus Christi est in hoc Sacramento *per modum substantiae* et non per modum quantitatis. Propria autem totalitas substantiae continetur indifferenter in parva vel magna quantitate ... Unde et tota substantia corporis et sanguinis Christi continetur in hoc Sacramento post consecrationem » (ibid. ad 3).

3°. *Dualitas specierum non fit tamen superflua,* etsi utraque species totum Christum contineat. « Nam *primo* quidem hoc valet ad repraesentandum passionem Christi, in qua seorsim fuit sanguis a corpore separatus, unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de eius effusione ». — *Secundo* dicen-

dum, « quod in passione Christi, cuius hoc Sacramentum est memoria, non fuerunt aliae partes corporis ab invicem separatae sicut sanguis, sed corpus indissolutum permansit ... Et ideo in hoc Sacramento seorsum consecratur corpus a sanguine, non autem aliqua pars ab alia » (III q. 76 a. 2. ad 1 et ad 2).

II. pars probatur: Sub singulis partibus post separationem.

a) **Sacra Scriptura.**

E relationibus coenae novissimae perspicue apparet, quod Christus panem « fregit et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum », deinde, quod calicem « dedit eis et biberunt ex illo omnes ». Omnes apostoli *partes* accipiebant panis et *communi* calice utebantur. *Sed* certo certius est, quod singuli apostoli *totum* Christum susceperunt, nam simpliciter ad omnes dictum est: « Hoc est corpus ... sanguis ... ».

b) **Sacra Traditio.**

Liturgia S. Chrysostomi ad fractionem « agni » talem dicit orationem: « Frangitur et distribuitur Agnus Dei, Filius Patris, qui frangi potest, sed minui non, qui semper cibus est, sed nunquam consumitur ». — *Liturgia Romana* autem ex ore S. Thomae sumit cantilenam sequentiae in festo Corporis Christi: « Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur ». — *Liturgia Ambrosiana* autem edicit: « Singuli accipiunt Christum Dominum et in singulis portionibus totus est nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis » (Miss. Ambros. Dom. V. post Epiph.).

c) **Ratio theologica.**

Doctor Communis affirmat: « Manifestum est quod *ex natura substantiae tota est sub qualibet parte* dimensionum, sub quibus continetur, sicut ... sub qualibet parte panis est tota natura panis; et hoc indifferenter, sive sint dimensiones actu divisae, sicut cum äer dividitur, vel panis secatur, vel etiam sint actu indivisae, divisibiles vero potentia. Et ideo manifestum est quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente et non solum cum frangitur, sed etiam ante fractionem » (III. q. 76. a. 3. in corp.).

III. pars probatur: Etiam ante separationem.

a) *Tridentinum* etenim cap. 3. *omittit* verba « separatione facta » quae in can. 3 continentur, nam dicit: « Totius et integer Christus sub *panis* specie et sub quavis ipsius speciei *parte*, totus item sub vini specie et sub eius partibus exsistit » (Denz. 876). Evidens est mens Concilii praesentiam hanc totalem Christi iam haberi *ante* separationem factam.

b) Secus haec pars iam e supradictis probata est; nam, ut *Doronzo* apte dicit: « ... designata aliqua determinata parte hostiae quaeri potest, an in ea sit Christus; si negatur, sequitur inde nec in aliis partibus hostiae Christum adesse, quo aufertur ipsa praesentia realis; si vero respondetur in ea parte esse tantum aliquam Christi partem, sequitur Christum esse in hostia circumscrip-

tive, seu totum in toto et partem in parte, non vero ad modum substantiae, seu totum in toto et totum in parte » (I, 419).

Corollarium. De *particulis minimis* theologi recte putant, quod si hae iam sensibus obviae non sunt, tunc iam amittebant suum esse specierum. Nam etsi microscopio adhuc multae possent deprehendi hae particulae, tamen sensu communi nullo modo sunt sensibus obviae.

2. De praesentia Christi permanente sed temporali.

THESIS: Christus praesens est in Eucharistia (1) tum ante communionem, (2) tum post eam, (3) usquedum species esse desinant.

I.et II. pars de fide, III. sent. communis.

I. et II. pars probatur: Praesentia ante et post communionem.

a) **Vox Ecclesiae.**

Trident. sess. XIII. can. 4: S.q.d. peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse corpus et sanguinem D.N.J. Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, *non* autem *ante vel post*, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini: anathema sit » (Denz. 886).

b) **Adversarii.**

Ut patet Sacramentarii non sunt adversarii, nullam enim praesentiam realem admittunt. *Lutherus* dixit, Christum tantum in usu Sacramenti adesse, eius discipulus plus admisit, nimirum *Martinus Chemnitzius* (1522-1586), superintendens Brunswicensis, auctor libri celeberrimi « Examen Concilii Tridentini » (1563), cum quo Bellarminus acres habuit disputationes. Chemnitzius docet corpus Domini manere *per totam actionem coenae*, i.e. dum panis benedicitur, frangitur, distribuitur, et etiam dum ex ipsa coena immediate defertur ad aegrotos.

c) **Sacra Scriptura.**

Verba institutionis simpliciter enuntiant: « Hoc *est* corpus meum », non vero: « Hoc *erit* corpus meum »; item: « Bibite ex eo omnes, hic *est* enim sanguis meus », non vero: « Hic *erit* sanguis meus ». *Tridentinum* authentice interpretatum est haec verba: « Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod praebebat » (cap. 3. Denz. 876). — Aut credit enim aliquis verbis Domini fultus praesentiam realem Christi in Eucharistia, aut non credit. Si credit, tunc tantum sic potest huic praesentiae fidem praebere, sicut Christus dixit: quod verbis prolatis panis iam corpus Eius effectus est.

d) **Sacra traditio.**

Idem Tridentinum asseruit semper hanc fidem in Ecclesia Dei fuisse. Sufficit allegare fulgidum testimonium S. *Cyrilli Alexandrini* invehentis in eos, qui praesentiae Christi permanentiam negabant: « Esse aliquos audio, qui mysticam Eulogiam (i.e. Eucharistiam) nihil ad sanctificationem iuvare dicunt, si quid

ex ea fiat relinqui in alium diem. Insaniunt vero, qui haec asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque sanctum eius corpus immutatur sed Eulogiae vis et facultas et vivificans gratia perpetuo in ea existit » (Ep. 83 PG 76, 1076).

e) **Rationes theologicae.**

1°. Argui potest ex eo, quod *Eucharistia est Sacramentum* permanens, non actio transiens. Secundum Lutheranos non est Sacramentum, quando servatur in pyxide, gestatur, adoratur, sed tunc tantum et tamdiu, dum benedicitur, frangitur, distribuitur et manducatur. Ad quod apte respondet S. *Bellarminus* « ad hominem » arguendo: ergo « perseverat Sacramentum et corpus Domini in eo tempore, quod est interiectum inter distributionem et manducationem ... Si perseverare potest per quadrantem horae, cur non per integram horam? Et si per horam, cur non per diem? Et si per diem, cur non per mensem? » (L. IV. c. 2.).

2°. Sumi potest argumentum e *scopo institutionis* huius Sacramenti: cibus (brôsis) est etenim, dum materia remota omnium aliorum Sacramentorum res sacra permanens est, ut aqua, oleum. Materia proxima autem, i.e. usus materiae remotae est quidem etiam actio transiens, sed materia proxima heic distinguitur *in fieri*, quod est sacrificium Missae, *et in esse*, in quo statu est cibus animarum. *Atqui* Eucharistia in statu esse ex una parte quidem est actio transiens: i.e. sacra communio, ex alia parte autem est res sacratissima permanens: i.e. ipse Christus sub speciebus contentus. Hoc ratione urgetur, nam *cibi naturalis analogia* postulat, ut Eucharistia permanens sit; cibi enim *seponuntur*, ut tempore necessitatis homines eis alantur. Revera sic fecit Mater Ecclesia, etquidem ab initiis primordiorum, Eucharistiam recondens in domibus fidelium, dein in sacrariis, dein in pastophoriis (Constit. Apostol.), saec. X-XI in columbis eucharisticis argenteis, demum in tabernaculis, ut semper praesto sit cibus animarum, quae sitiunt et esuriunt iustitiam. Ergo etsi primario ad sumptionem ordinetur Eucharistia, Sacramentum tamen permanens est, nam, ut Diekamp notat, « sumptio est tantum conditio, sine qua animae vim nutritivam revera non recipiunt » (p. 187).

III. pars probatur: Praesentia manet, usque dum species esse desinant.

a) Species eucharisticae triplici modo *desinunt esse*: vel eo quod *corrumpuntur*: sic si panis fiat totaliter mucidus, e vino fiat acetum; vel eo quod *digeruntur;* vel eo quod *destruuntur*, e.gr. comburentur. Quaestio est, quando habetur desinentia in esse, quod ab eo dependet, an mutatio substantialis esset, si accidentia substantiam haberent, ut S. *Thomas* de hac re loquitur: « Cum corpus Christi et sanguis succedant in hoc Sacramento substantiae panis et vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quae *non suffecisset ad corruptionem panis* et vini, propter talem mutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc Sacramento ... Si vero fiat tanta immutatio, quod *fuisset corrupta* substantia panis et vini, non remanent corpus et sanguis Christi sub hoc Sacramento » (III q. 77. a. 4). Exempli instar habeatur vinum consecratum, si congelatum sit in calice, vel hostia consecrata sanguine vel squalore affecta: mutatio non sufficeret ad corruptionem panis et vini naturalis et ideo remanentibus speciebus permanet praesentia Christi.

b) *Ratio cur desinunt esse species* sacramentales per corruptionem etc., invenitur in eo, quod hae species sunt quidem accidentia, habent tamen actum et vim substantiae, ut audivimus a S. Thoma. *Atqui* substantia panis potest corrumpi, digeri vel etiam *destrui, ergo* etiam species corrumpuntur, digeruntur, destruuntur. — Ex alia parte notandum, quod *tamdiu* manent *species* vini vel panis, *quamdiu* « adhuc in eis possit salvari *natura panis et vini* » (ibid. a. 4.). *Christi* autem praesentia tamdiu permanet, quamdiu hanc praesentiam *species significare* possunt; corruptae vel digestae iam non sunt cibus et potus hominum, quos et quomodo Christus eos ordinavit ut alerent animas. V.gr. acetum potest adhiberi ut potus, vel condimentum cibi, sed non est ille potus qui ordinatus est a Christo.

c) Ut initio dictum est, Ecclesia de hac quaestione nihil sollemniter docuit, sententia tamen est communis. Multo minus aliquid edixit de eo, *quomodo desinant esse* species. Theologi loquuntur de eo, quod specierum desitio fit « *per oppositionem privativam* » actionis divinae, quae cernitur in transsubstantiatione. Nam tunc iam non valet vox: Hoc, i.e. panis est corpus meum. At moneri debet, quod minus recte dicitur, hic haberi *annihilationem virtualem,* ut aliqui opinati sunt. Nam si occasione *transsubstantiationis* annihilatio substantiae *panis* Deo minus digna visa est nobis, annihilatio virtualis *praesentiae* dominicae *a fortiori* indigna habanda est divinitati. *Billot* rectissime dicit: « Nihil nunc contingit miraculose quasi ex miraculo *novo,* sed omnia consequi connaturaliter ad primum miraculum, quod praecessit in consecratione Sacramenti » (I, 525).

d) Haec *consecutio naturalis* miraculi illius *supernaturalis,* quod est transsubstantiatio, secundum argumentationem perlucidam S. Thomae fit *per quantitatem dimensivam specierum,* cui cetera inhaerent accidentia: « In ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivae panis et vini, quod sit primum subiectum subsequentium formarum (sec. Thomam intelligenda sunt heic accidentia). Hoc autem est proprium materiae, et ideo ex consequenti datur praedictae quantitati dimensivae panis et vini omne illud, quod ad materiam pertinet; et ideo quidquid posset generari ex materia panis et vini, si adesset, totum potest generari ex praedicta quantitate dimensiva panis vel vini, non quidem novo miraculo sed ex vi miraculi prius facti » (III q. 77. a. 5).

Corollarium: Quale liquidum mutat speciem vini?

1°. Liquidum commixtum vino consecrato tunc mutat speciem vini, si in maiore quantitate additur et simul liquidum istud *alterius sit speciei;* si ergo vino consecrato in maiore quantitate quam vinum admisceretur aqua, tunc vinum desinit esse vinum et devenit aqua. In hoc casu ergo species vini desinit esse et consequenter desinit etiam praesentia Christi sacramentalis.

2°. Si liquidum admixtum vino consecrato est *eiusdem speciei,* remanet species vini consecrati, ergo simul etiam Christi praesentia sacramentalis. Hoc quidem aliqui scholastici negabant, ut Alexander Halensis, S. Bonaventura, Capreolus, Dominicus Soto. Sed rectum videtur dixisse Innocentius III.: « Si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini (intelligendum est vinum consecratum) commistum, corpori, quod sub iis latet

undique circumfunditur » (Decret. 1. III. tit. 41. c. 6. § 1.). — Unde *in praxi* sequitur, quod si guttula SS. Sanguinis caderet in patenam vel alicubi, per aquam diluenda est, quia tunc cessat praesentia sacramentalis, non autem per vinum.

3. De praesentia considerata eius ratione formali.

Haec ratio formalis triplex est secundum sollemnem definitionem Ecclesiae: *Trident. sess. XIII. cap. 3.* meminit existere « corpus sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex *vi verborum*, ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi *naturalis* illius connexionis et *concomitantiae*, qua partes Christi Domini ... inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore et anima *hypostaticam unionem* » (Denz. 876).

a) **Vi verborum.**

Vi verborum adest sub specie *panis tantum corpus*, sub specie *vini tantum sanguis*. Tamen non potest dici, quod sub specie panis est corpus exsangue; sub specie vini sanguis effusus praecisive, i.e. sanguis *realiter* separatus a corpore. Terminus technicus « *vi verborum* » non explicatur a Tridentino, quia supponit cognitionem textus S. Thomae: « Ex vi quidem Sacramenti est sub speciebus huius Sacramenti id, in quod *directe* convertitur substantia panis et vini praeexistens, prout significatur per verba formae, quae sunt effectiva in hoc Sacramento » (III q. 76. a. 1.).

Et sic solvitur etiam quaestio de *quantitate dimensiva* corporis Christi, quae ut Thomas demonstrat « vi sacramenti », i.e. vi verborum non est in hoc Sacramento, nam « conversio quae fit in hoc Sacramento, directe terminatur *ad substantiam* corporis Christi, non autem ad dimensiones eius, quod *patet* ex hoc, quod quantitas dimensiva *panis* remanet, facta consecratione, *sola substantia* panis transeunte ». — Sed tamen etiam quantitas dimensiva corporis Christi et accidentia corporis Christi *praesentia* sunt, *vi concomitantiae*, ut idem Doctor Communis docet: « Quia tamen substantia corporis Christi realiter *non dividitur* a sua quantitate dimensiva *et* ab aliis accidentibus, inde est, quod ex vi realis concomitantiae est in hoc Sacramento *tota* quantitas dimensiva *corporis Christi* et *omnia* accidentia eius » (ibid. a. 4.).

Haec quantitas dimensiva et accidentia i.e. perfectiones internae glorificati corporis ergo adsunt, unde ansa praebetur statuendi sequens:

Scholion: Utrum Christus eucharisticus actus sensuum circa obiecta et personas circumstantes exerceat?

Quaestio est an Christus in Eucharistia exerceat actus sensuum corporalium. *Naturaliter* certo non exercet tales actus, quia in modo existendi sacramentali connaturaliter tales habere non potest. Nihilominus fuerunt theologi qui opinabantur, quod sensibus *supernaturaliter* potest uti (sic Lessius, Suarez, Cornelius a Lapide, Gonetus etc.). Quaestio inde agitata fuit cum *Cardinalis Alvarez Cienfuegos* anno 1728 librum ediderit, cuius titulus abbreviatus est: « Vita abscondita seu speciebus eucharisticis velata per potissimas sensuum operationes de facto a Christo Domino ibidem indesinenter exercita circa obiecta altari et amori vicina ». Hoc opus statim fautores et adversarios invenit; inter hos

Thomas Madalena O.P., tali titulo scribens: « Ludus aestivalis circa fervorem igneum » (1730, « fervor igneus » Cienfuegos). Ex sententia Cardinalis non omnia possunt sustineri, e.gr., quod Christus post consecrationem elicit aliquos actus vitales sub speciebus, dein hos actus seipsum immolans imperio suae voluntatis humanae suspendit, demum per quasiresurrectionem inmixtione corporis et sanguinis resumit vitam actualem (Vita abscondita disp. 5. sec. 3,1.). His reiectis, putamus sententiam probabilem esse, quod Christus in Eucharistia supernaturaliter habeat sensuum suorum usum, cui sententiae adstipulantur *Hugon O.P.*, *J. Müller*, *Card. Franzelin* et alii. Revera possunt afferri argumenta pro hac sententia.

1°. Ex eo quod *corpus* ipsum Christi *existit modo inextenso*, non videtur repugnare, quominus etiam passiones et actiones habeat modo inextenso: agere enim sequitur esse (J. Müller p. 184).

2°. Argui potest ex eo, quod non sufficit profiteri corpus Christi vivum esse in Eucharistia, sed oportet ipsi *adscribere vitam plenam*, ad quam pertinet huius vitae exercitium. Hoc exercitium non videtur haberi, si facultates sensitivae carent sua activitate, hoc esset vitae plenae diminutio, indecens corpori glorificato (Hugon p. 388).

3°. *E scopo huius Sacramenti sequitur*, quod Christus cum suis fidelibus non solum spirituale, sed etiam corporale commercium voluit inire, ideo sententia Cienfuegos « videtur probabilissima et pia », ut dicit Franzelin, adiungens, caute quidem elegantique aequitate ductus erga ceteros theologos: « Dummodo tamen non ita defendatur *ac si ea non admissa* Christus in Sacramento non vivens, sed instar mortui concipi *deberet* » (Thesis 11, coroll. 2.).

4°. Cor Christi eucharisticum est « *fornax ardens caritatis* », ille amor autem videtur exigere etiam exercitium facultatis affectivae et appetitivae, ideoque et cognoscitivae, cum appetitus cognitioni respondeat (Hugon p. 389).

b) **Per concomitantiam.**

1°. E doctrina Thomistica *duplex habetur coniunctio*, quae nomine insignitur naturalis concomitantiae: una est coniunctio *olim dissolubilis*, quo partes Christi sive adhuc passibilis, sive glorificati unum quid constituunt: corpus, sanguis, anima. — Altera est *coniunctio indissolubilis*, quae per unionem hypostaticam effecta est, quando videlicet assumpta humanitas in una persona Verbi coniungitur divinitati. Sic ergo in Eucharistia praesens habetur per concomitantiam quae est coniunctio olim (sc. in vita terrena Christi) dissolubilis:

sub specie panis etiam sanguis,
sub specie vini etiam corpus,
sub utraque specie anima Christi humana.

2°. Etsi ergo vis conversionis non attingit *alteram* materiam remotam Sacramenti huius, nec animam Christi, de qua nihil edicitur, tamen adsunt. Ratio datur a S. Thoma: « Ex naturali concomitantia est in hoc Sacramento illud, quod *realiter* coniunctum est ei, in quod praedicta conversio terminatur: si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, ubicumque est unum realiter, oportet et aliud esse » (III q. 76. a. 1), apparet enim Christus verus, gloriosus, qui *in*

aeternum possidet et nunc iam semper coniuncta habet corpus, sanguinem, animamque sanctissimam.

3°. Ideo locuti sumus de prima specie concomitantiae: de coniunctione olim dissolubili. Nam quod non fuit coniunctum, non apparuit in transsubstantiatione: ideo si triduo mortis Domini celebrassent Apostoli Eucharistiam, sub specie panis tantum corpus, sub specie vini solum sanguis adfuisset, « sine corpore, sicut erat in rei veritate » (III q. 76. a. 2). Cum utraque specie tamen apparuisset hoc triduo divinitas Christi, et sic transitur ad tertiam praesentiae rationem formalem, quae fit:

c) **Per unionem hypostaticam.**

1°. Vi huius unionis adest in Sacramento Eucharistiae divinitas Verbi. Humanitas Christi assumpta ab eadem persona possidetur quae Secunda est SS. Trinitatis, ergo si humanitas Christi praesens fiat in Eucharistia, persona Dei - Hominis adesse debet. Theologi quidam recentiores etiam hoc dicunt fieri per naturalem concomitantiam (e.gr. De la Taille p. 644). Modum secuti loquendi Tridentinum melius dicimus *animam* Christi adesse per *concomitantiam naturalem, divinitatem* vero *per unionem hypostaticam*, i.e. *concomitantiam supernaturalem.*

2°. Liturgia abunde resplendet hanc fidem Ecclesiae. *Liturgia S. Chrysostomi* e.gr. sic precatur: « Credo, Domine, te esse Filium Dei vivi, non trado te osculo, sicut Judas; non sum dignus, ut intres in cubiculum immundum animae meae, sed sicut intrasti in stabulum et praesepe animalium, ita dignare introire in praesepe animae meae ratione carentis et squalidi corporis ». — *Liturgia S. Basilii* adorandum dicit eum, qui « sursum sedet apud Patrem et heic invisibiliter nobiscum est ». — E *Liturgia Romana* sufficit allegare praefationem Sacramentarii Gelasiani: « V. D. Nos clementiam tuam suppliciter exorare, ut *Filius tuus* D. N. J. Christus, qui se usque in finem saeculi suis promisit fidelibus adfuturum, et *praesentiae corporalis* mysteriis non deserat quos redemit » (Octavas Paschae, Wilson p. 96).

Scholion: De praesentia SS. Trinitatis.

Si divinitas Verbi adest per *concomitantiam supernaturalem* clarum est propter circumincessionem (perichôrêsim) etiam SS. Trinitatem adesse: « Philippe qui videt me, videt et Patrem meum ». Recte vocatur haec concomitantia « mediata ». — Caute tamen loqui debemus, *sacramentaliter enim tantum Verbum Dei esse praesentem* pronum est, et ideo dicere possumus, in Eucharistia tantum Filium Dei adesse. Quod enim respectu specierum affirmatur in altari Christum adesse, Eum intrare sub tectum nostrum, nos manducare Dominum, nullo modo dici potest de Patre, vel Spiritu Sancto, nec de SS. Trinitate simul sumpta.

4. De praesentia Christi sacramentali.

Haec praesentia sacramentalis Domini triplici respectu consideratur: a) non est praesentia localis, — b) est praesentia substantialis, — et est c) praesentia replicationis.

a) **Praesentia non est localis.**

1°. Christi praesentia Eucharistica *non est circumscriptiva,* i.e. esse alicubi extensione actuali locali corporis ita, ut partes corporis iuxta se positae spatii partem determinatam occupent. Atqui secundum revelationem tali modo Christi corpus in caelo existit. Quia secundum eandem revelationem corpus Christi in Eucharistia ita est praesens, ut totus inveniatur in singulis cuiusque speciei partibus, haec praesentia sacramentalis non est circumscriptiva.

2°. Praesentia Christi sacramentalis neque est sensu stricto *definitiva,* nam haec significat alicubi esse ita, ut *de se* et *ex sua* natura *alibi simul* non sit. Sic adest e. gr. anima Christi sanctissima in proprio corpore sicut omnis anima humana praesens adest corpori suo. Quia autem secundum revelationem ex ordinatione Christi corpus eius *tot* locis praesens adest, *quot species* habentur sacramentales incorruptae per orbem terrarum, ideo praesentia Christi sacramentalis non est sensu stricto definitiva.

3°. Nec potest dici haec praesentia Christi *ubiquitatis* seu *omni*praesentiae. Solus enim Deus est incircumscriptus et immensus; iure ergo loquimur de ubiquitate *Verbi Divini,* sed in hac ubiquitate nullo modo participat assumpta humanitas, non possumus ergo loqui de ubiquitate *Christi,* quam absone affirmabat Lutherus.

4°. Praesentia Christi sacramentalis neque *compenetrativa est.* Nam fuerunt theologi falsam sententiam *Cartesii* secuti, putantes nempe essentiam corporeitatis sitam esse in extensione. Ideo hoc errore ducti affirmabant: minimas partes corporis Christi compenetratas existere cum minimis speciei partibus. Quod falsum est, « nam cum minima specierum supponantur esse extensa, ipsa quoque partes habent: ergo in istis declarationibus dici nequit Christum sub omnibus et singulis specierum partibus totum et integrum existere » (J. Müller p. 174).

b) **Praesentia est substantialis.**

THESIS: Christi corpus praesens est in Eucharistia (1) secundum modum substantiae, (2) cum sua quantitate naturali, sed sine actuali extensione.

I. pars probatur: Secundum modum substantiae.

1°. Substantia tota *in omnibus partibus adest,* nam « natura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur ... sub qualibet parte panis est tota natura panis » (III q. 76. a. 3). *Atqui* secundum revelationem substantia corporis Christi *succedit* substantiae panis, sic quidem, ut ubi ante consecrationem erat panis, nunc corpus est Christi. *Ergo* etiam corpus Christi non cum locali sua extensione, sed per modum adest substantiae sub speciebus remanentibus.

2°. Tamen *valde aliter adest* substantia *corporis* Christi, quam substantia *panis* fuit. Panis enim circumscriptive praesens erat, a corpore Christi autem quantitas specierum aliena est. Ut S. Thomas declarat: « Non tamen substantia corporis Christi est subiectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis, et ideo substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi, quia

comparabatur (=commensurabatur) ad locum illum mediantibus dimensionibus *propriis*, substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus *alienis* ... Unde nullo modo corpus Christi est in hoc Sacramento localiter » (III q. 76, a. 5). — Hic est ergo modus praesentiae prorsus superspatialis et *adimensionalis*, « quo corpus non sit constitutum sub mensura loci, non habeat situm in tali loco, non repleat vacuitatem eius ... manet sola extensio aptitudinalis, deest autem extensio localis actualis » (Lercher IV, 2, p. 253).

II. pars probatur: Quantitas naturalis sine actuali extensione.

1°. Christus habet quantitatem naturalem, sed non extensionem actualem in Eucharistia i.e. extrapositionem partium in spatio. Sed inde *nulla deformitas resultat*, ut S. Thomas dicit: « Quia corpus Christi non est situaliter in hoc Sacramento, ideo non sequitur ibi aliqua confusio partium ex hoc, quod in quolibet signato hostiae est totum corpus Christi et quaelibet pars eius. Quamvis enim non sit accipere ordinem partium corporis Christi secundum comparationem ad partem hostiae, tamen est accipere ordinem ipsarum partium ad invicem in corpore Christi secundum propriam internam quantitatem » (In IV. dist. 10. q. 1. a 3 sol. 3. ad 2). — Breviter: quantitas naturalis corporis Christi *non est actualis* in Eucharistia, et ideo quoad ordinem eius non commensuratur cum hostia, sed *habet ordinem internum*. Hic est *sensus huius partis* theseos.

2°. *Probatio sumitur* e dogmate Ecclesiae secundum quod « *totus et integer* Christus » praesens adest in Eucharistia, *atqui* si non esset cum accidentibus suis praesens, non potuisset dici totus et integer. *Ergo* quantitas naturalis adesse debet simulque cum ea omnia accidentia corporis Christi. — Hoc etiam *Liturgia* sic cantat: « Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status, nec statura (=quantitas) signati minuitur ». *Catech. Trident.* praescribit, quod « a pastoribus docendum est non solum verum Christi corpus et quidquid ad veram rationem corporis pertinet — veluti ossa et nervos — sed etiam totum Christum in hoc Sacramento contineri ».

3°. *Quomodo possibilis sit* haec existentia per modum substantiae etc. sacramentalis, difficile est ad intelligendum. Nam « modus praesentiae corporis Christi sacramentalis nulla ratione imaginabilis est. Quidquid enim transcendit ordinem dimensionalem, eo ipso extra obiectum adaequatum sensuum, ac proinde etiam imaginationis invenitur » (Lercher p. 255), nam « imaginatio » sine imaginibus non fit, imagines autem mediantibus sensibus concipiuntur. Ideo sic e.gr. omnino falsum esset naturalem quantitatem corporis Christi actu non coextensam sibi imaginare per modum puncti: nam etiam punctum habet extensionem.

4°. Loco imaginationis ergo sufficit *ratio huius praesentiae substantialis*, quam Card. Franzelin apte assignat: « Iam ex charismatibus, quae Deus adhuc in hac vita mortali aliquando per intervalla velut ex anima sanctificata transfundit in corpora sanctorum, multo magis ex dotibus communicandis corporibus glorificatis ... atque in supremo fastigio ab ipso Verbo in suum sacratissimum Corpus assumptum. Ex his plane discimus supra hunc ordinem infimum materialem esse quendam ordinem supernaturalem, ad quem etiam corpora elevari possint, et in quo, quin desinant esse corpora, participant tamen miras quasdam spirituum proprietates » (p. 182-183).

c) **Praesentia est replicationis seu multipraesentia.**

1°. *Divisio* danda est *replicationis*, seu multipraesentiae, quae est existentia simultanea eiusdem corporis in pluribus locis adaequatis, i.e. talibus locis quibus totus corpus continetur.

Primo potest esse replicatio *circumscriptiva*, si idem corpus in pluribus locis circumscriptive praesens sit (multilocatio rei circumscriptive praesentis). Talis evidenter non habetur in corpore Christi.

Secundo habetur *replicatio definitiva*, i.e. multilocatio rei definitivae praesentis, si angelus simul diversis locis adesset.

Tertio in unico casu Eucharistiae habetur *replicatio mixta*, quando corpus Christi uno loco, in caelo nempe circumscriptive est praesens, in permultis aliis locis autem definitive per multilocationem. Hanc contingere multilocationem dogma catholicum fatetur: « Neque enim haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in caelis assideat iuxta modum existendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit, ea exsistendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus et constantissime credere debemus » (Trident. sess. XIII. cap. 1. Denz. 874).

2°. Demonstratur *replicationem mixtam non repugnare;* ostendi enim nequit corpus Christi non posse esse in loco uno circumscriptive, in aliis vero locis definitive: nam haec praesentia non commensuratur cum loco. Probandum enim esset, quod replicatione mixta corpus: « amitteret suam unitatem individualem, vi cuius nullum ens a semetipso separari potest ». *Atqui* hanc unitatem individualem non amittit, « nam aliud est praesentia localis corporis et aliud eiusdem unitas interna, quod manifeste patet, quia mutata praesentia locali, unitas corporis nequaquam mutatur » (J. Müller p. 194).

3°. Replicationem mixtam corporis Christi tentabant *analogiis illustrare.* Talem illustrationem conabatur dare *Guitmundus Aversanus,* Berengarii adversarius. Anima nostra enim in singulis portiunculis corporis tota continetur; ergo Christus « quare suae propriae carni id dignitatis, si vult dare, non valeat, ut ipsa (sc. caro Christi) in diversis sui corporis, *quod est Ecclesia,* partibus tota simul indivisa possit haberi; cum sit Ecclesiae vita caro Salvatoris ... » Dein alia *analogica exempla* affert, e.gr.: « Quemadmodum vox mille hominum percutit aures et apud unumquemque una est », — ita quoque Christi idem unum corpus in permultis locis existere potest: « Ita iam nulla ratio propter huiusmodi quasi-partitiones obstare videtur, ut non possit, aut velle non debeat Christus panem et vinum, sicut ipse docuit et Ecclesia credidit, transferre in corpus et sanguinem suum » (De verit. Euchar. L. I.).

4°. Tamen monendum est praesentiam Christi replicativam mixtam *penitus intelligi non posse. Billot* monet, quod in sacramentali praesentia Christi « dimensiones et substantia respectu continentis contrario prorsus ordine se habent ac in familiari et notissima conditione rerum », et ideo profert *celebrem suam de speculo comparationem* (I, 494-495):

« Imaginare — dicit eximius theologus — te esse *caecum a nativitate:* concipis imagines in speculo existentes ad normam imaginum *sculpturae,* quas *tactu palpasti;* non solum autem, verum etiam *uni generi* determinate attribuis ipsissimum *modum* qui alteri proprius

est: ecce statim omnia quae de imaginibus specularibus (Spiegelbilder, tükörképek) rei veritas habet, totidem *contradictiones* ibi videntur. Adduceris... et dicetur tibi: *ibi* est imago tua et mea fideliter referens *omnem formam* corporis cum naturali eius statura, prominentiis et depressionibus, item, ista imago, te recedente recedit et similiter, te accedente accedit etc. profecto, si *praeoccupatus* phantasmate imaginis sculptae, speculum manu palpares, videretur tibi omnino *impossibile*, ut *ibi sit* accessus et recessus, prominentia et depressio, *ubi nulla* profunditas, sed simplex et plana superficies; verum ideo hoc contingeret, quia *falso* existimares *debere* servari *in uno* genere imaginis ipsissimum modum *alterius generis*, cuius *solius* propriam notionem haberes. Idem igitur dic in praesenti et in proportione ratiocinare ».

Corollarium: De modo loquendi in re eucharistica.

Regulas de modo loquendi in re eucharistica tradit S. Bellarminus (L. I. c. 2), quas breviter perstringimus.

I. Regula. *Nomina substantiva* de Christo vel corpore eius, extra Sacramentum dicuntur etiam de ipso, ut est in Sacramento. Sic *recte* dicitur, in Sacramento esse corpus, carnem, sanguinem etc. et carnem illam esse, non spiritum.

II. Regula. *Nomina adiectiva non dicuntur* de Christi corpore, ut est in Eucharistia, licet dicantur de eo, ut est in caelo. Hoc valet de adiectivis, quae ordinem dicunt ad corpora circumstantia. Non dicitur ergo corpus eucharisticum: sensibile, visibile, tangibile, extensum, licet haec dicuntur de eo, ut est in caelo.

III. Regula. *Verba praesentiam Christi significantia affirmari* possunt, si abstrahitur a modo existendi. Ideo dici potest: corpus Domini est, continetur, manet, sumitur in Eucharistia; at non potest dici quod corpus Christi in Eucharistia extensum est, occupat locum.

IV. Regula. *Ratione specierum* potest dici corpus Christi in Eucharistia videri, tangi, etsi per se ipsum corpus Christi non videatur, nec tangatur. *Mutationes* vel *actiones*, quae dicuntur de corpore Christi ratione specierum improprie tantum et figurate dicuntur. Sic si Christus diceretur «albus», «niveus» ratione coloris speciei panis, hoc dici posset improprie et figurate, eo sensu, quod Christus substantialiter sanctus sit. Non tamen posset iam Christus dici ratione speciei « rotundus », vel « odorem vini redolens », nam haec locutio improprie accipi nequit, ideo nullam veritatem habet.

V. Regula. Verba *motum localem significantia* vere et proprie, licet non per se, sed per accidens *affirmari possunt* de corpore Christi eucharistico. Vere et proprie ergo dicitur corpus Christi in Eucharistia elevari, collocari in altari, reponi in tabernaculo, circumferri in processione et talia. Motis enim speciebus vere movetur corpus Christi, etsi per accidens, sicut etiam anima mutat locum cum corporis motione.

Litteratura.

F. X. Wildt, Explanatio mirabilium, quae divina potentia in augustissimo Eucharistiae Sacramento operantur, Bonn 1868. — *G. Reinhold*, Die Lehre von der örtlichen Gegenwart Christi in der Eucharistie beim hl. Tomas, Wien 1893. — *L. Billot*, De Ecclesiae Sacramentis I. ed.5. Roma 1914. p. 448-531. — *J. Müller*, De Sanctissima Eucharistia, ed.2. Oeniponte 1921, p. 161-239. — *M. de la Taille*, Mysterium fidei, ed.2. Paris 1924. — *F. X. Fischer*, Die eucharistischen Gestalten im Lichte der Naturwissenschaften, Mergentheim 1925. — *J. Vasquez de Mella*, Filosofia de la Eucaristia, Barcelona 1927. — *J. Ternus*,

Dogmatische Physik in der Lehre vom Altarsakrament, *in*: Stimmen der Zeit 1937, 220-230. — *E. Doronzo*, Tract. dogm. de Euch. I. De Sacramento, Milwaukee 1947, 393-447. — *L. Lercher*, Instit. Theol. Dogm. ed.3. Oeniponte 1948. IV, 2 p. 246-262. — *J. Filograssi*, De SS. Euch. quaestiones dogmaticae selectae, 5.ed. Romae 1953, 231-278. — *M. Premm*, Kath. Glaubenskunde III, 1, Wien 1954, 253-270. — *H. Bouessé*, La présence du Christ dans l'Eucharistie, *in*: Rev. thomiste 1956, 620-642.

I) Leges cultuales Sanctissimae Eucharistiae.

Ecclesia decursu temporum magis magisque sepe legum cultualium circumdedit Sanctissimam Eucharistiam, non solum qua sacrificium Novae Legis, sed etiam ut augustissimum Sacramentum. Tractando complexum harum legum, considerandae sunt sequentes quaestiones:

1. De distributione s. communionis.
2. De communione paschali.
3. De communione frequenti et cotidiana.
4. De communione spirituali.
5. De prima communione.
6. De communione infirmorum.
7. De sancto viatico.
8. De cultu SS. Eucharistiae.
9. De custodia SS. Eucharistiae.

1. De distributione s. communionis.

a) **Dies.**

Tempus considerando s. communionis primo agitur de **diebus s. communionis.** « Omnibus diebus licet ss. Eucharistiam distribuere » (can. 867 § 1.). Tres dies solummodo excipiuntur. Agitur de Triduo sacro, quod semper leges restrictivas habuit quoad communionem, quae nunc decr. S. C. Rit. 16. nov. 1955. de novo ordinatae sunt.

1°. *Fer. V. in Coena Domini* s. communionem distribuere licet « tantummodo *inter Missas vespertinas*, vel continuo ac statim ab iis expletis » (Instr. decreti n. 18); s. communio ergo horis matutinis distribui non potest sine indulto Apostolico. Antea dictum est, quod « rationabilis causa sufficit, ut huic regulae derogetur » (Vermeersch-Creusen n. 386,2), quod nunc iam vix affirmari posset.

2°. *Fer. VI. Pass. et Mort. Dom.* s. communio inde per quatuor fere saecula vetita fuit, nunc citatum decretum communionem omnibus fidelibus liberam reddidit, « ea potissimum mente, ut corpus Domini, pro omnibus hoc die traditum, devote sumentes, uberiores redemptionis fructus percipiant » (Instr. n. 2. c.). Communio distribui potest « *unice inter solemnem actionem liturgicam postmeridianam* » (ibid. n. 19).

3°. *Sabbatum Sanctum* est « dies summi luctus » aliturgicus, s. communio ergo vetita est, in Missa vigiliae « licita *inter Missarum sollemnia, vel continuo ac statim ab iis expletis* » (Instr. 18). Valde dubium est, num etiam hodie sustineri possint opiniones communionis liceitatem extra hanc horam per epikiam asserentes. Sic « *continuo ac statim* » iuxta Fanfani (p. 184 s.) moraliter intel-

ligendum est, pauca enim minuta, puta decem vel quindecim, moralem coniunctionem non interrumpunt. *Prohibitio* hac die secundum Vermeersch-Creusen (n. 386,1) non tam gravis est, « ut ab ea non excuset causa qualem ipsa S. Rituum Congr. probavit, licere siquidem declaravit, ut viris, qui spiritualia exercitia compleverant, nec Missarum sollemnia expectare poterant, communio Sabbato Sancto plane mane dispensaretur ». Quod facilius contingere potest, ex quo Vigilia paschalis instaurata peragitur; tamen sine ullo discrimine communionem distribuere omnibus petentibus nec in tali casu liceret sine indulto S. Sedis.

4°. S. communionem *semel licet solummodo in die* recipere (can. 857), excepto viatico, aut si irreverentia in Sacramentum impediri deberet (can. 858. § 1.). Ideo qui in Missa Vigiliae paschalis post mediam noctem communicaverint, debent die Paschatis a s. communione abstinere, secus, si haec Missa e licentia Ordinarii ante mediam noctem celebrata fuerit. Sacerdotes vero Missam vigiliae celebrati possunt Missam festivam paschalem celebrare, atque etiam si indultum habeatur, bis aut ter (Instr. n. 20).

b) **Horae diei:**

« Iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat » (can. 867 § 4.).

1° Ideo communio per se distribui potest una hora ante auroram et una hora post meridiem (can 821 § 1.).

2°. Communio in horis *pomeridianis et vespertinis* presse sequitur licentiam Missarum vespertinarum: distribui potest ante, in, post Missam, in hoc casu ieiunium observari potest trium horarum (v. superius, E. 4. e. 1°.

3°. Tamquam abusus cavendus vetita est distributio s. communionis *statim post consecrationem* cum particulis in Missa consecratis, etsi alius sit a celebrante, qui fideles reficiat (S. C. Rit. d 3448), Missa enim actio sacra totalis est, et omnes orationes Canonis aeque spectant ad has quoque particulas, nec decet fideles prius accedere ad s. synaxin quam celebrantem. Dedecet id quoque, ut in altari in quo actu celebratur, alius distribuat communionem extra tempus (NCR n. 502).

c) **Locus s. communionis**

est: « *Ubicunque Missam celebrare licet*, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit » (can. 869).

1°. S. communionem ergo sumere licet etiam in *Missa sub divo* celebrata (Feldmesse, messa al campo, tábori mise). Sed « sacerdoti celebranti non licet Eucharistiam intra Missam distribuere fidelibus adeo distantibus, ut ipse altare e conspectu amittat » (can. 868), non potest ergo ecclesiam relinquere, ut infirmos in domo ecclesiae coniuncta, vel turbam extra ecclesiam stantem communicet, hoc melius committitur alteri sacerdoti.

2°. Aliis *in locis non-sacris* non licet s. communionem distribuere, solummodo infirmis, nisi agatur de casibus exceptione dignis, ut e.gr. de detentis in

carcere. *Instructio S. C. Sacrament. 5. ian. 1928* (AAS 1928,79) Ordinariis facultatem dedit pro singulis casibus et per modum actus, ut concedere possint fidelibus *in montanis pagis* habitantibus communionem, quando Eucharistiam infirmis deferunt. Haec communio fieri debet in loco sacro, vel saltem decenti et honesto, si fideles eo die ad ecclesiam accedere non valeant.

3°. Sub iisdem adiunctis possunt communionem sumere etiam fideles, qui *in domo infirmi* versantur, semper tamen extra cubiculum infirmi; ut praxis importuna ergo reiicienda est communio sine ulla iusta causa alienarum personarum in cubiculo infirmi.

d) **Ordo seu praecedentia s. communionis**

est sequens: distributio s. communionis incipit *a ministris* (Rit. Rom. V, 2,12), si sint ministri sacri (diaconus, subdiaconus) praecedunt etiam presbyterum assistentem; dein venit *clerus* in ordine hierarchico (Rit. Rom. V, 2,4), si ministri laici sint, clerici etiam minores praecedunt eos; religiosi vero laici vel moniales post ministros laicos communicant (Gatterer Praxis celebrandi p. 167), *fideles laici* « omnes utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent ac reverenter suscipiant, viri, quantum fieri potest, a mulieribus separati » (V, 1,3), qui ordo salubriter instaurandus esset. Excipiuntur *sponsi*, qui inservientibus laicis in Missa pro benedicendis nuptiis praeferunt (S. C. Rit. d 4328. 30. ian. 1915). Semper incipit « ab iis qui sunt *ad partem Epistolae* ».

e) **Aliqui casus speciales.**

1°. *Clericis* communio « ad gradus altaris genuflexis praebeatur », sacerdotes et diaconi, utuntur « stola coloris albi vel eiusdem coloris ac sacerdos qui ministrat » (Rit. Rom. V, 2,4). Diaconi semper, etiam quando privatim communicant, stolam transversam deferre debent (C. Rit. d 3499,2).

2°. *Moniales in clausura papali degentes*, si extra Missam ipsae *solae* communicant, celebrans cum pyxide cooperto accedit ad fenestellam eam deponit super apto corporali, ibique ante fenestellam recitat orationes antecedentes et subsequentes communionis distributionem. Si *etiam alii fideles* in ecclesia communicandi sint, omnia dicenda sunt ante altare, nec se vertit ad moniales, distributionem vero communionis incipit a monialibus, dein veniunt ceteri fideles; sic debet procedere etiam tunc, si moniales solae, sed inter Missam ad communionem accedunt (C. Rit. d 3764, XIV., 3800).

3°. *Quoad vota emittenda* in aliquibus religionibus sive virorum sive mulierum praescribitur: « Celebrans professionum vota excepturus, sumpto ss. Eucharistiae sacramento, absoluta confessione, ac verbis quae ante fidelium communionem dici solent, s. hostiam manu tenens, ad professos sese convertat, hi vero singuli, alta voce, professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim ss. Eucharistiae sacramentum sumet ». In votorum vero *renovatione*, omnes simul recitant renovationis formulam, celebrans recitationem ad altare conversus auscultat, postea vero distribuit communionem (CRit 3836). Confessio ab a. 1961 omittenda est in communione infra. Missam (NCR 503).

4°. Si fideles *magna cum frequentia* accedant ad s. communionem, tunc ordinentur scamna linteo contecta hinc inde a cancellis in circulo, vel in quadrum

intra ecclesiam, in extremitatibus colluceant duae saltem candelae, dum fideles communionem sumunt (C. Rit. d 3086, II.).

5°. Si hostia *in barbam vel vestes communicandi inciderit*, statim colligenda est a sacerdote, purificatio vero omittenda est, quia melius est vitare admirationem, quam servare rubricam sub levi tantum obligantem (sic. Fanfani p. 189 e.). Si vero particula in sinum vel intra vestes *mulieris* inciderit, tunc iuxta Benedictum XIV. « decet, ut non sacerdos, sed ipsa femina particulam vel fragmentum quaerat, et suis ipsa manibus sibi in os iniiciat » (De sacrif. Missae III. 20. n. 7.), quod optime fieri potest in sacristia, digiti eius abluendi sunt et lotio in sacrarium proiicienda.

6°. *In hospitiis leprosorum* propter periculum contagionis specialis modus purificationis a S. C. Rituum permissus est: « Paretur super altari vasculum cum aqua et stuppa seu gossypio, in quod vasculum purificatio pyxidis, modo solito peragenda, inmittatur, eaque quamprimum fieri poterit, in sacrarium iniiciatur » (19. febr. 1909, AAS 1909, 288-289, decr. hoc deest in Decret. authent. vol. VI.).

f) **Ritum consuetum communionis**

intra et extra Missam cf. De Ecclesia sacrificante G. 2. XIV-XVI.

2. De communione paschali.

Inde a Conc. Lateranensi IV. id est ab anno 1215. viget lex minimum praescribens quoad communionem, transsumpta a CIC can. 859 § 1: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis id est ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in paschate, Eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum ». Lex ulteriora statuens invenitur can. 859-861. et Tit. V. c. 3. Rit. Romani).

a) **Personae,**

quas obligat hoc praeceptum sunt: Omnes, cuiuscunque sexus, status vel conditionis, *etiam infirmi*, quibus parochus « etiamsi communionem extra praescriptos dies sumpserint, in paschalibus diebus illam deferet ac ministrabit » (Rit. Rom. V, 3,5). *Pueri* obligantur ab annis discretionis seu usum rationis, i.e. ab anno septimo (can. 12.). *Sacerdotes* quoque, si tempore praefixo paschali celebrare non poterint, obligantur ad communionem paschalem. Insuper «expedit» — lex ergo haec directiva est, « ut *Fer. V. maioris* hebdomadae omnes clerici, etiam sacerdotes, qui ea die a sacro litando abstinent, sanctissimo corpore Christi in Missa sollemni seu conventuali reficiantur » (can. 862).

b) **Tempus**

definitur generaliter: « *a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis* » (can. 859 § 2), quod tempus locorum Ordinarii, « si ita personarum ac locorum adiuncta exigant, pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante quartam

diem dominicam Quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum SS. Trinitatis » possunt (ibid.). Per indulta conceduntur etiam *maiora spatia,* sic Ordinariis Germaniae et Hungariae concessum est tempus anticipare a I. Dom. Quadragesimae. Prorogare potest etiam « *proprius sacerdos* », i.e. parochus vel etiam confessarius tempus pro aliquo poenitente speciali iuxta § 1. eiusdem canonis, ob rationabilem causam, e.gr. quia poenitens recidivus est, vel « ad experimentum faciendum, utrum revera poenitens, antequam absolvatur, sinceram voluntatem habeat relinquendi occasionem liberam peccati » (Fanfani p. 202).

c) **Locus**

communionis paschalis est: « Suadendum fidelibus, ut huic praecepto satisfaciant in *sua quisque paroecia* » (can. 859 § 3). Si alia ecclesia, puta religiosorum, in territorio paroeciae sita est, obligationi huic directivae videtur satisfieri, etsi hoc non omnes concedant. — Similiter directiva videtur esse praescriptio, « qui in aliena paroecia satisfecerint curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere » (ibid.). Haec certificatio parochi fieri potest oretenus vel — ubi adhuc in usu est — ope schedulae testificantis communionem (Beichtzettel, biglietto paschale).

d) **Ritus**

communionis paschalis suadetur, *ut proprius* sit cuiusque fidelis (can. 866 § 2.), id est latini ritu latino, orientales ritu orientali.

e) **Obligatio.**

Lex haec est *ad urgendam et non ad finiendam obligationem,* ergo si tempus paschale sine communione peracta expiraverit, tenetur ad communionem, quia « semel in anno » debet accedere ad communionem. Annus tali casu *vario modo computari* potest, *civiliter* a 1. jan. vel *liturgice* a Dom. I. Adventus vel tandem *a paschate* ad pascha, sed iuxta Vermeersch-Creusen (n. 403), ita computando, ne integer annus praetereat sine accessu ad communionem. — Obligationi huic non satisfit *per sacrilegam communionem* (can. 861). Praeceptum enim ecclesiasticum communionis paschalis est determinatio legis divinae communicandi, qua necessitas moralis medii inculcatur, ideo qui sacrilege communicaverit, debet eodem adhuc tempore paschali s. communionem recipere. — *Obligatio quoad impuberes,* i.e. quoad masculos ante 14 annos completos, feminas ante 12, « in eos quoque ac praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent, idest in parentes, tutores, confessarium, institutores et parochum » (can. 860). Obligationis huius *devolutivae* neglectio gravis vel levis erit iuxta adiuncta: gradum sc. negligentiae, et obligationis, qua vinciuntur, eo magis, quo propius iunguntur ipsis impuberibus. Videtur ordo commendari in canone allegato statutus, confessarius ergo maiorem habet obligationem quam parochus.

3. De communione frequenti et cotidiana.

Fundamento dogmatico huius quaestionis superius iam constructo (cf. D. 3, Regula I.) aliquae regulae restant commendandae.

a) *Prima* est, **quoties debeat confiteri,** qui cotidie ad s. communionem accedit. Nullum praescriptum strictum invenire possumus; Ecclesia, ut vidimus, duas conditiones statuit rectae intentionis et status gratiae. Sed quia ad communionem cotidianam *consilium confessarii* intercedat oportet, statim sequitur, quod eius monitum etiam quoad frequentiam confessionis expeti debet. Confessio per se non requiritur, si subiectum sit in statu gratiae, ideo confessio e.gr. hebdomadaria non est omnino exigenda a laicis, religiosis utriusque sexus et Seminaristis vero peragenda est (can. 595 § 1 n. 3 et 1367 n. 2.) etiam citra communionem cotidianam; clerici ceteri vero « frequenter conscientiae maculas eluant » (can. 125 n. 1). *Pro fidelibus* ergo *laicis* — iuxta sapiens consilium Noldin - Schmitt - Heinzel (n. 163,5) — confessio hebdomadaria commendanda quidem ordinarie est, tamen haud raro adiuncta adesse possunt, quae rariorem confessionem suadeant, e.gr. defectus temporis e parte tum poenitentis, tum confessarii, periculum propter magnum numerum poenitentium confessionem difficilem reddendi iis, qui raro solum ad eam accedunt. « Hinc licite fieri potest, ut frequenter vel quotidie communicantes singulis tantum mensibus confiteantur. Meminerint enim pastores animarum, maius bonum spirituale ex s. communione quam ex sacramentali confessione percipi ».

b) Nunc iam vix commendanda videtur *praxis semel in hebdomada* **regulariter abstinendi** a s. communione, quod ante Sanctum Pium X. satis urgebatur. S. *Bonaventura* e.gr. opinabatur, quod communicans « aliquando debet cessare, ut addiscat revereri », S. *Alphonsus de Ligorio* vero consilium dedit: « Excipe unum diem in quavis hebdomada, ut facere solent prudentes aliqui Directores ... ad probandam eorum obedientiam aut humilitatem » (Praxis confessarii § 4. n. 152). Merito putat Fanfani, hoc ordinarie hodie non expedire (p. 219). — *Extraordinarie* vero iure affirmandum est, aliquoties expedire quosdam a frequentiore communione retinere, quippe qui habitualiter neglegant praeparationem et gratiarum actionem iuxta eorum vires, conditionem ac officia, haec neglegentia habitualis enim iuxta Merkelbach (n. 289,5) signum est non recta mente eos accedere ad communionem. « Qui proinde ad meliores dispositiones sunt provocandi, aut a frequentiore communione aliquatenus retinendi, ut reverenter magis ac ferventius accedere addiscant ».

c) **Abusus praecavendi sunt** praesertim in communitatibus religiosis, Seminariis et aliis similibus collegiis, puerorumque ephebaeis, de qua re *Instructio* emanavit S. *C. Sacram. 8. dec. 1938* (directa ad Ordinarios, ideo deest in AAS, cf. Monit. Eccles. 1939, 245). — 1°. Exhortationi ad frequentem communionem adiungendum est monitum *eam non praecipi,* nec fieri posse nisi sub debitis conditionibus. — 2°. *Frequens confessio* quoque enixe suadenda est, opportunitas procuranda adeundi confessarios praesertim tempore communionis. — 3.° Laudanda est etiam *libertas in communicando,* nec ratio habenda est communionis cotidianae in efformanda sententia de iuvenum pietate. — 4°. Nunquam sunt indicendae in communitatibus puerorum et puellarum « *communiones generales* » singulari quadam sollemnitate peragendae, relinquique debet plena libertas ab eadem abstinendi. — 5°. Caveant superiores, ne Eucharistia deferatur infirmis eam expresse non postulantibus.

d) **De dispositione** ad frequentem communionem *iudicare pertinet ad confessarium,* non ad superiores. Hi tamen ius habent « si post ultimam sacramen-

talem confessionem religiosus communitati gravi scandalo fuerit, aut gravem et externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, ne ad s. communionem accedat, prohibere » (can. 595 § 3.).

e) Si quae sint Instituta, « quorum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis *communiones aliquibus diebus affixae* sunt aut iussae reperiantur, hae normae vim dumtaxat directivam habent » (can. 595 § 4).

4. De communione spirituali.

Communio spiritualis est *pium exercitium quo quis votum i.e. desiderium excitat sumendae Eucharistiae. Tridentinum* tali sensu loquitur de communione spirituali: « ... voto caelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt » (sess. XIII. cp. 8. Denz. 881). *Tria* ergo ad communionem spiritualem *requiruntur*: fides viva in praesentiam Christi, caritas cui si opus sit, poenitentia de commissis coniungatur, et desiderium sumendi Christum in Eucharistia. Pium hoc exercitium ab Ecclesia *valde commendatur, quippe quae* « cupit imprimis ut christiani — cum praesertim Eucharisticam dapem reapse sumere haud facile queant — votis saltem eam sumant, ita quidem, ut vivida excitata fide ac demisso reverenter animo Divinique Redemptoris voluntati omnino fidenti, flagrantiore, quo fieri possit, caritatis studio cum eodem coniungantur ». (MDei n. 116). — *Effectus* communionis spiritualis sunt consimiles communioni, sed non confertur gratia sacramentalis, non ex opere operato, at ex opere operantis. (*H. R. Schlette,* Kommunikation u. Sakrament. Theol. Deutung d. geistl. Komm. Freiburg 1960). Ecclesia *indulgentiis quoque ditavit* pium hunc usum. Fidelibus, qui spiritualis communionis actum, quavis adhibita formula, elicuerint, conceditur indulgentia trium annorum, et indulgentia plenaria suetis conditionibus, dummodo quotidie per integrum mensem actus perfectus fuerit (Ench. Indulg. 1952, n. 164).

5. De prima communione.

Tractatum iam est de aetate quando obligare incipit praeceptum divinum sumendi Eucharistiam (supra D. 3. Regula II.). Nunc solum restat propius determinare mentem Ecclesiae circa primam communionem puerorum.

a) **De prima communione privata**

agendum primo est, quae non quidem ut necessaria, sed tamquam possibilis memoratur a Sancto Pio X.: « ...qui parentum confessariive consensu *iam antea* primitus de altari sancta libarunt » (Quam singulari nr. V.). Ubi ergo prima communio generaliter indicta est, pueri tamen ante eam iam admitti possunt ad communionem primam, cuius hae sunt normae.

1°. *Quid requiratur cognitionis,* determinat can. 854 § 3: « Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio merito exigitur, ea scilicet, qua ipsa fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant ». a. *Praeparatio accuratior* debet esse, sed nullo modo excessiva, ut Decr. Quam singulari inculcat: « Nec sane iusta causa esse videtur, quamobrem ... extraordinaria nunc praeparatio a pueruli exigatur, qui in primi candoris et innocentiae felicissima conditione ver-

santur », imo iuxta Sanctum Pium X. « ... damna inferunt qui extraordinariis praeparationibus primae communioni praemittendis *plus aequo* insistunt, forte minus advertentes, id genus cautelae a Ianseniani erroribus esse profectum, qui ss. Eucharistiam praemium esse contendunt, non humanae fragilitatis medelam ». — **b.** Praeparatio ergo necessaria est, quam communiter et ordinarie *ipse parochus* faciat « peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, Quadragesimae tempore, pueros sic instituere, ut sancte Sancta primum de altari libent » (can. 1330 n. 2.). — **c.** Ad hanc praeparationem accuratiorem ut minimum sufficit iuxta can. 854 § 3, si « *saltem mysteria necessaria necessitate medii* ad salutem pro suo captu percipiant », haec mysteria ergo sunt: quod Deus est et bonum remuneratur, malum punit, dein mysterium SS. Trinitatis, demum incarnatio Filii Dei ad nostram redemptionem. « *Saltem* » desiderium Ecclesiae edicit plures cognitiones quoque dandi inquantum possibile. Notandum vero, quod non requiritur perfecta cognitio, sed aetati puerulorum correspondens: « *pro suo captu* ».

2°. *Quid requiratur devotionis,* ibidem enuntiatur: « ... et devote pro suae aetatis modulo ad ss. Eucharistiam accedant ». Haec devotio constat iuxta Catech. Pii X. in fide viva, desiderio intimo, profunda humilitate, qua devotione *interna* et in modestia qua devotione *externa.* Cor parvulorum his sensibus religiosis facilius patet, quam cognitionibus religiosis, ideo devotio « pro suae aetatis modulo » facilius obtineri potest, quam doctrina sufficiens, praesertim si cum parvulis saepe exercitia pietatis, orationes, cantus, visitationes Sanctissimi simul peracta sint.

3°. *Cui competit iudicium* de sufficientia dispositionis: « De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt » (can. 854 § 4). *Confessarius* ideo primo loco videtur nominari, quod eius iudicium praeferendum est iudicio parentum, utpote qui peritus est in materia sacramentali. Ultimum vero iudicium competit *parocho,* qui invigilare debet: « Parocho autem est officium advigilandi, etiam per examen si opportunum prudenter iudicaverit, ne pueri ad s. Synaxim accedant ante adeptum usum rationis, vel sine sufficienti dispositione, itemque curandi, ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur » (can 854 § 5). Mens ergo Ecclesiae est, ut « quamprimum » prima communio fiat, sed cum praescripta dispositione; *examen* per se non exigitur, parochus se certiorem facere potest etiam inquirendo a parentibus et confessario, sororibus, quae praeparationem peregerint etc. Certe non posset parochus generaliter prohibere, quod aliquis parvulus bene dispositus privatim accedere possit ad primam communionem, hoc enim tum decreto « Quam singulari », tum CIC contradiceret, nec talis prima communio ad iura parochialia reservata pertinet, sic Fanfani (p. 197.), qui merito exigit, ut prima communio parocho inconsulto ne fiat, exceptis « forsan evidenter bene dispositis, qualiter sunt pueri in collegiis seu conservatoriis catholicis educationis causa degentes ».

4°. *Qualis aetas requiratur,* iam supra (D. 2. Coroll. II.) elucubratum est: *usus rationis,* i.e. « circa septimum annum sive supra, sive infra » (Quam singulari n. I.). Communio ergo etiam *differri* potest, non vero generaliter, pro omnibus indiscriminatim parvulis, sed pro iis, qui nondum sunt dispositi; item

etiam *anticipari* potest, iterum non pro omnibus indiscriminatim, sed pro pueris, qui iam capaces apparent fructuose accedendi ad s. communionem, tales iuxta Card. Gennari, qui partes habuit in componendo decreto « Quam singulari », hodie permulti inveniuntur, dum econtra pauci qui expleto septennio nondum habiles sint ad communionem percipiendam (cf. M. Gatterer, Kinderseelsorge 1924, p. 55 et *J. Walsh*, Family first Comm. Clergy Rev. 1958, 657-64).

b) **De prima communione generali.**

1°. Iuxta Decr. « *Quam singulari* »: « *Semel aut pluries in anno* curent parochi indicere atque habere communionem generalem puerorum, ad eamque non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consilio iam antea primitus de altari sancta libarunt » (n. V.). Qui ergo parvuli iam acceperunt privatim primam communionem, imo ulterius iam saepius ad communionem accesserunt, non possunt arceri a tali sollemni et generali prima communione.

2°. *Modus talis communionis* primae generalis apte describitur a cl. De Amicis (Caeremoniale parochorum ed.4. 1948, 572-578). Omnes, qui communicandi sunt *processionaliter*, bini et bini se conferant ad ecclesiam, ubi prima communio habenda est, vexillo albi coloris cum floribus ornato praecedente, cum cereis accensis, comitaturque eos parochus superpelliceo et stola indutus, et campanis sonantibus ingrediantur ecclesiam. *Ad altare* accedens celebrans intonet hymnum « *Veni Creator* » cum versiculo et oratione, dein ascendat suppedaneum et ad cornu evangelii sedens *alloquatur* communicandos. Post allocutionem fiat *renovatio votorum baptismi*, si fieri potest ante baptisterium splendida supellectili ornatum et undequaque floribus sertum. Si ipsum vero in loco apto positum non sit, exstrui poterit parvum altare extra presbyterium, in quo collocetur thronus ad librum Evangeliorum et Crucifixum collocanda inter candelabra hinc inde posita, ante quod altare fieri potest renovatio votorum baptismi, et recitatio *Symboli Apostolici*.

3°. *Missa quae sequitur*, melius sit lecta, ne nimis prolixa functio evadat. Communicandi parvuli occupandi sunt per communiter recitatas preces cantiunculasve concinendas. Ad *offertorium* perferatur pyxis ad altare cum particulis pro communione, ut iuxta « Mediator Dei » primam communionem sumant e particulis in hac Missa consecratis. Ante communionem habeatur brevis adhuc *allocutio*, ut communicandi quo maiore pietatis sensu divinum hospitem intus suscipiant. Missa peracta habeatur etiam brevis *actio gratiarum*, quae optime ab ipso celebrante fieri potest eo praeorante textus communicantibus.

c) **De prima communione in periculo mortis.**

Iuxta districtum praeceptum Ecclesiae communio ministranda est etiam parvulis, qui nondum susceperunt primam, in periculo mortis: « Detestabilis omnino abusus est non ministrandi viaticum et extremam unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, ordinarii locorum severe animadvertant » (Quam singulari n. VIII.).

1°. CIC dein hanc legem propius determinavit, *dispositionem necessariam* definiens: « In periculo mortis, ut ss. Eucharistia pueris ministrari possit ac

debeat, satis est, ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare » (can 854 § 2.).

2°. Ecclesia non exigit, ut parvuli in periculo mortis constituti differentiam inter Corpus Christi et communem panem *indicare seu explicare* queant, id dumtaxat necesse dicit, ut « *discernere sciant* », quod non est idem. Ut Gatterer monet (op. cit. p. 49), si parvulus iam observabat parentes et sacerdotem ante Sanctissimum genua flectentes reverenterque se gerentes, tunc sufficit ei affirmare, in hac rotunda et nitida hostia habitare Jesum, qui adeo diligit parvulos cupitque eos ad se venire. Reverens adoratio adhuc facilius obtineri potest.

6. De communione infirmorum.

Communio infirmorum hoc loco intelligitur ea, quae non in periculo mortis, qua viaticum sumitur, sed *propter paschale praeceptum vel ex devotione*, semperque maius momentum ei obvenit, ex quo communio frequens immo cotidiana divulgari coepit. Nam per se evidens est mens Ecclesiae, *etiam infirmis patere ianuam misericordiae*, non solum sanis, quippe quae declaravit, « desiderium Christi et Ecclesiae » esse, ut *omnes* « Christifideles », ergo etiam infirmi « quotidie ad sacrum convivium accedant », quae « *omnibus* Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat », itaque etiam qui in infirmae valetudinis conditione versantur; confessarii vero cavere debent, « ne a frequenti seu quotidiana communione *quemquam* » ergo nec infirmum « avertant » (Decr. Sacra Tridentina Synodus). *Parochus hortari debet* « infirmum, ut s. communionem sumat, etiamsi graviter non aegrotat, aut mortis periculum non immineat, maxime si festi alicuius celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit » (Rit. Rom. tit. V, 4, 3). Clarissime Ecclesiae mentem revelat responsum S. C. Sacram. datum 5. iun. 1928. (cfr. infra b).

a) Publica delatio Eucharistiae

ad infirmos intelligitur ea, quae modo a Rituali descripto fit (Rit. Rom. tit. V. c. 4, 10-13.), i.e. cum quadam sollemnitate, ita ut factum delationis Eucharistiae ad aliquem infirmum statim publicum fit.

1°. « Ius et officium s. communionem publice ad infirmos etiam non paroecianos deferendi, *pertinet ad parochum* intra suum territorium » (can 848 § 1). S. Communionem publice deferre *alii sacerdotes* possunt tantum « in casu necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii » (ibid. § 2.); *necessitas* haec non periculum mortis intelligitur, de quo non est sermo, sed quaecunque circumstantia, ob quam infirmus suo iure cotidie communicandi privaretur, nam infirmus magis indiget Eucharistia quam sanus, qui sicut infirmus — suppositis conditionibus requisitis — ius habet ad communionem frequentem imo cotidianam. Prudentia ceterum suaderet, ubi occulta delatio in usu est, in casu tali hanc praeferendi.

2°. *Modus sollemnis deferendi* Eucharistiam ad infirmum: aliquot campanae ictibus convocantur paroeciani ad comitandum Sanctissimum cum cereis seu intortitiis, praecedunt acolythus laternam deferens et duo clerici vel qui eorum vices suppleant, quorum unus aquam benedictam et bursam cum corporali, alter Rituale deferat et iugiter cum campanula pulset. Sacerdos in pyxide

aliquot particulas portat, velo obtectas, nudo capite incedens sub baldachino; sequuntur intortitia ferentes. Sic quoque redeunt ad ecclesiam, ubi dicto a sacerdote versiculo et oratione de Sanctissimo, cum pyxide benedictio datur super populum, dein illam in suo loco recondit. Si ob aliquam difficultatem unam tantum hostiam secum tulerit, benedictionem dat infirmo more solito (Benedictio Dei omnipotentis...) et una cum aliis privato habitu rediit. Ritus hic plane sollemnis, etiam in casu publicae delationis non ubique in usu remansit; multis in regionibus desunt comitantes, unus tantum secumfertur ministrans, omittitur baldachinum.

b) **Privata seu occulta delatio**

ea est, quae sine vestimentis liturgicis fit, ita ut *factum delationis Eucharistiae ad extra non apparet,* sicque occultum manet.

1°. De hac habet lex: « Communionem privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia ss. Sacramenti commissa est » (can 849 § 1.).

2°. Quaestio exagitata est, *quisnam esset iudex rationabilis causae* deferendi occulte Sacramentum. Instantibus duobus episcopis Hispaniae (cf. Vermeersch-Creusen n. 355,4 b.). *S. C. Sacram. 5. iun. 1928.* responsum dedit (AAS 1928,81) iudicem de sufficientia rationabilis causae esse Ordinarium loci, non vero sacerdotem ministrantem. Quo vero noluit difficiliorem reddere s. communionem infirmis, nam statim adiecit mentem, « quae sequens est: Si ex communi experientia et opinione nullum in dioecesi aut in aliquo particulari loco adsit inconveniens pro *privata* delatione s. communionis ad infirmos, ab Ordinariis cavendum est, ne per regulas nimis praefinitas aut generales praecipientes *publicam* delationem, vel per reservationem sibi factam dandi veniam in singulis casibus deferendi privatim Sacramentum Eucharistiae, praepediatur infirmis solatium *communionis etiam quotidianae* ».

3°. Responsum evidenter prae oculis habet circumstantias, ubi *privata* delatio posset admirationem movere; quia vero in multis regionibus, praesertim vero in civitatibus maioribus *publica* delatio tali admirationi vel etiam irriverentiis ansam praebere posset, iure dicit Vermeersch-Creusen, « ubi usus occultae delationis praevaluit, usus iste servari potest quamdiu Antistes nihil de re monuerit ». Ceterum *facultas permittendi* occultam delationem *delegari potest* vicariis foraneis, imo parochis, superioribus religiosis etc. sic in archidioecesi Strigoniensi cuique sacerdoti facultas data est ex iusta causa Eucharistiam ad infirmos privatim deferendi (Statuta Synodalia anni 1941. § 129).

4°. *Ritus occultae delationis* habetur a Benedicto XIV. propositus in Rit. Romano: « Sacerdos saltem stolam semper habeat propriis coopertam vestibus, in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur » (Tit. V, 4,30).

c) **Ieiunium eucharisticum infirmorum**

qui non sunt in periculo mortis nunc regitur Motupr. « S. Communionem » 19. mart. 1957 (cf. E. 4. e. 2°.). *Infirmi omnes,* a fortiori ergo decumbentes, qui

domi sunt communicandi, nulla adiecta temporis limitatione sumere possunt aliquid per modum potus exceptis alcoholicis, et etiam per modum medicinae veram medicinam sive liquidam sive solidam (Instr. n. 1-3.), limitationi ergo can. 858 § 2. (« semel aut bis in hebdomada ») derogatum est, quae limitatio iam in novissima editione Ritualis Romani non continetur (tit. V, 4,4). Si infirmi extra periculum mortis constituti etiam cibum *solidum* sumpserint, communio permissa non est. In adiunctis specialibus ulterior dispensatio S. Sedis requireretur, quae in peculiaribus circumstantiis sane benigne non denegaretur.

d) **Ritus communionis infirmorum.**

Iuxta Rit. Rom. tit. V, 4,14-24.

1°. Sacerdos ingrediens locum, ubi iacet infirmus, dicit: « *Pax huic domui* ». Tunc deponit Sanctissimum in mensa supposito corporali, et genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus, ad quod saepe suavi modo monere debebit circumstantes.

2°. Dein procedit ad *lustrationem loci*, aspergendo aqua benedicta infirmum et cubiculum, dicendo ant. *Asperges* cum primo versu Ps. *Miserere* et *Gloria Patri*, haec ant. dicenda est etiam tempore paschali. Repetita ant. dicit versiculos et orationem a Rituali praescriptam.

3°. Postea accedit ad infirmum, utrum velit *peccata confiteri* et discedentibus aliis, si opus est, eum audiat et absolvat, « quamvis prius deberet esse rite confessus, nisi necessitas aliter urgeat » (n. 16.), quod non raro contingere potest.

4°. Postea infirmus, vel alius faciat confessionem generalem *Confiteor*, sacerdos vero in singulari dicit, nisi plures infirmi sint communicandi: *Misereatur* et *Indulgentiam*. Dein facta genuflexione, accipit hostiam e pyxide, illam elevans ostendit infirmo, dicens: *Ecce Agnus Dei*, quae verba infirmus dicat simul cum sacerdote, dein communicet infirmum sacerdos more ordinario.

5°. Postea sacerdos *abluit digitos* in vase cum aqua parato et abstergit purificatorio, aqua vero ablutionis mittatur in sacrarium (in hoc casu optimum est, si sacerdos habeat secum tale vasculum bene clausum), vel si hoc desit, in ignem. Aquam hanc ablutionis etiam infirmus potest bibere.

6°. Deinde dicit ultimam orationem, *Domine sancte* et postremo benedicit infirmum cum pyxide, vel si unam tantum secum sumpserit hostiam, more solito: Benedictio Dei omnipotentis.

7°. *Si pluribus infirmis*, qui in eadem quidem domo, sed *in distinctis cubiculis degant*, iuxta idem Rit. Rom. (n. 28) sic est procedendum: sacerdos ministrans *in primo* tantum cubiculo dicat omnes preces ante communionem dicendas (n. 14-17.), in aliis vero cubiculis tantum dicat *Misereatur*, *Indulgentiam*, *Ecce Agnus Dei* et semel solum: *Domine non sum dignus*, et formulam communionis, et in ultimo tantum cubiculo dicat orationem in plurali *Domine sancte*, ibique si particula superfuerit, det benedictionem eucharisticam.

e) **Casus speciales circa communionem infirmorum.**

1°. Numquid licet Eucharistiam *equitando deferre, vel vehiculo*. Per se non licet, nam iuxta ritum Romanum processio instituitur ad deferendum Sanc-

tissimum, cuius vices supplet delatio privata, ergo pedibus debet incedere. *Equitando* licet deferre, si « longius et difficilius iter obeundum sit » (Rit. Rom. n. 13.), in hoc casu pyxis debet « in bursa decenter ornata et ad collum appensa apte includi et ita ad pectus alligari atque obstringi, ut neque decidere, neque pyxide excuti Sacramentum queat » (ibid.). Simili modo iuxta auctores licet tali in casu, si infirmus longius distet etiam *curru* vehi vel automobile. Quod *usum bicycleti* seu velocipedis attinet, Aertnys-Damen provocat ad respons. S. C. Sacram. 13. jun. 1919: « Tamquam medium ordinarium deferendae SS. Eucharistiae etiam privatim, nunquam haberi potest. Quodsi agatur de SS. Viatico deferendo, usus eius, amoto scandalo, tolerari potest, dummodo locus sit remotior, necessitas urgens et nullum aliud medium habeatur «. Responsum hoc in AAS deest, putamus vero — salvo meliore iudicio Ecclesiae — usum bicycleti extraordinarium, praedictis conditionibus extendi posse in regionibus paupertate vel bello vastatis etiam ad communionem infirmorum, qui non versantur in periculo mortis. Nullum enim medium habent saepe sacerdotes pauperes, ut ruri itinere 5-15 km. faciant, quam bicycletum, cuius usus talibus in adiunctis iam nemini scandalum praebet.

2°. *Usus instrumenti in praebenda s. communione infirmis* probabiliter licitus est tempore contagionis vel si infirmus aliter deglutire ss. hostiam nequeat; uti possumus parvo cochleari, quantum fieri potest argenteo, si necesse sit cum vino vel aqua, similiter si infirmus ob oris siccitatem sacras species deglutire non possit (Aertnys-Damen n. 133,5).

3°. *Morbi peculiares qui impedire possint s. communionem*: « Diligenter curandum est, ne Eucharistia tribuatur infirmis, a quibus ob *phrenesim* (*Raserei*, örjöngés), sive ob assiduam *tussim* aliumve *similem* morbum » iniuria Sanctissimi timeri potest (Rit. Rom. tit. V, 4,4,). **a.** Minus periculum habetur huius iniuriae ob *tussim* (Husten, köhögés), nam si iam infirmus deglutivit Eucharistiam, per tussim nihil eiicitur, tussis enim procedit per laryngem (Luftröhre, légzöcsö), cibus vero per oesophagum (Speiseröhre, nyelöcsö). — **b.** *Alius morbus* intelligitur talis, qui *vomitum potest causare*, attendendus est talis vomitus, si causatur per morbum renum e.gr. nephritim (Nierenentzündung, vesegyulladás), affectiones cerebri, peritonitim (Bauchfellentzündung, hashártyagyulladás), herniam incarceratam (eingeklemmter Bruch, kizárodott sérv) vel per graviditatem. Talibus in casibus expectandum erit per decem quoque horas sine vomitu peractas, ut s. communio fieri possit. Consuli potest experimentum factum per hostiam non consecratam, si hanc non evomuerit, potest fieri s. communio. Glacies vel aqua valde frigida sumi possunt ante s. communionem, quia sedant irritationem vomitus (Schöllig p. 68-69). — Si vomitus tamen *praeter expectationem* secutus fuerit cf. De Eccl. sacrific. F. 5. d. sextus casus). — **c.** Ad alios morbos pertinet *amentia;* quia amentes assimilantur infantibus (can. 88 § 3), eis Eucharistia nunquam ministrari potest. Excipe si aliquando rationis compotes fuerunt et pie vixerunt, talibus in mortis articulo viaticum dari potest et debet (Catech. Rom. II. c. 4. qu. 50.). Si amentes aliquando habeant *lucida intervalla* et devotionem ostendant, communicare licet, dum in eo statu manent, si nullum periculum indignitatis assit (Rit. Rom. tit. V, 1,11). — **d.** Semifatui (Geistesschwache, gyengeelméjüek) et senes repuerascentes, qui adhuc distinguere queant inter cibum communem et Eucharistiam, danda est s. communio in periculo mortis, in paschate et aliquoties in anno pro maiore vel minore gradu

eorum conditionis. « Neque vero scrupulose in hac re procedendum est, cum s. communio eis certo profutura sit, nec periculum irreverentiae existat » (Noldin-Schmitt-Heinzel n. 135. f.). — e. *Surdi-muti a nativitate* assimilantur infantibus, quia usum rectum rationis non habent, si vero in Instituto surdo-mutorum educati fuerunt, aliis fidelibus assimilantur et iam capaces sunt s. communionis. — f. *Epilepticis* s. communio dari potest, neganda in paroxysmo (Anfall, roham) tantum (Aertnys-Damen n. 137,5). — g. *Sensibus destitutis* raro dari potest s. communio, intentio quidem praesumi potest, si christiane vixerint, vel sacerdotem mente compotes petierint, sed periculum satis grave exstat irreverentiae, quod s. hostiam non deglutiant, vel exspuant.

f) **Quomodo infirmi tractari debent.**

1°. Curam maximam adhibere debet bonus pastor, ut infirmis praesertim moribundis Sacramenta administrare digne possit. Hodiedum saepe evenit, quod primo infirmis *suadere debet* susceptionem Sacramentorum, quia persaepe cognati dissimulant conditionem eius miserrimam. — 2°. Saepe fieri potest, quod pastor primum *solummodo visitat infirmum,* quin statim loquatur de susceptione Sacramentorum, etiam in tali visitatione studeat iam de malis quae ob morbum perpeti debet in eo excitare obsequium erga voluntatem Dei; fortasse tunc iam posset eum monere de susceptione Sacramentorum. Inculcandum est, Sacramenta esse etiam ideo instituta, ut aegrotum adiuvent in sanitate recuperanda, ideo melius esset ea non tardive suscipere. — 3°. Magna *patientia* opus est sacerdoti, praesertim, si infirmus amiserit fidem, peccatis et occasionibus pravis instrictus sit, vel iam diu non suscepit Sacramenta. Praeter orationem invocet cognatos vel amicos infirmi vel sororem infirmariam. — 4°. Si infirmus *iam morti proximus est,* opportuniore modo et leniter eum de hoc certiorem faciat, quod debet fieri, si recusat Sacramenta. De his cf. uberius De Extr. Unct. E. 2. d. et 3. a.

7. De sacro viatico.

a) **Notio.**

Viaticum est s. communio in periculo mortis accepta. Distinguimus inter viaticum *stricte dictum* et viaticum *repetitum* seu, ut dicit Vermeersch viaticum *latius dictum* (n. 355 d): « Ne contra mentem Codicis difficiliorem reddamus refectionem sacramentalem eorum, qui eadem magis opus habent, viaticum, cuius ministratio parocho vel aliis reservatur, intellegimus de solo viatico stricte accepto seu praecepto. Quare licebit alii sacerdoti afferre communionem infirmo non ieiuno, postquam parochus viaticum necessarium ministravit. Et quia nulla est obligatio ut exoriente periculo, viaticum statim recipiatur, idem permittemus *ante* istam ministrationem, dummodo, tempore opportuno advocetur proprius pastor ad sacramenta administranda, quae ultima dicuntur ».

b) **Leges viatici.**

1°. *Obligatio sumptionis* communionis in periculo mortis oritur iuxta communem sententiam theologorum *e iure divino,* quod lex ecclesiastica vetustissima adhuc confirmat. Obligatio ergo haec certo gravis est et non solum infirmos

obligat, sed *omnes qui in quocunque periculo mortis* versantur: *milites* ad pugnam convocatos, imo iuxta declarationem S. Poenitentiariae (18. mart. 1912) iam inde a mobilisatione exercitus; dein *capite damnatos* ante executionem iudicii, infirmum qui gravem subeundus est *operationem chirurgicam,* mulierem ante primum vel gravem *partum,* omnesque qui in actuali *incursione aerea* positi sunt: universi tales enim constituti sunt in actuali periculo mortis.

2°. In periculo mortis a *ieiunio eucharistico* quivis exemptus est: « Qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit, nequit ad ss. Eucharistiam admitti, nisi mortis urgeat periculum » (can. 858 § 1). Apposite Noldin-Schmitt-Heinzel: « ... proinde legi non subiacet, etsi posset eam observare, nec obstat, sive quid per modum potus, sive etiam cibum sumpserit... Si dubium est (sc. de periculo mortis), viaticum nihilominus administrari potest non ieiuno ». Monendum tamen, quod mortis periculum *urgere* debet iuxta canonem citatum, quod utique non debet anxie perpendi (cf. De Extr. Unctione D. 1. c.).

3°. *Tempus* viatici: *omnibus diebus* potest viaticum ministrari, etiam Fer. VI. in Pass. Mort. Dom. (can. 867 § 2), quod tamen hac die de viatico stricte dicto debet intelligi; item « *quacunque diei aut noctis hora* ministrari potest (ibid. § 5), ad quod Rit. Rom. adiungit: « Noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat » (tit. V. 4,13). Ministrari potest etiam tempore *interdicti* generalis, sed tunc viaticum privatim ad infirmos deferatur (can. 2271 n. 2). Etiamsi eadem die s. communione fuerint refecti, valde suadendum, ut in vitae discrimen adducti *denuo* communicent (can. 864 § 2).

4°. *Repetitio viatici.* Iuxta can. 864 § 3: « Perdurante mortis periculo s. viaticum secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus administrari et licet et decet ». Ad quod optime Noldin-Schmitt-Heinzel: « Infirmis non ieiunis saepius dari potest s. viaticum non solum si novum periculum recurrat, sed etiam in eodem periculo, immo nihil impedit, quominus toties eis praebeatur, quoties id exoptant et adiuncta personarum (sc. ministri, familiae) et locorum permittant, *etsi quotidie fieret* » (n. 153). Concilium universale Constantiense et CIC enim *periculose* decumbentes a lege ieiunii simpliciter exemptos enuntiant. Iis vero, qui *ob causam externam* versantur in periculo mortis (milites etc. ut supra), item dari potest viaticum non ieiunis, saltem si sine incommodo sive petentis sive sacerdotis differri non potest (Noldin ibid.).

5°. *Ius viaticum ministrandi* pertinet ad parochum, etiamsi infirmi non fuerint parochiani (can. 850). Ius hoc exclusive territoriale est (can 848 § 1.) et varie *coarctatur.* Nam **a.** *episcopo residentiali* viaticum ministrare pertinet ad dignitates et canonicos secundum ordinem praecedentiae (can 397); viaticum episcopi titularis et cardinalium pertinet ad parochum. — **b.** Quoad omnes, qui *in Seminario* sunt, hoc ius competit Seminarii rectori eiusve delegato (can. 1368); in *omnibus religionibus clericalibus* Superioribus per se vel per aliis (can. 514 § 1.); in *monialium domo* ordinario confessario vel qui eius vices gerit (ib. § 2); in *religione laicali* pertinet ad parochum vel ad capellanum, qui eius loco suffectus fuerit (ib. § 3.). Viaticum etiam si privatim feratur, ad parochi iura pertinet (can. 850 « sive publice sive privatim »), solummodo necessitas excusat ».

c) **Ritus s. viatici:**

stricte praecipitur iuxta cuiusque *ritum proprium* sumendum esse s. viaticum (can. 866 § 3), solummodo « urgente necessitate fas esto quolibet ritu accipere » (ibid.). — Administratio liturgica eodem modo fit, ac communio infirmorum, excepta *formula viatici*: « Accipe frater (soror) viaticum corporis D.N.J. Christi, qui te custodiat ab hoste maligno et perducat in vitam aeternam. Amen ». Si aegrotus magnam tristitiam subiret, *omitti potest* haec formula, sufficique ei formula communionis (Corpus D.N.J. Cr.), praeceptum enim sub levi tantum obligat, ideoque ex iusta causa negligi potest, intentioque non requiritur ad id, ut aliquis viaticum qua tale suscipiat. Sic Morinus, De Amicis, Vermeersch, Fanfani.

8. De cultu Sanctissimae Eucharistiae.

a) **Visitatio seu adoratio SS. Eucharistiae.**

1°. Iuxta *Ecclesiae monitum* « qui in religiosam fidelium institutionem incumbunt, nihil omittant, ut pietatem erga ss. Eucharistiam in eorum animis excitent, eosque praesertim hortentur, ut ... ss. Sacramentum *visitent* » (can. 1273). Enc Mediator Dei quoque valde commendat fidelibus « pias ac vel cotidianas ad divina tabernacula *salutationes* », quae « non modo Ecclesia probavit, sed veluti sua effecit », imo enuntiatur, quod « Ecclesia nos *iubet* Christum eucharisticis delitescentem velis *adorare*, ab eodemque superna ac terrestria dona petere, intimaque frui familiaritate eius » (n. 129). *Sacerdotibus* vero iniungit Ecclesia, ut « quotidie ... sanctissimum Sacramentum visitent » (can 125 n. 2.).

2°. *Indulgentiis quoque ditavit* pia nostra Mater hanc praxim salutarem: « Fidelibus, qui templum ingressi, ante omnes pietatis actus, ad altare, ubi SS. Eucharistia asservatur, se contulerint, ibique SSmum Sacramentum vel breviter adoraverint » concedit indulgentiam 300 dierum (Ench. Indulg. n. 147.). Fidelibus vero qui Sanctissimum devote visitaverint *et* quinquies Pater, Ave et Gloria recitaverint, ac *praeterea* semel has preces ad mentem Summi Pontificis interaverint, concedit indulgentiam *decem* annorum, *plenariamve*, si per septem continuos dies idem obsequium devote praestiterint, suetis conditionibus (ibid. n. 148); festo autem Corporis Christi et per eius octavam pro tali visitatione conceditur indulgentia plenaria singulis diebus, suetis conditionibus (n. 171). Etiam fidelibus, qui « propter morbum aliasve iustas causas *impediti sunt* quominus ad ecclesiam accedere possint », si eandem visitationem « in spiritu fidei erga realem Jesu Christi praesentiam peregerint », precesque suprascriptas recitaverint, indulgentia conceditur quinque annorum, plenaria vero, si per septem continuos dies hoc fecerunt, iuxta suprascripta (n. 149).

3°. Ut visitatio Sanctissimi fidelibus possibilis fiat, Ordinarii « summa diligentia contendant, ut *templa ... christifidelibus frequentiora usque patent*, qui, ad pedes Servatoris nostri convocati, suavissimam eius invitationem audiant: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos » (MDei n. 134). Monitum hoc grave Ecclesiae ubique maiore sollertia sequi debemus, ut domus Dei ubique gentium centra fiant pietatis.

b) **Expositio Sanctissimi**

est « *Sacramenti augusti publice propositi adoratio* », quod exercitium pietatis « mirandum in modum ad fidem supernamque vitam Ecclesiae hisce in terris militantis contulit, quae quidem hac agendi ratione triumphanti Ecclesiae quodammodo resonat » (MDei n. 131).

1°. Potest esse expositio *publica*, si cum ostensorio seu monstrantia fit, et expositio *privata*, si cum pyxide fit tantum. **a.** *Publica conceditur* « die festo Corporis Christi et intra octavam in omnibus ecclesiis inter missarum sollemnia et ad Vesperas » (can. 1274 § 1) ubi autem fit processio his diebus, permittuntur duae Missae votivae II. cl. (NCR Var. 34). Secus ad expositionem publicam aliis temporibus iusta et gravis causa et Ordinarii loci licentia requiritur, licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat (can. ibid.). — **b.** *Privata conceditur* « in ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare ss. Eucharistiam... ex qualibet iusta causa sine Ordinarii licentia » (can. ibid.). — 2°. *Ornatus pro expositione.* **a.** *Altare*, in quo exponitur Sanctissimum, antipendio et conopaeo *albi* coloris contegitur, etsi ritus diei alium colorem exigeret. Si autem expositio cum functione liturgica, uti Missa, cohaereat, ita ut ministri ab altari non recedant, permissum est retinere antipendium et conopaeum coloris *diei* (S. C. Rit. d 2562. 3175,III. 3559. 3949,VII.). — **b.** *Thronus* Sanctissimi potest esse e metallo vel ligne deauratis, habet planitiem altam, posttergale album et baldachinum. Ascensus sit facilis ad thronum, Sanctissimum mullo modo licet ope alicuius machinae elevare (C. Rit. d 3425). — **c.** *Imagines Sanctorum* non licet in altari collocare, imagines vero fixae in altari detegantur (S. Rit. d 3320. 3599,III), imagines *angelorum* permittuntur. *Reliquias* quoque vetitum est exponere in eodem altari (C. Rit. d 2365,I). — **d.** *Crux altaris*, si coram exposito Missa celebretur, super altari collocari potest, sed non debet, servetur consuetudo. Sine Missae celebratione Crux removeri debet ab altari expositionis (C. Rit. d 2365,I.). — **e.** *Tabellae canonis* (cartagloria, Messtafeln) removendae sunt, si Missa iam non celebratur (d 3130. NCR 527). — **f.** In expositione privata saltem sex, in publica cum ostensorio saltem duodecim *cerei* accendendi sunt (De Amicis p. 344-346).

3°. *Ritus expositionis privatae.* Pyxis seu ciborium non extrahitur e tabernaculo, sed in eo remanet, solum ostiolum tabernaculi aperitur, ita, ut pyxis videri possit. Penitus interdicitur pyxidem extra tabernaculum efferri ac velatam in throno collocare (C. Rit. d 2725,4; 4096,7; 4180,2; 3394,1.). Incensatio Sanctissimi permittitur, sed non praescribitur; sacerdos saltem superpelliceo et stola albi coloris induatur.

4°. *Ritus expositionis publicae.* **a.** Celebrans utatur superpelliceo (si adsint ministri sacri, conformitatis causa induat albam), stola et pluviali albi coloris. Incensatio praescripta est in expositione publica; consuetudo contraria eliminanda est, cantus vero in expositione praeceptus non est, proin possunt cantari durante expositione cantilenae lingua vulgari (Gatterer, Praxis celebrandi p. 183). — **b.** Celebrans facta genuflexione in plano, ascendit suppedaneum, corporale expandit, aperit tabernaculum, genuflectit, s. hostiam e custodia extrahit et in ostensorium ponit, genuflectit et in throno collocat. Denuo genuflectit, et descendit se aliquantulum retrahens versus latus evangelii in planum, ibique in infimo gradu utroque genu flexus, mediocrem facit inclinationem (C. Rit. d 4179, VI.),

quae eadem est, ac si stando eam perfecisset. — **c.** Celebrans surgit et thus ponit in thuribulum, benedictio omittitur. Dein omnes genua flectentibus, incensat Sanctissimum, iuxta regulam generalem triplici ductu, qui constat e duobus ictibus, inclinationes mediocres faciendo ante et post incensationem. — **d.** Expositio his peracta est, nunc vero sequitur Missa, Vesperae, vel devotio (Andacht, salut, devozione, ájtatosság), vel statim benedictio, quae sine exceptione semper omnem expositionem concludat necesse est. In hoc casu, si post expositionem statim benedictio sequitur, i.e. si expositio solummodo ad benedictionem impertiendam facta fuerit, incensum semel tantum imponitur: post expositionem Sanctissimi, duobus vero vicibus incensatur, post expositionem statim, et ad benedictionem intra cantum Genitori (C. Rit. d 4202,1.).

c) **De benedictione Eucharistica,**

quae magnopere *commendatur* ab Ecclesia: « Peculiari modo mos ille valde dilaudandus est, quo multa pietatis exercitia in christiani populi consuetudinem invecta, eucharisticae benedictionis ritu finem habent » (MDei n. 133). Benedictio eucharistica est iuxta *Instructionem 3. sept. 1958* « vera actio liturgica, proinde fieri debet prouti in Rituali Romano tit. X. cap. 5. n. 5. describitur » (n. 47). Ubi ab immemorabili alius modus viget benedictionis, talis de ordinarii licentia conservari potest, suadetur tamen prudenter Romanum morem benedictionis promovere » (ibidem).

1°. *Regulae generales benedictionis*: **a.** Benedictio semper concludit functionem, ideoque solum in fine dari potest, in principio functionis, post expositionem non est danda benedictio (C. Rit. d 3058, 1 cf. 3308), in casu tamen particulari « ob speciales circumstantias et evitanda scandala » tolerari potest (d 3287 cf. 3308). — **b.** Benedictio in fine functionis dari *debet* in expositione *publica*, dari *licet* in *privata* (C. Rit. d 3713). — **c.** *Minister expositionis* et repositionis potest esse diaconus, *benedictionis* est solus sacerdos; diaconus tantum Eucharistiam deferens potest dare benedictionem cum pyxide, quam secumportat. (can. 1274 § 2. et 845 § 2). « Idem dicendum videtur — iuxta Gatterer — si diaconus s. communionem distribuit iis in locis, ubi post communionem benedictio cum pyxide dari solet », ut in Austria (Praxis celebrandi p. 187).

2°. *Ritus benedictionis*: **a.** Postquam functio ante benedictionem finem habuit, genuflexus intonat stropham *Tantum ergo*, duae strophae (Tantum ergo, Genitori) exclusive praescribuntur, aliae cantilenae etiam lingua vernacula *ante* « Tantum ergo » et *post* datam benedictionem cantari possunt, similiter orationes aliae recitari possunt his locis. Quando canitur « *veneremur cernui* » ex consuetudine omnes mediocriter se inclinat. Ad tertium circiter versiculum omnes mediocriter se inclinant, surgunt et *imponunt incensum*, et iterum in genua procumbunt. Intonato Genitori *incensatur* Sanctissimum, modo ut supra. — **b.** Finito hymno ministri genuflexi, secus ipse celebrans, intonant versiculum *Panem de caelo*, addentes solis his versiculis, nullis aliis (d 3764, XVIII) tempore paschali et Festo Corporis Christi Alleluia. Celebrans sine ulla reverentia facta (d 4179, III) surgit, et manibus iunctis *canit orationem* de Sanctissimo cum conclusione brevi, ministris genuflexis manentibus. — **c.** Genuflexus dein celebrans assumit *velum humerale*, interim diaconus ascendit ad altare, genuflectit, et *levat Sanctissimum* de throno, quod secus ipse facit celebrans. Celebrans item

sine ullo signo reverentiae surgit, opertis velo manibus *sumit ostensorium,* quod ei potest porrigi iuxta usum Romanum a diacono, utrisque stantibus (d 3975, IV). — **d.** Dein *benedicit populum,* dextera manu nodum, sinistra pedem tenens, *dextrorsum se vertens* ad populum, ostensorium ante faciem habens, Benedictio fit *elevando* summa cum reverentia ostensorium aliquantum in altum, dein post decentem moram *demittendo* illud infra pectus, denuo elevat usque ad pectus recta via et ducit ostensorium ad *sinistrum* humerum, inde vero linea recta *ad dexterum* humerum, unde *circulum perficiendo* dextrorsum ad altare se convertit; non requiritur, ut ostensorium denuo ad centrum ducatur (d 1563, II) et id in corporali deponit. *Pulsus campanulae* infra benedictionem non praescribitur, sed servari potest, vel in initio et in fine, vel ter sicut in Missa ad elevationem (De Amicis p. 350 n. 14). — **e.** Dein celebrans descendit in planum, et velum humerale deponit. Consuetudo Sanctissimum incensandi ante repositionem S. C. Rituum minus arridet, sed servari potest (Gatterer p. 189). Dein sine reverentia ascendit in suppedaneum, genuflectit, s. hostiam extrahit ex ostensorio, recondit in capsula seu custodia et reponit in tabernaculo.

3°. *Benedictio privata* sic fieri potest, sed tum cantus Tantum ergo etc. tum incensatio omitti *possunt,* vel servari ad libitum, velo autem humerali uti *debet,* at non solum manus, sed et ipsa pyxis seu ciborium operiuntur extremitatibus veli.

9. De custodia sanctissimae Eucharistiae.

Ad custodiam Sanctissimi pertinent: asservatio Eucharistiae — renovatio eius — et translatio.

a) **Asservatio Eucharistiae.**

1°. *Conditiones asservationis.* a. « Dummodo adsit qui eius curam habeat », — **b.** et regulariter sacerdos semel saltem in hebdomada Missam in sacro loco *celebret* » (can. 1265 § 1.). — **c.** « Nemini licet ss. Eucharistiam *apud* se retinere aut secum in itinere deferre » (can 1265 § 3). — **d.** « Ecclesiae in quibus ss. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot saltem horas fidelibus *pateant* » (can. 1266).

2°. *Locus* **remotus** *asservationis* est ecclesia vel oratorium: **a.** Eucharistia custodiri *debet* in ecclesia *cathedrali,* in ecclesia principe Abbatiae vel Praelaturae *nullius, Vicariatus et Praefecturae* Apostolicae, in qualibet ecclesia *paroeciali* vel quasiparoeciali et in ecclesia adnexa domui *religiosorum* exemptorum sive virorum sive mulierum (can. 1265 § 1. n. 1.). — **b.** Eucharistia custodiri *potest*: De licentia Ordinarii loci: in ecclesia *collegiata* (i.e. capituli collegiati) et in *oratorio principali* sive publico sive semipublico tum domus piae (e.gr. orphanotrophii, nosocomii catholici) aut religiosae (sc. religiosorum non-exemptorum), tum collegii ecclesiastici (e.gr. Seminarii sive parvi sive maioris, ephebaei cath.) quod a clericis sive saecularibus sive religiosis regatur (ibid. n. 2). Notandum: in ipsa pia vel religiosa domo et apud moniales intra chorum vel septa monasterii non licet Eucharistiam custodire, nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio (can. 1267). — **c.** De licentia Sanctae Sedis: *in aliis ecclesiis vel oratoriis,* — licentia Ordinarii loci in *publicis* oratoriis (ergo iam non in semipublicis!) et ecclesiis ex iusta causa et per modum actus tantum, habitualem ergo Ordinarius loci non potest dare licentiam.

3°. *Locus* **propior** *asservationis est*: **a.** *continuo seu habitualiter* unum tantum eiusdem ecclesiae *altare*, et quidem in ecclesiis *cathedralibus, collegiatis aut conventualibus*: « Opportunum est, ut ss. Eucharistia regulariter non custodiatur in altari maiore, sed in alio sacello seu altari » (can. 1268 § 3); in *aliis ecclesiis*: regulariter in altari maiore, nisi aliud venerationi et cultui tanti sacramenti commodius et decentius videatur, servato praescripto legum liturgicarum quod ad ultimos dies hebdomadae maioris attinet » ibid. § 2). — **b.** Altare, « in quo ss. Sacramentum asservatur sit prae aliis omnibus *ornatum*, ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem » (can. 1268 § 4). — **c.** *Per exceptionem extra altare*: « Gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum ss. Eucharistiam *nocturno tempore* extra altare, super corporali tamen *in loco tutiore et decenti* asservari », (can. 1269 § 3). Locus hic tutior et decens potest esse iuxta Instructionem S. C. Sacram. 26. maii 1938: (1) de more *sacrarium*, dummodo sit locus tutior et decens, — (2) *arca* solidissima et optime clausa muro inserta in quodam ecclesiae pariete (vulgo cassaforte), — (3) alius locus tutior, etiam privatus; iuxta Instr. eiusdem S. Congregationis 26. mart. 1929. potest esse locus decens *in parochiali domo* a profanis et domesticis usibus seiunctus et a quodam irreverentiae periculo remotus. — **d.** Sequentes *praescriptiones* servandae in omnibus casibus: (1) Parochi cura ut debito honore et reverentia Sanctissimum custodiatur, — (2) Eucharistia semper in vase seu *pyxide* includenda est, — (3) ante eam semper *lampas* debet ardere (can. 1271 coll. cum can. 1269 § 3), — (4) Eucharistiam saltem regulariter clericus *comitetur* lumen gestans, sacerdos vero superpelliceo et stola indutus *portet* Sanctissimum (Collectio decret. ad s. liturgiam spectantium 1927-1946, Romae 1947, p. 131-132).

4°. *Locus* **proximus** *asservationis est*: *tabernaculum*. « SS. Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito » (can. 1269 § 1.). In specie sequentes leges observandae sunt: *Instructionem prae oculis habendo S. C. Sacram. 26. maii 1938.*, et CRit d 1. iun. 1957 (AAS 1957, 425).

a. Tabernaculum sit inamovibile et undequaque *solide clausum*, iuxta liturgicas leges construi potest e ligno, marmore aut metallo, « quae postrema materia est ceteris firmior quod tamen magis interest, conficiatur oportet ex solida materia, singulaeque partes intime inter se cohaereant, reseratio maximam exhibeat securitatem ac fortiter ostiolo adhaereat » (Instr. 4. a.). Commendatur, ut tabernaculum sit vera *arca ferrea* (vulgo cassaforte, coffre-fort, Sicherheitsschrank, páncélszekrény), quae in tabernaculis iam exsistentibus immitti possit. Tabernaculum « tali sit praeditum firmitate, ut neque terebra (Bohrer, gimlet, furó) transfodi possit, neque scalpro (Meissel, chisel, vésö) disiungi atque claustris (Schloss, lok, zár) adeo validis sit munitum, ut, clavibus quoque adulterinis neuqeat reserari » (Instr. 5. b.).

b. *Sedulo custodiri debet* tabernaculum, ideo praescribitur *custos*, qui potest esse laicus, « modo clericus respondeat de clavi qua est reserandus locus ubi Eucharistia asservatur », prope sit diu noctuque, nunquam ecclesiam deserat tempore quando patet; « idque pressius est urgendum in urbium ecclesiis ». *Nocturno vero tempore* hae cautelae praescribuntur: (1) omnes ecclesiae *fores* communiantur, *fenestrae* vero *transennis* (Rost, rouille, grate, rostély) vel *clatris* (Gitter, grille, railing, rács). — (2) « Accurate est *inspiciendum*, quoties

vespere ecclesiae obserantur, ne quis homo malevolus includatur ». — (3) « Officium ecclesiae claudendae eiusque claves committantur personis omni suspicione maioribus, praecipue vero vino non deditis », — (4) commendatur collocatio opportunis in locis *tintinnabulorum* vi electrica pulsandorum, dum portae aperiantur, ...aut speciales electrici apparatus, qui ecclesiam repente illuminent » (Instr. 5. b.).

c. *Clavis tabernaculi* diligentissime *a sacerdote custodiatur* (can. 1269 § 4). Huic diligentissimae custodiae tunc satisfit a rectore ecclesiae, si iuxta Instructionem (6. c.): (1) « clavis tabernaculi *nunquam super mensa* altaris aut in claustro ostioli relinquatur, ne tempore quidem quo mane divina officia ad Sacramenti altare et s. communionis distributio peraguntur », quod districte praecipitur. — (2) « Hisce vero absolutis, clavis *vel a rectore* ecclesiae domi custodiatur aut ab ipso continenter gestetur, amissionis periculo remoto, *vel in sacrario*, et quidem in loco tuto et secreto, reponatur altera clavi claudenda, quam alteram clavem uti supra rector tueatur ». — (3) In ecclesiis religiosarum vel in domibus piis *mulierum*: clavis tabernaculi non est custodienda intra septa monasterii, sed asservanda *in sacrario*, obserata in loco tuto, per *duas* claves, quarum *una* apud antistitam vel eius vicariam sit, *altera* apud aliam monialem puta sacristam. — (4) Quod attinet *oratoria* Seminarii, collegii ecclesiastici, ephebei, nosocomii, hospitii: « tabernaculi clavis custodienda erit *rectori*, si sacerdos sit, secus *spiritus directori* aut cappellano ». — (5) Oratorii privati clavis tabernaculi custodiri potest potius a *familia*, quam a cappellano, nisi Episcopus eam sacerdoti celebranti committat (Inst. n. 7. 8. 9.).

d. *Ordinarii locorum vigilare* debent, num (1) provisum sit securitati custodiae SS. Eucharistiae, (2) si furta sacrilega commissa fuerint, quibus ss. Eucharistia violatur in sua dioecesi, adversus parochum vel alium sacerdotem, etsi religiosus etiam exemptus sit, semper processum canonicum conficiat, atque processus ad S. C. Sacrament. transmittat cum suo voto (Instr. 10. a. b. c.).

e. *Ornatus et apparatus tabernaculi*: (1) Tabernaculum *intus* pannis sericis albi coloris est operiendum, si tabernaculum e marmore vel metallo confectum sit, intus tabulis ligneis operiendum est, pannis sericis obtegendis. Loco panni serici possunt adhiberi tela auro argentove intexta (Brokatstoff), vel lamina aurea (C. Rit. d 3254, VII-VIII; 3709; 4035, IV). *Ostiolum* tabernaculi sit tantum, ut commode ostensorium introduci possit; in externa facie ostioli nulla imago sculpi potest, nisi quae fidem et pietatem excitet. Planum tabernaculi contegendum est *corporali* semper mundo. In tabernaculo *nihil* praeter Eucharistiam esse potest, e.gr. calices, vasa s. oleorum et talia. Tabernaculum *benedici* debet per rectorem ecclesiae, antequam ss. Eucharistia in eo reponatur (C. Rit. d 4035, IV): textus: Rit. Rom. tit. IX, 9,6 (Benedictio tabernaculi *seu* vasculi pro ss. Eucharistia conservanda); eadem formula adhibenda est pro benedictione pyxidis seu ciborii, et pro parva pyxide infirmorum. — (2) Tabernaculum debet praeditum esse *conopaeo*, i.e. velo, quod tabernaculum ex omni parte decenter operiat. Quantum scimus, S. Carolus Borromaeus primus praescripsit conopaeum, obligatorium pro ritu Romano incepit esse inde a Rituali Romano Pauli V. 1614. Obligatio conopaei valde urgetur a S. C. Rituum (d 3035, 3150, 3520, 4000, 4137, et 1. iun. 1957, 6), decr. 11. iun. 1940 praescribit *materiam*: conopaeum potest esse vel *holosericum*, i.e. omnino contextum ex panno serico

(Seide, seta, soie, silk, selyem), vel ex panno contexto ex *gossypio* (i.e. bombacio=cotone, bambagia, Baumwolle, coton, cotton, pamut), vel *lana* (Wolle, lana, laine, wool, gyapju), vel *cannabe* (Leinwand, lino, chanvre, linen, lenvászon). Iuxta idem decretum *color* potest esse vel semper albus, vel conveniens officio diei; si paramenta nigra adhibeantur, color violaceus sumendus est (C. Rit. 3562), vetantur conopaea ex linteaminibus denticulatis confecta (Stickerei, trina, merletto, broderie, embroidery, himzés). Usus conopaei, etsi optimus et decens, revera non ubique invaluit; sic fere in tota Europa centrali, etiam Hungaria, desideratur, in ipsa Urbe « tabernacula vere operibus artis pretiosa conopaeo non cooperiuntur, exemplum habes Romae, in ipsis basilicis patriarchalibus » (Fanfani p. 227). — (3) Ante tabernaculum « in quo ss. Sacramentum asservatur, *una* saltem *lampas* diu noctuque luceat » (can. 1271), de qua iam tractavimus (stilistica D. 2. e.).

5°. *Pyxis* seu alio vocabulo « ciborium », et *lunula* in ostensorio adhibita, item *capsula*, alio vocabulo « custodia », debent esse deaurata, saltem in iis partibus, quibus sacras species attingunt. *Materia* potest esse ex *aurichalco* (Messing, rame, laiton, brass, sárgeréz), *cupro* (Kupfer, bronzo, cuivre, copper, vörösréz) et *stanno* (Zinn, stagno, étain, tin, ón) confecta et deaurata, uti diximus (C. Rit. d 3162, VI.), absolute prohibetur vitrum (d 3511). Excipiuntur etiam: ferrum, plumbum (Blei, piombo, plomb, lead, ólom), aluminium, nisi hoc ultimum solidius efficiatur, cum inauretur (De Amicis p. 59). Operculum pyxidis ex eadem materia conficiendum est, debet velo albo cooperiri (can. 1270. et Rit. Rom. tit. V, 1,6). Pyxis etc. debet *benedici* eadem formula ut supra pro tabernaculo.

b) **De renovatione s. hostiarum**

iam egimus (supra B. I: de materia remota Eucharistiae b. 2°.). Attendendum in renovatione, quod nunquam misceantur hostiae veteres cum recentibus, ideo celebrans hostias adhuc remanentes sumere debet.

c) **De translatione Sanctissimi.**

Minister translationis est sacerdos vel diaconus, etiam sacerdotibus praesentibus sine ulla ulteriore causa (C. Rit. d 4194, III). Superpelliceo et stola (diaconus stola transversa) indutus accedit ad altare et genuflectit, super altare extendit corporale, Sanctissimum e capsula extrahit, ponit in corporali, genuflectit, tabernaculum claudit, et in suppedaneo genuflexus accipit velum humerale, dein surgit, genuflectit, manu sinistra velata accipit capsulam, quam cooperit parte dextera veli. Se vertens, ceroferariis praecedentibus, vadit ad altare expositionis, ibique capsulam ponit in corporali praecedenter extenso, genuflectit et deponit velum humerale. Dein ponit Sanctissimum e capsula in ostensorium, et post genuflexionem in throno collocat, et iterum genuflectit. Dein descendit in planum, super infimum gradum genuflectit, et mediocrem peragit inclinationem, surgensve thus immittit thuribulo et more solito Sanctissimum incensat. Post brevem orationem secretam surgunt, in plano utraque genua flectunt et redeunt ad sacristiam. — Si vero pyxis est transferenda ad communionem, vel expositionem privatam, omittitur incensatio; velum et ceroferarii vero adhiberi debent.

EPILOGUS

Totam tractationem absoluti de augustissimo altaris Sacramento penitus inspicere mysterium hoc sublimissimum utique non sinisse humanae conditionis fragilitatem fateri debemus. Tamen intellectus noster fide illustratus divina, rationabile praestat obsequium, inclinans se coram potentia Omnipotentis, recordando vocem Augustini: « Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis » (Ep. ad Volusian. n. 8.).

Si ergo altissima sapientiae Dei in hoc augustissimo mysterio quoque impermeabilia remanebant, tamen libenter excipere debemus S. P. Pii XII. circa hoc mysterium utilem admonitionem (MDei II. 118).

« Excitate, Venerabiles Fratres, in eorum animis, qui vestris demandati sunt curis, studiosam ac veluti inexplebilem Jesu Christi famem —

« vobis magistris altaria *pueris iuvenibusque* stipentur, qui sese innocentiam suam, suamque actuosam navitatem Divino offerant Redemptori, —

« frequentes accedant *coniuges*, qui ad sacram mensam enutriti, inde sumant ut subolem sibi creditam Jesu Christi sensibus eiusque caritate conforment —

« advocentur *opifices*, ut cibum illum accipere queant, qui validus ac nunquam deficiens eorum vires redintegret, quique eorum laboribus sempiternam in caelo mercedem praeparet, —

« omnes denique *cuiusvis ordinis homines* convocate ac compellite intrare,—

« quandoquidem hic est panis vitae, quo omnes indigent.

« Jesu Christi Ecclesia hoc uno pane fruitur, quo nostrorum animorum optata ac desideria expleat, —

« quo eos arctissime Jesu Christo coagmentet, —

« et quo denique unum corpus fiant, ac veluti fratres inter se ii consocientur, qui eidem caelesti Mensae assideant, —

« ut frangentes panem unum, pharmacum sumant immortalitatis ».

Sic admirabili tali pharmaco muniti, transeamus per bona temporalia, corpus tenentes Domini manibus nostris eumque distribuentes, adorantes et ad eius adorationem inducentes: ut praesertim per manducationem adorationemque Eucharistiae non amittamus aeterna. Aeterna videlicet illa bona, quorum immensa beatitudo in hoc augustissimo Sacramento praegustatur, quorumque pignus et promissio, simulque medium efficacissimum Eucharistia est. Illa, inquam Eucharistia, in qua Christus continetur, quem toties decursu vitae nostrae precati sumus:

Jesu quem velatum nunc aspicio,
oro, fiat illud, quod tam sitio:
ut Te revelata cernens facie,
visu sim beatus tuae gloriae.

AMEN.

IV. Tractatus quartus.

De Baptismo.

Postquam iam tractavimus de SS. Eucharistiae Sacramento, utpote a quo incepimus tractationem, nam omnia cetera Sacramenta ordinem dicunt ad hoc augustissimum Sacramentum, quod potissimum est inter omnia Sacramenta et fons est e quo cetera tamquam rivuli descendunt — nunc suscipimus dilucidationem ceterorum.

Sequenti ordine tractabimus materiam de Sacramento baptismi:

A. De existentia baptismi.
B. De essentia baptismi.
C. De efficientia baptismi.
D. De necessitate baptismi.
E. De personis sacramentalibus baptismi.
F. De ritibus baptismi.

A) De existentia baptismi.

Definitio.

Catechismus Catholicus sic definit baptismum:

« Baptismus est Sacramentum per modum ablutionis a Jesu Christo institutum, quo baptizatus fit membrum mystici corporis Christi, quod est Ecclesia, obtinet remissionem peccati originalis, et omnium peccatorum actualium, si qua adsint, cum tota poena eisdem debita, et fit capax suscipiendi alia Sacramenta » (Cat. Cathol. cura et studio Card. Gasparri, ed.5. Romae 1931, Catech. pro adultis quaest. 348.) — De *nominibus baptismi* cf. infra 4. a. — c.

1. Vox Ecclesiae.

Conc. Florentinum Decr. pro Armenis 1439: « Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae » (Denz. 696).

Conc. Tridentinum in genere inter septem Sacramenta enumerat baptismum (sess. VII. can. 1. Denz. 844), agit permulta de baptismo, sed specialem canonem non statuit de existentia huius Sacramenti, nam omnes Novatores saec. XVI-i agnoverunt hoc Sacramentum, licet multa falsa docuerunt de eo.

2. Adversarii baptismi.

a) Iam saec. II-o *Gnostici* baptismum negaverunt, propter eorum doctrinam falsam, materiam esse malam. S. *Irenaeus* loquitur de illis, qui *recusant aquam et oleum,* etenim « dicunt, non oportere inenarrabilis et invisibilis virtutis mysterium per visibiles et corruptibiles perfici creaturas, et ea quae mente concipi non possunt, et incorporalia et insensibilia, per sensibilia et corporalia. Esse

autem perfectam redemptionem ipsam agnitionem inenarrabilis magnitudinis » (Adv. haer. I, 21, 4 PG 7, 666).

b) *Manichaei* quoque baptismum negabant, ut S. *Augustinus* dicit: « Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre, nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant » (De haeresibus 46. PL 42, 38).

c) Fuerunt aevo antiquo Ecclesiae, qui putabant, baptismum *per ignem dari debere,* ut ignotus auctor libri *De rebaptismate* narrat: « Quia Joannes dixit, nos baptizandos esse in Spiritu Sancto et igni, eo quod addiderit dicens et igni, idcirco quidam desperati homines ausi sunt usquequaque pravitatem suam porrigere ... qui originem iam exinde trahunt a Simeone mago multiformi perversitate per varios errores eam exercent » (CSEL 3, 3, 89, cf. Lennerz p. 14).

d) Saec. XII-XIII-o sectae dualisticae, *Waldenses et Albigenses* negabant baptismum aquae, locoque eius constituebant « consolamentum » ut initiationem pravae eorum sectae, quod fiebat per manuum impositionem.

e) Iam inde a saec. XIX-o permulti existunt sectae recentiores *Protestantismi,* qui negant baptismum, nec ministrant tale quid. — Immo aevo nostro *Modernistae* erant, qui asserebant quod « communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam necessarium ritum eique professionis christianae obligationes annectens » (Decr. « Lamentabili », Denz. 2042).

3. Testimonium Sacrae Scripturae de baptismo.

Uberrimum testimonium ex omnibus Sacramentis baptisma habet in Sacris Scripturis.

a) *In V.T-o adumbratum* habetur in *expressionibus symbolicis,* quando aquam in metaphoris adhibebant ad significandam puritatem animae, e.gr. *Ps 50,9*: « Lava me et super nivem dealbabor », vel: « Abluerit Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Ierusalem laverit de medio eorum », « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis » (Is 4,4; 1,16). — Pronum erat ergo, quod *etiam ritus* V.T-i cognoscebant usum aquae ad significandam puritatem leviticam restitutam, quando mortuum vel cadaver tetigerant et talia. Imo etiam *vaticinium futuri baptismi* editum est a *Zacharia*: « In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra » (13,1).

b) *Coaetanei Christi* optime cognoscebant *ablutiones rituales.* Forsitan iam eo tempore in usu erant ablutiones proselytarum, qui vocabantur « portae », loco circumcisionis suscipiebant lavacrum symbolicum, quale etiam *Esseni* exercebant. In vita cotidiana *Pharisaeorum* « multa sunt, quae tradita sunt illis servare baptismata calicum et urceorum, et aeramentorum » (Mc 7,4), lotiones manuum, de quibus Lucas meminit. *Jesus* intrans in domum pharisaei cuiusdam, recubuit ad prandium. Pharisaeus autem coepiti intra se reputans dicere quare non baptizatus esset ante prandium. « Et ait Dominus ad illum: Nunc vos pharisaei, quod deforis est calicis et catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate » (Lc 11, 37-39). S. *Paulus* apostolus ad Hebraeos scribens commemorat observantias « in cibis et in potibus et variis baptismatibus et iustitiis carnis » (Heb 9,10).

c) *Praeambulum praefigurativum* baptismi veri fuit *baptisma Ioannis Baptistae.* Praecursor Christi baptismi quoque praecursor effectus est per inspirationem divinam. « Fuit Ioannes in deserto baptizans et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum » (Mc 1,4). Aliquid prorsus novum fecit Ioannes: noluit munditiam Leviticam procurare, etsi hoc facere potuisset qua sacerdos V. Legis, sed praedicabat paenitentiam agendam super peccata et ad signum huius lavabat eos, sed iustitiam per poenitentiam consecuti sunt, qui « baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata sua » (v. 5). *Promissionem veri baptismi* quoque edidit: « Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto » (ibid. 8).

d) *Promissio baptismi* habetur *Jo 3,5*: « Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei », Christus Nicodemo de regno suo Messianico locutus est, de quo regno quidem dixit, non esse de hoc mundo, sed tamen inchoandum esse in hac vita. Introire autem hoc regnum solummodo is potest, qui ope Spiritus Sancti aliquid per aquam patitur. Quid autem hoc sit, plene e testimonio Traditionis intelligitur, quae textum hunc semper et exclusive de Sacramento baptismi intellexit. Item declaravit effatum hoc Christi:

e) *Institutio baptismi,* quae clarissime legitur in Novo Testamento. Christus etenim dixit ante ascensionem suam: « Euntes docete (mathêteusate, facite vobis discipulos) omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes (didaskontes) eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis » (Mt 28,19). Ad quod *Marcus* adiungit verbum Domini: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur » (Mc 16,16). — Omnia habemus hic ad notionem Sacramenti necessaria: *institutionem* Christi, ipse enim dat mandatum: « Euntes... facite discipulos... baptizantes... docete ». Habes *materiam*: est *lotio,* Graece « baptismos », per *aquam* facta, ut constat e colloquio cum Nicodemo et praxi dissipulorum (« Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi » Act 10,47), habes *formam* in nomine Patris etc. *Effectus* eius est « sôtêria », salvatio, i.e. consecutio regni caelestis.

f) *Executionem mandati* huius videmus statim *per apostolos* effectam esse. *Act 2,38* die Pentecostes *Petro* dixerunt Judaei: « Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Poenitentiam, inquit agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum », ubi alius effectus quoque assignatur baptismi: remissio nempe peccatorum. Sic faciebant alii, e.gr. S. *Paulus,* scribens Corinthiis: « Neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium... et Stephanae domum » (1 Cor 1, 14-16).

g) *Quando Christus Sacramentum baptismi instituerit,* certe non potest sciri, ideo diversae habentur sententiae. Verisimile est, quod *ante passionem suam,* ut S. Thomas dicit: « Tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum: hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus, unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum Sacramentum » (III q. 66 a. 2). Multi opinantur, quod discipuli iam in terrena vita Christi verum baptismum ministrabant, imo quod etiam ipsi tunc iam baptismum acceperunt, sic S. Thomas, Scotus, Calmet, Maldonatus, Belser Schembri (I, 114 s.), sequentes S. Augustinum, qui dixit: « Si dicimus, apostolos non fuisse baptizatos aqua, metuendum est, ne graviter

in eis erremus, ne demus hominibus auctoritatem, contemnendi baptismum... largum enim tempus habuerunt, quo baptizarentur, ut alios etiam baptizaverint » (Ep. ad Seleuc.).

h) Praesertim *Paulus apostolus* iam uberius coepit evolvere *theologiam baptismi.* 1°. In tertio itinere apostolico pluries in scriptis reliquit suam doctrinam profundissimam de Sacramento baptismi. Primo *ad Galatas* scripsit versus annum 55, dicens eos per baptismum *Christum induisse* (Gal 3,27). Per fidem fit aliquis filius Dei, fides enim praesupponitur a baptismo; etiam consequentiae nominantur ibidem a Paulo: differentiae tum nationales (Iudaeus, Graecus), tum sociales (servus, liber), tum sexuales (masculus, femina) evanescunt. — 2°. Eodem itinere item ex Epheso *Corinthiis* scripsit in paschate anni 67, monens eos catalogo peccatorum, quod tales fuerunt, sicut catalogo ostenditur, sed baptismi effectum consecuti nunc iam abluti, *sanctificati, iustificati* sunt omnes (1 Cor 6,11). In eadem vero epistola iterum breviter repetit, quae iam Galatis scripsit de differentiis diluendis inter fideles, sed adiungit hoc loco (12, 13), quod in uno Spiritu *in unum corpus baptizati sunt,* ideoque concordiam servare debent, quae in ista civitate inter christianos adeo defuit. — 3°. Tertio itinere ad finem vergente ineunte anno 58. scripsit *ad Romanos* suam longissimam profundissimamque elucubrationem de baptismo (Rom 6, 3-11). Postquam de peccato originali locum suum tradidit classicum (c. 5), fuse exponit *effectum baptismi.* Nova vita, novitas vitae est hic effectus: quam per celebrem comparationem illustrat: sicut Christus sepultus fuerit, sic etiam baptizandus sepelitur per immersionem in undis aquae, sic « consepultus » est, per baptismum in mortem, i.e. per hanc immersionem baptismalem mortuus est corpus carnis, corpus peccatorum, et *resurrexit* cum Christo nuncque iam « in novitate vitae ambulat ». — 4°. E captivitate prima item scripsit de baptismo. Primo quidem *Colossensibus* (2, 11-15), affirmans eis, baptismum locum tenere circumcisionis V.T-i, monet enim eos, ut caveant falsos doctores, e quibus aliqui iam in ritus et observantias V. Legis eos allicere tentabant (cf. V. 16). Multo maius quid habent in baptismo, circumcisionem « non manufactam, sed *circumcisionem Christi* ». — 5°. Ex eadem captivitate epistolam misit encyclicam ad ecclesias Asiae minoris, ibique (Eph 4, 3-5) ad unitatem hortatur fideles suos. *Ad unitatem servandam* quinque affert argumenta, ut secundum argumentum profert: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma », alludens ad doctrinam notam, quod per baptisma in unum corpus coagulantur omnes. In eadem epistola de coniugatis locutus, enuntiat *materiam et formam baptismi,* simulque effectum: « lavacrum aquae est in verbo ». — 6°. Post captivitatem primam ad Titum scripsit (Tit 3, 4-5) ultima vice de baptismo: « Cum benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per *lavacrum regenerationis et renovationis* Spiritus Sancti ».

4. Testimonium S. Traditionis pro baptismo.

Fere superfluum videtur haec demonstratio e sacra Traditione, nam si aliquid certum est, tunc existentia baptismi inde a primordiis Ecclesiae.

a) *Ultimo decennio* **saeculi primi** duo scriptores anonymi iam omnia essentialia habent de baptismo. — 1°. *Didache* memorat nomen, formam, materiam

remotam et proximam, etiam infusionem et etiam ritum: « Quod autem attinet baptismum, sic baptizate: Haec omnia prolocuti, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in aqua viva, deficiente autem aqua viva, in aliam aquam baptiza, si minus potes in frigida, in calida. Quodsi utraque deest, infunde ter aquam in caput in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ante baptisma ieiunato et qui baptizat et qui baptizatur, et si qui alii potuerint, iubebis autem eum, qui baptizatur, ieiunare uno vel altero die ante » (c. 7. Quasten p. 9-10.). — 2°. *De effectibus* autem baptismi perpulchre tractat auctor *Epistolae Barnabae* inter 96-98: « Nos descendimus quidem in aquam pleni peccatis ac sordibus, emergimus autem fructum ferentes (karpophorountes) in corde timorem et in spiritu spem in Jesu habentes » (11,11 RJ n. 34).

b) **Medio saeculi II-i** 1°. *Hermas* Romae baptismum « *sigillum* » (*sphragis*) *vocat*, dicens: « Sigillum ergo est aqua, in aquam igitur descendunt, mortui, et ascendunt vivi. Sigillum hoc adnuntiatum est eis, ii autem usi sunt eo, ut intrare possint in regnum Dei » (Similitudo 9, 16, 4 PG 2, 995). Merito dicit *Casel* quoad hunc textum provocans ad consuetudines antiqui aevi, quod sicut servus notam domini sui, miles sigillum imperatoris, mystes signum deitatis suae in corpore suo adustum portavit, sic christianus per baptismum accipit sigillum (Liturgie als Mysterienfeier, Freiburg i.Br. 1923, 51). — 2°. *S. Justinus* eodem saeculo de baptismo loquens iam *novum nomen* huius Sacramenti profert, « *illuminationem* » (*phôtisma*) eum appellans: « Adducimus eos, ubi aqua habetur et renascuntur per modum regenerationis, sicut etiam nos regenerati sumus » (Apol. I. 61, 12 Quasten 14 s). « Modus regenerationis » (tropos anagennêseos) fit eo, quod in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti balneum sumunt (loutron poiountai), cuius balnei effectus est, quod intrare possunt in regna caelorum et liberantur a peccatis » (pheuxontai hamartias). — 3°. Eodem saeculo ad finem vergente, circa 180 iam *prima* monographia scripta est de baptismo a *Melitone Sardensi* quae tantum in fragmentis exstat. In qua *analogias* quaerit ubique in rerum natura, ut *baptismi effectum* illustrare possit. Principium eius fundamentale est: *omnia entia necesse habent ut purificentur* et quidem aqua, ergo etiam anima hominis. « Aurum, argentum, aes, ferrum postquam ignita sunt, debent in aquam immergi, unum quidem ut resplendeat, alterum ut firmius sit. Tellus lavatur per pluvias et flumina, et bene lota bene fructificat. Aegyptus lavatur inundante flumine, et abunde profert spicis plenis centuplum. Sed etiam aerem lavant stillantes guttae pluviae, baptizantes etiam matrem aquarum inundantium: arcum caelestem... Si videre cupis: etiam res caelestes baptizantur, attende ad Oceanum, novum spectaculum tibi monstrare possum: mare stridens, infinitus, profundissimus, immensus Oceanus, aqua haec purissima baptisterium est solis (to tou hêliou baptistêrion), est pelvis radians (lamptêrion, Leuchtbecken=világító tál) stellarum lucernarium (phôtistêrion) lunae » (cf. F. J. Dölger, Sol salutis, 2.ed. Münster i.W. 1925, 342). « *Baptisterion* » est antiqua denominatio frigidarii in thermis publicis, simul autem loci baptismatis christiani; « *photisterion* » autem est nomen novum a Melitone inventum ad analogiam baptisterii (cf. Dölger, Ichthys. Das Fischsymbol in frühchr. Zeit, Rom 1910, 5. 86).

c) **Ultimis annis saeculi II-i** 1°. *Clemens Alexandrinus* scripsit de baptismate, et affert *nomina tunc temporis* iam de baptismo usitata, ut per ea demonstret effectus huius Sacramenti: « Multis autem modis vocatur illud opus: gratia, illuminatio, perfectio et balnea. *Balnea* (loutron, bagno, Bad, fürdö) quidem,

per quod peccata abstergimus. Gratia (charisma) vero qua remittuntur poenae peccatis debitae. Illuminatio autem (phôtisma), per quam sanctum illud et salutem ferens lumen intuemur, ope cuius scilicet divinum (to theion) *acute cernimus* (oxyôpoumen = scharfsichtig sehen, élesen látni), *perfectionem* autem (teleion) vocamus quod nullo indiget » (Paedagogus I, 6, 25, 3 RJ nr. 407). — 2°. Versus idem tempus S. *Irenaeus Lugdunensis* partes *Spiritus Sancti* celebrat in baptismo, dicens: « Iterum potestatem regenerationis in Deum dans discipulis, dicebat illis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Hunc enim promisit per prophetas, effundere in novissimis temporibus super servos et ancillas, ut prophetent, unde et in Filium Dei filium hominis factum, descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, et requiescere in hominibus, et habitare in plasmate Dei, voluntatem Patris operans in ipsis et renovans eos a vetustate in novitatem Christi » (Adv. haer. 3, 17, 1 RJ nr. 219).

d) **Saeculum III.** aperitur 1°. *monographia* splendente *Tertulliani De baptismo*, scripta inter 200-206, quam pulcherrima gratiarum actione exorditur: « Felix sacramentum aquae nostrae, quia ablutis delictis pristinae caecitatis in vitam aeternam liberamur! ...Nuper conversata istic quaedam de Gaiana haeresi vipera venenatissima doctrina sua plerosque rapuit, imprimis baptismum destruens. Plane secundum naturam, nam fere viperae... arida et inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum ichthyn nostrum Iesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus » (De bapt. 1. RJ 302). — 2°. Idem Tertullianus clarissime loquitur etiam *de confirmatione,* quae tunc temporis fere semper statim post baptismum et coniunctim cum eo administrabatur: « Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina... Dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans et invitans Spiritum Sanctum » (De bapt. 7. 8. RJ nr. 304). Alibi simili claritate: « Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut et anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur, caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur » (De carnis resurr. 8 RJ n. 362). En habes tria Sacramenta initiantia insimul nitide enumerata.

e) Versus 220 S. *Hippolytus* in sua *Paradosi Apostolike* etiam *ritum horum Sacramentorum* describit. Baptismus per trinam immersionem fit, unaquaque vice interrogatur: « Credisne in Deum patrem omnipotentem? » et respondens: « Ego credo », baptizatur. Similis interrogatio fit de Filio et mysteriis ei adnexis « et cum ille dixerit: Credo, iterum baptizetur ». Tertia vice de Spiritu Sancto et sancta ecclesia et carnis resurrectione interrogatur, « dicat ergo, qui baptizatur: Credo et sic tertia vice baptizetur ». *Effectum baptismi* deinde extollit oratio episcopi statim dicenda: « Domine Deus, qui dignos fecisti eos remissionem mereri peccatorum per lavacrum regenerationis Spiritus Sancti, inmitte in eos tuam gratiam, ut tibi serviant secundum voluntatem tuam, quoniam tibi est gloria, Patri et Filio cum Sancto Spiritu in sancta ecclesia et nunc et in saecula saeculorum. Amen ». Statim autem sequitur *Sacramentum confirmationis*: « Postea oleum sanctificatum infundens de manu et inponens in capite dicat: Ingeo (!) te sancto oleo in domino Patre omnipotente et Christo Jesu et Spiritu Sancto. Et consignans in frontem offerat osculum et dicat: Dominus

tecum. Et ille, qui signatus est, dicat: Et cum spiritu tuo. Ita singulis faciat » (Quasten p. 31-32).

f) *Origenes* quoque versus 240 tractat *simul de baptismo et de confirmatione* cum eo connexa: « Si te abluerit et mundum facit sermo legis et unctio chrismatis » (In Lev. hom. 6, 5 PG 12, 472), ubi « sermo legis » evidenter verba significat evangelica baptismi. Dein ibidem etiam alia vice clare locutus est *de confirmatione*: « Donum autem gratiae Spiritus per olei imaginem designatur, ut non solum purgationem consequi possit is, qui convertitur a peccato, sed et Spiritu Sancto repleri » (ibid. 8, 11 PG 12, 508). « Purgationem consequitur » qui a peccato convertitur, i.e. baptizatur, post hoc autem per oleum « repletur Spiritu Sancto »: in confirmatione. — Eodem tempore *Synodus Carthaginensis V.*, anno 255., talia mandat de confirmatione: « Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit » (can. 2. MEL I, nr. 2342).

g) Quid indigemus adhuc testibus? Sufficiat e turba plurima tantum concordiam ostendendi causa allegare *Serapionem* qui versus 340 in suo Euchologio, ab A. Dmitrijewskij in monte Athos detecto, 30 orationes conscripsit, inter eas septem de baptismo et de confirmatione; dein *S. Cyrillum Hierosolymitanum*, qui 348 in suis celeberrimis Catechesibus Mystagogicis fuse describit baptismum et confirmationem et doctrinas catholicas de iis tradit catechumenis; *S. Ambrosium*, qui versus 380 lingua Latina idem fecit. Minute describit etiam ritus Mediolani usitatos, quoad baptismum e.gr. dicit inter alia: « Accepisti post haec vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiae casta velamina, de quibus dixit propheta: Adsperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor », de confirmatione autem eam in memoriam revocando sic effatur: « Unde repete, quia accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiae et intellectus, apiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris: et serva, quod accepisti! Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut apostolica lectione didicisti » (De mysteriis 7, 34. 42 Quasten p. 129. 131).

5. Ratione theologica

quoque commendatur baptismi existentia.

a) Ritus sub hoc nomine a primordiis christianis ut signum initians usurpatus revera est: *signum visibile*, quo aliquis apte ut novum membrum societati visibili incorporatur.

b) Est dein *signum conveniens* qua *lavacrum*, nam tum cultus mosaicus cognoscebat lotiones rituales, tum tempore Evangelii in usu erant tales lotiones tebila vocatae, inter sectas Iudaicas, tum S. Joannes Baptista tali usus est. Insuper quam maxime apta est lotio in ratione significandi, nam optime exprimit symbolice, quod et efficit: spiritualem purificationem.

c) Ut *gratiae signum efficax* est conveniens, eo, quod non solum iuridice confert iura et privilegia membro novo societatis visibilis, sed quia haec societas est Corpus Christi Mysticum, sive palmites Vitis verae succo vitali gratiae a Capite seu vite perfusae, ideo haec incorporatio convenienter quoque confert primam gratiam et ius ad ceteras.

d) Institutio immediata a *Christo facta* quoque convenit et confirmat ritum hunc esse e Sacramentis Christi.

Litteratura.

J. Corblet, Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du sacrement de Baptême, I. II. Paris 1881. — *C. F. Rogers*, Baptism and christian archeology, Oxford 1903. — *V. Ermoni*, Le baptême dans l'Église primitive, Paris 1904. — *J. B. Belser*, Das Zeugnis des vierten Evangeliums für die Taufe, Eucharistie und Geistessendung, Freiburg i.Br. 1912. — *A. v. Stromberg*, Studien zur Theorie und Praxis der Taufe in der christlichen Kirche der ersten zwei Jahrhunderte, Berlin 1913. — *L. Billot*, De Ecclesiae sacramentis, I. 5.ed. Romae 1914, 223-289. — *W. Koch*, Die Taufe im Neuen Testament, Münster i.W. 1921. — *J. Coppens*, Baptême, *in*: Supplém. Dict. Bible I. 1928, 852-924. — *V. Jacono*, Il Battesimo nella dottrina di San Paolo, Roma 1935. — *C. Ongaro*, L'autenticità e integrità del comma trinitario in Mt 28,19, *in*: Biblica 1938, 267-279. — *Th. Klauser*, Taufet in lebendigem Wasser! Zum religions- und kulturgeschichtlichen Verständnis von Didache 7, 1-3, *in*: Pisciculi, Münster i.W. 1939, 157-164. — *E. J. Duncan*, Baptism in the Demonstrations of Aphraates the Persian sage, Washington 1945. — *L. Lercher*, Institut. theol. Dogm. IV, 2 pars prior 3.ed. Oeniponte 1948, p. 108-150. — *O. Cullmann*, Die Tauflehre des Neuen Testaments. Erwachsenen- und Kindertaufe (Abhandl. z. Theol. d. Alten u. Neuen Test. B. 12.), 1948. — *H. Lennerz*, De sacramento baptismi ad usum auditorum 2.ed. Romae 1948. — *E. Doronzo*, Tractatus dogmat. de baptismo et confirmatione Milwaukee 1948. — *A. Grail*, La place du baptême dans la doctrine de S. Paul, *in*: Vie spir. 1950, 563-583. — *H. Schwarzmann*, Zur Tauftheologie des hl. Paulus in Röm. 6., Heidelberg 1950. — *N. Adler*, Taufe und Handauflegung. Eine exegetisch-theologische Untersuchung von Apg VIII, 14-17, Münster i.W. 1951. — *G. W. Lampe*, The seal of the Spirit. A Study in the doctrine of baptism and confirmation in the New Testament and the Fathers, London 1951. — *J. Schneider*, Die Taufe im Neuen Testament, Stuttgart, 1952. — *A. Benoit*, Le baptême chrétien au second siècle, Paris 1953. — *Th. Camelot*, Le baptême et la confirmation, *in*: Initiation théologique IV. Paris 1954, 461-500. — *V. Warnach*, Taufe und Christusgeschehen nach Römer 6., *in*: AfLw 1954, 284-366. — *W. Jetter*, Die Taufe beim jungen Luther, Tübingen 1954. — *J. Bouttier*, La typologie du baptême d'après S. Thomas, *in*: Nouv. Rev. théol. 1954, 897-916. — *B. Neunheuser*, Taufe und Firmung, Freiburg i.Br. 1956. — *V. Warnach, Die* Tauflehre d. Römerbr. i.d. neueren theol. Diskussion, *in*: AfLw 1958, 274-332.

Respectu pastorali. *D. Prümmer*, Man. Theol. Mor. III. 4.ed. 1929, n. 92-149. — *A. Vermeersch - J.Creusen*, Theol. Mor. III. 4.ed. 1948, n. 196-238. — *B. Merkelbach*, Summa Theol. Mor. III. 8.ed. n. 111-172. — *J. Aertnys - C. A. Damen*, Theol. Mor. II. 16.ed. 1950, n. 42-80. — *J. Fanfani*, Man. Theol. Mor. theorico-pract. 1951, p. 59-115. — *M. Conte a Coronata*, De Sacramentis I. 2.ed. 1951, 100-163. — *O. Schöllig - R. Weber*, Verwaltung der hl. Sakramente unter pastoralen Gesichtspunkten, 4.ed. 1952, 19-44. — *H. Noldin - A. Schmitt - G. Heinzel*, Summa Theol. Mor. III. 30.ed. Barcelona 1954, n. 55-83.

B) De essentia baptismi.

Agendum est 1. De materia remota et proxima baptismi, dein 2. De forma baptismi, demum tradendae sunt: 3. Normae pastorales quoad materiam et formam baptismi.

1. De materia remota et proxima baptismi.

THESIS. Materia baptismi est ablutio per aquam naturalem. De fide.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Quoad* **materiam remotam. a.** *Innocentius III.* anno 1206: ad archiepp. Nidrosiensem in Norvegia: « Postulasti, utrum parvuli sint pro christianis habendi, quos, in articulo mortis constitutos, propter aquae penuriam et absen-

tiam sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput ac pectus ac inter scapulas pro baptismo *salivae conspersione* linivit... Dubitare non debes, illos verum non habere baptismum » (Denz. 412.). — **b.** *Gregorius IX.* ad Sigurdum archiep. Nidrosiensem anno 1241: « Cum, sicut ex tua relatione didicimus, nonnunquam propter aquae penuriam infantes terrae tuae contingat in *cerevisia* baptizari: tibi tenore praesentium respondemus, quod cum secundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua et Spiritu Sancto renasci, non debent reputari rite baptizati, qui in cerevisia baptizantur (Denz. 447). — **c.** *Clemens VI.* in epistola 1351. scripta ad Consolatorem, Katholikon Armenorum, enuntiavit: « Parvuli ante octavum diem possunt baptizare, et quod baptismus non potest esse in *liquore alio,* quam in vera aqua » (Denz. 574 a.). — **d.** *Conc. Florentinum* 1439. Decr. pro Armenis: « Materia huius Sacramenti est *aqua vera et naturalis,* nec refert, frigida sit, an calida » (Denz. 696). — **e.** *Trident sess. VII. can. 2. e bapt.*: « S.q.d., *aquam veram et naturalem* non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa D.N.J. Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit: a.s. » (Denz. 858).

2°. *Quoad* **materiam proximam:** Habetur in libris ritualibus. E.gr. *Rit. Rom.* tit. II. c. 1, 10: Baptismus valide conferri potest « aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, aut mixtus ex utroque, qui magis sit in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineatur ». Similiter etiam *CIC can. 758*: verbotenus repetens Ritualis praescriptionem, testatur de doctrina Magisterii ordinarii Ecclesiae.

b) **Traditio**

de exclusivo usu aquae naturalis omnino consona est. Etiam quod adtinet materiam proximam, i.e. ablutionem, uno ore immersionem vel infusionem praedicat. Ut vidimus,

1°. *infusionem* iam Didaché aequivalentem enuntiat immersioni. Etiam S. *Cyprianus* locutus est de infusione anno 255: « Quaesisti etiam, fili carissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi christiani, eo quod aqua salutari *non loti* sint, sed *perfusi*... Nos quantum concipit mediocritas nostra, aestimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur quod de divinis muneribus hauritur » (Ep. 69, 12 RJ 590).

2°. Attamen infusio tantum exceptio fuit in casu necessitatis, *immersio* erat in tota Ecclesia, tum Graeca, tum Latina usitata et ordinaria. Usque ad saec. saltem XII. etiam in Ecclesia Latina sic remansit, uti videri potest e S. *Thoma,* qui de infusione haec dicit: « *Tutius* est baptizare per modum immersionis, quia hoc habet *communior usus* », (III q. 66 a. 7), et infusionem exceptionem putat: « Quandoque potest imminere necessitas, propter paucitatem aquae, vel propter debilitatem baptizandi, cui potest imminere periculum mortis ex immersione » (ibid.).

3°. Quod *aspersionem* attinet, haec quidem etiam dicitur valida materia proxima, sed dubito, num aliquando etiam in usu fuerit. S. *Cyprianus* est, dicente cl. Lercher, « ex primis saeculis *unicus* huius praxis testis Ep. 69, 12 »

sed immerito invocatur qua testis, nam opinor Cyprianum male intellectum esse. Loco citato enim revera dicit: « ...nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur », ast si totus contextus huius epistolae attente legatur, apparet, Cyprianum idem velle dicere per « aspergi » ac « perfundi », agitur ergo de simplici tautologia. Quaestionem hanc de validitate baptismi « clinicorum » (aegrotorum) sic concludit: « Unde apparet, aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere » (G. Hartel, in CSEL III. 2, 763). Verbum « aspergo » secus semper etiam significat « perfundo, effundo » (Forcellini, Totius Latinitatis Lexicon I, 422 a.). Aspersio ut patet, tunc tantum materia proxima valida esse potest si revera tangat baptizandum; praesertim nostris temporibus facile intelligitur, etiam hanc esse lotionem (conferatur balnea vocata vulgo « doccia, douche »).

Scholion. De necessitate benedictionis aquae baptismalis.

1°. Nullum dubium, quod aqua baptismalis benedici debet, secundum ius vigens inde a multis saeculis. Sed quaestio est *num hoc ad valorem* pertineat, vel non. Nunc sine dubio non pertinet ad valorem, sed sub gravi ad liceitatem, excepto casu necessitatis: « In baptismo sollemni adhibenda est aqua ad hoc benedicta » (can. 757 § 1.). Ad valorem *nunquam* pertinebat benedictio aquae, etsi sint, qui putant, *Patres* aliquos necessitatem benedictionis adeo extollere, « ut ea re praetermissa nulla in baptismalibus aquis sanctificandi vim agnoscere videantur » sic Touttaeus, Cyrilli Hierosolymitani editor, et ambiguo modo etiam cl. Lercher eum allegans (p. 116 s.), qui ideo opinatur, aut Patres errasse, aut benedictionem saec. III-IV. fuisse conditionem ad validitatem pro baptismo sollemni, quae conditio postea abrogata fuerit.

2°. At nullo modo est necesse talem conditionem fingere. Patres optime noverunt *aevo apostolorum* non habuisse locum benedictionis aquae, *Gregorius Nyssenus* e.gr. explicite loquitur de Aethiopo eunucho, qui non « expectavit diversorium, nec civitatem aut vicum aut locum sanctificationis, prudenter deputans, quod omnis locus est communis Domini et omnis aqua est apta ad usum baptismatis » (De baptismo PG 46, 422). Vix potuerunt ergo putare, benedictionem aquae ad validitatem necessariam esse.

3°. Patres utique docent, *aquam non habere propriam virtutem* sanctificandi, sed hanc competere eis per Spiritum Sanctum, qui « ferebatur super aquas », e.gr. *Basilius*: « Si qua est gratia in aqua, non est ipsius aquae natura, sed ex Spiritus praesentia » (De Spir. Sancto 15,35 RJ 947). Sed quod Spiritus Sanctus solummodo per benedictionem posset inesse aquis, vix a quibusdam dicitur. Tale quid v.gr. *Cyprianus* dicit: « Oportet vero mundari et sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur, abluere... Quomodo autem mundare et sanctificare aquam potest, qui ipse immundus est? » (Ep. 70,1 CSEL 3,767). Sed Cyprianus ducitur falsa opinione, quod haereticorum baptismus invalidus est et ideo hanc opinionem suam vult confirmare tali argumento. Patres autem saepe perperam intelliguntur (ut loci Basilii, Gregorii Nysseni, Ambrosii, Augustini a Lercher allegati p. 116).

4°. *Baptismus « clinicorum »*, ut iam diximus, validus habebatur, quamquam sine benedictione aquae fiebat, sicut etiam baptismus *per laicos* ministratus (cf. casum per Rufinum narratum quando baptismus puerorum ludentium validus habebatur, Lennerz p. 53).

2. De forma baptismi.

THESIS. Forma baptismi consistit in (1) invocatione trium personarum divinarum, (2) cum expressione actus baptismi.

I. pars de fide. II. pars theologice certa.

I. pars. probatur: Invocatio trium personarum.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Conc. Viennense* 1311-12: « Baptisma... celebratum in aqua in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti credimus esse tam adultis, quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem » (Denz. 482).

2°. *Tridentinum sess. VII, can. 4. de bapt.*: « S.q.d., baptismum qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse baptismum: a.s. » (Denz. 860). Quo indirecte edicitur hanc esse formam etiam penes catholicos.

b) **S. Scriptura**

clarissimam habet doctrinam Christi in verbis institutionis baptismi. Ideo etiam:

c) **S. Traditio**

testificatur, tum effata Patrum, tum documenta liturgica: nunquam *ne vestigium quidem inventum est formae baptismi sub alio nomine*, e.gr. Christi, sed inde quod forma aliqua iam inveniri potest in libris ritualibus, haec semper et ubique trinitaria est (P. de Puniet: DAL II, 1, 339). Traditionis testimonium uno verbo comprehendi potest per *Augustinum* dicentem: « Quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur haeretici, qui omnino non baptizent, quam qui *non illis verbis* baptizent » (De bapt. 6,47 RJ 1638).

d) **Ratione theologica**

probatur thesis a S. *Thoma*: « Sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi. Et ideo, si praetermittatur aliquid eorum, quae Christus instituit circa aliquod Sacramentum, efficacia caret, nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam Sacramentis non alligavit. Christus autem *instituit* Sacramentum baptismi dari *cum invocatione Trinitatis*. Et ideo quidquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptismi » (III q. 66. a. 6.). Nihil refert, quod Doctor Communis putavit, baptismum in nomine Christi aevo apostolorum validum fuisse, nam opinatur hoc factum esse « ex speciali Christi revelatione » (Ibid. ad 1.).

Scholion. De baptismo in nomine Christi.

Quaestio haec mere theoretica est, nam nemo unquam affirmavit, baptizari posse invocando tantum nomen Jesu Christi, nec ullum testimonium exsistit talis praxeos. Hoc unum tantum quaeritur, num apostoli sic baptizabant, nam in Actibus Apostolorum pluries dicitur eos baptizasse « in nomine Jesu », vel

« in nomen Jesu » (Act 2,38 et 8,16 etc.). *Scholasticorum doctorum* maxima pars, praeeuntibus Magistro Sententiarum et Doctore Angelico, hoc affirmabant, imo et *Catech. Romanus* id possibile dicit: « Quod si etiam tempus aliquando fuisse dicendum est, quum apostoli in nomine tantum Domini Jesu Christi baptizarent, id quidem Spiritus Sancti afflatu eos fecisse exploratum nobis esse debet, ut initio nascentis Ecclesiae Jesu Christi nominis praedicatio illustrior fieret, divinaque et immensa eius potestas magis celebraretur » (p. II. 2,14). — *At probari non potest, apostolos tali invocatione* baptismum ministrasse, quod elucet ex Actibus Apostolorum. Paulus enim Ephesi inveniens Christianos, audiensque eos dicentes: « Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus » deprehendit eos baptismo tantum Joannis baptizatos fuisse. Interrogatio Pauli: « In quo *ergo* baptizati estis? » — clare videtur demonstrare, quod ille, qui baptizatur, necessario debet audire nomen Spiritus Sancti. Tunc autem, ut tali modo baptizentur, « baptizati sunt in nomine Domini Jesu » (« eis to onoma tou Kyriou Jesou » Act 19, 1-5). Baptisma in nomen Jesu ergo hoc loco est baptismus trinitarius. — Testimonium Traditionis iam memoravimus.

II. pars probatur: Actus baptismi debet exprimi.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Alexander III.* (1159-1181) Ep. ad eppum Claromontensem: « Si quis sane puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen, et non dixerit: Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen, non est puer baptizatur » (Denz. 398).

2°. *Alexander VIII.* damnavit anno 1690 31 propositiones de re morali tamquam « temerarias, scandalosas, male sonantes... et haereticas *respective* », inter eas hanc: « Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris etc. *praetermissis illis*: Ego te baptizo » (Denz. 1317).

b) **Probatur ratione theologica:**

1°. Iuxta S. Thomam: « Quia ablutio hominis in aqua *propter multa* fieri potest, oportet quod *determinetur* in verbis formae, ad quid fiat... et ideo si non exprimatur actus baptismi vel per modum nostrum, vel modum Graecorum, non perficitur Sacramentum » (III q. 66 a. 5 ad 2.). Actio expressa *per verba* potest esse *activo modo*, ut Latini faciunt (« ego te baptizo »), vel *passive*, ut Graeci faciunt (« baptizetai ho doulos Christou ») Rationem hanc breviter succinctam fusius illustrabat iam Sacramentorum magnus indagator, *Hugo a S. Victore*: « Ego filium meum forte ad balneum tuleram... Posui parvulum meum in aquam, sed quia volui, ut bene cresceret et prodesset, dixi forte, sicut dixissem in manducando et bibendo, sicut in arando et seminando sive aliud quodcunque agendo dixissem: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti... Quod si idcirco baptizatum putas, quia cum mergerem, dixi: In nomine Patris... ergo et offa baptizata est, quia cum mergerem illam, dixi: In nomine Patris... » (De Sacramentis 2, 6, 13 PL 176, 459 s.).

2°. Actionem autem baptismalem putamus in antiquitate christiana expressam fuisse non semper verbis, sed *adiunctis actionis*. Presbyter enim interrogavit: « Credis in Patrem etc.? » deinde immersit baptizandum « et baptizavit semel »,

ut dicitur et sic porro. Haec eius interrogatio in tres personas divinas sufficienter determinavit ablutionem hanc esse baptismalem. Sic *P. de Puniet*, qui dicit hanc suam hypothesim aliam esse quam propositionem damnatam Alexandri VIII., cui adstipulatur etiam *Lennerz*, dicens: « In hypothesi a de Puniet proposita non habetur baptismus cum aliqua forma, in qua pars essentialis omissa esset, sed locum formae, quae nunc habetur, determinantis ablutionem in se indifferentem ad ablutionem baptismalem, occupant praecise interrogationes et responsiones baptismales: per ipsas actio mergendi determinatur, ut sit ablutio baptismalis... Qui hanc opinionem tenet, concedere debet: Valuit aliquando baptismus, in quo verbis non enuntiabatur actio baptizandi. Hoc autem neque ab Alexandro III. neque ab Alexandro VIII. videtur damnatum esse », concludit cl. Lennerz (p. 53-54). Adiungendum est, quod etiam haec quaestio mere theoretica est, nam nunc sine dubio invalidus esset baptismus, si non verbis exprimeret — active vel passive — actum baptizandi.

Scholion. Expressio ministri et subiecti in forma

non requiritur ad validitatem, quidquid aliqui dixerint.

1°. Quod *ministrum* attinet, S. *Thomas* dicit, quod oportet in forma baptismi ministrum exprimere, quia est *causa* baptismi instrumentalis qui tradit exterius Sacramentum (sic III q. 66 a. 5). Alii autem, ut *Suarez* (De bapt. disp. 21 s. 2), Lennerz (p. 56-57), Lercher (p. 120) et alii, putant ministri personam exprimere ad validitatem non deberi. Quod iam certum debet haberi ex eo, quod tunc forma passiva *Graecorum* invalida esset, quod. absonum est, insuper Florentino et aliis documentis pontificiis, librisque liturgicis Graecis, editionibus authenticis Romanis contrarium.

2°. Quod attinet *subiectum baptizatum*, tum S. Tomas (l. c. ad 4), tum Suarez l. c. docent de necessitate esse ut indicetur persona quae baptizatur, aliis verbis: necesse ad validitatem ut exprimatur: « *Ego te baptizo* ». At ratio convincens afferri non potest, nam sufficienter exprimeretur seu indicaretur persona baptizanda simpliciter eo, quod hic et non alius « baptizatur in nomine Patris etc. », nulla ratio esset ad validitatem necessaria, ut indicetur speciali modo persona, quae momento illius baptismi sola baptizatur. Hac in re primum anno *1633. 8. sept.* declaratum est validum esse baptismum Armenorum schismaticorum, in cuius forma deest pronomen « te ». Sic S. Officium, dum S. C. de Propaganda Fide *11. sept. 1841.* declaravit baptismum Coreanorum « ex omissione pronominis *te* in eius collatione » invalidum ideoque renovandum esse, sed decreti huius textus quoad formam baptismi in editione authentica anni 1907 iam omissus est (Lennerz p. 56).

3. Normae pastorales quoad materiam et formam baptismi.

a) **Materia remota valida**

est aqua *vera et naturalis*, i.e. « omne naturalis aquae genus, sive ea maris sit, sive fluvii, sive paludis, sive putei aut fontis, quae sine ulla adiunctione aqua dici solet » (Catech. Rom. p. II, 2,7). Potest esse *calida*, vel frigida, naturaliter mixtum *mineralibus* (aqua mineralis, sulphurea), potest esse aqua ex alio statu *aggregationis* iterum *resoluta*, ergo aqua e nivibus, grandine, glacie, vel etiam

vapore; dein etiam sec. auctores aqua *arte facta* et « destillata ». Si aquae *mixta fuerit* alia substantia, quae colorem vel saporem aquae mutet, materia potest esse valida, dummodo communi aestimatione hominum adhuc aqua dici possit. Ad validitatem nihil refert, utrum aqua *turbulenta* vel squalida sit, nec utrum *benedicta* necne. — Quod multum refert in casu necessitatis, nam tunc tales aquae sine peccato adhiberi possunt.

b) **Materia remota invalida**

est *omne aliud fluidum* quod non habetur aqua: ergo lac, iusculum, cerevisia, vinum, succus e fructibus expressus, licet haec revera quoad maximam partem ex aqua constent, tamen sec. communem aestimationem nemo ea pro aqua habet. A fortiori non est aqua: atramentum, lutum, vel aliud liquidum chimicum, e.gr. medicina liquida. Nec possunt haberi aqua, quae e corpore hominis originem ducunt: saliva, lacrimae, urina.

c) **Materia remota dubia**

habetur, quae certo nec valida nec invalida haberi potest: aqua resoluta ex sale, aqua manans e vite, vel arboribus, aqua e plantis vel floribus physice educta, de qua *Vermeersch*: « Cum aqua chemice confecta sit materia certa, non videmus, quid obiici possit aquae cuius elementa in plantis potius, quam immediate in hydrogenio et oxygenio chemice reperta sint » (III, nr. 200), talis esset aqua rosacea. Quod attinet glaciem et nivem *non resolutas*, S. Alphonsus tenet eas constituere materiam dubiam, nam usu iam incipiunt liquefieri, ideoque usu communi dicitur aliquam « nive lotum esse ». Materia dubia dicuntur iusculum et cerevisia valde tenuia; quod « potum e faba *caffaei* vel ex foliis *theae* confectum » attinet, qui iuxta Noldin-Schmitt materia esset dubia, putamus, neminem hos potus aquam habere, etsi magna ex parte ex aqua constant. Usus materiae dubiae in casu necessitatis et tantum sub conditione permissus est, nam in extremis omnia tentanda sunt.

d) **Materia remota licita**

est aqua naturalis certo valida, quae debet esse pura: in casu necessitatis autem etiam dubia adhiberi potest, uti vidimus.

1°. Secus: in baptismo *necessitatis seu privato*, i.e. quando baptismus propter periculum in mora, sine ritibus liturgicis administratur adhibenda est convenienter etiam aqua baptismalis, si haberi possit vel saltem aqua lustralis seu benedicta.

2°. « *In baptismo sollemni* adhibenda est *aqua ad hoc benedicta* » (can 757 § 1). Haec benedictio seu consecratio aquae fit Sabbato Sancto in ecclesiis quae fontem habent baptismalem.

3°. « Si aqua benedicta in baptisterio adeo sit *imminuta*, ut minus videatur sufficere, alia non benedicta admisceatur, etiam iterato, minore tamen copia » (ibid. § 2.).

4°. « Si vero *corrupta* fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, parochus in fontem, bene mundatum et nitidum, recentem aquam infundat,

ac proprio ritu in suis liturgicis libris praescripto benedicat » (ib. § 3.). Ritus hic *extraordinarius* benedictionis habetur in Rit. Romano Tit. II. c. 8. « Benedictio fontis seu aquae baptismalis extra pervigilium Paschae et Pentecostes cum aqua consecrata non habetur ». Formula brevior a Paulo III. concesso adhiberi potest tantum, ubi indultum habetur in Missionibus (Rit. Rom. Tit. II. c. 9.).

5°. Uti *aqua benedicta* « *ordinaria* », loco consecratae, seu « ad hoc benedictae », in baptismo sollemni sine dubio grave peccatum esset propter severam legem Ecclesiae.

6°. Aquae huic consecratae vel aliae aquae *admisceri* potest propter contagionis periculum, si tale timeatur, hydrargyrum bichloratum corrosivum (Quecksilberchlorid, sublimé corrosif, szublimátoldat) in proportione 1/1000, sed melius est aquam consecratam ad baptismum extractam decoquere.

e) **Materia proxima est ablutio**

per aquam facta, quae potest esse triplex, uti vidimus. Sed in omni casu debent verificari sequentes regulae *ad validitatem.*

1°. Ut si non fiat immersio, saltem aliqua *pars corporis aquae supponatur*, sec. terminologiam S. Thomae: « In immersione expressius repraesentatur figura sepulturae Christi, et ideo hic modus baptizandi est communior et laudabilior. Sed in aliis modis baptizandi repraesentatur aliquo modo, licet non ita expresse nam quocunque modo fit ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars eius aquae supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum » (III q. 66. a. 7. ad 2.). Aqua autem non supponitur, si aqua non fluit, aqua ergo in baptismo per infusionem vel aspersionem facta fluere debet, aliis verbis: ratio ablutionis debet salvari. Minus rectum est ergo regulam generalem statuere (e.gr. Noldin-Schmitt-Heinzel, nr. 61, Schöllig p. 23), ut *aqua fluat*, sed melius asseritur cum S. Thoma, ut *corpus movetur* in aquam, sive in infusione et aspersione per id, quod aqua *admoveatur ad corpus.* Hoc duplici modo fieri potest: vel aqua *fluit decurrendo*, vel manu aut sudario manufacto successive partes corporis tanguntur, quae *ablutio per madefactionem* etiam rationem verae ablutionis habere potest: sic abluuntur aegroti in nosocomiis; missionarii quoque aliquibus in casibus sic baptizabant (similiter Vermeersch nr. 201). — Etsi et nos cum Noldin dicamus, non esse dubitandum de valore baptismi, « in quo *una alterave* gutta tantum adhibetur, modo guttae vere fluant » (l. cit.), sed melius affirmatur cum Schöllig, « dignitatem primi et maxime necessarii Sacramenti postulare, ut non adeo parce tantum utamur quantitate aquae » (p. 23.).

2°. Haec « pars corporis » **a.** principaliter est *caput*, nam ut Doctor Communis dicit: « ...principalis pars corporis est praecipue quantum ad exteriora membra caput, in quo vigent omnes sensus, et interiores et exteriores... Et ideo... oportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitae » (l. cit. ad 3). — **b.** Si *alia pars* in infusione ac caput tacta est aqua, baptismus sub conditione semper *repeti potest*, sed non debet, si agatur de collo, pectore, scapulis, quae infusae sunt, baptismus enim probabilissime sec. communissimam opinionem validus est. Sub conditione *repeti debet*, si partes minus principales tantum perfusae fuerint, e.gr. in partu gravi pes, manus, vel nates sec. Rit.

Rom.: « Si aliud membrum emiserit, in illo, si periculum immineat, baptizetur sub condicione, at tunc, si natus vixerit, est rursus sub condicione baptizandus » (Tit. II. c. 1. nr. 20.).

3°. Aquae « supponitur » corpus solummodo, si *immediate tangitur* per aquam fluentem, vel immediate mergitur in eam. **a.** Non debemus autem nimia anxietate versari circa hoc, e.gr. num immediate tangatur baptizandus, cuius caput *crusta ulcerosa* opertum est: baptismus sine dubio validus est, nam secundum communem aestimationem dicitur ablutus; item si corpus totum recentis nati *oleo* unctum sit, tamen aqua immediate tangit eum, etsi aqua decurrat propter oleum, nam etiam in antiquitate christiana oleo peruncti descendebant in fontem, et nemini nec in mentem venit, an valide baptizati essent, nam symbolum ablutionis rite peractum est, non est ergo opus, ut tali casu « cautius aget qui, non contentus effusione, manu frontem simul lavet » (Vermeersch nr. 201). — **b.** Quod *crines* attinet, alia est quaestio, si crines densae sint, tunc enim iam aliquod dubium potest exsurgere de valore ablutionis; ideo optimum est, si *semper in fronte* baptizantur infantes. — **c.** Baptismus collatus super *secundinas* valde dubius est, nam non sunt partes corporis infantis, et abiiciuntur post partum. Foetus praematurus ideo in pelvim aqua tepida repleta ponendus est, secundinae distrahendae et interim forma baptismi dicenda. — **d.** Foetus *in utero* aevo antiquo non baptizabatur, quia putabant, eum qui nondum natus fuerat, non posse renasci. Quia autem secundum hodiernam convictionem foetus in utero verus homo viator sit, qui sine baptismo non potest salvari, ideo potest etiam in utero baptizari, si iam non adest probabilis spes, ut in lucem edatur et rite baptizari possit (can. 746 § 1.). Valor utero-baptismi non est certus, nam sciri non potest, num immediata ablutio secuta fuerit, dein num aqua iniecta in uterum non fuerit permixta cum liquore amnii. Ideo praescribitur ab Ecclesia, quod « foetus in utero baptizatus, post ortum denuo sub conditione baptizari debet » (can. 746 § 5.).

f) Materia proxima ad liceitatem

est in ritu Romano: *ablutio in capite* facta iuxta praescriptionem Rit. Romani, et *infusio trina, in modum Crucis* (Tit. II. c. 2. nr. 19). Ubi autem in ritu Romano adest adhuc consuetudo immersionis, « trina immersione baptizat et semel tantum dicit » formam baptismi (ibid. nr. 20.).

g) Forma baptismi ad validitatem

1°. est ea, quae praescribitur; in Ecclesia Romana: « Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti », in Ecclesia Graeca autem: « Baptizatur servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Quia quod valorem attinet Sacramentorum, non possumus uti opinione probabili, sed partem debemus tutiorem eligere, ideo haec omnia dicenda sunt, etsi per se disputari solet, ut vidimus, num persona baptizantis et baptizati debeat-ne exprimi. Ideo si aliquid horum verborum omissum esset, baptismus sub conditione iterandus esset.

2°. Non multum interest inquirere, quae sint formae validae (e.gr. ego te abluo, mergo, vel: ego baptizo dominationem vestram), inter quas certo pertinet forma lingua slavica « ja te krstim » = ego te christianum facio, vel

hungarica: « Én téged megkeresztellek » = ego te Cruce signo, quod idem vult dicere, etsi tantum effectus sit baptismi, non ipsa ablutio. Forma tamen valida est, quia actus baptizandi talibus in linguis sic exprimitur, nec aliter exprimi potest.

3°. *Formae invalidae* essent formae, quibus haeretici iuxta quosdam utuntur, si hoc aliquando fecissent, baptizando e.gr. « in nomine Boni, Veritatis et Caritatis », vel similibus modis, qui ab auctoribus congeruntur, sed pro praxi non sunt magni momenti nam nemo utitur talibus formis. Ceterum antea facilius habebantur formae aliquae validae, si bona fide eis utebantur, S. *Bernardus* e.gr. valere dixit formam aliquorum: « Baptizo te in nomine Dei et sanctae et verae Crucis », dicens: « Ego vero hunc baptizatum puto... in nomine Dei unam expressit substantiam Trinitatis... porro autem confessio sanctae Crucis non nisi Crucifixi confessio est » (Ep. 403. PL 182, 614).

4°. Si forma adhiberetur *dubia*, i.e. quae aliquid omittere, vel haeretico sensu mutare vel addere videretur, baptismus sub conditione iterandus esset. At pro praxi non habet ullum momentum haec investigatio.

h) **Forma baptismi ad liceitatem**

debet *simultanee* proferri cum actione i.e. materia proxima, quae est trina ablutio, dein « semel tantum distincte, et attente, et *singulariter singulis* » (Rit. Rom. Tit. II. c. 2. nr. 19). Haec simultaneitas recte tunc fit, si verba formae ita proferantur, ut finiantur tantum trina ablutione finita, lente ergo proferenda sunt. « Sive autem immediate ante, sive immediate post oblutionem formam pronuntiaveris, id valori non obstat », quod monitum sapiens Vermeersch (nr. 208), praesertim pro scrupulosis utile esse potest.

Litteratura.

F. Gillmann, Taufe im Namen Jesu oder im Namen Christi?, Mainz 1913. — *J. Brinktrine*, De antiquo ritu baptismatis, *in*: Eph. Lit. 1922, 328-337. etc. — *M. de Ionghe*, Le baptême au nome de Jésus d'après les actes des Apôtres, *in*: Ephemer. Theol. Lovanienses 1933, 647-653. — *A. Landgraf*, Die Ansicht der Frühscholastik von der Zugehörigkeit des Baptizo zur Taufform, *in*: Scholastik 1942, 412-427. 531-555. — *B. Marchetta*, La materia e la forma del battesimo nella chiesa di Sant'Ambrogio, Roma 1945. — *F. Chatillon*, L'eau baptismale dans les perspectives de Firmicus, *in*: Mélanges M. Andrieu, Strasbourg 1956, 95-101.

C) De efficientia baptismi.

Status quaestionis.

Quando positum fuit signum sacramentale baptismi: « *Sacramentum tantum* », efficitur homo incorporatus in Christum, quod est « *res et sacramentum* », « res » i.e. effectus « sacramenti tantum », simulque etiam sacramentum, quod ulterius significat « rem tantum », i.e. ceteros effectus baptismi. Incorporatio ergo in Christo est baptismi effectus primarius, e quo ceteri derivantur. Ceteri effectus autem sunt, i.e. « *res tantum* » sequentes: Qui incorporatus est in Christum, sec. doctrinam revelatam incorporatus est tum Capiti, tum corpori eius. quod est Ecclesia. Ergo in quantum *Capiti* incorporatus est, assimilatur Ei et ideo novam vitam adipiscitur, vel ut dicitur a revelatione, « regeneratur »,

seu de novo nascitur. Hoc autem *e tribus* constat: quia « RE »-generatur, sc. de novo generatur, fuit etiam aliquod vetus, quod debet aboliri, ut « nova » fiat nativitas: baptismus ergo per incorporationem tollit vetera. « *Recedant vetera* »: remittuntur *peccata,* tum originale, tum actualia, dein remittuntur etiam *poenae,* tum aeterna, tum temporales. « *Nova sint omnia* »: ideo confertur prima gratia habitualis, quae est nova vita, cum principiis suis vitalibus: virtutibus infusis, tum theologicis, tum moralibus et donis Spiritus Sancti. Haec tria simul sumpta constituunt « regenerationem ». — Qui incorporatus est in Christum, incorporatur etiam *Corpori* eius, quod est Ecclesia, ideo ei quoque debet assimilari. Haec assimilatio iterum *e tribus* constat: *verae Ecclesiae,* i.e. Catholicae tantum potest fieri membrum, dein *servus fit Dei,* sicut Ecclesia, i.e. deputatur ad vitam christiano more agendam, demum quia incorporatus est Ecclesiae, perfunditur succo vitali e Capite mananti, i.e. *ius accipit ad gratias,* quibus iuvatur ad vitam christiano more gerendam. — Si autem totam « rem » baptismi unico conspectu totali volumus considerare, possumus dicere, quod effectus baptismi holistice sumptus est: dedicatio hominis in servitium Sanctissimae Trinitatis.

BAPTISMI:

« *Sacramentum* »:	« *Res et sacramentum* »:	« *Res tantum* »:
Signum:	*1. Incorporatio:*	2. *regeneratio:*
ablutio per aquam invocatione Trinitatis informata.	in *Caput:*	a) remissio peccati b) remissio poenae c) collatio gratiae
	in *Corpus:*	3. *membrum de membro* a) verae Ecclesiae b) servus fit Dei c) ius accipit ad gratias.

Sicque statuimus thesim:

THESIS. Baptismo homo (1) incorporatur in Christum, ideoque (2) regeneratur per a) remissionem omnium peccatorum, b) per remissionem omnium poenarum, et c) per collationem primae gratiae, deinde (3) fit membrum de membro a) verae Ecclesiae, b) in qua servus fit Dei, et c) ius accipit ad gratias.

I. pars probatur: Homo incorporatur in Christum.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Conc. Florentin,* decr. pro Armenis: « Baptisma vitae spiritualis ianua est, per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae » (Denz. 696).

2°. *Tridentinum sess. XIV. cp. 2*: Loquitur de *Ecclesia,* in quam christianus « per baptismi ianuam fuerit ingressus », talis homo « est de domesticis fidei,

quos Christus Dominus lavacro baptismi *sui corporis membra* semel effecit... Per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura » (Denz. 895). Clare edicitur ergo *identitas* inter corpus Christi *mysticum et Ecclesiam*: per baptismum homo quasi per ianuam ingreditur in Ecclesiam, *seu* membrum corporis Christi efficitur. Ad hanc incorporationem nil aliud requiritur, ac baptismus:

3°. *Trident. sess. VII. can. 13 et 4.*: « S.q.d., parvulos... suscepto baptismo inter fideles computandos non esse... a.s. ». « S.q.d., baptismum qui etiam datur ab haereticis... cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, a.s. » (Denz. 869. et 860.).

b) **S. Scriptura**

apertissime declarat hanc veritatem. *Mt 28,19* edicitur, quod Apostoli homines eo faciunt discipulos Christi, quod eos baptizant (« euntes facite discipulos baptizantes eos... »), baptismus ergo incorporat eos in Ecclesiam. — Idem iam edictum fuit in baptismatis promissione *Jo 3,5*, nam qui renatus non fuerit, « non potest introire in regnum Dei », regnum autem hoc Dei « inter vos est » iam in terris exsistit, baptismus ergo incorporat in Ecclesiam.

S. *Paulus fuit*, qui huic veritati metaphoram subministravit *corporis*, scribens Corinthiis: « Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et *Christus*. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus... Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus... Vos autem estis corpus Christi et membra de membro » (1 Cor 12,12. 13. 20. 27). S. Paulus insuper plus quam centies dicit in suis epistolis, christianos baptizatos « esse in Christo Jesu ».

c) **S. Traditio**

eadem habet, cuius testis sit S. *Augustinus*: « Quoscumque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum caelorum, nonnisi baptizatos intelligere debemus, nisi forte quos angustia passionis invenit, et nolentes negare Christum, antequam baptizentur, occisi sunt, quibus ipsa passio pro baptismo deputata est » (Ep. 265,4 PL 33,1087).

d) **Ratione**

declaratur, quid fit per incorporationem. Non debent distingui duo corpora: unum Corpus mysticum, alterum Ecclesiae corpus visibile. Christus est Caput, corpus est a Spiritu informatum, Ecclesia, identitas ergo habetur inter corpus Christi et corpus Ecclesiae. Hanc identitatem supponit S. *Thomas dicens*: « Christus est caput omnium qui ad Ecclesiam pertinent secundum omnem *locum*, et *tempus* et *statum*. Alii autem homines dicuntur capita secundum quaedam *specialia loca*, sicut episcopi suarum Ecclesiarum, vel etiam secundum determinatum *tempus*, sicut papa est caput totius Ecclesiae, sc. tempore sui pontificatus, et secundum determinatum *statum*, prout sc. sunt in statu viatoris ». (III q. 8. a. 6). Idem ergo est corpus Christi et corpus Ecclesiae, diversitas tantum secundum enumeratas speciales modalitates habetur. Ideo apposite etiam *Suarez* dicit: « Sicut Christus non habet aliud mysticum corpus praeter

Ecclesiam, ita nec membra alia, nisi ea, quae sunt membra Ecclesiae » (De fide disp. 9, 1, 14). Ut *D'Herbigny* dicit, ipsum corpus sociale et visibile Ecclesiae ideo dici « mysticum », quia rem absconditam significat, non quamlibet, sed divini ordinis (Theologica de Ecclesia II. ed.2. Paris 1921, 244).

II. pars probatur: baptizatus regeneratur.

Status quaestionis.

1°. Regeneratio *differt a generatione* seu nativitate in quantum nova generatio, nova nativitas est. Haec *differentia* consistit *in sequentibus notis*: **a.** Nativitas hominis intelligitur *corporalis*, sed lumine revelationis considerata, i.e. nativitas qua homines nascuntur cum « Adae peccato, origine uno et propagatione, non imitatione transfuso » quod « omnibus inest unicuique proprium » (Trid. sess. VI. can. 3. Denz. 790). Huic nativitati opponitur nativitas *spiritualis*, qua originale peccatum « regenerationis lavacro expiatur ad vitam aeternam consequendam » (ibid. can. 4). Haec nativitas spiritualis veri nominis est nativitas, nam nasci, generari dicitur aliquid, quod *antea non* erat, in baptismo autem sic oritur vita nova spiritualis gratiae. — **b.** Nativitas corporalis semel fit, sic etiam *semel tantum* regeneratio, nova nativitas baptismi. Ceterae iustificationes, ut iustificatio facta per contritionem perfectam, dein per Sacramentum poenitentiae, vel per accidens ope Sacramentorum vivorum, differunt a *regeneratione stricte dicta* baptismi, nam in baptismo homo primario inseritur Christo, incorporatur per indelebile signaculum, et sic « quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri » (Jo 1, 12). Regenerationes hae latius dictae pluries possunt fieri. — **c.** Sicut nativitas corporalis *sine omni cooperatione* et voluntate neonati fit, sic etiam in baptismo datur nova nativitas ex opere operato, in adultis quidem non sine socia opera subiecti, fides enim et attritio supponuntur, secus obex poneretur Sacramento, in parvulis autem haec non sunt necessaria. In Sacramento poenitentiae vero actus poenitentis etiam ideo requiruntur, quia materiam constituunt huiusmodi Sacramenti.

2°. Nova haec generatio seu *nativitas in genere* clare docetur ab *Ecclesia*, sic Trident. sess. XXI. cp. 4: « Parvuli sunt per baptismi lavacrum regenerati » (Denz. 933), et pluries. — **a.** Modum hunc loquendi sumimus e S. Scriptura, tum Jo 3,7: « Oportet vos nasci denuo », tum Tit. 3,5, ubi baptismus vocatur « lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti ». — **b.** Item laudibus extollunt regenerationem per baptismum factam *SS. Patres*, praecipue quando neophytas edocent de effectu baptismi. Sic e.gr. S. Cyrillus Hieros.: « Eodemque momento *et* mortui *et* nati estis, illaque unda salutaris *et* sepulchrum vobis *et* mater effecta est » (Cat. mystag. 2,4 PG 33,1079). Consimili modo loquitur *Aphraates Persa*: « In priore quidem generatione nascuntur spiritu animali praediti, qui in homine creatur, nec morietur unquam... at in altera, baptismi scilicet regeneratione Spiritum Sanctum ex ipsa divinitate recipiunt immortalem » (Demonstr. 6,14 RJ n. 683).

3°. Effectus baptismi nomine regenerationis praesertim a *s. liturgia* extolluntur, maxime vero in textibus consecrationis aquae baptismalis. Sic e.gr. iuxta praefationem *Sacramentarii Gelasiani* primigenii celebratur Spiritus Sanctus, « qui hanc aquam regenerandis hominibus praeparatam arcana sui luminis

admixtione fecundet ». Haec praefatio aetatem habens 1400 annorum et hodie quoque usitata, comparationem minutissime absolvit: in regeneratione hac « progenies caelestis » nascitur, mater est Ecclesia, cuius uterus immaculatus est divinus fons, foecundans est Spiritus Sanctus: « ....ut sanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam progenies caelestis emergat » (Wilson p. 85). Baptizati ibidem dicuntur « regenerati ex aqua et Spiritu Sancto »; dein « soboles renascentium », baptismi dies autem « regenerationis sacrae dies » (Wilson p. 89. 94. 96). — Haec omnia iam a S. *Leone Magno* dicta erant: « Omni homini renascenti: aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit et virginem, ut peccatum quod *ibi* vacuavit sacra conceptio, *hic* mystica tollat ablutio » (Sermo 4. in Nativit.).

4°. *Regeneratio haec e tribus constat: e remissione plena peccatorum — e remissione plena poenarum — e collatione primae gratiae,* ut Gelasianum dicit: « Vetustate destructa renovantur universa deiecta, et vitae nobis in Christo reparatur integritas » (Wilson p. 94).

a) **Remissio omnium peccatorum in baptismo.**

Incorporatus in Christum remissionem accipit tum peccati originalis, tum omnium peccatorum actualium, ut docet:

1°. *Ecclesia, in Tridentino, Sess. V. can. 5*: « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet....: a.s. In renatis enim *nihil odit* Deus.... innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt,.... ita ut *nihil prorsus* eos ab ingressu caeli remoretur » (Denz. 792). — Haec est enim clara doctrina tradita in:

2°. *S. Scriptura, Rom 6,2-4.* « Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus ». « Mortui sunt » et « consepulti sunt » (synetaphemen) comparatio est, qua veritas aliqua realis vult enuntiari: sicuti mors essentialiter in eo consistit, quod aliquid *desinit esse* etquidem peremptorio modo, ita etiam omnia peccata in baptizato desinunt esse, ut similiter dicit:

3°. *S. Traditio* uti iam vidimus, quod confirmatur *effatis s. liturgiae.* Baptismus est enim « fons vivus, aqua regenerans, unda purificans, ut omnes hoc lavacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu Sancto, perfectae purgationis indulgentiam consequantur » (Gelasianum, Wilson p. 85). « *Perfectae purgationis indulgentia* » autem tunc tantum habetur, si ab omnibus prorsus peccatis liberatur per fontem baptismatis. Sic autem dici potuit eidem baptizato: « Ingressus ecclesiam Dei, evasisse te laqueos mortis laetus agnosce! » (Wilson p. 113).

4°. *Rationem* reddit S. Thomas, dicens: « ....per baptismum homo moritur vetustati peccati, et incipit vivere novitati gratiae. Omne autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet. Unde consequens est, quod omne peccatum per baptismum tollatur » (III q. 69 a. 1.).

b) **Remissio omnium poenarum in baptismo.**

Incorporatus in Christum accipit remissionem omnium poenarum tum aeternae, tum omnium temporalium, ut docet:

1°. *Ecclesia Trid. sess. VI. cp. 14*: dicit satisfactionem esse praestandam christiano homini agenti « poenitentiam post lapsum, multo aliam a baptismali... non quidem pro poena aeterna, quae vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro poena temporali, quae, ut sacrae litterae docent, *non tota, semper, ut in baptismo fit*, dimittitur » (Denz. 807), in baptismo ergo omnis poena dimittitur. Sic enim loquitur:

2°. S. *Scriptura 1 Cor 6,9-11*: « An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes... regnum Dei possidebunt. Et haec quidam fuistis, sed abluti estis, sed iustificati estis, in nomine Domini Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri ». E quibus sequitur, quod ii qui baptizati sunt, ad introitum regni caelorum *iam nullum habent obstaculum.* — Idem sequitur e: *Rom 8,1*: « Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu », nam « damnatio », katakrima, est etiam poena temporalis adhuc luenda. — Idem saepe affirmat:

3°. S. *Traditio.* Sufficit solummodo in memoriam revocare nomen baptismi a *Clemente Alexandrino* relatum: « Gratia (charis), qua remittuntur poenae quae peccatis debentur » (Paedag. I, 6, 25, 3 RJ n. 407). — S. *Augustinus* autem dicit, loquens de recenter baptizato adulto: « Si continuo consequatur ab hac vita emigratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quae tenebant » (De pecc. meritis et remissione II, 28, 46 RJ 1726).

4°. *Ratio* iterum a S. *Thoma* redditur: « *Per baptismum* incorporatur aliquis *passioni et morti* Christi, secundum illud Rom 6,8: Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum eo. Ex quo patet quod omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus et mortuus esset. *Passio* autem Christi ....est *sufficiens* satisfactio *pro omnibus peccatis* omnium hominum. Et ideo, ille qui baptizatur, liberatur a reatu *totius poenae* sibi debitae pro peccatis, *ac si ipse* sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis » (III q. 69 a. 2).

Sicque omnia recedunt a veteri homine qui baptizatur, solummodo *remanent* « *poenalitates* » *peccati originalis.* Quia homo per baptismum non restituitur in statum iustitiae originalis, remanent pro hac vita poenalitates hae, concupiscentia, aerumnae, mors, ut in iis inveniamus segetem virtutum, ad uberiorem gloriam capessendam et in omnibus conformia membra simus Capiti nostro, qui sustulit aerumnas et passionem, oboediensque fuit usque ad mortem.

c) **Collatio gratiae primae et eius comitatus.**

edicitur ab Ecclesia *Trid. sess. VI. cp. 7.* « Iustificatio.... non est sola peccatorum remissio, *sed et sanctificatio* et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum... In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem et caritatem » (Denz. 799 s.) — *Atqui* haec iustificatio seu « translatio ....*sine lavacro regenerationis* aut eius voto fieri non potest » (ibid.

cap. 4), *ergo* baptismus confert gratiam sanctificantem et comitatun eius: virtutes infusas theologicas et morales et dona etiam Spiritus Sancti. Haec dona iam in baptismo dantur, « non itaque existimandum est, dona Spiritus Sancti esse proprium et specialem effectum sacramenti confirmationis, dona enim sunt pars cuiuslibet iustificationis et omni iusto adsunt simul cum infusis virtutibus » (Billot I, 281). Etsi per se omnis iustificatio regeneratio vocari potest, Ecclesia tali sensu exclusivo solummodo iustificationem per baptismum appellat tali nomine, includens in eo totalem remissionem peccatorum et poenarum. « Omnis homo hoc sacramentum regenerationis ingressus in vera innocentia nova infantia renascatur » (Gelasianum I, XLIV Wilson p. 86).

III. pars probatur: baptizatus fit membrum de membro,

et quidem:

a) **Verae Ecclesiae Christi,**

quae est Catholica, nam charactere accepto, « *christianitatem* » accipit, i.e. Christo incorporatur, corpus autem eius est Ecclesia unica, quam Dominus instituit: *Catholica.* « Christianitas » ergo item est unica, quae coniungit cum vero corpore Christi, sc. cum Ecclesia Catholica. Ideo baptismus quilibet, quovis ritu ministratus, etsi in secta quavis haeretica, dummodo sit valide collatus, baptizatum Ecclesiae Catholicae membrum efficit. Ideo *omnes infantes in sectis acatholicis* baptizati, simpliciter *catholici sunt*, et solummodo incipiunt haeretici formales esse, si post annos discretionis voluntarie adhaerent haeresi. Si ergo ante hunc actum, qui praesumendus est, si « confirmationem » Protestanticam iam acceperunt, catholice educentur, nulla absolutione a censura opus est. Ecclesia autem etiam in adultos haereticos plenam iurisdictionem retinet, nam charactere Christi insigniti oves sunt etiam contra voluntatem eorum unius gregis Christi.

b) **Baptizatus servus fit Dei,**

1°. per « baptismum enim.... homo *deputatur* et *iuvatur* ad vitam christiano more degendam » ut Pius XI. dicit (Casti connubii 1930. Denz. 2238). Ut Tridentinum docet, baptizati debitores fiunt « universae legis Christi servandae », et submissi sunt « omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis quae vel scripta vel tradita sunt » (Sess. VII. can. 7. et 8. de bapt. Denz. 863,864.).

2°. Fuse continetur haec doctrina in *S. Scriptura,* Paulo docente *Rom 6, 1-22*: « Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos *in novitate vitae* ambulemus.... et ultra non serviamus ....liberati iam a peccato *servi autem facti Deo* ».

3°. *Traditionis* testimonium optime cernitur in liturgica expressione huius facti, quod baptismo quisquis ad Dei servitium sese obligat, quae vocatur « *Promissio baptismalis* » et in omnibus ritibus, inde fere ab apostolorum temporibus inveniri potest. *S. Cyrillus Hierosolymitanus* tali modo has renuntiationes et promissiones antiquitate venerandas explicat: « Abrenuntio tibi satana et omnibus operibus tuis. Opera satanae quodcunque peccatum est, cui abrenuntiare necesse est, quemadmodum si tyrannum quis aufugit, prorsus

arma quoque ipsius abiicit. Omne igitur peccati genus diaboli operibus accensetur. Verumtamen te illud scire oportet, quaecunque illa praesertim formidabili hora dicis, in Dei libris scripto consignata haberi. Cum autem igitur contra haec agis aliquid, sicuti transgressor iudicaberis (parabatês krithêsê) » (Cat. mystag. 1,5 PG 33,1069). — Ritus autem « *Renovationis promissionum baptismatis* » in Vigilia Paschae clarissime edicit de his promissionibus, quod illis « olim Satanae et operibus eius, sicut et mundo, qui inimicus est Dei, abrenuntiavimus, et *Deo in* sancta *Ecclesia catholica* fideliter *servire* promisimus (OHS. Vig. n. 25).

c) **Ius accipit baptizatus ad gratias.**

Triplex quidem ius distingui potest, quod homo in baptismo accipit: ius ad gratias actuales, ius ad cetera Sacramenta, ius ad offerendum sacrificium Missae.

1°. Ius accipit *ad gratias actuales,* nam homo per baptismum constitutus est, filius Dei formaliter per ipsam gratiam sanctificantem. **a.** Ita S. *Scriptura*: *1 Jo 3,1*: « Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus ». *Rom 8,17*: « Si autem filii et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi ». *Atqui* filiatio haec adoptiva ius involvit non solum ad hereditatem in se ipsa spectatam, *sed et ad media* necessaria ad eam consequendam, quae consistunt in gratiis actualibus. — **b.** Sic quoque S. *Traditio,* quae optime exprimitur *Conc. Milevitano II. can. 4.* Ad vitam enim a nobis more christiano agendam requiritur, « ut *sciamus,* quid appetere et quid vitare debeamus », dein, « ut quod faciendum cognoverimus, etiam *facere diligamus* », demum ut hoc etiam « *valeamus* » (Denz. 104). Aliis verbis: requiritur illustratio *intellectus,* inspiratio *voluntatis* et vires supernaturales additae voluntati, ut taliter agere, i.e. christiano more vivere, actus supernaturales ponere *physice* valeamus. — **c.** Rationem addit autem S. Thomas dicendo: « Per baptismum aliquis incorporatur Christo quasi membrum ipsius. Sicut autem a capite naturali derivatur ad membra sensus et motus, ita a capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra eius *sensus spiritualis,* qui consistit in cognitione *veritatis* et *motus* spiritualis, qui est per gratiae influxum.... Et ideo consequens est, quod baptizati illuminentur a Christo circa cognitionem veritatis et fecundentur ab eo fecunditate bonorum operum per gratiae infusionem » (III q. 69. a. 5.).

2°. Ius accipit baptizatus *ad cetera Sacramenta,* ita ut iure meritoque vocatur baptismus « Sacramentorum ianua ac fundamentum » (can. 737), seu « vitae spiritualis ianua » (Florent. ad Armenos Denz. 696). Sic verificatur, quod baptizatus, incorporatus Christo, intrare potest per Eum, qui dixit: « Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet » (Jo 10,9). In lumine plenae scientiae Novi Testamenti consideratus hic locus aperit nobis veritatem: qui suscipiendo baptismum incorporatus est Christo, ille « *eiselthê* », introierit, i.e. ingressus est in Ecclesiam, « *sôthêsetai* », salvabitur, salutem aeternam hereditabit et nunc iam incepit per gratiae vitam, *kai eiseleusetai* », ingredietur in vitam hanc spiritualem « *kai exeleusetai* » et egredietur, quod accommodare possumus ad egressum animae christianae ex hac vita, « *kai monên heurêsei* », pascua inveniet, doctrinae sanctae et alimoniae caelestis in Eucharistia.

3°. Ius accipit baptizatus *ad offerendum sacrificium Missae,* ut Mediator Dei enuntiat: « Baptismatis enim lavacro *generali titulo* christiani in Mystico Corpore membra efficiuntur Christi sacerdotis, et charactere qui eorum in animo quasi sculpitur, ad cultum divinum deputantur, atque adeo ipsius Christi sacerdotium pro sua conditione participant » (n. 87).

Concludamus tractationem nostram de effectibus baptismi verbis pulcherrimis *S. Basilii Magni*: « Baptismus captivis est redemptionis pretium — debitorum condonatio — mors peccati — regeneratio animae — indumentum lucidum — sigillum infrangibile — vehiculum ad caelum — regni conciliator — adoptionis donum » (In sanctum bapt. 13,5 RJ n. 968).

Litteratura.

A. Rebuffet, La régénération baptismale selon S. Thomas d'Aquin, *in*: Rev. de l'Université d'Ottawa 1955, 73-139. — *J. Giblet,* Le baptême, sacrement de l'incorporation à l'Église, *in*: Lumière et Vie n. 27 (1956) 53-80. — *V. B. Tremel,* Le baptême, incorporation du chrétien au Christ, *ibid.* 1956, 81-102. — *J. Daniélou,* Circoncision et baptême, *in*: Theol. in Geschichte u. Gegenwart (M. Schmaus), München 1957, 755-776.

D) De necessitate baptismi.

Tota doctrina apte sequenti thesi complecti potest:

THESIS. Sacramentum baptismi necessarium est (1) necessitate medii ad salutem omnibus hominibus in re, (2) etiam infantibus, quod tamen, (3) suppleri potest pro adultis voto baptismi, (4) pro omnibus martyrio.

Pars I. probatur: Necessitas medii pro omnibus.

a) **Adversarii.**

Pelagiani inepte distinguentes inter regnum caelorum et vitam aeternam, opinabantur baptismum tantum necessarium esse ad intrandum in regnum caelorum. — *Zwinglius* negabat necessitatem baptismi, non aperte quidem, sed implicite, nam baptismum reputavit externum symbolum tantum. *Calvinus* necessitatem medii negabat, nam dixit, parvulos etiam sine baptismo salvari, nam filiis fidelium non imputatur peccatum originis (Instit. IV, 16,24.). *Henricus Bullinger,* Zwinglii successor in civitate Turicensi iam asseruit, satis esse, si maiores fuerint fideles, licet parentes e quibus nati sint, infideles fuissent.

b) **Vox Ecclesiae.**

Tridentinum sess. VII. can. 5: « S.q.d., baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: A.S. » (Denz. 861). *Sanctus Pius X. Lamentabili*: « Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium eique professionis christianae obligationes annectens » (Denz. 2042).

c) **Scriptura**

probatur necessitas medii ex *Jo 3,5*: nemo intrare potest sine renascentia ex aqua et Spiritu Sancto in regnum Dei. Sed locus iste Scripturae in se consideratus *non sufficit,* nam similis loquendi modus habetur etiam penes Joannem

6,53, ex quo tamen non sequitur necessitas medii absoluta ad salutem manducandi etiam infantibus carnem et sanguinem Domini. Ideo locus citatus Scripturae tantum testimonio Traditionis roboratus probat necessitatem medii baptismi, quod parte II. probandum est.

d) **Traditio.**

Tertullianus De bapt. c. 12: « Praescribitur nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini qui ait: Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam » (RJ 306.).

S. *Cyrillus Hierosol.*: « Qui ad aquam descensurus es, ne ad elementi vilitatem attende, sed Spiritus Sancti efficacia salutem suscipe, nam sine ambobus salutem consequi non potes. Non ego sum, qui hoc dico, sed D.N.J. Christus, qui huius rei potestatem habet, dicit enim· Nisi quis renatus fuerit... » (Cat. myst. III, 10 RJ n. 811).

S. *Basilius Magnus*: « Israel nisi transisset mare, a Pharaone seiunctus non fuisset, tu quoque nisi per aquam transieris, ab amara diaboli tyrannide non separaberis » (De s. baptisma c. 2. PG 31,427), quod videtur necessitatem medii involvere.

Sed necessitas medii maxime probatur eo, quod etiam infantibus necessarius est baptismus ad salutem, infantes enim praecepti non sunt capaces.

e) **Ratione sic probatur**

per S. Thomam: « Manifestum est quod *nullus* potest salutem consequi *nisi per Christum*... Ad hoc autem datur baptismus, ut aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo, factus membrum ipsius... Unde manifestum est, quod omnes ad baptismum tenentur, et sine eo non potest esse salus hominibus » (III q. 68. a. 1.).

Pars II. probatur: Necessitas medii etiam pro infantibus.

a) **Adversarii.**

Haereses baptismum infantium inutilem putantes etiam hodie valde diffusae sunt, et quia sectae hae, in genere « *Baptistae* » nuncupatae, doctrinas suas ubique terrarum late sparseque diffundunt et satis exemplarem vitam ducunt, influxus eorum inter Protestantes, imo etiam Catholicos negari non potest.

1°. Primi Baptistae, « *Anabaptistae* » (Wiedertäufer, ujrakeresztelök) vocati, tempore reformationis primigeniae in Germania exorti (1522 Storch Wittenbergae, 1523 Thomas Münzer in civitate Allstedt) dicebant baptismum parvulorum invalidum esse ideoque adultos rebaptizandos praedicabant. Primus baptismus iteratus collatus est anno 1525. in Helvetia, unde doctrina nova per totum Imperium Germanicum diffusa est. Motio haec anabaptistica per decem annos maximam anarchiam involvit perturbavitque statum rerum civilium per polygamiam, communionem bonorum, crudelitates, combustiones monasteriorum et bibliothecarum. Post expugnationem urbis eorum capitalis, Monasterii in Westphalia, anno 1535. pars eorum moderata sacerdotem Mennonem Simonis in ducem elegit, inde autem *Mennonitae* vocati, adhuc nostris diebus existunt.

2°. Baptistarum secta etiam *in Anglia* saec. XVI-o independenter a terra continente exorta est, adultos rebaptizabant et eos solos baptizandos esse autumabant (nunc vocantur « *General-Baptists* »). — Eodem in regno anno 1640 Londini Richard Blount novam sectam Baptistarum fundavit, qui solummodo adultos baptizandos esse praedicabant et ad validitatem per immersionem. Hi « *Baptistae regulares* » (Regular-Baptists, seu Particular-Baptists) hodie circiter 33 millionum animas computant, inde ab anno 1905 in associationem mundi confoederati. Nunc iam in multas sectas subdivisi sunt, inter quas maxima est « *Discipulorum Christi* » (disciples of Christ) ab anno 1832.

3°. Baptismum adultorum profitebantur etiam « *Rynsburgenses* » seu « *Collegiantes* » in Neerlandia (Hollandia) post Synodum Dordracensem (1618-19) exorti, et adhuc existentes.

4°. *Neobaptistae* (Neutäufer, uj-baptisták) vocantur ii, quorum sectam Samuel Fröhlich in Helvetia 1835 fundavit, inde et « *Fröhlichiani* » nuncupati, qui praeter doctrinam « baptisticam » indolem etiam *eschatologicam* et chiliasticam prae se ferunt. Haec secta hodie quoque viget etiam in Statibus Unitis Americae, ubi « *Apostolica Christiana Ecclesia* » appellari vult (Apostolic Christian Church). — Ex hac secta exorta et ulterius evoluta est secta « *Nazarenorum* », fundata 1840. a duobus opificibus Hungaricis, fratribus Hemsey, baptismum adultorum per immersionem docentes, insuper iuramentum et servitium militare recusantes — (K. Algermissen LfThk 2. ed. I. 1957, 1229-32).

5°. Independenter ab his sectis in America Septentrionali exorta est anno 1845. secta « *Adventistarum* », qui maximam propagationem fere ubique efficiunt, docentes praeter baptismum adultorum *adventum* Christi *proximum* esse, profitentes chiliasmum seu regnum Domini terrenum millenare, sanctificationem Sabbati, abstinentiam a carnibus suinis et potionibus alcoolicis inculcantes. — (K. Algermissen LfThK 2. ed. I. 1957, 161-4).

6°. *Modernistae* aliqui impudenter asseruerunt quod usus conferendi baptismum infantibus fuit solummodo evolutio disciplinaris (cf. Prop. 43. a Pio X. damnatam inferius).

b) **Vox Ecclesiae**

Trident. sess. VII. can. 13. « S.q.d., parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae: A.S. » (Denz. 869). — Quo canone respondetur difficultati quae forsan exoriri possit e Sess. VI. cp. 7. « per voluntariam susceptionem gratiae », quod ad adultos tantum referendum est, uti ex hoc canone cerni potest. *Sanctus Pius X.* « *Lamentabili* ». Prop. 43. damnata: « Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit, ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et poenitentiam » (Denz. 2043).

c) **S. Scriptura**

in genere necessitatem baptismi generalem dicit, neminem excipiendo. — Commendare videtur paedobaptismum *Col 2,11-12*: « Circumcisi estis circum-

cisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed *in circumcisione Christi,* consepulti ei in baptismo », *sed* circumcisionem praecise infantes octo dierum accipiebant, si ergo hi exclusi essent, minus recte vocaretur baptismus « *peritomê tou Christou* ».

Id autem, quod de verisimilitate paedobaptismi e S. Scriptura adhuc iure affertur, sensu stricto non est argumentum scripturisticum, sed argumentum *historicum* traditionis. Nam:

d) **Traditio**

potens allegari potest pro usu baptizandi infantes, inde a I. saeculo. Praesertim investigatio *J. Jeremias* hoc ostendit (Die Kindertaufe in den ersten vier Jahrhunderten, Göttingen 1958).

1°. Primum quidem *Apostolorum praxis* videtur paedobaptismum exercuisse. *Cornelius* centurio Caesareae Petrum et socios eius « expectabat convocatis cognatis suis (tous syngeneis autou) et necessariis amicis... Et Cornelius ait... Nunc ergo omnes nos (pantes hêmeis) in conspectu tuo adsumus audire omnia... Et iussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi » (Act 10,24. 33. 48). — Similiter *Act 16,14 s. Lydia,* « porphyropolis », purpuraria i.e. qui purpura venditat, Philippis « aperuit cor intendere his, quae dicebantur a Paulo, cum autem baptizata esset et domus eius (kai ho oikos autês)... ». In domo eius sine dubio debebant esse etiam infantes, qui ergo baptizati sunt, — Act 18,8 autem *Crispus,* archisynagogus Corinthii « credidit Domino cum omni domo sua (syn holô tô oikô autou) et multi Corinthiorum audientes credebant et baptizabantur », ubi tota domus item de infantibus quoque intelligi commendatur. — Simili modo loquitur S. Paulus de alio Corinthiaco: « Baptizavi autem et *Stephanae domum...* » (1 Cor 1,16). Parvulorum baptismus tota aetate ante Constantinum Magnum in usu fuit, dilatiobaptismi ad aetatem adultiorem incognita, (Jeremias p. 56), solum saec. IV. hoc multi fecerunt, postea iterum praxis paedobaptismi invaluit (cf. Theol. Rev. 1959, 232-4).

2°. *Praxis coaetanea iudaeorum* quoque fuit « baptizare », i.e. « *tebila* », lavacro participari iubere infantes Proselytarum, qui circumcisionem non acceperunt, ut Jeremias ostendit, unde iure fit conclusio analogiae ad paedobaptismum *christianum* eodem tempore.

3°. Quod versus 69-70 post Chr. natum infantes *revera* baptizabantur, demonstratur exemplo *S. Polycarpi,* qui anno 156 dixit, se per 86 annos servivisse Christo, quod aliter intelligi non potest, nisi quod iam aetate infantili baptizatus est.

4°. Eodem tempore *Hermas* adeo necessarium putavit baptismum, quod docuit apostolos post mortem descendisse in inferos, ut eos, qui ante eos mortui sunt, signarent verbo, cum iis descendebant in fontem et rursus ascendebant (Poimen, Simil. IX.).

5°. *S. Irenaeus* clare enuntiat principium: Jesus omnes homines sine exceptione vult salvos fieri: « Omnes venit per semetipsum salvare, omnes, inquam, qui per Eum renascuntur in Deum,: infantes et parvulos, et pueros, et iuvenes et seniores » (Adv. haer. II, 22, 4 RJ n. 201). Enumeratio perfectior non posset esse.

6°. Idem principium *saeculo III-o ineunte* inveniri potest apud *Tertullianum*, qui dein pruritu innovationis seductus, commendat « cunctationem baptismi », eo indicans, se innovare velle: « Praescribitur nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi quis renatus fuerit.... Pro cuiusque personae condicione ac dispositione etiam aetate, cunctatio baptismi utilior est, praecipue tamen circa parvulos » (De bapt. 18,10 PL 1, 1221.).

7°. *Origenes* circa 240 paedobaptismum simpliciter institutum reputat apostolicum: « Ecclesia *ab apostolis* traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt, divinorum, quod essent in omnibus, genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum Sanctum ablui deberent » (In ep. ad Rom. 5,9 RJ n. 501). — Usum hunc constantem esse Ecclesiae, clarissime prodit: « Baptisma Ecclesiae pro remissione peccatorum datur, secundum *Ecclesiae observantiam* etiam parvulis baptismum dari, cum utique si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet, et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur » (In Levit. hom. 8,3 RJ n. 496). — *Origenes* iam clare cognovit, baptismum parvulorum necessarium esse propter peccatum originale, quod dein Patres posteriores uno ore docebant. Sic:

8°. S. *Cyprianus* dicens: « ...prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit » (Ep. 64,5 RJ n. 586).

9°. Similiter saepe S. *Augustinus*, e.gr.: « Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostoli praedicationem venit et *totam condemnat Ecclesiam*, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse » (Ep. 166,7,21 RJ n. 1439), Sic saepe aliis quoque in locis.

e) **Ratione**

quoque probari potest, infantes baptizandos esse necessitate medii, nihilque huic obstare. Nam:

1°. *Voluntas Dei salvifica universalis* etiam ad eos se extendit. *Sed* « ipsis non potest alio remedio subveniri, nisi per Sacramentum baptismi » (Florentin. Decr. pro Jacobitis, Denz. 712). *Ergo* evidenter possunt et debent baptizari. — *Minor probatur* a S. *Thoma* per celebrem casum pueri, qui *in deserto natus* baptizari non potest et num talis salvari possit per fidem parentum. Ad quem casum S. Doctor sic: « Ab illa damnatione, quam humanum genus incurrit propter peccatum primi parentis, nullus potest liberari nisi per Christum... ita sc. ut *ei incorporetur*, sicut capiti membrum. Hoc autem *tripliciter* fieri potest. Primo per susceptionem baptismi... Secundo per sanguinis effusionem propter Christum... Tertio modo per fidem et dilectionem... Manifestum est autem, quod in pueris nondum habentibus usum rationis non potest esse motus fidei et dilectionis aut propositum suscipiendi baptismum... Et sic patet, quod puer in deserto moriens sine baptismo salutem non consequitur » (Quodl. 6. a. 4). — *Paulo aliter probatur minor*: « Pueri non sunt capaces motus liberi arbitrii et ideo moventur a Deo ad iustitiam per solam informationem animae ipsorum. Hoc

autem non fit sine Sacramento, quia sicut peccatum originale, a quo iustificantur, non propria voluntate ad eos pervenit, sed per carnalem originem, ita etiam per spiritualem regenerationem a Christo in eos gratia derivatur » (I-II q. 113. a. 3. ad 1).

2°. Baptismo parvulorum non obstat, quod non possunt habere *fidem et intentionem.* Baptismus etenim ad salutem non est necessarius e rerum natura, sed e positiva voluntate Dei. *Atqui* Deus, uti e revelatione scimus, voluit parvulos post promulgationem Evangelii praecise salvari per Sacramentum baptismi.

3°. Non obstat paedobaptismo, quod parvuli iam ut tales *obligari possunt* pro tota sua vita. Hoc Ecclesia definivit: *Trident. sess. VII. can. 14*: « S.q.d., huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, *interrogandos esse,* an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur: A.S. » (Denz. 870), *contra Erasmum,* qui hanc sententiam protulit. — At immerito, nam ratione theologica ostendi potest, quod revera parvuli *obligari possunt* ad vitam christianam.

a. Infantes enim *iure naturae* observare tenentur *pacta,* quae eorum parentes vel tutores in eorum *utilitatem temporalem* inierunt. A fortiori ergo servare tenentur pactum baptismi, quod pro observatione iugi suavis et oneris levis vitam aeternam eis procurat.

b. Etiam *leges civiles* parvuli suscipiunt ipsa nativitate, et eas observare tenentur, etsi interdum *valde durae* esse possunt et ubique terrarum etiam in aliquibus casibus vitae sacrificium quoque exigant: a fortiori ergo ligari possunt lege divina positiva, quae omnes homines obligat in ordine gratiae.

c. *Lex Mosaica* parvulis octo dierum circumcisionem praescribens institutione divina positiva vigebat, ad utilitatem parvulorum quibus statum gratiae procurabat. Hac lege circumcisionis per totam vitam *obnoxius erat Legi Mosaicae* satis durae, et hoc e voluntate divina. *A fortiori* ergo circumcisio spiritualis, baptismus nimirum, voluntate positiva Dei obligatorius potest esse pro parvulis, quibus salutem confert et multo mitius iugum imponit ac Mosaica circumcisio (Hurter III, 281 s.).

Pars III. probatur: votum baptismi supplet Sacramentum.

Baptismus pro adultis suppleri potest *per actum caritatis perfectae,* qui actus necessario in se includere debet votum baptismi. *Votum est desiderium efficax baptismi suscipiendi,* hoc est votum *explicitum,* si autem quis non cognovit obligationem baptismi, haberi potest votum implicitum baptismi: i.e. si cognosceret hanc obligationem *qua* voluntatem Dei, hanc susciperet. Iustificatio per caritatem perfectam effecta semper in ordine gratiae Novae Legis includit votum baptismi *saltem impiicitum,* ideo iure vocatur etiam simpliciter « votum baptismi » vel « baptismus Spiritus » Sancti scilicet, vel alia voce « baptismus Flaminis » (flamen = flatus, idem ac « spiritus »). — Per baptismi votum, seu per baptismum Flaminis remittitur reatus culpae et reatus poenae aeternae et infunditur gratia, sed: *tota poena temporalis non* remittitur, *character non* imprimitur, *nullum ius* habet ad Sacramenta recipienda et non fit *membrum* Ecclesiae.

a) **Vox Ecclesiae.**

Trident. sess. VI. cap. 4: « ...quae quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis *aut eius voto* fieri non potest » (Denz. 796).

Doctrina includitur etiam *in damnatione propositionis 31. Mich. Baii quae* sic sonat: « Caritas perfecta et sincera, quae est de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum » (Denz. 1031).

b) **Scriptura**

dilucide praedicat caritatem perfectam hominem iustificare: *Jo 14,21.23*: « Qui diligit me, diligetur a Patre meo... Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ». — *Factum* autem iustificationis ante baptismum Scriptura evidenter enarrat in casu *Cornelii centurionis*, qui antequam baptizaretur, iam « cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum » (Act. 10,44).

c) **S. Traditio**

semper doctrinam hanc professa est, sufficit invocare testes — ut S. Bernardus dixit: duas columnas, Ambrosium et Augustinum. 1°. *Ambrosius* in oratione funebri Valentiniani II. imperatoris haec dixit: « Audio vos dolere quod non acceperit Sacramenta baptismatis.... Atqui etiam dudum hoc voti habuit, ut, et antequam in Italiam venisset, initiaretur et proxime baptizari se a me velle significavit et ideo prae ceteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit?... Et unde illud est? Iustus quacunque morte praeventus fuerit, anima eius in requie erit... Qui habet Spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? » (De obitu Valentiniani 51.52. RJ n. 1328).

2°. *Augustinus* autem in libro De baptismo contra Donatistas haec scripsit: « Nec ego dubito catechumenum catholicum divina caritate flagrantem haeretico baptizato anteponere... Melior enim centurio *Cornelius* nondum baptizatus *Simone* baptizato. Iste enim et ante baptismum Sancto Spiritu impletus est, ille et post baptismum immundo spiritu inflatus est... Quibus rebus omnibus ostenditur aliud esse sacramentum baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri, hoc si unum horum defuerit ideo putare debemus consequens esse, ut et alterum desit... *complente Deo*, quod non ex voluntate defuisset, cum vero *ex voluntate* alterum horum defuerit, reatu hominem involvi » (l. IV, 21. et 25. PL 43,172 - RJ n. 1629. et 43,176).

Pars IV. probatur: martyrium supplet baptismum pro omnibus.

a) **Vox Ecclesiae.**

Martyrium salvare etiam non baptizatos, imo parvulos quoque, doctrina est Ecclesiae, quae nunquam fuerit impugnata, ideoque nunquam definita. Dici tamen potest doctrinam hanc esse *de fide catholica*, non solum theologice certam (Lercher p. 142), nam Ecclesia magisterio suo ordinario docet hanc efficaciam martyrii. Hoc uberrime patet inspectis *catechismis omnibus*, luculenter illustratur sermonibus et scriptis *Patrum* et omnium *concionum* in honorem e.gr. *Sanctorum Innocentium* habitorum, circa quos nunquam inquisivit Ecclesia,

num circumcisi fuerint necne, sed coluit et colet eos in utraque Ecclesia, occidentali et orientali, quia sanguis eorum pro Christo fusus est. — *Tridentinum* non enumerat martyrium, imo apparenter videtur id excludere, quando loquitur de mediis iustificationis procurandae in Prooemio sessionis VII.: « Ad consummationem salutaris de iustificatione doctrinae... consentaneum visum est de sanctissimis Ecclesiae sacramentis agere, per quae *omnis vera iustitia* vel incipit, vel coepta augetur vel amissa reparatur » (Denz. 843 a.). His autem nullo modo voluit doctrinam constanter professam exludere, sed Concilium de mediis *ordinariis* loquens noluit martyrium ut medium extraordinarium, raro usitatum et effectum solummodo per privilegium divinum producens memorare, quod insuper a nemine impugnabatur.

b) **Sacra Scriptura**

clarissime affirmat martyrium perducere in regnum coelorum. Sic *absoluta* habetur *promissio* Christi: qui usque ad amissionem vitae confessus est eum, salvabitur, nulla adiecta restrictione de baptismo. *Mt. 10,39*: « Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam ». — *Lc 9,24*: « Qui enim voluerit animam suam (i.e. personam suam terrenam) salvam facere, perdet illam, nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. Quid enim proficit homo si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat et detrimentum sui faciat? Nam qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua et Patris et angelorum »; *Jo 12,25*: « Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam ». — Omnes hi loci Scripturae per unanimem Traditionem semper intelligebantur de martyrio.

c) **Traditio**

enim luculentissime demonstrat doctrinam, martyrium gratiam primam conferre, delere peccata et omnes poenas, ita ut sive baptizatus sit, sive non, sive in statu gratiae fuit sive non, per martyrium statim in coelum recipitur. Martyrium, ut patet, *supponit saltem attritionem*, quae utique adest, nam voluntarie suscepit cruciatus et mortem pro Christo. Ut enim testimonia de martyrio recte intelligi possint, *genuina notio* christiana martyrii prae oculis habenda est. Ut breviter recolamus alibi dicta, ad martyrium pertinet: 1. *mors secuta*, etsi non statim, ex aliquo cruciatu, 2. « martyres non poena, *sed causa* facit »: i.e.ii, qui ex odio fidei perimuntur, sunt tantum martyres, etsi alia causa praetenderetur, 3. « martyr *non repugnat* », ideo milites Crucigeri non sunt martyres etsi pro vera fide mortui sint dimicando. Tali martyrio coronati *statim* in coelum evolant, etsi nondum baptizati fuissent: haec est doctrina, quam Traditio semper professa est.

1°. *Melito Sardensis* versus 180 clare edicit: « Duo sunt remissionem peccatorum praebentia: passio propter Christum et baptismus » (allegatum a Lercher p. 145).

2°. In *Passione Perpetuae et Felicitatis* vocatur martyrium « baptisma Secundum », in quo includitur vis eius remissiva.

3°. *Origenes* post 244 enuntiavit: « Audi nunc, quantae sint remissiones peccatorum in evangeliis. Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum, secunda remissio est in passione martyrii » (In Levitic. hom. 2,4 RJ 493).

4°. *Tertullianus* manifeste prodit doctrinam catholicam: « Est quidem et nobis secundum lavacrum, unum et ipsum sanguinis scilicet.... Hic est baptismus, qui lavacrum *et* non acceptum repraesentat, *et* perditum reddit » (De bapt. 16. RJ n. 309). Repraesentat, i.e. vices eius supplet, si baptismus collatus non fuerit, si autem in peccati statu fuerit martyr, tunc « reddit » baptismi effectum: remissionem peccatorum.

5°. S. *Cyprianus* in Exhortatione martyrii scribit statim sequi effectum martyrii: glorificationem caelestem, dicens: « Ne vereamur occidi, quos constet, quando occidimur, coronari » (Ep. 56,3, Kirch Enchiridion fontium hist. eccl. ant. n. 285). Simili modo locuti sunt *Martyres Scilitani,* anno 180. Nartzalus e.gr. dixit: « Hodie martyres sumus in coelis: Deo gratias »! (Kirch n. 74).

6°. E Patribus aliorum saeculorum sufficiat allegare S. *Chrysostomum,* qui in homilia de martyre Luciano edixit: « Nec miremini, quod baptismum martyrium nuncupavi: nam *et hic* Spiritus cum multa advolat ubertate ac peccatorum abolitio et animae fit purgatio quaedam mirabilis ac stupenda, et quemadmodum ii baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluuntur » (RJ 1139). — S. *Augustinus* autem simili modo loquitur: « Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum illis valet ad dimittendum peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis » (De civ. Dei 13,7 RJ 1759). — S. *Gennadius* versus 470 comparationem instituens inter baptismum aquae et sanguinis dicit: « Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, martyr coram persecutore; ille post confessionem aspergitur aqua, hic sanguine; ille per impositionem manus pontificis recipit Spiritum Sanctum, hic templum efficitur Spiritus Sancti » (Lib. de eccl. dogmatibus c. 74).

e) **Rationes**

afferuntur a S. *Thoma* pro baptismo sanguinis. « Baptismus aquae efficaciam habet a passione Christi et a Spiritu Sancto... Passio Christi operatur quidem in baptismo aquae per quamdam figuralem repraesentationem, in baptismo autem flaminis vel poenitentiae per quamdam affectionem, sed in baptismo sanguinis per *imitationem operis.* Similiter etiam virtus Spiritus Sancti operatur in baptismo aquae per quamdam virtutem latentem, in baptismo autem poenitentiae per cordis commotionem, sed in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis et affectionis fervorem » (III q. 66 a. 12). — *Cur* habeat martyrium hanc *vim supplendi* baptismi effectum, declaratur sic: « Tanto magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit et rem magis odiosam eligit pati. Manifestum autem est, quod inter omnia alia bona praesentis vitae maxime amat homo ipsam vitam et e contrario maxime odit ipsam mortem... Et secundum hoc patet, quod martyrium inter ceteros actus humanos est perfectius secundum suum genus, quasi maximae caritatis signum, sec. illud Jo 15, 13: « Maiorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis » (II-II q. 124. a. 3).

Litteratura.

Risi, De baptismo parvulorum in primitiva Ecclesia, Roma 1870. — W. *Hellmann,* Wertschätzung des Martyriums als eines Rechtfertigungsmittels in der altchristlichen Kirche, Breslau 1912. — J. B. *Umberg,* Kajetans Lehre von der Kinderersatztaufe auf dem Trienter Konzil, *in*: ZfkTh 1915, 452-464. — A. *Landgraf,* Kindertaufe und Glaube in der Frühscho-

lastik, *in*: Gregorianum 1928, 337-372. — *P. Hörger,* Concilii Tridentini de necessitate baptismi doctrina, Roma 1942. — *P. Gumpel,* Unbaptized infants: May they be saved? *in*: Downside Review 1954, 339-458. — *M. Diekhans,* Das Schicksal der ungetauften Kinder, *in*: Theol. u. Glaube 1955, 412-422. — Neue Arbeiten über das Schicksal der ungetauft verstorbenen Kinder, *in*: Herder Korrespondenz 1955, 458-464. — *L. Renwart,* Le baptême des enfants et les limbes. — À propos d'un document pontifical récent, *in*: Nouv. Rev. théol. 1958, 449-467. — *J. Jeremias,* Die Kindertaufe in den ersten vier Jahrhunderten, Göttingen 1958. — *Ch. Journet,* La volonté divine salvifique sur les petits enfants, Bruges 1958.

E) De personis sacramentalibus baptismi.

Agendum est 1. de ministro baptismi, dein 2. de subiecto baptismi, demum 3. de patrinis baptismi.

1. De ministro baptismi.

THESIS. Minister (1) ordinarius baptismi sollemnis est sacerdos, respective parochus, (2) extraordinarius est diaconus, (3) in baptismo autem necessitatis est quicumque homo.

I. et II. pars theol. certa e legislatione Ecclesiae, III. de fide.

Pars I. probatur: minister ordinarius est sacerdos, resp. parochus.

Ratione modi, quo baptismus administratur, habetur baptismus *sollemnis,* qui cum omnibus ritibus ab Ecclesia praescriptis ministratur, et habetur baptismus *necessitatis* seu *privatus,* si in mortis periculo ea tantum ponantur, quae sunt ad baptismi validitatem necessaria (can. 759 § 1.).

a) **Lex Ecclesiae de ministro ordinario.**

Can. 738. § *1*: « Minister ordinarius baptismi sollemnis est *sacerdos,* sed eius *collatio reservatur parocho* vel alii sacerdoti de eiusdem parochi vel Ordinarii loci licentia, quae *in casu necessitatis* legitime praesumitur ».

1°. « *Est sacerdos* »: quod constat e perpetua praxi Ecclesiae, « cui ex officio competit baptizare » (Florent. Decr. de Armenis Denz. 696). Ratio est, quia sacerdos habet ius et potestatem ad Eucharistiam conficiendam, et in eo statu ponitur, quod possit fieri curator animarum, proinde ordinatione sua ius accipit ad baptismum ministrandum, quo Sacramento ius ad Eucharistiam sumendam largitur.

2°. « *Collatio reservatur parocho* »: ratio est, quod administratio Sacramentorum ad munera propria curatorum animarum pertinet, Ecclesiae autem incorporare aliquem est primus gressus quo homo fit membrum Ecclesiae et quidem determinatae dioecesis et paroeciae.

3°. « *In casu necessitatis* » licentia parochi legitime praesumitur. Necessitas haec fere eadem censetur, quae ad baptismum necessitatis requiritur. In nostris regionibus christianis ista necessitas est periculum mortis, in locis missionum autem etiam absentia parochi vel difficultas eum adeundi. Haec necessitas contingere potest etiam in regionibus christianis, suppositis extraordinariis adiunctis.

b) **Qui sint subiecti parocho quoad baptismum,**

declarat lex Ecclesiae: *Can. 738 § 2*: « Etiam peregrinus *a parocho proprio* in sua paroecia sollemniter baptizetur, si id *facile et sine mora* fieri potest, secus peregrinum quilibet parochus in suo territorio potest sollemniter baptizare ». — *Can. 739*: « In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum sollemnem conferre ne sui quidem loci incolis ».

1°. « *A parocho proprio* » debet peregrinus baptizari iuxta legem, debet ergo se conferre, vel afferri, si infans sit, in paroeciam propriam. Parochus autem extra suum territorium non potest baptizare, e.gr. in clinica, ubi natus est suus subditus, si clinica ad aliam paroeciam pertinet, a fortiori non alius sacerdos, qui in omni casu licentia indigebit.

2°. « *Si id facile et sine mora fieri potest* »: nam baptismus est Sacramentum maxime necessarium ad salutem. Causae ergo esse possunt, ne proprius parochus baptizet suum subditum: si paroecia longe distet, si infanti vitae periculo esset iter longinquum, vel si baptismus ideo diutius differri deberet, quod iam aliquot dies intelligi debet. Recte dicitur, quod hoc fere semper accidere potest, si mater in sanatorio seu clinica parturit (Merkelbach n. 137,2 et Schöllig p. 25). In hoc casu parochus baptizans baptismum in suo libro adnotat, dein certiorem facit etiam parochum, cuius subditus baptizatus est (can 778).

3°. Quod ergo *vagos attinet*, parochus eorum proprius est, in cuius territorio iuxta can. 94. « actu commorantur ».

4°. Quod *adultos attinet*, minister baptismi eorum ordinarius est secundum legem — uti videtur directivam — Ecclesiae: *Ordinarius loci*: « Adultorum baptismus, ubi commode fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si voluerit, ab eo, vel eius delegato, sollemnius conferatur » (can. 744). Ratio est, ut ubi baptismus adultorum rarior est ipse Ordinarius vel eius delegatus Sacramentum cum sollemnitate administret (Schöllig 27). « Verba ista temperate sunt posita, ut potius quam praeceptum, continere videantur votum quod ipse Ordinarius *complere* potest statuto, quo baptismum adultorum sibi reservet » (Vermeersch p. 184).

Pars II. probatur: Extraordinarius minister est diaconus.

Lex Ecclesiae:

Can. 741: « Extraordinarius baptismi sollemnis minister est diaconus, qui tamen sua potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, iusta de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur ».

1°. « *Sua potestate* » utitur diaconus quando baptizat, nam in ordinatione dictum est ei: « Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare ». Ideo si etiam sine iusta causa et licentia conferret baptismum sollemnem, graviter quidem peccaret, sed non fieret irregularis, nam non usurpavit ordinem, sed suam potestatem exercuit.

2°. « *Iusta de causa* » est concedenda licentia, non ergo gravis causa assignatur, ut de communione administranda per diaconum (can. 845 § 2). Iusta causa esse potest: si parochus vel sacerdos infirmetur, si concionem habendam praeparet, audiendis confessionibus occupatus fuerit, etiam si diaconus infantem

sibi proxime coniunctum vellet baptizare « pro solatio » (Vermeersch n. 213.), immo forte etiam aliquoties ad ordinem suum exercendum.

3°. *Ritus*, si diaconus baptizet, idem est ac si sacerdos administret baptismum, excepta stola transversa. Uti debet *sale* a sacerdote benedicto (Rit. Rom.), deficiente sale benedicto, omittere debet hanc caeremoniam (C. Rit. 10 feb. 1888 d 3684 et Moretti I. n. 163).

Pars III. probatur: quicunque valide baptizare potest.

a) **Vox Ecclesiae.**

1°. *Conc. Lateranse IV. cp. 1*: « Sacramentum vero baptismi... tam parvulis. quam adultis in forma Ecclesiae a *quocunque* rite collatum proficit ad salutem » (Denz. 430).

2°. *Conc. Florent. Decr. pro Armenis*: « Minister huius Sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae et facere intendat, quod facit Ecclesia » (Denz. 696).

3°. *Professio fidei Orientalibus a Benedicto XIV. praescripta*: « Item baptismum esse necessarium ad salutem ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocunque et quandocunque sub debita materia et forma et intentione collatum esse validum » (Denz. 1470).

b) **S. Traditio**

quoque semper baptismum a quocunque in casu necessitatis licite conferri posse dixit, etsi non defuerunt, qui baptismum per mulierem collatum vetabant, etsi non certo constet num eum etiam invalidum habuerint, nam quaedam feminae haereticae sibi potestatem sacerdotalem vindicabant.

1°. *Tertullianus* e.gr. haec dicit: « Dandi quidem habet ius summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiae honorem, quo salvo salva pax est. Alioquin etiam laicis ius est » (De bapt. 17).

2°. *S. Hieronymus*: « Sine chrismate et episcopi iussione neque presbyter neque diaconus ius habet baptizandi. Quod frequenter si tamen necessitas cogat, scimus licere etiam laicis » (Dial. contra Luciferianos 9. R.J n. 1359).

3°. *S. Augustinus*: « Quamquam etsi laicus aliqua pereuntis necessitate compulsus dederit... nescio utrum quisquam pie dixerit, esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est, si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed et si nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum » (Contra epistulam Parmeniani II, 13, 29 RJ n. 1618).

Normae pastorales quoad baptismum necessitatis.

a) Baptismus talis *in mortis periculo* conferri potest, « si conferatur a ministro, qui nec sacerdos sit nec diaconus, ea tantum ponantur, quae sunt ad

baptismi validitatem necessaria; si a sacerdote vel diacono, serventur quoque, si tempus adsit, caeremoniae, quae baptismum sequuntur » (can. 759 § 1).

b) Baptismus talis non sollemnis, « potest *a quovis ministrari*, servata debita materia, forma et intentione » (can. 742 § 1). « A quovis » homine ergo potest talis baptismus dari: sive viro, sive femina, sive catholico, sive haeretico, vel infideli, puero vel ab adulto. *Excluduntur quoad liceitatem* tantum: *ambo parentes*: « Patri aut matri suam prolem baptizare non licet, praeterquam in mortis periculo, quando alius praesto non est, qui baptizet » (can. 742 § 3.). *Ratio* est, quod non decet, quod eadem persona corporaliter et simul spiritualiter habeat paternitatem, insuper patrinus supplere debet vices parentum, si deficiant. At — ut Vermeersch monet — haec ratio gravem obligationem non videtur inducere, et si parens magis peritus sit in baptizando, poterit, ut saluti prolis melius consulat, ipse potius, quam minus idoneus infantem baptizare (p. 193).

c) « Quatenus fieri potest, adhibeantur *duo testes vel saltem unus*, quibus baptismi collatio probari possit » (can. 742. § 1). — Nam probari debet baptismi validitas, ideo parocho obligatio incumbit, quando caeremonias supplere debet, investigationem instituere. *Interrogationes* hae commendantur:

1°. Quis baptizavit? Quia persona anxia, vel persona quieta aliter ac aliter iudicari debet, ideo interrogandum:

2°. Num baptizans valde commotus et perturbatus fuerit? « In quibus ob repentini casus periculum omnia festinanter et perturbate agenda erant, facilius est dubitandi locus » (Merkelbach n. 141,3).

3°. Quoad materiam: Quomodo baptizasti? Quid infudisti? Scire enim debet, quam aquam et quantam et ubi effuderit.

4°. Quoad formam: Etiam locutus es aliquid ad baptismum? Quid dixisti? Audiri potuit, quod dixisti?

5°. Quoad simultaneitatem materiae et formae: Quando dixisti hoc? Post infusionem vel ante eam?

6°. Intentio recta praesumi potest, nisi specialis adsit causa dubii. Ceterum, si aliquod dubium remaneret, sub conditione baptizari debet.

d) *Rectus ordo ministrorum* eligendorum est hic: « Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare vel nisi femina noverit melius formam et modum baptizandi » (can. 742 § 2.). — In praxi saepe medici et obstetrices et sorores sanitariae ad tale baptismum necessitatis adhibentur, ideo « curet parochus ut fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi, rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant » (can. 743).

e) Post baptismum, si baptizatus supervixit, « caeremoniae quae in baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint quamprimum in ecclesia *suppleantur* », (can. 759 § 3.). Si autem in « priore baptismo adhibitae sunt, repeti aut omitti possunt », in casu e.gr. si sacerdos vel diaconus caeremonias post-baptismales in baptismo necessitatis iam dhibuit (can. 760).

2. De subiecto baptismi.

Principium generale est: « Subiectum baptismi est *omnis* et *solus* homo viator, nondum baptizatus » (can. 745 § 1). *Omnis* homo, nam sic sonat praeceptum Domini, ut omnes gentes baptizentur, *solus* homo viator, nam mortui iam non sunt in statu viae ideoque Sacramenta suscipere non possunt.

Nunc autem singulae classes baptizandorum investigandae sunt, eo ordine, ac in Codice Iuris Canonici adducuntur.

a) Baptismus infantium catholicorum.

1°. Infantium *nomine* venit iuxta can. 88 § 3: « Impubes, ante plenum septennium, dicitur infans vel parvulus et censetur non sui compos, expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur ». « Eisdemque accensentur amentes ab infantia, in quavis aetate constituti » (can 745 § 2. nr. 1).

2°. *Lex* autem *fundamentalis de infantibus* est can. 770: « Infantes *quamprimum baptizentur*, et parochi ac concionatores frequenter fideles de hac *gravi* eorum obligatione commoneant ». Quid sit « quamprimum », quaeritur ab auctoribus. Est aliquod tempus in se indeterminatum, principium autem est, quod sine iusta causa — ex negligentia vel languescente fide — cum periculo speciali infantis grave peccatum esset dilatio baptismi. Ut Merkelbach putat grave esse posset dilatio per mensem, aut forsan per 10-15 dies, ac etiam per tempus brevius (n. 148). Etsi tempus tam accurate determinari non potest, revera dici non licet dilationem etiam notabilem non esse grave peccatum, nam voluntas Ecclesiae clarissima est. Ideo pessime faciunt ii, qui nimio fervore ducti antiquitatem restituendi de aliquo catechumenatu puerorum somniantur et baptismum per annos dilatare vellent.

b) Baptismus foetus nonnati.

Foetus vocatur terminologia medica fructus uteri post sextam hebdomadam, ante hoc tempus enim « embryo » nuncupatur. « *Non natus* » est autem foetus nondum vel non plene (perfecte) editus.

1°. *De foetu in utero matris* baptizando habetur lex can. 746 § 1: « Nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis spes sit, ut rite editus baptizari possit ». De modo huius baptismi iam locuti sumus; quia validitas eius plene non est certa, iam Benedictus XIV. et decisiones S. Cong. Conc. praescribebant (12. iul. 1794 et 16. mart. 1897) baptismum conditionatum, si tamen natus fuisset, quod can. 746. § 5 universaliter inculcat: « Foetus in utero baptizatus, *post ortum denuo sub conditione* baptizari debet ».

2°. *De foetu nondum edito* distinguitur:

a. « Si infans *caput* emiserit *et* periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, est iterum sub conditione baptizandus » (can. 746 § 2). — Ratio est, quod caput est membrum principale totius corporis, quod iuxta ritum maioris partis Ecclesiae tantum baptizari debet, nil ergo refert, num corporis reliqua pars adhuc in utero matris clausa teneatur.

b. « Si *aliud membrum* emiserit, in illo, si periculum immineat, baptizetur sub conditione,, at tunc si natus vixerit, est rursus sub conditione baptizandus »

(ib. § 3). Ratio est, quia baptismus non est certo valide collatus. Conditio est: « Si nondum es baptizatus ».

3°. *Foetus extractus vel excisus* ex utero mortuae matris quoque ad nonnatos pertinet. « Si certo vivat, baptizetur absolute, si dubie, sub conditione » (ib. § 4). *Obligatio* talis baptismi foetus extracti gravis est secundum spem, quod adhuc vivus est, quae spes valde exigua est ante quartum mensem gestationis. Inde a sexto mense gestationis iam foetus vitalis est, et etiam ideo extrahi debet, quia vita infantis arte medica forte sustentari possit. « Ab iis ad quos spectat extractus » debet esse foetus, ergo medicorum et chirurgorum ope, vel aliorum qui periti sunt, Nunquam autem sacerdos debet hoc peragere, nam citatus textus canonis 746 § 4. sat clare videtur indicare, quod sacerdos non includitur in expressione « ad eos ad quos spectat », et valde verisimiliter etiam scandalum gigneret, quidquid dicat aliqua pars auctorum (« secundum plures per se teneretur sacerdos: hoc quamvis verius videri possit, certum tamen dicere non audemus » Merkelbach n. 155. B. 3.).

c) **De baptismo foetus abortivi.**

Foetus abortivi vocantur foetus « non vitales », i.e. qui ex utero matris vel per infortunium, vel per abortum « procuratum » eiiciuntur, et nullo modo extra uterum vivere queant etsi in momento editionis vivant. Si foetus vitalis est, non habetur abortus, sed *partus acceleratus*. Lex eadem est, ac quoad foetus extractos: « Curandum est, ut omnes foetus abortivi, quovis tempore editi, si *certo* vivant, baptizentur, *si dubie* sub conditione » (« Si vivis ») (can. 747). « *Si certo vivant* »: quod post tertium mensem gestationis saepe contingit, etsi minimi sint (90 mm), iam dare possunt signa vitae. Foetus abortivi nondum formati sub conditione baptizandi sunt, nam forte adhuc vivunt, nisi certa signa mortis prae se ferant: foetorem et maculas putredinis. Baptismus conditionatus foetus adhuc informati fit sec. Dr. Cappellmann, per immersionem in vase aqua tepida pleno, eo modo, quod utriusque manus indice et pollice apprehenduntur secundinae et sub aqua aperiuntur ut liquor amnii effluat et sic aqua totum foetum abluat, dum interim dicitur forma baptismi.

d) **De baptismo monstrorum et ostentorum.**

Moralistae sequendo terminologiam antiquam distinguunt inter « monstrum » et « ostentum », *monstrum* vocando foetum in quo species humani corporis est totaliter aut notabiliter deturpata, *ostentum* vero foetum, qui habet membra multiplicata aut diminuta vel aliter deformia (Merkelbach p. 133.). Nomen derivatur inde, quod iuxta vanam observantiam paganorum editio talis foetus infortunium praesagiebat, « monstrabat » seu « ostendebat ». Scientia « *teratologica* » (teras = signum) hodierna « monstra » et « ostenta » synonima reputans, loquitur de *dysmorphia* (deformitate) i.e. vitio primae formationis embryonis in utero, cuius productum « *monstrum* » (Missbildung, monster, torzképzödmény) vocatur. *Monstra* possunt esse:

1°. *simplicia*, quorum alia dantur per evolutionem *per defectum*, haec sunt monstra *hypoplastica*, tales sunt foetus acardiaci, i.e. sine corde, vel foetus anencephalici (sine cerebro) vel foetus microcephalici. Alia monstra simplicia possunt evolvi *per excessum*, haec sunt monstra *hyperplastica*, quando membra multiplicata habentur (e.gr. hyperdactylia), quae proprie « ostenta » vocabantur.

Monstra « *per fabricam alienam* » i.e. facta e coitu, utique possibili, animalis cum femina, non existunt, etsi saeculis elapsis hoc possibile putabant, nam ex homine solummodo homo potest nasci. Foetus ergo, cuius caput capiti simiae vel alio ferino capiti simile est, tamen est homo.

2°. Dein habentur *monstra geminata* (duplicia vel multiplicia), quando nempe duo vel plures foetus individui ad invicem adhaerent. Nihil aliud sunt quam gemini, quorum corpora in unum coalescebant, e.gr. duo capita habent unum pectus (« thoracopagi »), vel unum ventrem (« gastropagi »), etiam capita possunt ad partem coalescere (« Janusbildung »).

3°. *Lex Ecclesiae quoad monstra* et ostenta *simplicia* est: « Monstra et ostenta semper baptizentur *saltem* sub conditione » (can. 748), « saltem » ideo videtur dici, quod per se absolute baptizentur, si vivunt, si dubium habeatur num adhuc vivant, tunc sub conditione. Vel etiam ideo hoc in canone citato dicitur, quia Rit. Rom. (tit. II. c. 1, 22) habet conditionem: « Si tu es homo, ego te etc. ». — Sec. Moralistas foetus *acardiaci* non sunt baptizandi, i.e. foetus constantes e ventre et pedibus tantum, nec a fortiore « *mola* » quae est massa carnea informis, « quia organis ad vitam humanam omnino necessariis omnino carent » (Merkelbach n. 163,2). At quia Ecclesia de hac re nil praecipit, non videmus, cur non possit etiam tale quid sub conditione (« si tu es homo ») baptizari, nam supposita hypothesi de animatione foetus in momento conceptionis, anima immortalis iam habetur et adhuc adesse potest, si tales foetus, de quibus sermo est, adhuc vivant.

4°. *Lex Ecclesiae* de *monstris geminatis* est: « In dubio autem, unusne an plures sint homines, unus absolute baptizetur, ceteri sub conditione » (can. 748). Duo capita certe duos homines significant adesse; *dubium* habetur, si unum caput duo habeat pectora, tunc caput absolute, pectus quod capiti non videtur respondere, vel utrumque si nullum respondeat capiti, sub conditione baptizetur. Item si duo capita non distincta (partim nempe coalescentia) haberentur, unum absolute, alterum sub conditione baptizetur, Conditio a Rituali praescripta est: « Si non es baptizatus ego te etc. » (Tit. II, c. 1, 22).

e) **De baptismo infantium expositorum et inventorum.**

Lex est: « Infantes expositi et inventi nisi, re diligenter investigata, de eorum baptismo constet, sub *conditione baptizentur* » (can. 749). Monemur ab auctoribus, quod hoc etiam tunc faciendum est, si schedula apposita esset infantulo de eorum baptismo, nisi investigari possit, in quali ecclesia, a quo baptizatus esset, quod plerumque nunquam contingit.

f) **De baptismo infantium infidelium, haereticorum et schismaticorum.**

Normae eaedem sunt quoad infantes *infidelium,* et infantium « duorum *haereticorum,* aut *schismaticorum,* aut duorum catholicorum, qui in *apostasiam,* vel haeresim vel schisma prolapsi sint » (can. 750. et 751). *Normae* enim sunt hae:

1°. Infans talium memoratorum « etiam invitis parentibus licite baptizatur, cum in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat » (can. 750 § 1.). — Obligatio baptizandi e praecepto caritatis oritur et urget, si infans in certo et proximo periculo versetur

mortis. Periculum autem hoc *proprium* debet esse infantis, ideo in contagio grassante non licet omnes infantes tales indiscriminatim baptizare (C. Prop. Fide 17. aug. 1777). Periculo autem hoc proprio existente baptizari potest, etsi mors probabilis adhuc longius distet (S. Offic. 18. iul. 1894).

2°. « *Extra mortis periculum, dummodo* catholicae eius educationi cautum sit, licite baptizatur » et afferuntur tres casus. Primum vero *conditio* casus ponderanda est: « dummodo catholicae educationi cautum sit » (can. 750. § 2). Parvulus ergo in periculo mortis non constitutus tunc tantum baptizari potest si catholicae educationi cautum sit. S. Officium loquitur de « possibili spe », quando infans natus est ex infideli et catholico, etiam mortuo, et statuit: « Si possibilis spes affulgeat fore, ut huiusmodi pueri possint suo tempore in vera religione instrui, tunc datis cautionibus baptizentur » (6-8 iul. 1898 ad 4.).

Tres casus autem sunt sequentes:

Primus casus: « Si *parentes* vel tutores... eorum *consentiant* » (can. 750. § 2. nr. 1.). *Excipi debet* utique casus, si parentes declararent (quod in diaspora Protestantium inter catholicos viventes fieri potest), se ideo tantum infantem baptizari velle, quia deest minister acatholicus, vel si infideles aliquod emolumentum sperarent temporale. Ordinarii loci, e.gr. in missionibus Praefecti vel Vicarii apostolici, est iudicare in tali particulari casu, nam baptismata non sunt multiplicanda ad augendam statisticam baptizatorum.

Secundus casus: « Si *saltem unus* eorum consentiat » (l. cit.). Ordinarie ergo potest baptizari infans, si praesertim mater petat hoc, nam probabilitas habetur catholicae educationis. Immo baptizari potest infans oblatus ab eo, qui parentum potestate utitur (avus, avia, tutor) et utroque parente invito infantem ad baptismum offert, consensus enim eius in favorem fidei catholicae praeponderare censetur perversae voluntati aliorum (Benedict. XIV. « Probe te meminisse » 15. dec. 1751.).

Tertius casus: « *Si parentes,* id est, pater mater, avus, avia vel tutores *desint,* aut ius in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant » (can. 750 § 2. n. 2.). Hoc praesertim contingere potest, si infans parentes amiserit, ceteri autem non curent de eo, vel si infans propter belli adiuncta praevideretur domum redire non posse.

g) **De baptismo adultorum.**

Adultorum nomine veniunt: « Adulti censentur, qui rationis usu fruuntur, idque satis est, ut suo quisque animi motu baptismum petat et ad illum admittatur » (can. 745. n. 2.). « Expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur » (can. 88 § 3.). — *Lex* autem sic conat: « Adultus, nisi sciens et volens probeque instructus, ne baptizetur, insuper admonendus, ut de peccatis suis doleat » (can. 752 § 1.). — Ergo debet esse:

1°. « *Sciens et volens* », in adultis enim non sufficit generalis voluntas salutis consequendae, sed requiritur positiva volitio baptismi, i. e. intentio suscipiendi Sacramentum.

2°. « *Probe instructus* » debet esse, i.e. in praecipuis mysteriis, etiam SS. Trinitatis et Incarnationis (S. Offic. 25. ian. et 10. maii. 1703), et insuper cognoscere debet obligationes christianae vitae.

3°. « *De peccatis dolere* » debet, i.e. debet habere saltem attritionem supernaturalem. In hoc dolore autem includitur et propositum non peccandi de cetero, i.e. propositum se non velle peccatum mortale comittere, nam « nullus habens voluntatem peccandi simul potest a peccato mundari » (III 68. a. 4.).

4°. *In mortis periculo* autem: duo habentur casus.

Primus casus: « Si nequeat in praecipuis fidei mysteriis diligentius instrui, satis est ad baptismum conferendum, ut *aliquo modo ostendat* se eisdem assentire *serioque promittat* se christianae religionis mandata servaturum » (can. 752 § 2). — a. « *Aliquo modo ostendat se eisdem assentire* » quod propius determinatur per Resp. S. Officii, allegatum etiam in adnotatione Codicis ad hunc canonem: « Non sufficere promissionem, sed missionarium teneri adulto, etiam moribundo, qui *incapax omnino non sit*, explicare fidei mysteria, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipua mysteria Trinitatis et Incarnationis », et aliud Resp.: « Missionarium non posse baptizare non credentem explicite in D.N.J. Christum, sed teneri illum instruere de omnibus iis, quae sunt necessaria necessitate medii *iuxta captum baptizandi* » (25. ian. 1703 et 10. maii. 1703, Denz. 1349 a. et 1349 b). Haec responsa nunc per Codicis canonem authentice interpretata sunt. — b. « *Serioque promittat* »: ad quod cl. Vermeersch sapienter adnotat,: « De quibusdam obligationibus in quibus bona fides defectum tegit, poterit prudenter tacere, semper cavendo a scandalo » (n. 223,1).

Alter casus: « Quod si *baptismum ne petere quidem queat*, sed vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi, baptizandus est sub conditione, si deinde convaluerit, et dubium de valore baptismo collati permaneat, sub conditione baptismus rursus conferatur » (can. 752 § 3). In *nostris regionibus* — sec. Vermeersch — « quilibet moribundus, sensibus destitutus, et nondum baptizatus, sub conditione « si capax es », saltem baptizari potest » (l. cit.). Utique dicendum est, tantum illos posse baptizari sub conditione, qui consideratis omnibus circumstantiis prudenter iudicari possunt, habere voluntatem saltem implicitam suscipiendi baptismum (sic. S. Officii 30. mart. 1898 a Codice hoc loco citatum). *Vermeersch* opinatur, quod cum in omni attritione seu voluntate salvandi animam iam sufficiens baptismi voluntas contineatur, « nullus videtur esse moribundus sensibus destitutus, sive in regione fideli, sive *in regione infideli*, quin, praeciso scandalo, sub conditione baptizari possit » (n. 223,2). Quod quidem iuxta nostram sententiam minus videtur congruere cum allegato canone CIC.

h) De baptismo amentium et phreneticorum.

Amentes sunt, qui etsi iam superaverint annos quibus sui compotes esse solent homines, tamen non fruuntur usu rationis, vel qui post adeptum usum rationis morbo neurotico laborantes usum rationis ad tempus vel perpetuum amiserunt. « *Furiosus* » idem est ac « *phreneticus* »; « *lethargo* » (lethargia) laborat, qui inexpugnabilem dormiendi necessitatem habet (« sopor, coma »); talis, si excitetur, aliquo modo sibi conscius est, sed statim somno mergitur. *Leges* quoad hos sunt sequentes:

1°. « Amentes et furiosi ne baptizentur, nisi tales a nativitate *vel* ante adeptum rationis usum fuerint, et tunc baptizandi sunt, ut infantes » (can. 754 § 1.). — « Si autem *dilucida* habeant intervalla, dum mentis compotes sunt,

baptizentur, si velint » (ib. § 2.). — « Baptizentur quoque, imminente periculo mortis, si, *antequam* insanirent, suscipiendi baptismi desiderium ostenderint » (can. 752 § 3), quod desiderium si probabili iudicio praesumi possit, baptizari possunt sub conditione (Noldin-Schmitt n. 73,5).

2°. « Qui *lethargo aut phrenesi* laborat, *vigilans* tantum et volens baptizetur, at si periculum mortis impendeat, servetur praescriptum § 3 » (ib. § 4).

3. De patrinis baptismi et confirmationis.

Propter fere eadem officia ac qualitates patrinorum tum baptismi, tum confirmationis, haec omnia simul declaranda sunt.

a) **Notio et officium patrinorum.**

« Ex vetustissimo Ecclesiae more nemo sollemniter baptizetur, nisi suum habeat, *quatenus fieri possit*, patrinum » (can. 762 § 1.), dein: « ....etiam in confirmatione adhibendus est patrinus, *si haberi possit* » (can. 793). — 1°. *Vetustatem* huius instituti testatur iam *Tertullianus*: « Quid enim necesse, si non tam necesse est, sponsores etiam periculo ingeri, qui *et* ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt *et* proventu malae indolis falli » (De bapt. 18,11 PL 1,1222). — 2°. Patrinus est ergo quasi sponsor ideoque *officium eius* est: « ....spiritualem filium perpetuo sibi commendatum habere, atque in iis, quae ad christianae vitae institutionem spectant, curare diligenter, ut ille talem in tota vita se praebeat, qualem futurum esse sollemni caeremonia spoponderunt » (can. 769). Similiter quoque ad *confirmationem*: « Patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi, eiusque christianam educationem curandi » (can. 797). — 3°. *Obligatio* haec *per se gravis* est, nam sponsores sunt baptizati coram Deo; est perpetua; instructionis procuratio intelligitur dum infantia spiritualis durat, i.e. in iuventute, instructionem hanc per se vel per alium possunt procurare; est obligatio *secundaria*, nam primo ea parentes gravantur, ideoque, « si puer inter catholicos qui religionem curant, enutriatur, praesumere possunt sufficientem parentum curam et diligentiam » (Vermeersch n. 231).

b) **Qualitates patrinorum ad validitatem.**

Quinque sunt qualitates ad validitatem quoad utrumque Sacramentum, et quidem:

1°. Patrinus debet esse *baptizatus* (resp. confirmatus), rationem usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi (can. 765 n. 1. et can. 795 n. 1.). Pro locis missionum C. Prop. Fide commendavit quod, ubi desint confirmati, aliqui confirmentur sine patrino et subinde fiant patrini ceterorum (4. maii. 1774).

2°. Patrinus *tum baptismi tum confirmationis* (iuxta can. 765 n. 2. et 795 n. 2.):

a. « ad nullam pertineat *haereticam* vel *schismaticam* sectam », — dein

b. « *nec sententia condemnatoria vel declaratoria* sit » irretitus sequentibus in delictis: (1) *Excommunicatus* », dein (2) « *infamis infamia iuris* ». Casibus sequentibus incurritur infamia iuris: « qui *species consecratas* abiecerint (can. 2320), — « qui *cadavera* vel *sepulchra* mortuorum ad furtum vel alium malum

finem violaverint » (can. 2328), — « qui *violentas manus* in personam Romani Pontificis, Cardinalis, Legati Rom. Pont. iniecerit » (can. 2343 §1. n. 2 et § 2. n. 2), — « duellum perpetrantes, provocantes, acceptantes, quamlibet operam vel favorem praestantes, de industria spectantes, illud permittentes vel non prohibentes » (can. 2351 § 2), — « *bigami* id est qui obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile ut aiunt, attentaverint » (can. 2356), bigamus est habendus non solum pars ligata, sed etiam libera, cum persona vinculo coniugali ligata contrahens (Sipos-Gálos, Enchirid, iuris can. ed. 6. p. 471-2), — « laici legitime damnati ob *delicta contra sextum* cum minoribus infra aetatem 16 annorum commissa, vel ob struprum, sodomiam, incestum, lenocinium » (can. 2357 § 1).

c. Vi eiusdem legis (can. 765 2. et can. 795 2) prohibetur etiam « *exclusus ab actibus legitimis* » Ecclesiae; excludi possunt autem duplici modo: (1) *Ipso iure* (ergo latae sententiae); sed tantum post sententiam declaratoriam: *raptores mulieris* (can. 2353), — excommunicati etc. (can. 2263), — « catholici qui *matrimonium mixtum*, etsi validum sine Ecclesiae dispensatione inire ausi sunt » (can. 2375), e.gr. qui contraxit ante CIC matrimonium coram ministro acatholico, vel qui parocho reticuerint impedimentum mixtae religionis, — « *religiosus apostata a religione* » (can. 2385), fugitivus ergo non. — (2) *Ferendae sententiae* (ergo tantum post sententiam condemnatoriam) excluduntur a munere patrini: « *suspectus de haeresi* qui monitus causam suspicionis non removeat » (can. 2315), — « *qui in seipsos* manus intulerit » (can. 2350 § 2) — « qui *publicum adulterii crimen* commiserint » etc. (can. 2357 § 2).

d. Vi legis allegati (can. 765 2. et can. 795 2) prohibetur a munere patrini etiam « *clericus depositus vel degradatus* », redactus ergo ad statum laicalem potest patrinus esse.

3°. Non sit « *pater* vel *mater* vel *coniux* baptizandi », avus, avia ergo possunt patrini esse.

4°. « Ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus, aut his deficientibus a ministro sit *designatus* ».

5°. In *actu sacramentali* haberi debet *physicus contactus* inter baptizandum vel confirmandum et patrinos eius, et quidem: « *baptizandum* in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat, aut tangat, vel statim levet, seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis » (can. 765 n. 2.), dein « confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel procuratorem physice tangat » (can. 795 n. 5), quod nunc fit eo, quod manum dexteram in scapulam dextram confirmandi ponit.

c) **Qualitates patrinorum ad liceitatem.**

Hae qualitates *item quinque* habentur, ad quas tamen pro baptismo adicitur adhuc unum requisitum, ad confirmationem autem tria alia. *Qualitates quinque communes* ad liceitatem sunt pro baptismo et confirmatione simul (iuxta can. 766 et 796) sequentes:

1°. « *Decimum quartum* aetatis annum attigerit », ergo inceperit, « nisi aliud iusta de causa ministro videatur », in baptismo ergo parocho, in confirmatione episcopo. Potest se extendere dispensatio ministri ad plus vel minus annorum sec. locorum et populorum aestimationem.

2°. *Si sine sententia* (declaratoria vel condemnatoria) sit in casibus infra positis, item vetatur patrinus esse tum baptismi, tum confirmationis. — **a.** Si sit *excommunicatus, exclusus* ab actibus legitimis, vel *infamis infamia iuris* (de quibus cf. supra b. 2°. **b. c.**), « quin tamen sententia intercesserit » (can. 766 n. 2), tunc enim etiam invalide esset patrinus. — **b.** Vi eiusdem legis vetatur patrinus esse legitime « *interdictus* », — **c.** « *publice criminosus* », aliis verbis peccator publicus, ut in matrimonio mere civili vivens, concubinarius, meretrices. — **d.** *Demum* illicite esset patrinus « *infamis infamia facti* » (ibid.), quae tunc habetur, quando quis ob patratum delictum vel ob pravos mores bonam existimationem apud fideles probos et graves amiserit, de quo iudicium pertinet ad ordinarium (can. 2293 § 3), ut e.gr. fures ex professo, scandalose et publice ebriosi, cognati in mutuo odio publice viventes etc. Notandum quod sec. CIC tantum infamia iuris et facti habetur, et utraque ex solo delicto procedere potest, non autem e professione, ut prius fuerat, e.gr. carnificis, et quidem delicto proprio (cf. Sipos-Gálos p. 847).

3°. Ut *fidei rudimenta* noverit.

4°. « In nulla *religione* sit novitius vel professus, nisi *necessitas* urgeat, et expressa habeatur *venia* Superioris saltem localis », quae sit haec « necessitas » a Superiore determinatur.

5°. « In *sacris ordinibus* non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii *licentia* », quoad clericos saeculares ergo non requiritur necessitas, sed tantum licentia Ordinarii *proprii* ergo non ministri baptismi vel confirmationis, qui ad summum ius habent se certiores reddendi, num tales patrini habeant licentiam.

Hae quidem qualitates patrinorum communes baptismi et confirmationis. Sunt autem adhuc *alia requisita.*

Pro baptismo requiritur, ut « patrinus *unus* tantum, licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum *unus et una* adhibeantur (can. 764). Si tamen plures haberentur, ceteri tamquam *testes* in adnotatione libri matricularis scribi possunt, similiter et si removeri per urbanam admonitionem non possit aliquid patrinus haereticus vel bigamus, vel in matrimonio civili vivens, tunc toleratur ut adsit baptismo et in libro scribatur in adnotatione.

Pro confirmatione tria adhuc requiruntur.

1°. « Sit *alius* a patrino *baptismi*, nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime confirmatio conferatur » (can. 796 n. 1).

2°. « Sit *eiusdem sexus* ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur » (can. 796 n. 2.), et tantum *unus* pro singulis (can. 794 § 2).

3°. Patrinus *unum tantum* confirmandum *aut duos praesentet*, nisi aliud iusta de causa ministro videatur » (can. 794 n. 1).

In omnibus his tribus casibus recurri debet ad *Ordinarium* etsi non ipse sit minister, nam omnes alii ex eius delegatione confirmant tantum, qui non se difficilem praebeat. Potest autem *etiam minister* ante confirmationem adiri, quia canon non expresse Ordinario reservat has dispensationes.

d) **De patrinis in baptismo privato et conditionato.**

1°. Etiam in *baptismo privato,* si facile haberi queat adhibeatur; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis baptismi caeremoniis, sed hoc in casu nullam contrahit spiritualem cognationem » (can. 762 § 2).

2°. Quod baptismum *iteratum sub conditione* attinet, qui sine caeremoniis fit, « idem patrinus, quatenus fieri possit, adhibeatur, qui in priore baptismo forte adfuit, extra hunc casum in baptismo conditionato patrinus non est necessarius » (can. 763 § 1). — « Iterato baptismo sub conditione, neque patrinus qui priori baptismo adfuit, neque qui posteriori, cognationem spiritualem contrahit, nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit » (ib. § 2). Ratio est, quod in hoc casu, quia unus e duobus actibus certe validus fuerit etiam verus patrinus habetur.

QUALITATES PATRINORUM	
BAPTISMI:	CONFIRMATIONIS
Ad validitatem actus:	
1. Baptizatus, sui compos, intentionem habens	1. confirmatus
2. Non: sectarius,	2. =
sententia condemnatoria v. declaratoria:	
excommunicatus,	=
infamis infamia iuris,	=
exclusus ab actibus legitimis	=
clericus depositus, degradatus	=
3. Non: pater-mater-coniux	3. =
4. Designatus:	4. =
a baptizando,	a confirmando
vel eius parentibus v. tutoribus	=
his deficientibus a ministro	his deficientibus aut renuentibus a ministro v. parocho
5. In actu physicus contactus:	5. =
per se v. per procuratorem:	=
tangat vel:	physice tangat
tangat vel:	
levet vel:	
suscipiat baptizandum	
Ad liceitatem actionis:	
1. 14-um aetatis annum attigerit	1. =
2. Non: quin sententia intercesserit:	2. =
excommunicatus	=
infamis infamia iuris v. facti	=
exclusus ab actibus legitimis	=
interdictus	=
publice criminosus	=
3. Ut fidei rudimenta noverit	3. =
4. Non: religiosus, nisi necessitate cum venia Superioris	4. =
5. Non: in sacris constitutus, nisi cum licentia Ordinarii sui	5. =
Requiritur: Unus licet diversi sexus, vel ad summum unus et una.	*Requiritur*: 1. Unus pro singulis, ad summum duos praesentans 2. Alius a patrino baptismi 3. Eiusdem sexus ac confirmandus.

F) De ritibus et legibus cultualibus baptismi.

Agendum est nobis 1. De ritibus baptismi, dein 2. De legibus cultualibus baptismi.

1. De ritibus baptismi.

a) Evolutio ritus Romani baptismalis.

1°. **Tempore apostolico** *ritus* huius Sacramenti *simplicissimus* erat; vix ac ne vix quidem possunt supponi unctiones olei. Impossibile vero non est, quod *aquam* ad baptismum serviendam *benedicebant*, adest enim analogia quaedam in ritibus sectarum, quae lavacra ritualia exercebant, praesertim illius, quae in *Chirbet Qumran*, centro suo religioso vitam communem agebat. J. Strugnell annuntiat fragmentum manuscripti cuiusdam ex Qumran, quod benedictiones aquae continet ad immersiones rituales huius sectae usitatas (Le travail d'édition des fragments manuscrits de Kumran, *in*: Rev. Bibl. 1956, 49-67, in docum. n. 29. spelaei I.). *Manuum impositio* quoque verisimiliter iam aevo apostolico in usu fuit, iuxta Galtier Heb 6,1-2 (baptismatôn didachês, epitheseôs te cheirôn) sic interpretari potest (Aux origines du sacr de pnénitence 1951, 96-97), manuum impositio iuxta morem Synagogae omnem orationem comitabatur.

2°. *Saec. II-o* baptismus describitur summatim quidem a *S. Iustino*, qui de *unctione olei* nihil dicit, etsi iuxta *S. Irenaeum* medio saec. II-o Marcion iam usum talis unctionis evidenter ab Ecclesia catholica receptae testatur: « Ille quidem usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum quo suos ungit, nec mellis et lactis societatem, quo suos infantat, nec panem quo ipsum corpus suum repraesentat » (Tert. Adv. Marc. I, 14 et Irenaeus, Adv. haer. I, 21). Revera usus olei, qua unctionis, et *comestio lactis et mellis* ad imitationem 1 Pt 2,2 (« sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite ») a medietate saec. II-i ubique in usu fuit, ut testantur Theophil. Antioch., Tertull., Hippolytus, Clemens Alexandr., Origenes etc.

3°. *Saec. II-III.* evolutum est paulatim **institutum catechumenatus**, testibus Tertulliano pro *Africa*, S. Hippolyto pro *Roma*, et Recognitionibus Clementinis pro *Syria*, Clemente et Origene pro *Alexandria*. Catechumenatus tamen non diu duravit institutioque eius simplex fuit: edocti fuerunt de Lege Veteri et evangelica et examinati ad fidem « sponsorum » seu patrinorum, an « illo tempore, quo instruebantur, infirmos visitaverint, et debiles sustentaverint, seque ab omni perverso sermone custodiverint, laudes cecinerint, numque oderint vanam gloriam, num contempserint superbiam, sibique elegerint humilitatem » (can. Hippolyti MEL I, 2636).

4°. *Saec. IV-V-o* **evolutio catechumenatus** *culmen suum* attigit et iam in classes divisus apparet.

a. *Audientes vel catechumeni* vocabantur illi, qui ritu simplici nomen dederunt Ecclesiae eos in catalogis suis inserenti, Baptismum vero ipsum ad tempus indeterminatum, saepe etiam ad finem vitae differebant. Secunda classis erat *Competentium* sc. Baptismum, seu *Electorum*, qui in Oriente *Illuminandi* (phôtizomenoi) sunt nuncupati, qui exhortationibus Ecclesiae obsecundantes, « nomen dederunt ad Baptismum », eodem anno in nocte sanctissima Paschatis

suscipiendum. Baptismum dederunt « his dumtaxat electis, qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint » (sic Papa Siricius anno 385 PL 13, 1135). Tertia classis catechumenorum erat « *recens illuminatorum* », quibus mysteria initiantia tunc tantum adamussim declarata fuerunt, cum ea, Sacramenta nimirum Baptismi, Confirmationis et Eucharistae iam acceperint. Revelatio plena mysteriorum facta est praecipue in hebdomada octavae paschalis, per catecheses mystagogicas seu in mysteria introducentes, classicae habentur catecheses tales S. Cyrilli Hierosolymitani anno 348 habitae, S. Ambrosii quoque duo cursus supersunt (De mysteriis et De Sacramentis).

b. Competentes per totam Quadragesimam instructiones speciales accipiebant, insuper examinati sunt *per scrutinia* ter vel etiam septies habita. Specimen talis examinationis possidemus in descriptione itineris *Aetheriae* versus 390-393: « Singulariter interrogat episcopus vicinos eius qui intravit, dicens: Si bonae vitae est hic, si parentibus deferet, si ebriacus non est aut vanus, et singula vitia quae sunt graviora in homine, requiret, ut si probaverit sine reprehensione esse de his omnibus, quibus requisivit praesentibus testibus, annotat ipse manu sua nomen illius. Si autem in aliquo accusatur, iubet illum foras exire, dicens: Emendet se, cum emendaverit se, tunc accedet ad lavacrum » (c. 22).

c. Simul etiam *exorcismos* peregerunt super competentes, qui constabat ex *oratione* ipsa exorcistica, *signatione* cum signo Crucis, et *manuum impositione* cum oratione deprecativa concomitante.

d. Sollemnis erat *Traditio Symboli et Pater noster*, quando in sollemni coetu liturgico textus eorum revelatus est in secreto custodiendus, qui dein ab episcopo expositus est, Locum habuit hic ritus in Africa V. Dom. Quadragesimae, in territorio typi Gallicani Dom. VI. Palmarum, Romae vero Fer. IV. post Dom. Laetare. *Redditio Symboli* i.e. examen, an omnes competentes Credo et Pater sciant, habita est mane Sabbati Sancti, quando etiam *ultimus exorcismus* sollemnissimus super eos peractus est simulque etiam « *apertio aurium* » seu ritus Effetationis.

e. Nocte sanctissima demum inde a temporibus postapostolicis Sacramentis initiati sunt.

5°. **Ritus hic complexivus** Sacramenti baptismi *per plures hebdomadas protractus* maturo tempore scriptis consignatus est.

a. *Ritus Romanus Baptismi hodiernus* inde a Paulo V. stabilis (Rit. Roman. 1614) — ut M. Righetti ostendit (IV, 82-87) — iam invenitur in *Gelasiano primigenio* (Regin. 316), ubi textus omnes in extenso habentur, Sacramentarium vero hoc integratur seu completur per *Ordinem Romanum XI.* (iuxta Andrieu). Ritus in his duobus libris descriptus adhuc pluribus distinctis diebus celebrandus fuit decursu Quadragesimae. Quando vero in provinciis dissitis post saec. IV-VII. omnes hos ritus unica vice una actione liturgica complexiva coeperunt exsequi, pronum erat breviare et in unicum corpus redigere actiones Baptismi omnes. Plures tales compositiones exortae sunt, sic quaedam Alcuini, maiorem successum habuit compositio in *Gelasianis saec. VIII. seu « Iunioribus »* (Junggelasiana), inscripta « Ordo ad infirmum catechumenum faciendum sive baptizandum ». Haec compilatio Gelasiana saec. VIII-i Romae conservata fuit in Pontificali Paparum s. XIII-i.

b. Inde apparuit hic Ordo baptismi in duabus recensionibus: una breviore et altera longiore editae per *Alb. Castellani* (Liber sacerdotalis ex libris S. Rom.

Eccl. collectus, Venetiis 1523), quae editio privatae solum auctoritatis erat, sed maximi fuit momenti, nam eandem presse secutus est *Jul Ant. Card. Santorio* in sua collectione (Rituale Sacramentorum Romanum 1584), haec vero editio inprimis adhibita est a *Rituali Romano anni 1614,* ut Paulus V. in Constitutione Apostolica libro huic praefixo aperte testatur. Iam Card. Santorio ordinem *breviorem* Castellani adhibendum praescripsit in baptismo *parvulorum,* ordinem autem *prolixiorem* in baptismo *adultorum,* sicque invenitur etiam in Rituali Pauli V. et in novissima editione typica Rit. Romani (1956). Recte iudicat cl. Righetti de hoc ordine baptismi adultorum: « Formularium pro adultis in unica caeremonia complectens totam rationem rituum antiquorum catechumenatus, satis potuit esse saec. XVI-o, quando Baptismi adultorum sat rari fuere, hodie econtra ob vastam actualem extensionem missionariam iam non sufficit necessitatibus magnorum centrorum Missionum, ubi institutum catechumenatus exigit simul cum praeparatione morali etiam quandam non minus proficuam et intensivam praeparationem liturgicam » (IV, 83).

b) **Ritus Romanus ad catechumenum faciendum.**

Post tractatiunculam de evolutione ritus baptismalis *explicandus restat hodiernus ritus Romanus baptismi,* quod persolvitur tribus partibus. *Primo* (b) declerantur ritus huius Ordinis *ad catechumenum faciendum* inservientes, dein (c) secundo explicantur *ritus Competentium,* demum (d) ritus *ipsius baptismi.* Ut iam dictum est ritus hi nunc in actione unica comprehensi sunt, tamen procul dubio huic actioni unicae *cohaerentia quaedam interna* abnegari non potest. Ritus baptismi hodiernus est quasi *drama* quoddam *Redemptionis subiectivae,* quod non solum significat, sed etiam obiective repraesentat i.e. efficit opus redemptivum. Tribus actibus componitur drama hoc regenerationis: *primus actus* (b) est praeparatio *remota* ad salutare fontis lavacrum; *secundus actus* (c) haberi potest praeparatio *proxima* competentis sacro fonte expiandi, constat enim ritibus qui Sabbato Sancto mane peragi debebant; *tertius actus* (d) demum sancto *ritu divino* implet propositum actibus superioribus praeparatum. Actus *hi modo concentrico procedunt* semper idem repetentes, aliquid tamen novi quoque addentes, rem sacram demum implentes.

Singulos hos actus separatim consideraturi, primum explicemus ritum *ad catechumenum faciendum.* (Adhibeatur *Rit. Rom. tit. II. c. 2 n. 1-7.* quoad baptismum infantium, et *tit. II. c. 4. n. 1-15*). *Sex quasi scaenis actus hic absolvitur* praeparationis remotae: 1°. infidelis nomen dans Ecclesiae Christi, ab ea acceptatur, 2°. ideoque per eam prima instructione fidei imbuitur, 3°. dein primo initiali exorcismo eruitur e potestate diaboli, sicque in Ecclesiae possessionem transit: 4°. accipiens Crucem, signum proprium Ecclesiae, 5°. manuumque impositione ei traditur munus catechumeni christiani, 6°. datione demum salis ei munera ulteriora regenerationis promittuntur.

1°. **Nomen dare** fit per *interrogationem de nomine,* quae a Rituali Rom. supponitur (c. 2, n. 28).

2°. **Percontatio de fide** (Rit. c. 2, 1-2 et c. 4, 5-7) *catechumeni instructionem* continet: « Fides quid tibi praestat? Vitam aeternam », quod deinde breviter parvulis, uberius adultis explicatur, qui adulti etiam abrenuntiationem et professionem fidei per interrogationes facere debent.

3°. **Exsufflatio** est *primus exorcismus initians,* quem accipiunt catechumeni (Rit. Rom. c. 2,3 et c. 4,8-9). **a.** Sensus huius ritus est: exsufflare vel insufflare (blasen, blow, souffler, fujni) est signum contemptus (disprezzo, mépris), quo flatu quoddam leve impedimentum exsufflatur, veluti pulvis vestibus inhaerens, vel flamma candelae ideoque iam in antiquissimis ritibus paganis hoc signo usi sunt. Ab antiquo semper convicta erat Ecclesia de eo, quod Joannes diaconus scribit: « Non est dubium, quod priusquam aliquis renascatur, in Christo diabolicae potestati teneatur adstrictus.... exsufflatus igitur exorcizatur, ut fugato diabolo, Christo Deo nostro paretur introitus » (Ep. anno 492. ad Senarium n. 3. PL 59, 401 s.). *Textus concomitans plenum sensum* aperit: « Exi ab eo spiritus immunde et da locum Spiritui Paraclito », qui in lavacro regenerationis veniet. In textu vero ordinis adultorum plenior sensus habetur, ibi enim et positive dicitur: « N. Accipe Spiritum bonum... ». — **b.** Ut ritus hic finem suum symbolicum exsequetur, *accurate* faciendus est: ter et leniter debet insufflari catechumenus, non in modum crucis, nec per modum halantis (hauchen, breath, alitare, lehel) quo aer calidus ex ore expellitur, sed angusto ore, compressis labiis fit hic gestus, quo aer frigidus procedit, signum contemptus et expulsionis.

4°. **Signatio** est *signum possessionis,* (Rit. Rom. c. 2. n. 4 et c. 4. n. 10-11), ut si quis nomen suum scribat in fronte domus, vel librorum etc. **a.** *Sensus* huius antiquissimi ritus ergo est, ut dicebatur, aliquem « *facere catechumenum* » seu « christianum », possessionem Ecclesiae. Plene hic ritus in Ordine *adultorum* applicatur: signantur enim non solum *frons* et *pectus,* partes ergo principaliores, sicut in Ordine parvulorum, sed etiam *scapulae* et singuli *sensus,* imo *totum corpus,* non quidem tangendo sed signo Crucis manu producto in aere. Ceterae signationes tactu fiunt physico, pollice dextero, reliquis digitis extensis et iunctis, sicut in signatione suiipsius. — **b.** *Oratio* concomitatur gestum hunc: « Preces nostras, Domine, clementer exaudi.... perpetua virtute (sc. Crucis) custodi, ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur ». Virtus haec Crucis perpetua est, quia Redemptio obiectiva semper perdurat; oratio loquitur de gloria Dei, quae per gratiam habitualem resplendebit in catechumeno, accepto lavacro sacro, ideo vocatur « *rudimentum* » (Beginn, début, cominciamento, kezdet) gloriae Dei, quae Baptismo accepto ad « regenerationis gloriam » perveniet. In ritu adultorum duae aliae adhuc orationes habentur (n. 10. 11.).

5°. **Impositio manuum** (Rit. Rom. c. 2, n. 5. et c. 4. n. 12). **a.** Deinde imponitur manus (dextera), per momentum *tangendo* caput, dein manum *extensam* tenens dicit *orationem;* si plures sint, singulis imponitur manus, dein dicitur oratio in plurali. *Duplex* ergo habetur manuum impositio, una per *contactum,* altera per extensionem. — **b.** *Sensus* huius ritus est semper benedictionis Dei transfusio et collatio cuiusdam muneris: reges, prophetae, sacerdotes manuum impositione acceperunt suum munus, nunc vero ex infideli fit christianus, veluti *novitius Ecclesiae* qui primum fecit grossum versus Ecclesiam, quae de eo possessionem capit.

6°. **Datio salis** est *ultimus ritus* ad catechumenum faciendum (Rit. Rom. c. 2. n. 6-7 et c. 4. n. 13-15.). **a.** *Sensus ritus* est iuxta Joannem diaconum praelaudatum: « Sicut omnis caro sale condita servatur ita sale sapientiae et praedicationis verbi Dei mens.... conditur, ut ad soliditatem stabilitatis atque permansionis.... divini salis suavitate perveniat » (n. 3 PL 59, 402). — **b.** Primum fit

benedictio salis, quod semel benedictum alias ad eundem usum servire potest (n. 6) per formulam originis Gallicanae; dein inmittitur modicum salis benedicti *in os* singulorum baptizandorum; sal accipitur pollice et indice dexterae manus et in interiore parte labiorum collocatur. Pro *idololatris* ante dationem salis peculiaris dicitur oratio quia Deus eos liberavit « de errore gentilium et conversatione turpissima » (c. 4. n. 14). — **c.** *Formula qua sal datur*, est: « N. Accipe sal sapientiae, propitiatio sit tibi in vitam aeternam ». *Sapientia* invocatur: sapientia nempe christianae professionis veri et unici Dei omnia ad salutem necessaria revelantis, quae tota fides nunc promittitur in lavacro recipienda. « *Propitiatio* sit tibi » significat: *Propitiatus i.e. expiatus* per lavacrum futurum sis in vitam aeternam consequendam. *Oratio* ritum concludens (n. 7 et 4, n. 15), in plurali pro pluribus dicenda, clarius adhuc pandit *sensum* ritus huius: per instructiones in doctrina christiana catechumenus non permittitur iam « diutius esurire, quo minus expleatur cibo caelesti » huius doctrinae, ut feliciter « ad novae regenerationis lavacrum » perducatur a Deo.

His ritibus actus primus: ad faciendum catechumenum absolutus est, sequiturque:

c) Ritus Competentium,

qui *secundus actus* est totius complexus, praeparatio quasi proxima ad baptismum suscipiendum, et *sex item scaenis absolvitur*. 1°. Competens baptismum *scrutiniis seu exorcismis* purificatur, dein 2°. instruitur profiteturque fidem, et 3°. immediate in limine regeneratorii lavacri constitutus sollemniter ultimo exorcismo lustratur, postea 4°. praeparatur per apertionem aurium ad recipiendam plenitudinem fidei, statim 5°. promptitudinem suam abrenuntiatione diaboli ostendens, demum 6°. ad luctam cum diabolo ingressurus ut pugil Christi oleo ungitur. Sic componitur secundus actus: *Ritus Competentium* (Rit. Rom. c. 2. n. 7 b. — 16 et c. 4. n. 16 — 37 a.), quo actu in unum congestae sunt actiones per plures hebdomadas dispersae, de quibus *Ferrandus Carthaginensis* (531) scripsit: « Catechumenus... inter *competentes* offertur, scribitur, *eruditur*..... celebrata sollemniter *scrutinio* per *exorcismum* contra diabolum vindicatur, cui se *renunciare* constanter, sicut hoc consuetudo poscebat, auditurus *symbolum*, *profitetur*. Ipsa insuper sancti symboli verba memoriter in conspectu fidelis populo clara voce *pronuncians*, piam regulam *dominicae orationis* accepit » (Ep. ad Fulgent. PL 65, 378 s.).

1°. **Scrutinia** *seu examinationes ipsae* **a.** pedetentim decursu saec. VII-i in desuetudinem abierunt, quia iam fere exclusive parvuli baptizabantur. In liturgia tamen remanserunt exorcismi, qui semper cum scrutiniis arcte coniuncti erant, idcirco etiam in hodierno ritu adultorum omnes continentur *septem exorcismi*, qui iam saec. V-VI-o super competentes prolati fuere et quidem distinctis temporum spatiis (primus Fer. IV. post Dom. III. Quadr., tertius Fer. IV, post Dom. IV., ultimus mane Sabb. Sancti), nunc sex priores habentur in Ordine adultorum (n. 16-28), in Ordine vero Baptismi parvulorum hi exorcismi sex priores ad unum contracti sunt (n. 7 b — 9). — **b.** *Exorcismus componitur* penes *adultos* ex oratione genibus flexis prolata « *Pater noster* », dein *signatione* Crucis per patrinum, cum *oratione* concomitante, item prolatione *exorcismi* (« Ergo maledicte diabole » vel « Audi maledicte diabole »), in fine vero omnium exorcismorum *manus impositione* super singulos *orationeque* concomitante super

omnes in plurali (« Aeternam ac iustissimam pietatem... »). Notandum quod numerus nativus sex exorcismorum tunc tantum habetur in Baptismo adultorum, si masculi et feminae simul baptizantur, tres enim exorcismi recitantur super mares, tres super feminas, in fine vero oratio « Aeternam ». In Ordine *parvulorum unicus exorcismus* constat ex exorcismo « Exorcizo te », et oratione exorcistica « Ergo maledicte diabole », sequitur crucis signatio cum oratione singulariter singulis dicenda « Et hoc signum sanctae crucis », in fine vero oratio «Aeternam».

2°. Abhinc sequuntur ritus in hodierno ordine Baptismi omnes Sabbato Sancto mane celebrati, e quibus primus est **redditio Symboli** seu Credo et Pater noster, traditio Symboli supposita per redditionem in liturgia Romana prorsus evanuit. Ritur **a.** incipit cum sollemni *introductione* in ecclesiam cum stola sacerdotis (c. 2. n. 10 et c. 4. n. 29.). Sacerdos imponit extremam partem stolae pendentem a humero suo sinistro super primum *infantem* — hanc stolam, ne decidat, potest tenere matrina vel patrinus infantem portans — dein introducit eos in ecclesiam, ita ut iuxta supradicta sacerdos sit a dexteris baptizandi et patrini. Quoad *adultos* autem sacerdos sinistra manu apprehendit dexteram primi electi prope brachium, vel ei porrigit extremam partem stolae ex humero sinistro pendentem sicque introducit eum; si vero plures sint baptizandi, primus sinistra sua trahit secundum et sic porro. *Verba concomitantia* sunt: « N. Ingredere in templum Dei, ut (adultis: « accipias benedictionem caelestem a D.N.J. Christo ») ut habeas partem cum Christo in vitam aeternam ». — **b.** Dein *redditur Symbolum,* sacerdos una cum baptizandis vel eorum patrinis *recitat Credo et Pater noster. Locus* ubi consistunt, est ante cancellos baptisterii; si non habeat cancellos, prope baptisterium.

3°. **Ultimus** sequitur **exorcismus sollemnis,** seu septimus in ritu antiquo Romano, cuius hora erat Tertia Sabbati Sancti (c. 2. n. 12 et c. 4. n. 33). Exorcismus hic vocabatur « *catechizatio* » atque nunc quoque fit manus impositione dexterae super capita singulorum electorum, postea dicitur oratio exorcistica in plurali, si plures sint catechizandi (oratio pro adultis est « Nec te latet satana... »). Parvulis non imponitur manus, oratio quoque alia est (Exorcizo te omnis spiritus immunde... »), oriunda e fontibus typi gallicani (similis legitur in Libro Ordinum Mozarabico MEL V, p. 25-26).

4°. **Apertio aurium** seu « *Ephpheta* » vel *effetatio,* est ipsa quoque ritus exorcisticus. Vetustissimus hic est mos in ritibus Baptismi, de quo apte dicit *Ildephonsus Toletanus*: « Post exorcismos tanguntur *auriculae oleo,* ut accipiat auditum fidei et sit vere spiritualium dictorum auditor. Similiter tangitur et *os,* ut cognitionem Redemptoris sui... ore confitens proferat ad salutem » (De cognit. bapt. c. 29. PL 96, 124). Loco olei *Mediolani et Romae saliva* utebantur exemplum secuti Domini (Mc 7,34), qui saliva oris sui aures et linguam tetigit surdomuti. Tali modo tangere (saliva nimirum) os mulieris indecorum visum est, ut dicit *Ambrosius*: « Tactus iste virum decebat, feminam non decebat » (De myster. I, 4 Quasten 114): Ideo loco oris *nares* tangebant in ritu Romano, sed saliva, dum in territoriis typi Gallicani retinebant membra nativa exempli evangelici, sed loco salivae minus decentis visae oleum supplebant. Significatio dein symbolica inventa est etiam in ritu Romano: « ...ut bonum odorem accipians pietatis aeternae et ut dicas: Christi enim bonus odor sumus Deo » (Ambros. De Sacram. I, 1 Quasten p. 139).

5°. **Abrenuntiatio facta diabolo** (c. 2. n. 14 et c. 4. n. 35). *Sensus* huius ritus erui potest apte e *Tertulliano*: « Aquam ingressi ....renuntiasse nos diabolo et pompae et angelis eius ore nostro contestamur, quid erit summum atque praecipuum... quam idololatria? » (De spectaculis c. 4), idem declarat alibi: « *Pompae diaboli* et angelorum eius, officia saeculi, honores, sollemnitates » (de corona milit. c. 13). Id, quod exorcismus ultimus verbis edixerit, « effetatio » autem actione symbolica sacramentali effecerit, nunc ad effectum deducitur per actum renuntiationis.

6°. **Unctio cum oleo catechumenorum** seu « salutis » est ultima praeparatio ad luctam cum diabolo. **a.** *Sensus* eius panditur e.gr. a *Chrysostomo*: «Unguntur sicut athlethae in stadium ingressuri » (In coloss. c. 2. hom. 6,4). *Ritus* autem eius describitur versus 348 apte a S. *Cyrillo Hierosolymitano*: « Exuti oleo perungebamini a summis verticis capillis ad infima et participes facti sincerae olivae Jesu Christi. Excisi enim ex oleastro inserti estis in sinceram olivam et consortes effecti estis pinguedinis olivae » (Cat. mystag. 2,3 Quasten p. 82). Ergo etiam haec unctio habet indolem exorcisticam, quod clarum est e formula vetusta: « Ungo te oleo ad liberationem ab omni spiritu pravo et ad liberationem ab omni malo » (Testam. J. Ch. c. 8., ed. J.. Rahmani, Mainz 1899 p. 129). — **b.** Iuxta *Ambrosium* unguntur pectus et brachia, iuxta *Gelasianum* pectus et scapulae, sicut etiam nunc: Sacerdos intingit pollicem in oleo catechumenorum, et infantem ungit in pectore superiore, dein inter scapulas aut humeros -- obstetrice vel patrino infantem opportune vertente deorsum locaque inungenda denudante. Ad duplicem hanc unctionem sacerdos formulam semel dicit, post unctionem autem statim bombacio detergit locum inunctum.

d) **Ritus ipsius baptismi.**

Tertius hic actus sancto ritu abluens competentem expiatum in corpus Christi mysticum incorporat, *scaenisque item sex absolvitur*. 1°. fit professio fidei, in quam baptizandus est, 2°. exsequitur sacerdos actum sacramentalem Baptismi, 3°. postquam in unda salutari sepultus cum Christo resurrexit, Declaratur per unctionem chrismatis membrum de membro sacerdotiique Christi particeps efficitur, 4°. puritas dein innocentiae restitutae significatur veste candida, 5°. quod filius lucis effectus est, probatur candela ardente, 6°. sicque demum in pace dimittitur. Si adultus est, potest accipere confirmationem, profecto autem invitatur ad Sacrum participandum dapeque convivali SS. Eucharistiae fruendum.

1°. Immediate ante actum baptismi fit professio fidei per *interrogationes de fide* (c. 2. n. 17 et c. 2. n. 38 b). Venuste enarratur hic actus per S. *Ambrosium*: « Venisti ad fontem, descendisti in eum, adtendisti summum sacerdotem... Interrogatus es: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti: Credo, et mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Jesum Christum et in crucem eius? Dixisti: Credo, et mersisti, ideo et Christo es consepultus, qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es: Credis et in Spiritum Sanctum? Dixisti: Credo, tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris aetatis absolveret trina confessio » (de Sacram. II, 6. et 7. Quasten 148 s). Interrogationes hae nunc ante baptismum ponuntur, non in ipso actu sacramentali. Quaestio « Vis baptizari »?, primum in Pontificali Romano-Germanico saec. X-i apparet. Initio *color albus sumitur*.

2°. Sequitur *momentum grande sacri lavacri.* Sacerdos, **a.** si *infans* baptizatur, accipit vasculum seu urceolum cum aqua baptismali de fonte, patrino vel matrina vel utroque infantem tenente, ita ut habeat *faciem deorsum* versus pelvim quae supponitur capiti eius, in quam aqua defluit. Si infans sit *capillatus,* sacerdos manu sinistra capillos discriminet, dum dextra aquam infundit (De Herdt, De Amicis), vel sinistram leniter fronti infantis applicet, ita ut aqua eius abluere, non vero in oculos fluere possit (Gatterer). Compluribus vero locis infans ita tenetur, ut *faciem pronam* habeat versus sacerdotem, qui aquam in frontem eius effundit, ita ut aqua in superiorem quoque partem cranii defluat, qui mos aptus haberi potest, superfluum enim reddit manipulationem in caesarie infantis. Aqua *ter funditur* in modum crucis, interea proferuntur *verba sacramentalia formae* (c. 2. n. 19). — **b.** Adultum baptizandum patrinus vel matrina vel uterque manu tenent vel saltem tangunt, ipse baptizandus aperto capite et laxatis a collo vestibus inclinatus stat, sacerdos vero eum eodem modo baptizat, quam supra (c. 4. n. 39). — **c.** Ubi autem est consuetudo baptizandi *per immersionem,* sacerdos caute accipit *infantem* et, advertens ne laedatur, immergit et trina immersione baptizat et semel tantum dicit formam (c. 2. n. 20), patrini vero levant infantem e sacro fonte, suscipientes illum de manu sacerdotis (n. 21). Electum vero *adultum* sacerdos accipit per brachia prope humeros, et superiore parte corporis nudata, reliqua honeste contecta, ter illum vel caput eius immergendo et toties elevando, baptizat sub trina immersione, sanctam Trinitatem semel tantum invocando patrino, matrina vel utroque eum tenente vel tangente (c. 4. n. 45-46). — **d.** Quod attinet *historiam baptismi per immersionem* facti, notandum est, quod talis usus stricte dictus solummodo tunc servatus fuerit, quando in aqua viva, vel lacu quodam aut mari baptismum administrabant, secus enim baptismus Ecclesiae antiquae inde a saec. III-o rectius dici potest factus esse per infusionem. Piscinae baptisteriorum Ecclesiae antiquae praesertim in Occidente profunditatem tam exiguam habent, quod immersio impossibilis fuisset, sic piscina Laterani 35 cm. alta est, ecclesiae S. Irenaei Lugdunensis 36 cm., ecclesiae Regiensis (Regium, Riez in Gallia) 45 cm. (Corblet, Hist. du sacr. de bapteme I, 227). Repraesentationes autem depictae Baptismi ex antiquitate Occidentis idem evincunt: catechumenus nudus stat in tali piscina et in capite demisso aqua infunditur. — **e.** Baptismus vero *per aspersionem,* ut iam diximus (B. 1. b.) aevo antiquo in usu vix erat, saec. XVI-o autem occurrit in territoriis missionum. Sic e.gr. *P. Ribeiro S.J.* litteris 1548 scriptis refert in regno Africano Kongo permultos Nigritas a sacerdotibus saecularibus per aspersionem cum aspergilio factam baptizatos fuisse (L. Kilger, Die Taufpraxis in d. alten Kapuzinermission am Kongo u. in Angola, Schöneck-Beckenried 1949, p. 5).

3°. **Unctio chrismalis** hodierno ritu praescripta *in summitate capitis* debet fieri (c. 2. n. 23 et c. 4. n. 41); sacerdos intingens pollicem in sacrum chrisma, ungit baptizatum in modum crucis dicens singulariter singulis *formulam* « Deus omnipotens » dein bombacio vel re simili tergit locum inunctum in vertice capitis baptizati, in fine vero orationis pollicem suum. *Sensus* ritus huius candide patet ex *Isidoro Hispalensi*: non solum reges et sacerdotes unguntur, sed omnes christiani, quia membra sunt Regis et Sacerdotis aeterni, « genus electum, regale sacerdotium » (1 Pt 2,9), ideoque post baptismum unguntur, ut posthac nomen Christi portare possint (cf. De offic. eccl. II, 25).

4°. **Vestitio baptizati** (c. 2. n. 24 et c. 4. n. 42) **a.** penes *parvulos* fit sic: sacerdos imponit capiti infantis *linteolum candidum* loco vestis albae, dicens singulariter singulis: « Accipe vestem candidam quam immaculatam perferas ante tribunal DNJ Christi, ut habeas vitam aeternam », quibus verbis iam inde a Miss. Bobiensi (s. VII, PL 72, 502) clare significatur gratia sanctificans in Baptismo accepta. — **b.** *Adulti* accipiunt in capite « *chrismale* » seu candidum linteolum, et vestem candidam et electus deponit vestes priores et induitur novis albi coloris vel saltem exteriore candida, quam a sacerdote accepit (n. 43), quod non ubique potest tam stricte observari.

5°. **Candelae ardentis porrectio,** quae item gratiae splendorem significat, sat tarde incoepit, dum usus vestis albae iam saec. IV-o in usu fuit, traditio lampadis in liturgiam Romanam solummodo saec. XI-XII pervenit (c. 2. n. 25 et c. 4. n. 43-44). *Formula* eodem modo dicitur ac supra: « Accipe lampadem ardentem et irreprehensibilis custodi baptismum tuum: serva Dei mandata ut, cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula caelesti et vivas in saecula saeculorum ».

6°. **Dimissio** fit in plurali pro pluribus: « Vade (ite) in pace et Dominus sit tecum (vobiscum) » (c. 2. n. 26 et c. 4. n. 50). Pro adultis adhuc dicitur a Rituali: « Si adsit episcopus, qui id legitime praestare possit, ab eo neophyti Sacramento Confirmationis initiantur. Deinde, si hora sit congruens, celebratur Missa, cui neophyti intersunt et SS. Eucharistiam devote suscipiunt » (c. 4. n. 52).

Scholion I. Praeparanda ad Baptismum.

a) **Extra fontem.**

1°. *Vestes* superpelliceum et stola violacea, potest etiam pluviale violacei coloris adhiberi, compluribus locis in usu est stola bicolor (alba et violacea), vestes ministrantium. — 2°. *Vasculum* cum sale benedicto vel benedicendo. — 3°. *Rituale* vel Baptismalis liber ex eo extractus.

b) **Ad fontem:**

1°. *Vestis*: pluviale, si adhibetur, albi coloris, stola alba, nisi bicolor adhibeatur. Vestis *baptizandi* candida seu pro infantibus linteolum candidum capiti imponendum. — *Chrismale* pro capite baptizati adulti. — 2°. *Vascula* olei catechumenorum et chrismatis, *urceolus* ex argento vel metallo nitidus ad aquam baptismi infundendum, quod nulli praeterea alii usui deserviat (c. 1. n. 59). — *Pelvis* ad excipiendam aquam. — *Vas* pro manuum lotione post Baptismum (n. 63). — 3°. *Alia*: *Gossipium* (Baumwolle, cotone, coton, cotton, gyapot) seu alio nomine bombacium (Watte, bambagia, ouate, cotton-wool, vatta) vel aliud quid simile, ad abstergenda loca sacro oleo inuncta. *Medulla panis,* qua inuncti sacerdotis digiti, cum manus lavat, abstergantur. Cereus seu *candela* ardens baptizato tradenda.

Scholion II. Quomodo capi possunt fructus pastorales e baptismo.

Recte dixit *O. Schöllig*: « Si conscientia baptismi penes fideles vivide non excitetur, contentiones laboriosae pro actuosa religiositate, renovatio liturgica, communio frequentior, imo etiam missiones, exercitia, diesque secessus spiritualis non proferent optatos fructus » (p. 44). *H. Ch. Chéry O.P.* vero ponit sibi quaestionem: « Existetne inter liturgias Sacramentorum tam depravata (mass-sacrée) quam baptismi »? (p. 71). Procul dubio fidelibus hodierni temporis vide-

tur deesse illa « experientia » seu impressio vitalis (Erlebnis, occurrence, élmény) baptismi, quae tam alte mentibus fidelium aetatis antiquae insculpta erat. Inde iam ab 1951 quidem multum factum est instauratione Vigiliae Paschalis, cuius participatio actuosa quo intensior erit, eo magis baptismi quoque « experientia » augeri potest. At grandis nobis adhuc restat via, ut Sacramentum baptismi in dignam aestimationem penes populum veniat. Auctores ideo quaedam media ad hunc finem assequendum proponunt.

1°. *Sollemnis celebratio baptismi in coetu liturgico* est medium praecipuum. Sicut in antiquitate baptismus duabus vicibus tantum sollemniter administratus est, sed tunc totus coetus populi magna cum pompa actionem hanc participavit, etiam nunc debet aliquoties actus Baptismi « festum evadere novorum membrorum incorporationis » (Chéry). — **a.** Praeprimis studendum est, ut *in nocte sancta Paschatis* semper celebretur alicuius baptismi administratio. Obiectioni de prolixitate officii huius liturgici commode responderi potest utilitate « experientiae » (Erlebnis) talis baptismi, quae, ubi actus recte praeparatus et interpretatus est, uberes protulit fructus. — **b.** At commendatur etiam et compluribus locis iam comprobatum est etiam *extra Pascha* in communi celebrare administrationem baptismi. Aliquoties baptismus fieri debet festum totius familiae paroecianae (Chéry), idcirco in Gallia saepius talis actus communis baptismi coniungitur cum Missa matutina dominicali communitatis, in Germania cum devotione pomeridiana. Permultis in locis iam non aedificantur ecclesiae sine Baptisterio separato, tale Baptisterium vel saltem fons exornatur floribus, luminaribus, tapetis, vascula parantur digna e metallo nobili conflata, item vestes celebrantis et ministrorum vel ministrantium nitidae sunt. Interrogationes baptismales dicuntur clara voce, sicut tota actio liturgica, ut patet; Credo et Pater noster recitantur a tota communitate. Ad introductionem infantis hymnum canunt lingua nativa (e.gr. in Gallia: « Laissez venir à moi les tout petits enfants »), in momento baptismi monent communitatem ad attentionem, peractaque actione canitur hymnus « Adoro te devote latens deitas ».

2°. *Renovatio votorum baptismi* hucusque fiebat solummodo occasione primae communionis parvulorum, inde ab 1951 facultative, ab anno 1956 in omnibus ecclesiis terrae fit iam modo obligatorio; utinam obligatio etiam pleno corde pastoralique sollicitudine impleatur! Talis renovatio autem etiam potest haberi extra Pascha occasionibus quibusdam sollemnibus, ut congressus coetus eucharistici etc.

3°. *Privata* quoque *recordatio et renovatio baptismi* commendari debet, sicut maiores nostri *anniversarium diem proprii baptismi* recolebant. **a.** Quia Pascha omni anno alio die incidit, singulis annis eo die, quo eorum baptismus habitus est anno illo elapso, Missae interfuerunt, communionemque sumebant, Missa vero pro iis dicta est, quae legitur e.gr. in Gelasiano cum praefatione et « Hanc igitur » propriis, ubi oratur pro iis, qui « annua recolentes mysteria quibus eos adoptasti tuis regalibus institutis... ut in eis et collata custodias et promissae beatitudinis praemia largiaris » (n. LIV. Wilson p. 97). Mos hic vocatus est « *Pascha annotinum* ». — **b.** *Aliae exercitationes privatae* commendantur: recordatio baptismi quando invocatione Trinitatis tam beatae Cruce signamur, vel aqua lustrali utimur; dein festo die Patroni coelestis, seu die onomastico quoque suaderi potest gratiarum actio piaque supplicatio ad eum cum commemoratione baptismi, quem sub huius coelestis civis tutela suscepimus.

4°. « *Obiecta recordationis* » seu munuscula, dona monumenti causa largita et accepta (ricordi, souvenirs, Andenken, emlékek) magno possunt pollere valore ad baptismi memoriam prope iam abolitam redintegrandum. Tales iam inde fere a tribus decenniis usuvenerunt *candelae* baptismales venuste depictae symbolis baptismi, quas patrini donabant baptizatis, quibusve utuntur occasione primae communionis, praecipue vero in hora mortis suae. Compluribus locis etiam *vestes* baptismales acu pictae donari consueverunt, quas simili modo in memoriam baptismi custodiunt. Item dari solent *syngrapha* seu tabulae baptismales pulchre ornatae (Taufurkunde, emléklap), *nummi* seu clypei (Medaillon) in memoriam baptismi suscepti excussi, *bacilia* cum symbolis baptismalibus (Taufschüssel) etc.

5°. Schöllig iure provocat ad momentum *instructionis* catecheticae. — **a.** In *scholis* non sufficit de baptismo tractare tantum tunc, si materia haec ordine seriei recurrit, etiam aliae occasiones servire possunt ad talem tractationem; dein loquendum est de baptismo in instructionibus ante Confirmationem, in catechesibus pro prima confessione et s. communione, in exercitiis eorum qui a scholis dimittuntur. — **b.** In *praedicatione* verbi Dei thema baptismalis saepius repetendum est anni circulo, praecipue in Quadragesima, et Paschate; imo etiam in « missionibus » popularibus ac exercitiis et triduanis devotionibus caput tractationis seu initium saepius sit baptismus. Optima habes *L. Bopp*, Das adelnde Sakrament, Liturgie und Kerygma, III (1952) 120-198.

6°. *Ipse vero sacerdos* se totum mergere debet in contemplanda perspiciendaque magnitudine baptismi, ut aptus fiat ad « plebem aeternae redemptionis » edocendam educandamque, praedicatio enim — ut affirmat Doctor Communis — ex plenitudine contemplationis derivatur.

TABELLA
DE RITIBUS BAPTISMI

SENSUS:	*ACTUS PRIMUS* *PRAEPARATIO REMOTA AD BAPTISMUM*	*ACTUS SECUNDUS* *PRAEPARATIO PROXIMA AD BAPTISMUM*	*ACTUS TERTIUS* *SACER ACTUS IPSIUS BAPTISMI*
S	1.° Nomen dare	1.° Scrutinio seu exorcismo purgatur	1.° Professio fidei in quam:
C	2.° Prima instructio de fide	2.° Profitetur fidem: Redditio Symb.	2.° Sollemniter baptizatur
A	3.° Exorcismus initialis: exsufflatio	3.° Ultimo exorcismo sollemni praeparat	3.° Unctione chrism. incorporatio illustratur.
E N	4.° Signatio cum Cruce	4.° Praeparatur ad fidem: apertio aurium	4.° Veste candida innocentia restituta illustratur
A	5.° Possessio per impositionem	5.° Quam fidem profitetur renuntiatione	5.° Candela illustratur quod filius est lucis
E	6.° Promissio munerum: datio salis	6.° Unctione olei ultimo praeparatur	6.° Dimittitur in pace, resp. Missae adstans pascitur Eucharistia.

2. De legibus cultualibus baptismi.

In praecedentibus quaestionibus iam actum est de materia et forma huius Sacramenti, item de ministris ordinariis et extraordinariis eius, nunc ergo restat solum tractatio de ceteris legibus cultualibus, quae exstant in CIC et Rituali Romano. Agendum est nobis a) De baptismo sollemni et privato, — b) De nomine baptismali, — c) De ritu baptismi, — d) De loco baptismi, — e) De oleis sacris, — f) De sale benedicto, — g) De adnotatione baptismi collati.

a) De baptismo sollemni et privato.

Definitio. « Cum baptismus ministratur servatis omnibus ritibus et caeremoniis quae in hoc Rituali libro praecipiuntur, appellatur sollemnis, secus non sollemnis seu privatus » (Rit. Rom. tit. II. c. 1. n. 3).

1°. *Baptismus privatus* in *mortis periculo* licite confertur, et, si conferatur a ministro qui nec sacerdos sit, nec diaconus, ea tantum ponantur, quae sunt ad baptismi validitatem necessaria; si a sacerdote vel diacono, serventur quoque, si tempus adsit, caeremoniae, quae baptismum sequuntur (Can. 759. § 1.). — 2°. *Extra mortis periculum* baptismum privatum loci Ordinarius permittere nequit, nisi agatur de haereticis, qui in adulta aetate sub conditione baptizantur (can. cit. § 2). — 3°. Caeremoniae autem quae in baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint, *quamprimum* in ecclesia *suppleantur*, nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate sub conditione privatim baptizati fuerint ex Ordinarii licentia ut supra (can. cit. § 3., omnia etiam in Rit. tit. II. c. 1. n. 28). — 4°. Ritus *supplendi omissa* habentur in Rit. Rom. tit. II. c. 5. Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum; *ibid.* c. 6: Ordo supplendi super adultum baptizatum.

b) De nomine baptismali.

1°. *Historia* ostenditur nomina christiana pedetentim orta evolutaque esse.

a. Primis duobus saeculis nullum vestigium invenitur *nominis cuiusdam* « *christiani* », fideles vocabantur nominibus in cultura eorum civili ortis, etsi permulta talia nomina « theophorica », i.e. e nominibus deorum paganorum oriunda fuerunt, ut Athenodorus (=donum Athenes), Isidorus, Artemidorus, Apollonius, Apollinaris, Dionysius (i.e. a Dionyso=Baccho ortus), Martinus (a Marte ortus) etc. Multi *nomina mythologica* habebant: Telemachus, Nestor, Aeneas, Orion, talibus nominibus nuncupati fuerunt quidam episcopi Concilio Nicaeno subscribentes. Notandum, quod seriore quoque tempore, quando gentes barbarae in sinum Matris Ecclesiae recipi incipiebant, *nomina* eorum *gentilia* diu in usu remanserunt, e.gr. nomina *germanica* in Gallia: Agerich, Baudewald, Berulf, Bodegisel, Chrodin, Gogo, Launebold, Lioba, Radegundis, Ragnemond, Sindulf, Willebald, Wilfrid, et multa alia. Similiter penes gentes *Slavonicas* e.gr. Wenceslaus, Woclav, Ladislav, Boleslav; apud *Hungaros*: Ákos, Gyula, Árpád, Gejza etc.

b. Saec. III-o iam *nomina biblica* quibusdam christianis data fuerunt, in epistolis S. Cypriani occurrunt iam ut nomina quorundam christianorum: Moyses, Petrus, Paulus.

c. Inde ab isto saeculo, praecipue autem a saec. IV-o semper plures assumebant *nomina martyrum*, in quo usu iam cerni potest nisus baptizatos veluti

exemplum ad imitandum sibi propositum martyres elegisse. Pronum est, quod permulti martyres nomina adhuc gentilia possidentes per passionem suam nomina haec pagana in christiana mutaverunt. Seriore tempore etiam *sancti confessores* coli coeperunt, ideo etiam eorum pagana nomina christiana evaserunt.

d. Studium christiana nomina possidendi dein mature iam peperit *nomina* a christianis *libere inventa* seu pie excogitata. Nomina haec splendide testantur veritates fidei quam maximi habitas fuisse a maioribus nostris. Conscientiam *christianae dignitatis* exprimunt e.gr. nomina: Redemptus, Renatus (René), Restitutus; intimam *coniunctionem cum Christo-Capite* testantur nomina: Cyrillus, latine Dominicus, *virtutum theologicarum* observantiam ostendunt nomina: Pistis, Elpis, Agapé, latine Fides, vel Fidentius, Spes vel Sperantius, Elpidius, Caritas vel pro masculis Agapius; intimam participationem *cyclorum liturgicorum* produnt nomina: Paschasius, vel Paschalis a baptismo vel fortasse nativitate tali festo, item Natalis a festo Nativitate Domini, Epiphanius etc. Alia nomina *genium christianum redolentia* sunt: Deogratias, Quodvultdeus, Adeodatus, graece Theodorus, Theophorus etc. Sic paulatim desiderium ortum est nomina imponendi christiana.

2°. *Sensus nominis christiani*: est **a.** *expressio* cuiusdam *novitatis*, quae invenitur in baptismo, quo fit homo nova creatura in Domino. Idcirco iam antiqua aetate evenit *mutatio nominis* in nomen christianum, sic e.gr. puella Athenais, officialis cuiusdam militaris Gothi filia, uxor Theodosii II. baptizata nomen « Eudoxia » assumpsit; mater Theodorici Magni nomen Gothicum occasione Baptismi ex Erelivia in Eusebiam mutavit. Idem cerni potest in mutation nominis occasione ingressus in religionem monasticam. — **b.** Assumptione nominis alicuius Sancti idea celebratur *communionis Sanctorum*, « quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur » (Rit. Rom. tit. II. c. 1, 70).

3°. *Leges Ecclesiae*. **a.** « Curent parochi, ut ei qui baptizatur *christianum imponatur nomen*, quod si consequi id non poterunt, nomini a parentibus imposito addant nomen alicuius Sancti et in libro baptizatorum utrumque nomen perscribant » (can. 761). Ut patet parochum cum omni urbanitate et suavitate parentes monere debere, impositionem nominis Sancti persuadere, nomenque una cum parentibus eligere. — **b.** Parochus « curet, ne obscoena, fabulosa aut ridicula, vel inanium deorum vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur » (Rit. Rom. c. 1. n. 70).

c) **De ritu baptismi.**

1°. *Qualis e diversis ritibus eligendus*. **a.** Proles ritu parentum baptizari debet, ergo filius ritus orientalis non potest baptizari ritu Ecclesiae latinae (can. 756 § 1). — **b.** Si alter parentum pertineat ad ritum latinum, alter ad orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud iure speciali cautum sit (ibid. § 2). — **c.** Si unus tantum sit catholicus, proles huius ritu baptizanda est (ibid. § 3).

2°. *Tempus baptismi*. **a.** Baptismus *privatus* urgente necessitate quovis tempore et loco administrandus est (can. 771). — **b.** Baptismus *sollemnis* quolibet die administrari potest, *decet* tamen adultorum baptismum conferri secundum antiquissimum Ecclesiae ritum, si fieri commode queat, in *pervigilio Paschatis*

(can. 772.). *Quomodo fieri debet* baptismum sollemnis — non solum adultorum sed etiam parvulorum — in vigilia Paschatis, describitur in Ord. Hebd. Sanctae Instaurato (1956. Instr. n. 14, et Rubr. spec. Sabb. Sancti n. 21. in fine): « Si aderunt baptizandi, praesertim si plures sint, *permittitur* caerimonias Ritualis Romani, quae ipsam Baptismi collationem praecedunt, id est, in Baptismate infantium usque ad verba, Credo in Deum (Rit. Rom. tit. II. c. n. 17), et in Baptismate adultorum usque ad verba 'Quis vocaris?' (Rit. Rim. tit. II. c. 4, n. 38), *eodem mane*, tempore opportuno, praemittere ». Baptismus vero confertur post benedictionem aquae baptismalis, resp. post immixtionem oleorum sacrorum in aquam, ergo *in ipso presbyterio* ex ipso vase aquae baptismalis benedictae in medio chori stantis ad latus epistolae in conspectu populi, *et non ad fontem*, qui adhuc vacuus est; iuxta Ordinem instauratum enim *post* baptismum fertur tantum aqua benedicta processionaliter ad fontem (n. 22). — **c.** In *vigilia Pentecostes* inde ab 1956 iam non habetur benedictio aquae baptismalis (Instr. n. 16); Sic quoque Novus Codex Rubricarum a. 1961 (Var. 32); unde patet nec terminus baptismi.

3°. *Quoad adultos commendatur* **a.** « tam sacerdotem, qui adultos baptizaturus est, quam ipsos adultos qui sani sint, decet esse ieiunos » (can 753 § 1), ut patet iuxta normas. Motupr. « S. communionem » 19. mart. 1957. Ideo « non post epulas aut prandia, sed ante meridiem, nisi ex rationabili causa aliter faciendum sit, eorum baptismus celebretur » (Rit. Rom. c. 3. n. 8). — **b.** « Nisi graves urgentesque causae obsint, adultus baptizatus statim *Missae* assistat et S. *communionem* percipiat » (can. 753 § 2).

d) **De loco baptismi.**

1°. *Locus proprius* **remotus** *baptismi* est *baptisterium* sensu stricto sumptum, i.e. *capella vel aedificium* baptismo *exclusive inserviens* (can. 773). Si *baptisterium* ab ecclesia *separatum* sit, benedictio ibi *potest* fieri aquae baptismalis (Rubr. spec. Sabb. S. Ordinis instaurati n. 23. si « praeferatur »), sed non debet; si solum *capella* est lateralis, videtur benedictionem in presbyterio peragendam esse. Notandum, quod maior pars ecclesiarum non habet baptisterium sensu stricto, sed *fons baptismalis* in loco aliquo ecclesiae habetur, qui ideo est:

2°. *Locus proprius* **proximus** *baptismi* **a.** *Ubi debet esse*: Qualibet paroecialis ecclesia, revocato ac reprobato quovis contrario statuto vel privilegio vel consuetudine, *baptismalem* habeat *fontem*, salvo legitimo iure cumulativo aliis ecclesiis iam quaesito (can. 774 § 1.). — **b.** *Ubi potest esse*: Loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate permittere vel *iubere* ut fons baptismalis ponatur etiam *in alia* ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines (ibid. § 2). — **c.** *Qualis debet esse*: fons baptismalis debet esse « decenti loco et forma, materiaque solida, et quae aquam bene contineat, decenter ornatum et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis, vel aliae sordes intro non penetrent, in eoque ubi commode fieri potest, depingatur seu collocetur imago S. Joannis Baptistae » (Rit. Rom. tit. II. c. 1. n. 46).

3°. *Locus* **extraordinarius** *baptismi est domus privata.* **a.** *Per privilegium iuris* in domibus privatis baptizari possunt filii aut nepotes eorum, qui supremum *actu* tenent populorum principatum, vel ius habent succedendi in thronum, quoties isti id rite poposcerint (con. 776 § 1). — **b.** *Per concessionem Ordinarii*:

qui iusta rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit (ibid. § 2). — **c.** *Per concessionem parochi*: si infans propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo aut periculo ad fontem accedere aut transferri nequeat, baptismus sollemnis a parocho conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines, licet haec baptismali fonte careat (can. 775).

e) **De oleis sacris.**

1°. Olea sacra debent esse *recentia*, i.e. Fer. V. Coenae Domini superiore benedicta, neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat (Rit. Rom. c. 1. n. 47). Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia (ibid. n. 49).

2°. *Vascula oleorum.* — **a.** Chrisma et oleum catechumenorum sit in suis vasculis argenteis aut saltem stanneis, bene obturatis, vascula sint distincta per inscriptionem propriam (Rit. Rom. c. 1. n. 50). — **b.** Ad usum cotidianum *minora* habeantur vascula ex argento aut stanno, separata sive etiam coniuncta, bene cooperta et suis inscriptionibus praedita (n. 51). — **c.** Ad effusionis periculum praecavendum in his minoribus vasculis commendatur apponere *bombacium* vel simile aliquid (ibid. n. 52).

3°. *Ubi custodiri debent.* — **a.** Locus *proprius* est *ecclesia*, ubi s. olea custodiri debent, loco honesto et mundo, sub clave et tuta custodia (Rit. Rom. c. 1. n. 53); commendatur aedicula seu zothecula (Nische, niche, nischia, fülke) in pariete ecclesiae applicata, claveque « securitatis » obserata. — **b.** Locus *extraordinarius* est *domus paroeciae* propter necessitatem vel ob aliam causam rationabilem, accedente Ordinarii loci licentia (ibid. n. 53). — **c.** Parochus *curet*, ne olea sacra per laicos deferantur, item, ne de oleis sacris quidquam ulli unquam cuiusvis rei praetextu tribuatur (ibid. n. 54).

f) **De sale benedicto.**

1°. *Qualis sit*: Sit prius (ante benedictionem) bene confractum et attritum, siccum ac mundum (Rit. Rom. c. 1. n. 55, ubi etiam ceterae praescriptiones leguntur). Etiam sal convenit asservare in vasculo digno e metallo confecto cum vitreo vase intus incluso et bene cooperto (Cf. Rit. Rom. c. 1. n. 58).

2°. Sal benedicendum est peculiari *benedictione* in Rit. Rom. praescripta; diaconus talem benedictionem non potest peragere.

3°. Sale hoc *ad alios fines non licet uti*, nec ad benedicendam aquam « communem », ad hunc finem sal peculiariter est benedicendum. Nec licet sal benedictum aliis tradere, neque iis, qui benedicendum attulerit.

g) **De adnotatione baptismi.**

1°. *Inscriptio baptismi in matriculis.* **a.** Parochi debent nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi in baptismali libro sedulo et sine ulla mora referre (can. 777 § 1). — **b.** Ubi vero de *illegitimis* filiis agatur, *matris* nomen est inserendum, si publice eius maternitas constet, vel ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen *patris*, dummodo ipse sponte sua a parocho vel scripto

coram duobus testibus id requirat, vel ex publico authentico documento sit notus. *In ceteris casibus* inscribitur natus tamquam filius patris ignoti vel ignotorum parentum (can. 777 § 2). Notari debet, quod in quibusdam regnis leges civiles aliud statuunt de legitimitate prolis, ideo habentur pro variis regnis etiam particularia praescripta. In casibus difficilioribus parochus adeat Ordinarium loci, vel per ipsum S. Congr. Concilii (Decr. Comm. CIC Interpret. 14. iul. 1922).

2°. *Parochus proprius* baptizati certior reddi debet: per ministrum baptismi collati, quamprimum; parochus proprius est, ubi baptizatus rationem habet domicilii (can. 778).

3°. *Comprobatio baptismi,* si per documentum authenticum extractum e matricula paroeciali non potest fieri, fit « per unum testem omni exceptione maiorem, vel ipsius baptizati iusiurandum, si ipse in adulta aetate baptismum receperit » (can. 779).

Litteratura.

P. Puniet, La liturgie baptismale en Gaule avant Charlemagne, *in*: Rev. Quest. hist. 1902, 382-423. — *F. J. Dölger,* Der Exorzismus im altchr. Taufritual, Paderborn 1909. — *P. de Puniet,* Baptême, *in*: DAL II, 1 (1910) 251-346. — *F. J. Dölger,* Die Sonne der Gerechtigkeit u. der Schwarze. Eine religionsgeschichtliche Studie zum altchr. Taufgelöbnis, Münster i.W. 1918. — *E. Nied,* Heiligenverehrung u. Namengebung, Freiburg i.Br. 1924. — *P. Glane,* Zur Geschichte d. Taufe in Spanien, I. II. Heidelberg 1925-27. — *O. Faller,* Das Teufelsanspeien im Mailänder Taufritual, *in*: JfLw 1929, 128-232. — *H. Rahner,* Pompa diaboli, *in*: ZfkTh 1931, 239-273. — *A. Dondeyne,* La discipline des scrutins dans l'Église latine avant Charlemagne, *in*: Rev. d'hist. eccl. 1932, 5-33, 75-187. — *F. J. Dölger,* Die Eingliederung des Taufsymbols in den Taufvollzug nach den Schriften Tertullians, *in*: Antike u. Christentum 1933, 138-146. — *B. Welte,* Die postbaptismale Salbung, Freiburg i.Br. 1939. — *L. Eisenhofer,* Handbuch d. kath. Lit. 2.ed. 1941, p. 228-280. — *A. Crogaert,* Les cérémonies du baptême et de la Confirmation, Paris-Bruges 1944. — *Ph. Oppenheim,* Sacramentum regenerationis, Romae 1947. — *J. H. Waszink,* Pompa diaboli, *in*: Vigil. christ. 1947, 13-41. — *H. Ch. Chéry,* Communauté paroissiale et liturgie N. Dame de St. Alban, Paris 1947, 71-80. — *Th. Blieweis,* Zeitnahe Gestaltung der Tauffeier, Wien (Herder). — *De Amicis,* Caeremoniale perochorum, 2.ed. Romae 1948, p. 463-470. — *L. Molien,* La liturgie des sacrements, Paris 1948, 45-156. — *H. Mayrhuber,* Taufansprachen, *in*: (Linzer) Theol. prakt. Quart. schr. 1951, 136-142. — *O. Schöllig,* Pastorale Auswertung der Taufe, *in*: Verwaltung der hl. Sakramente, 4.ed. Freiburg i.Br. 1952, 41-44.—*J. Lechner,* Liturgik des römischen Ritus, 6.ed. Freiburg i.B. 1953, 262-276. — *M. Righetti,* Il battesimo, *in*: Storia liturgica IV. Milano 1953, 1-87. — *A. Stenzel,* Eine genetische Erklärung der Taufliturgie, Innsbruck 1958. — *Idem,* Wege und Umwege in der Geschichte des Taufrituals, *in*: Lit. Jahrbuch 1959, 16-28. — *J. Beckmann,* Taufvorbereitung und Taufliturgie in den Missionen vom 16. Jahrhundert bis zur Gegenwart, *ibid.* 1959, 29-45. — *A. Raes,* Die Taufriten im Orient, *ibid.* 1959, 46-52. — *J. A. Jungmann,* Aufbauelement im römischen Taufritus, *ibid.* 1959, 1-15. — *B. Fischer,* Formen gemeinschaftlicher Tauferinnerung im Abendland, *ibid.* 1959, 87-94. — *H. Börsting,* Geschichte der Matrikeln von der Frühkirche bis zur Gegenwart, Freiburg i. Br. 1959. — *A. Stenzel,* Gedanken zur Tauffrömmigkeit, *in*: Pasch. Soll. 1959, 32-45. — *H.A.P. Schmidt,* Initiatio christiana, *in*: Introd. in Lit. occident. Roma 1960, 238-321.

V. Tractatus quintus.

De Confirmatione.

Definitio. « Confirmatio est Sacramentum a Jesu Christo institutum, ad conferendam specialem gratiam et dona Spiritus Sancti, quibus confirmatus roboratur ad fidem, ut perfectus miles Christi, verbo et opere profitendam » (Catech. cath. qu. 363). De nominibus cf. infra 4.

De Sacramento Confirmationis agenda sunt sequentia:

A) De existentia confirmationis.
B) De essentia confirmationis.
C) De efficientia confirmationis.
D) De personis sacramentalibus confirmationis.
E) De ritibus confirmationis.

A) De existentia confirmationis.

1. Vox Ecclesiae.

Tridentinum in genere confirmationem inter Sacramenta Novae Legis enumerat (De Sacramentis in genere can. 1. Denz. 844) — Speciali canone autem edicit, quid sit et non sit confirmatio: « S.q.d., confirmationem baptizatorum *otiosam caeremoniam* esse et non potius *verum et proprium Sacramentum*, aut olim nihil aliud fuisse, quam *catechesim* quandam, qua adolescentiae proximi, fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant: a. sit » (Can. 1. de confirm. Denz. 871.).

2. Adversarii confirmationis.

a) Saec. XII-XIII. *Waldenses et Albigenses* hoc Sacramentum quoque negabant, ut videri potest e professione fidei ab Innocentio III. praescripta: Confirmationem ab episcopo factam, i.e. impositionem manuum, sanctam et venerande esse accipiendam censemus » (anno 1208. Denz. 424).

b) Veri nominis adversarii *tempore Novatorum* exsurrexerunt. *Lutherus* iam in libro De captivitate Babylonica Ecclesiae talia scripsit: « Non hac vice Sacramenta divinitus instituta quaerimus inter quae ut confirmationem numeremus, nullam invenimus causam... Satis est pro ritu quodam ecclesiastico seu

cerimonia sacramentali confirmationem habere, similem caeteris cerimoniis consecrandae aquae, aliarumque rerum ». *Melanchthon* anno 1531. in Apologia Confessionis Augustanae haec affirmat: « Confirmatio et extrema unctio sunt ritus accepti a Patribus, quos ne ecclesia quidem tamquam necessarios ad salutem requirit, quia non habent mandatum Dei. Propterea non est inutile hos ritus discernere a superioribus, qui habent expressum mandatum Dei et claram promissionem gratiae » (VII, 6. cf. J. T. Müller, Symbol. Bücher der ev.-luth. Kirche, ed. 11. p. 203).

c) Similiter « *Reformati* », quorum antesignanus, Calvinus sic opinabatur: « Videmus oleum, crassum scilicet et pinguem liquorem: praeterea nihil! » Scil. in confirmatione, eiusque administros subsannat, nam, « qui oleum vocant oleum salutis, salutem quae in Christo est, abiurant, Christum abnegant, partem in regno Dei non habent », — ideoque confirmationem Catholicorum vocat « *abortivam sacramenti larvam* » (Instit. relig. christ. XVI, 4. ss.) — *Confessio Helvetica posterior* ulterius procedit anno 1562. « Confirmatio et extrema unctio *inventa sunt hominum*, sed non Sacramenta, quibus nullo damno carere potest Ecclesia. Nam habent illa quaedam, quae minime probare possumus. Nundinationem omnem quam exercent Romanenses in dispensatione Sacramentorum, omnino execramur » (E. F. Karl Müller, Bekenntnisschriften d. ref. Kirche, Leipzig 1903, 731). — *Synodus Dillenbergensis* autem 1578. enuntiat: « Confirmatione catechumenorum antea *horride abutebatur*, faciendo ex ea sacramentum peculiare, virtutem peculiarem ei assignando et attollendo super baptismum. Praeterea caerimonias superstitiosas ei adiiciebant, chrismate signum crucis ungebant, et nil aliud ex eo fecerunt, nisi ludibrium puerile, ridiculum » (ibid. p. 731).

d) Saeculo nostro *Modernistae*, praesertim A. Loisy, dixerunt, quod « nihil probat ritum Sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis, formalis autem distinctio duorum Sacramentorum baptismi et confirmationis haud spectat ad historiam christianismi primitivi » (Lamentabili prop. 44. Denz. 2044).

3. Testimonium S. Scripturae.

a) *Promissio confirmationis* habetur forsitan iam in colloquio Christi *cum Samaritana*: « Si scires donum Dei et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam » (Jo 4, 10). Utique haec enuntiatio Domini non debet praecisive de confirmatione intelligi, sed de gratia N. Testamenti eiusque mediis. — Quod autem Christus in *festo scenopegiae* dixit, iure explicatur de confirmatione: « Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de eius ventre fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes (emellon lambanein hoi pisteuontes), nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus » (Jo 7,37-38). Terminus « emellon lambanein » (accepturi erant, sie waren im Begriff ihn zu empfangen, elnyerendök voltat öt), clare significat, aquas vivas significare Spiritus Sancti adventum, cuius omnes participes erunt. Dominus etiam ad prophetas (« sicut dicit Scriptura ») provocat, qui pro tempore Messianico effusionem Spiritus praesagiebant.

b) *Exsecutionem huius promissionis* videmus in Actibus Apostolorum.

1°. Sic *Petrus* in primo suo sermone ad populum habito dixit: « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum

vestrorum *et* accipietis donum Spiritus Sancti » (Act. 2,39), his verbis indicans *distinctionem* inter baptismum et acceptionem Spiritus Sancti.

2°. Spiritus per exceptionem venit tantum in nondum baptizatos, sicut in Cornelium (Act. 10,44), secus autem hunc ritum semper *post baptismum* exsequebantur et quidem *per manus impositionem* et *ipsi Apostoli*. Sic quando *Philippus* diaconus praedicabat Samariae et credentes iam baptizabantur, Apostoli audientes hoc, miserunt Petrum et Joannem, qui « cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat », sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum » (Act. 8,15-17). Sic clare videtur, confirmationem *reservatam* esse Apostolis, ritumque esse alium ac baptisma.

3°. Confirmationis *nomen primigenium* legitur in eodem libro; quando Simon magus videns in confirmatis signa et mirabilia, voluit « hanc potestatem », ut cuicunque imponat manus, accipiat Spiritum Sanctum, pecunia emere, Petrus edixit: « Pecunia tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri » (Act. 8,19-20). Spiritum Sanctum dare ergo est « *potestas* » (exousia), et qui accepit hunc ritum, manuum impositionem nempe, accepit « *donum Dei* » (dorea tou Theou).

4°. Post viginti annos *Paulus* Ephesi inveniens discipulos Joannis Baptistae, qui nondum baptizati erant, primum eos baptizavit, et postea, « cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos et loquebantur linguis et prophetabant » (Act. 19, 5-6). Ritus ergo *distinctus* evidenter ostenditur et etiam *effectus extraordinarii* tunc, annis nempe 56-57 adhuc aderant: charismata sc. Spiritus, glossolalia et prophetiae donum. Hae gratiae gratis datae confirmationi non necessario iunguntur, et post aevum Apostolorum evanuerunt, ut *Augustinus* optime adnotat: « Neque temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus, sicuti antea dabatur ad commendationem rudis fidei et Ecclesiae primordia dilatanda » (De bapt. 3, 16).

4. Traditionis testimonium pro confirmatione

iam vidimus simul cum Sacramento baptismi. *Nomina* utique sunt alia: cheirothesia (manuum impositio), teleiôsis=perfectio, sphragis=sigillum, myron=unguentum, mysterion tou myrou, *latine*: unctio, chrisma, chrismatio, unguenti mysterium, sacramentum chrismatis. Nomen « *confirmatio* », graece « *bebaiôsis* », versus 430 iam ab *Arnobio Iuniore* usurpatur: « Omnes firmi sunt, omnes enim confirmati sunt » (In Ps 104. PL 53, 482), idem etiam Eucharistiam « confirmationem cordis » vocat (ibid. 476). Confirmatio tali nomine ut Sacramentum vocatur a *Concilio Arausicano I.* anno 441 (can. 2.) et dein nomen fere exclusivum inter Latinos evasit (Van den Eynde, Notes sur les rites postbaptismaux dans les Églises d'Occident, *in*: Antonianum 1939, 257-276).

5. Ratione ostenditur

in ritu usitato confirmationis inveniri elementa Sacramenti.

a) Est evidenter ritus *sensibilis*: manuum impositio, chrismatio, verba.

b) *Significat* gratiam: ritus tum ex usu Veteris Testamenti, tum natura sua — ut historia religionum ostendit — conveniens est, ut significet collationem Spiritus Sancti. *Impositione* enim manuum conferebatur munus, sic e.gr. Josue ducatus populi, prophetis munus propheticum; unctione item reges et prophetae constituebantur. *Verba* confirmationis autem evincunt hoc ritu constitui baptizatos in munere militiae Christi, ad quam « robur » i.e. ipse Spiritus Sanctus confertur.

c) Ritus hic etiam *efficit*, quod significat; hoc constat ex definitione Ecclesiae: « S.q.d., iniurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt: a. sit » (can. 2. de confirm. Denz. 872).

d) Haec gratia confertur *ex opere operato*, i.e. positione ritus sacramentalis, independenter a fide vel merito ministri vel subiecti. Ex historia Simonis magi videtur, quod Spiritus Sanctus datus est « per impositionem manus apostolorum », et hanc « potestatem » voluit Simon emere (Act. 8, 18-19).

e) Institutio Christi tum e promissione sequitur, tum ex eo, quod Apostoli statim ab initio ritum adhibuerunt ad conferendum Spiritum Sanctum.

B) De essentia confirmationis.

Status quaestionis.

Confirmationis essentialis ritus adhuc quaestio maxime disputata est inter theologos, fortasse ex omnibus Sacramentis. Quia institutionem immediatam Christi etiam *in specie* solummodo quoad baptismum et Eucharistiam certo tenendam esse diximus, licitum est praesertim, quod confirmationem adtinet, institutionem immediatam *in genere* assumere. *Benedictus XIV.* in Encyclica « Ex quo primum » anno 1756. diversas sententias theologorum recensens, eas edixit libere disputari posse, « unicuique licet eam sequi partem, quae magis ipsi placuerit; at nemini fas est asserere, in ecclesia Graeca non adesse Sacramentum confirmationis » (§ 51). Qui asserunt, omnia Sacramenta etiam *in specie* a Christo instituta esse, debent *vel* dicere, confirmationis ritum essentialem esse manuum impositionem etiam nunc, *vel* tenere debent sententiam, chrismationem esse ritum essentialem et hanc iam Apostolos exercuisse, et tunc in impositione manuum ab Actibus Apostolorum relata debent subintelligere chrismationem (Lennerz, De sacramento confirmationis, 2.ed. Romae 1949, 76-77). Qui autem quoad confirmationem institutionem immediatam *in genere* defendunt, sine difficultate quaestionem solvere possunt, et statuere queunt, quae sint singula elementa nunc temporis essentialia. Hanc viam eligentes statuitur thesis nostra:

THESIS. Confirmationis (1) essentia a Christo instituta fuit in genere, (2) materia nunc est unctio chrismalis cum impositione manuum, (3) forma autem continere debet invocationem Spiritus Sancti.

Pars I. probatur. Institutio in genere.

Haec institutio generica, sed tamen immediata confirmationis magis commendatur, inspectis sententiis diversis theologorum. Hae sententiae in quatuor classes reduci possunt.

I. sententia: *Exclusiva manuum impositionis.* Sententia haec tenet ab initio et etiam nunc, solam manuum impositionem constituere materiam essentialem confirmationis. Sic Beda Venerabilis († 735), Alcuinus († 804), Magnus († 818), Theodulphus Aurelianensis († 821), Petrus Aureoli, Melchior Cano, inter recentes J. B. Umberg. — Sirmondus et Isaac Habert, theologi saec. XVII., erronee putantur hanc sententiam patrocinasse (Lennerz p. 74).

II. sententia: *Exclusiva chrismationis.* Sec. hanc sententiam sola chrismatio est essentialis confirmationis materia, sic Durandus, Gabriel Biel, Scotus, Gregorius de Valentia, Maldonatus. S. Thomas et Robertus Bellarminus erronee dicuntur hanc sententiam secutos esse.

III. sententia: *Disiunctiva*, sec. quam vel chrismatio, vel manuum impositio est materia essentialis confirmationis. Hanc tenebant Ratramnus († 868), Ruardus Tapper (scripsit 1557), Morinus, Oswald.

IV. sententia: *Simultaneitatis*, iuxta quam unctio coniuncta cum manuum impositione essentialis est, et semper in usu erat. Sic: Leidradus († 814), Rabanus Maurus († 859), Amalarius Metensis († 850), Hugo a S. Victore († 1141), Gulielmus Autissiodorensis († 1231), Gulielmus de Alvernia († 1249). Hanc sententiam videtur tenere S. *Thomas*: « Chrisma est conveniens materia huius Sacramenti... Gratia vero Spiritus Sancti in oleo designatur, unde Christus dicitur esse unctus oleo laetitiae, propter plenitudinem Spiritus Sancti quam habuit. Et ideo oleum competit materiae huius Sacramenti » (III q. 72 a 2). Dein alio loco dicit: « Impositio manuum in Sacramentis Ecclesiae fit ad designandum aliquem copiosum gratiae effectum... Et ideo manus impositio fit in Sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti... Acceptio Spiritus Sancti cum plenitudine requirit manus impositionem, quod pertinet ad confirmationem » (III q. 84. a. 4. corp. et ad 2.). — S. *Bellarminus* quoque hanc sententiam secutus est: « Chrisma sive unctio materia est Sacramenti confirmationis », dicit primo (De confirm. c. 8.), sed ad obiectionem Chemnitii respondens *adiungit* quoad manuum impositionem Apostolorum: « Est solutio quae longe mihi probabilior videtur Thomae Waldensis et Hugonis a S. Victore qui dicunt idem esse unctionem chrismatis et manus impositionem; qui enim inungit, manus imponit, et idcirco utrumque significari, etiamsi alterum tantum exprimi videatur » (ibid., c. 9. ed. J. Fèvre III, 603 et 607-608).

Haec sententia revera commendari potest, nam *absolute non potest excludi* etiam Apostolos usos esse unctione, quando manus imponebant ad dandum Spiritum Sanctum. Unctio enim chrismatis *in tota Ecclesia*, inde quod apparent testimonia liturgica semper in usu fuit et est adhuc, soli Nestoriani excipiuntur. Primum huius usus vestigium occurrit penes Tertullianum. Omnino necessarium non est quod Actus Apostolorum *loquantur* de unctione, nam saepe unum elementum tantum nominatur, etsi utrumque in usu erat, sic e.gr. Constitut. Apostolicae describunt ritum confirmationis: « Chrisatô myrô epilegôn » (ungat myro dicens) et proferunt dein textum orationis, in fine autem adiiciunt haec: « Hê dynamis tês *cheirothesias* esti hautê » (Virtus autem manus impositionis est haec), ergo unctio haec per manus impositionem facta est (VII, 44 Quasten 194-5). Argumentum ex silentio nihil probat.

Ceterum *duo loci Novi Testamenti* adumbrare videntur etiam usum unctionis, *2 Cor 1,21*: « Qui autem confirmat (ho de bebaiôn) nos vobiscum in

Christo et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris». Simili modo *1 Jo 2,20.27*: «Sed vos unctionem habetis a Sancto (« chrisma apo tou Hagiou ») et nostis omnia... Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis ». Nolumus dicere, hos textus exclusive de confirmatione intelligi debere, quod falsum esset, sed commendare videntur *possibilitatem* unctionis etiam tempore Apostolorum.

Pars II. probatur: unctio chrismalis cum manuum impositione.

Nunc investigandum est, quae sit materia remota et proxima confirmationis, i.e. qualis debeat esse chrisma, unctio et manuum impositio. Leges hodie vigentes respici debent, quidquid statuitur de institutione huius Sacramenti, num in specie, vel in genere ordinatum sit, quia in materia sacramentali non potest adhiberi opinio tantum probabilis. Omnia ergo nunc vigentia statuuntur, quae necessaria sunt, ut hoc Sacramentum *certo valide* et *licite* administrari possit.

a) **Materia remota confirmationis**

est *chrisma* (can. 780), i.e. oleum olivarum cui modica quantitas balsami admixta est.

1°. *Oleum olivarum* intelligitur oleum arboris « Olea europaea », in Ecclesia *Latina* nunquam aliud oleum adhibuerunt. Documentum ecclesiasticum deest, quo explicite declaretur, aliud oleum esse materiam *certo* invalidam. Tamen oleum olivarum debet propter rationem certae validitatis adhiberi. In ecclesia *Orientali* saec. XII. fuit controversia de oleo, nam Armeni hoc tempore oleum adhibuerunt arbusculi, quod sesamum vocatur (Sesamum orientale), non de olivarum arboribus, nam in Armeniae regionibus propter aeris frigus non habentur olivae. Graeci cum quibus Armeni unionem inire cupiebant, reprehenderunt Armenos de usu huius olei non veri, non constat autem num declarata fuerit invaliditas confirmationis, postea tamen Armeni oleum adhibuerunt olivarum, ita ut inde omnes ecclesiae orientales quoque semper oleo olivarum utuntur (Lennerz p. 88-89). Ecclesia concedere posset, si vellet, usum alterius olei, ac olivarum; de praecepto enim Domini quoad hoc non constat, nec ex eo argui potest, quod Ecclesia hucusque licentiam nondum dedit.

2°. Oleo olivarum *balsamum* admisceri debet, *saltem* e necessitate praecepti; num balsamum ad valorem necessarium sit, certum non est. **a.** Si teneatur sententia de institutione *in specie*, tunc balsamum ad valorem necessarium esse non potest, nam eius usus inde a saec. VI-o tantum constat (Synodus Bracarensis 572. can. 4.). Si autem amplectamur sententiam de institutione generica, tunc possibilis esset usus balsami ex Ecclesiae praecepto ad valorem. Etsi decisio de hac re non habetur, admixtio balsami in chrismate, ut *certo valeat confirmatio*, omnino necessaria est. — **b.** *Balsami* nomine quid veniat, usque ad saec. XVI. non erat dubium: succus fragrans e frutice arboris « Commiphora opobalsamum ». Post detectionem « Indiarum », i.e. Americae centralis, cognitae evaserunt plantae, quae similem succum producunt ac Commiphora opobalsamum. Etsi hae plantae ad aliud genus, familiam et ordinem botanicum pertineant, ab arbore ergo Commiphora longissime distent, tamen *S. Pius V.* concessit usum talis « balsami » episcopis Indiarum (=America), *Sixtus V.* autem etiam episcopis Lusitaniae 1590. Apud Orientales circiter 40 aliae sub-

stantiae fragrantes praeter balsamum admiscentur oleo olivarum, quarum usus certo non excedit necessitatem praecepti.

3°. Chrisma debet esse *consecratum* (can. 781. § 1.), haec consecratio vetustissima est, simulque cum chrismate iam testimonia habentur consecrationis. Iam Innocentius I. loquitur in sua celebri epistola ad Decentium (scripta anno 416) de chrismate ab episcopo consecrato (Denz. 98). Consecratio intelligitur a Pontificalibus libris pro chrismate praescripta quae magna cum sollemnitate fit Fer. V. in Caena Domini. Si oleum aliud sumeretur, ac chrisma, tale non esset qua chrisma consecratum. Can. 1148. § 2. enim dicit: « Consecrationes... invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta », at benedictio olei e.gr. infirmorum non est formula pro consecratione chrismatis. Num oleum tali modo benedictum ad confirmationem valide adhiberi possit, dependet ab eo, an oleum non benedictum ad administrationem Sacramenti adhiberi possit. Ad *certum* valorem confirmationis ergo omnino chrisma *speciali* benedictione chrismatis consecratum requiritur. In casu necessitatis extremae adhiberi potest sec. S. Alphonsum aliud oleum benedictum, chrismate deficiente, sed si taliter confirmatus supervixerit, debet sub conditione confirmari.

4°. Chrisma debet esse *ab episcopo consecratum*, etsi Sacramentum a presbytero, ex iure vel ex apostolico indulto, ministretur (can. 781), quod sine dubio ad validam consecrationem praescribitur. Sedes Apostolica procul dubio ius habet consecrationem chrismatis *presbytero quoque concedere*, etsi quaestio nondum dirempta sit, sed difficulter intelligeretur, *cur non* posset presbyter chrisma conficere, qui sine dubio ex indulto confirmare potest, et ecclesias consecrare altariaque immobilia (can. 294 § 2. et 323 § 2.). Revera presbytero facultas iam talis concessa fuit anno 1445. per Eugenium IV., qui Fabiano de Bachia eiusque cooperatoribus missionariis « in ipsis Scythiae, Moldaviae et septem sedilibus Siculorum partibus » facultatem dedit « Eucharistiae, Baptismatis, Chrismatis seu Confirmationis, Extremae unctionis aliaque ecclesiastica Sacramenta ministrare... capellas quoque, altaria, necnon calices et paramenta ecclesiastica, oleum sanctum et chrisma conficere et benedicere » (Wadding, Annales Minorum, XI, 209). Quaestio autem haec mere theoretica est, nam ad certum valorem chrisma ab episcopo debet esse consecratum.

5°. *Ad liceitatem* adhuc praescribitur, ut chrisma *recens sit*, i.e. sec. legem « feria V. in Caena Domini proximo superiore » consecratum, « neque adhibeatur vetus, nisi necessitas urgeat » (Rit. Rom. tit. III. c. 1. n. 3.).

b) **Materia proxima confirmationis**

est *unctio*, de qua Ecclesia dicit: « unctio chrismatis in fronte » (can. 780), quae

1°. « Ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita » (can. 781 § 2). Rit. Roman. (tit. III. c. 2,6) accurate describit *ritum unctionis*: « Summitate pollicis dexterae manus chrismate intincta, confirmat eum dicens: N. signo te signo crucis, *quod dum dicit*, imposita manu dextera super caput confirmandi, producit pollice signum crucis in fronte illius, *deinde* prosequitur: et confirmo te chrismate salutis ». Haec quoad unctionem, quae certo ad validitatem necessaria est.

2°. Unctio debet fieri *in fronte*, ut vidimus e praeceptis Ecclesiae et vetustissimo more, in Oriente frons inungitur, dein alii sensus (oculi, nares, os, aures, pectus, manus, pedes). Ad certam validitatem unctio chrismalis in fronte omnino requiritur.

3°. Debet unctio haec fieri *in modum crucis* ut Pontificale et Rituale praecipit. Haec crucis formatio est probabilius *ad validitatem* necessaria, nam forma (« Signo te signo crucis ») secus vera non esset. Etsi ergo CIC praescriptum de crucis formatione non habet, tamen non licet inferre ex hoc silentio, quod forma crucis tantum ad liceitatem requiritur (Lercher p. 171). Ad materiam proximam spectat quoque:

c) Manuum impositio

quod tum e tractatione dogmatica patet, tum etiam stricte praescribitur: « Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis... » (can. 780). Dogmatice autem probatur manuum impositionem necessariam esse:

1°. *e praxi* Apostolorum,

2°. e *nomine* « cheirothesia » (manuum impositio),

3°. quod confirmatio etiam *ab auctoritate* ecclesiastica taliter insignitur, sic in Professione fidei Waldensibus praescripta (Denz. 424. iam citata), et in Professione Michaeli Palaeologo praecepta: « Aliud est Sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos» (Denz. 465).

4°. Haec manus impositio *non est impositio prima manuum*, quae iuxta ritum Romanum fit initio confirmationis simul super omnes confirmandos, quae impositio manuum, melius dicitur manuum extensio super confirmandos et solummodo ad liceitatem non ad validitatem praecipitur. Hoc patet e responso *S. Congr. de Propaganda fide* (6. aug. 1840), quae cuidam missionario apostolico indulto confirmanti, qui omisit primam manuum impositionem seu extensionem, respondit, « non esse repetendam confirmationem sub conditione ». Similiter *S. Officium 17. apr. 1872.*

5°. Manuum impositio ergo *ad validitatem necessaria* est, ea, quae fit *simul* cum unctione frontis, inter quam unctionem manus ministri capiti imponitur confirmandi.

Pars III. probatur: forma confirmationis.

Forma confirmationis nunc vigens in ritu Romano est: « *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* ». Forma Graecorum autem est: « *Sphragis dôreas Pneumatos hagiou* » =« Signaculum doni Spiritus Sancti ». Si autem considerentur variae formae olim usitatae, dicendum est elementum commune in omnibus esse aliquam invocationem Spiritus Sancti. Chr. Pesch investigavit 23 formas latinas confirmationis ab Edm. Martène exhibitas et ad conclusionem venit, quod « si hae omnes formae supponuntur validae, unice essentialia sunt haec verba: Confirmo te vel aequivalentia, quae uberiorem Spiritus Sancti gratiam significant ». Lennerz, ideo iure dicit: « Christus verba formae in genere instituit, voluit, ut adhiberentur verba, quae significant collationem Spiritus Sancti, reliquit autem Ecclesiae potestatem determinandi, quae verba in concreto adhiberi deberent,

et huic ordinationi Ecclesiae unice est standum. Decidere, num quid in verbis ab Ecclesia approbatis sit superfluum, vel non necessarium, vel accidentale, non est theologorum, sed auctoritatis Ecclesiae » (p. 98-99). Formam autem constituunt secundum legem Ecclesiae « verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta » (can. 780).

Litteratura (de existentia et essentia).

L. Janssens, La confirmation. Exposé dogmatique, historique et liturgique, Lille 1888. — *M. Heimbucher,* Die hl. Firmung, das Sakrament des hl. Geistes, Augsburg 1889. — *F. J. Dölger,* Das Sakrament der Firmung, Wien 1906. — *J. Behm,* Die Handauflegung im Urchristentum, 1911. — *P. Galtier,* La consignation dans les églises d'Occident, *in*: Rev. d'hist. eccl. 1912, 275-301. — *J. B. Umberg,* Die Schriftlehre vom Sakrament der Firmung, Freiburg i.Br. 1920. — *P. Galtier,* Imposition des mains, *in*: DThCath 7 (1923) 1343-1393. — *J. Coppens,* L'imposition des mains et les rites connexes dans le Nouveau Testament et dans l'Église ancienne, Paris 1925. — *A. d'Alès,* Baptême et confirmation, Paris 1928. — *H. Weisweiler,* Das Sakrament der Firmung in den systematischen Werken der ersten Frühscholastik, *in*: Scholastik 1933, 481-523. — *Van den Eynde,* Baptême et confirmation d'après les Constitutions Apostoliques, *in*: Recherches des scienc. relig. 1937, 196-212. — *Idem,* Le deuxième canon du Concile d'Orange de 441 sur la chrismation, *in*: Recherches de théol. ancienne et médiévale 1939, 97-109. — *Idem,* Notes sur les rites postbaptismaux dans les Églises d'Occident, *in*: Antonianum 1939, 257-276. — *H. Rahner,* Flumina de ventre Christi. Die patristische Auslegung von Joh 7,37. 38, *in*: Biblica 1941, 269-302. 367-403. — *W. de Vries,* Sakramententheologie bei den Nestorianern, Roma 1947. — *L. Lercher,* Institutiones Theol. Dogm. IV, 2, p. prior, ed.3. Oeniponte 1948, 151-204. — *E. Doronzo,* Tract. dogm. de baptismo et confirmatione, Milwaukee 1948. — *H. Lennerz,* De Sacramento confirmationis, ed.2. ad usum auditorum, Romae 1949. — *G. W. H. Lampe,* The seal of the Spirit. A. Study in the Doctrine of Baptism and Confirmation in the New Testament and the Fathers, London 1951. — *Th. Camelot,* Le baptême et la confirmation, *in*: Initiation théologique IV. Paris 1954, 461-500. — *J. Brinktrine,* Zur Entstehung der lateinischen Firmformel, *in*: Theol. u. Glaube 1954, 51-53. — *B. Neunheuser,* Taufe und Firmung, Freiburg i.Br. 1956. — *B. Luykx,* Théologie et pastorale de la confirmation, *in*: Paroisse et liturgie 1957, 180-201, 263-278. — *B. Botte,* Le vocabulaire de la confirmation, *in*: Maison-Dieu cah. 54 (1958) 5-22. — *J. Lécuyer,* La confirmation chez les Pères, ibid. 1958, 23-52. — *Th. Camélot,* La théologie de la confirmation à la lumière des controverses récentes, *ibid.* 1958, 79-91. — *P. Fransen,* Firmung LfThK 2. ed. 1960, 145-152.

Respectu pastorali. *A. Lehmkuhl,* Th. Mor. II, n. 120-144. — *D. Prümmer,* Man. Theol. Moralis III. 4.ed. 1929, n. 150-164. — *A. Vermeersch-J. Creusen,* Theol. Moralis III. ed.4. 1948, n. 239-253. — *B. Merkelbach,* Summa Theol. Moralis III. 8.ed. 1949, n. 173-196. — *J. Aertnys-C. A. Damen,* Theol. Moralis II. 16.ed. 1950, n. 81-98. — *J. Fanfani,* Manuale theor.-pract. Theol. Moralis IV. 151, p. 116-135. — *M. Conte a Coronata,* De Sacramentis tract. can. I. 2.ed. 1951, n. 164-182. — *O. Schöllig - R. Weber,* Verwaltung d. hl. Sakramente 4.ed. 1952, p. 45-56. — *H. Noldin - A. Schmitt - G. Heinzel,* Summa Theol Moralis III. ed.30. 1954, n. 84-97. — *St. Sipos - L. Gálos,* Enchiridion Iuris Canonici ed.6. Romae 1954, p. 372-375. — *G. Fransen,* La discipline canonique de la confirmation, *in*: Maison-Dieu cah. 54 (1958) 143-153. — *J. M. Hum,* Réflexions pastorales sur la confirmation, *ibid.* 1958, 160-172. — *A. Adam,* Firmung und Seelsorge, Düsseldorf 1959.

C) De efficientia et necessitate confirmationis.

Status quaestionis.

In confirmatione « Sacramentum tantum », i.e. signum sacramentale physice compositum est unctio chrismalis cum manus impositione et verbis informata. Haec chrismatio etc. producit effectum principalem: « rem et sacramentum », sc. characterem, quo baptizatus miles et adultus fit Christi. Character ergo est « res », seu effectus « sacramenti tantum », i.e. signi sacramentalis, et est simul etiam « sacramentum », quod ulterius significat: « rem tantum », i.e. ulteriores

effectus confirmationis, qui simul sumpti vocantur: perfectio gratiae confortantis. Perficitur etenim regeneratio in baptismo accepta eo, quod baptizatus consequitur perfectionem aetatis Christi. Perficitur etiam baptizati status « membri de membro », i.e. aggregatio eius in Corpus Christi eo, quod robur accipit ad militiam Christi.

CONFIRMATIONIS:

« *Sacramentum tantum* »:	« *Res et sacramentum* »:	« *Res tantum* »:
Unctio cum manus impositione verbis informata	1. Miles seu adultus fit Christi	2. Perfectio aetatis Christi 3. Robur i. e. Spiritum Sanct. accipit, ad a) confitendum nomen eius b) defendendam religionem c) propagandam religionem

Sicque statuitur thesis:

THESIS. Baptizatus per confirmationem (1) charactere novo adultus et miles fit Christi, ideoque (2) consequitur perfectionem aetatis Christi, (3) accipitque Spiritum Sanctum ad robur ad confitendum, defendendum, propagandumque Christum eiusve religionem.

Pars I. probatur: Charactere adultus et miles fit.

a) *Vox Ecclesiae.* Tridentin. sess. VII. can. 9. de Sacramentis in genere: « S.q.d., in tribus Sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: a. sit. » (Denz. 852).

b) E quibus verbis sequitur, confirmationem habere *distinctum* characterem, quod iam *Traditio antiquissima* innuebat nomine confirmationis «sphragis», quod Patres expresse edicunt e.gr. S. *Cyrillus Hierosolymitanus*, qui distinguit inter characterem baptismi, quem vocat « sigillum per aquam », et characterem confirmationis, vocans eum « sigillum communicationis Spiritus Sancti », (Catech. 3. PG 33, 429-432.). Novum characterem agnoscit S. *Thomas* dicendo: « Character confirmationis est signum distinctivum, non infidelium a fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his quibus dicitur: Sicut modo geniti infantes » (III q. 72 a. 5. ad 1.).

c) Per characterem *miles et adultus Christi* efficitur baptizatus. Character distinctus Sacramenti distincti a baptismo debet habere proprium effectum principalem, qui est praedictus. Ad hunc effectum consequendum non sufficit, ut confirmatio sicuti omnia Sacramenta vivorum, augeat gratiam habitualem (=conferat gratiam secundam), sed « si consideretur quantum ad illud speciale, quod superadditur, sic non est eiusdem speciei cum ipsa » (III q. 72. a. 7 ad 3).

Quo non vult dicere Angelicus, quod gratia ipsa sanctificans esset alia quoad speciem, sed affirmat, esse specie aliam gratiam sacramentalem confirmationis: vigor etenim est specialis eiusdem gratiae sanctificantis, quae augetur in hoc Sacramento. Hic vigor consistit in eo, quod adultus et miles fit spiritualiter, sicut Doctor Communis explicat: « Manifestum est ex similitudine corporalis vitae, quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio quae competit ei, cum ad perfectam aetatem pervenerit... In baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda quae ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit, sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei » (ibid. a. 5.).

Pars II. probatur: Perfectio aetatis in Christo.

Homo recenter natus tunc fit tantum perfectus homo, si pubertatem consequitur. Pubertas vitae supernaturalis datur per Sacramentum confirmationis, sicut S. Thomas affirmat: « Vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, in confirmatione homo accipit quasi quamdam perfectam aetatem spiritualis vitae » (III q. 72 a. 1.). Aetas vera naturalis nihil refert ad hanc perfectionem aetatis spiritualis: nam sicut quis potest « tempore senectutis (corporalis) spiritualem nativitatem consequi, ita tempore iuventutis vel pueritiae consequi perfectam aetatem, quia huiusmodi corporales aetates animae non praeiudicant » (ibid. a. 8.). Aetatis perfectio in vita naturali consistit in eo, quod in possessione constituitur omnium virium et proprietatum, quod pugnare potest iam pro vita hac et eam etiam per generationem transplantare. Perfectionem supernaturalis vitae in confirmatione accipit homo baptizatus, vires accipit vitae divinae. Confirmatio est « sacramentum *perfectae* salutis et vitae » (Gelasian. I, XL Wilson p. 69): vires supernaturales, quas iam in baptismo accepit, firmae et constantes evadunt, ut oratio dicit *Constitut. Apostolicarum*: « Confirma hanc unctionem (myron) in baptizato, ut firmus et constans maneat in eo bonus odor Christi » (euôdia Christou, VII, 44 Quasten 194-5). Aliter datur — ut notat Lercher (p. 181) — in baptismo Spiritus cum gratia, aliter in confirmatione. In baptismo datur gratia vi signi sacramentalis, Spiritus Sanctus per concomitantiam, in confirmatione datur Spiritus Sanctus, per concomitantiam gratia.

Pars III. probatur: Spiritus Sanctus ut robur datur.

Id quod Doctor Communis saepenumero dicit (III. q. 72), Spiritum Sanctum conferri per confirmationem ad robur baptizati, explicat uberius tali modo: « Manifestum est ex similitudine corporalis vitae, quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio quae competit ei, cum ad perfectam aetatem pervenerit... Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quae *ad propriam* pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit, sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quae pertinent *ad pugnam* spiritualem » (III q. 72. a. 5).

Haec pugna spiritualis *triplici* modo exseritur.

a) Confirmati accipiunt Spiritum Sanctum ad robur, ut *confiteantur nomen Christi* religionemque eius.

1°. Sic *Decr. ad Armenos*: « Effectus huius Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut

videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et praecipue crucem eius, quae Iudaeis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia secundum apostolum, propter quod signo crucis signatur » (Denz. 697). Haec confessio nominis Christi propter timorem et verecundiam difficilis potest fieri, hoc impedimentum tollitur robore Spiritus Sancti.

2°. Nomen Domini confiteri iubemur, negatione periclitando vitae aeternae consecutionem, sicut Dominus dicit: « Qui negaverit me coram hominibus negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est » (Mt 10,33). Partes autem Spiritus *ab eodem Domino* extolluntur dicendo: « Spiritus Sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere » (Lc 12,12). Spiritus Sanctus, qui ad robur datur firmos facit christianos, ut possint patienter ferre, si « exprobrantur in nomine Christi », imo « beati esse », si autem « communicant Christi passionibus, gaudere » queant.

3°. *Ratio* autem, quod perferre possint ignominias, passiones, et fortes sint « ut christiani, non erubescere, sed glorificare Deum in isto nomine »: *Spiritus Sanctus*, de quo eodem textu scripturistico legitur: « Quoniam gloriae et Dei Spiritus (to tês doxês kai to tou Theou Pneuma) super vos requiescit » (1 Pt 4,13-17).

4°. Spiritus Sancti robur ad confitendum nomen Christi *mirabilia potest efficere,* ut Thomas dicit, allegando Chrysostomum: « Apud Deum *femineus* etiam militat sexus. Multae namque feminae animo virili spiritualem militiam gesserunt, quaedam enim interioris hominis virtute viros aequaverunt in agonibus martyrum, quaedam etiam fortiores extiterunt » (III q. 72. a. 8. ad 3), de *pueris* vero affirmat: « Inde est, quod multi in puerili aetate propter robur Spiritus Sancti perceptum usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo» (ibid. ad 2).

b) Confirmati accipiunt Spiritum Sanctum ad robur ut *defendant nomen Christi* eiusve religionem. *Conc. Vaticanum* hortatur « *omnes* Christi fideles, et Salvatoris nostri auctoritate iubet, ut ad hos errores a sancta Dei Ecclesia arcendos et eliminandos.... studium et operam conferant » (Denz. 1819). — *Ratio* autem est quod hoc « Sacramento non solum ordinatur ad hoc, quod homo sanctificetur in seipso, sed exponitur cuidam pugnae exteriori, et ideo non solum fit mentio de interiori sanctificatione.... sed etiam consignatur homo exterius quasi vexillo crucis, ad pugnam spiritualem » (III q. 72. a. 4 ad 3).

c) Confirmati accipiunt Spiritum Sanctum ad robur ut *propagent nomen Christi* eiusve religionem, quae propagatio nominis Christi fit *duplici modo.*

1°. Quidem per id, quod « in omni opere bono fructificent » (Col. 1,10), i.e. bonorum operum et *rectae vitae exemplum* se exhibeant, sicut monet *Pius IX.*, ut etiam eos, qui non sunt nobiscum eiusdem fidei caritatisque vinculis coniuncti, « Catholicae Ecclesiae filii... sive pauperes, sive aegrotantes sive aliis quibusque aerumnis affectos omnibus christianae caritatis officiis prosequi et adiuvare semper studeant, et in primis ab errorum tenebris, in quibus misere iacent, eripere atque ad catholicam veritatem et ad amantissimam matrem Ecclesiam reducere contendant » (Encycl. 1863. Denz. 1678).

2°. Propagatio nominis Christi fit etiam *per apostolatum laicalem.* a. Hoc iam praeteritis temporibus inculcabant, sic e.gr. saec. IV-o *Testamentum D.N. J. Christi* ad confirmationem: « Unguendo unguo te in Deo omnipotenti, in

Christo Jesu, et in Spiritu Sancto *ut sis operarius* habens fidem perfectam et vas ipsi gratum. Et signans illum in fronte, det ipsi pacem dicens: Deus humilium sit tecum » (II, 9 Quasten p. 271). Omnes ergo confirmati « operarii » sunt Dei. — **b.** *Leo XIII.* in Encyclica sua « Sapientiae christianae » (10. ian. 1890) aperte dicit, quod « praedicandi, hoc est docendi munus iure divino penes magistros est, quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, maximeque penes Pontificem Romanum.... Nihilominus nemo putet, industriam nonnullam eadem in re ponere *privatos prohiberi*.... qui quoties res exigat, commode possunt non sane doctoris sibi partes asumere, sed ea, quae ipsi acceperint, impertire ceteris » (Denz. 1936). — **c.** *Pius autem XI. Actionem Catholicam* vocavit « participationem apostolatus hierarchiae ecclesiasticae », eamque fundari asseruit non solum in lege caritatis erga proximum, sed etiam in natura Corporis Christi mystici ultimoque etiam in Sacramento confirmationis (Lercher p. 179). Ideoque iure confirmatio nuncupari posset etiam *Sacramentum Actionis Catholicae* (Pinsk, Sakramentale Welt p. 59).

Scholion. De necessitate confirmationis.

1°. « Hoc Sacramentum *non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet,* data occasione, *illud negligere,* imo parochi curent, ut fideles ad illud opportuno tempore accedant » (can. 787). Si opponatur huic canoni can. 770 de baptismo (« quamprimum baptizentur... de hac gravi eorum obligatione» monendi sunt), dilucide statim videtur differentia: necessitas medii ad salutem non habetur.

a. Obligatio « data occasione » illud Sacramentum suscipere *per se gravis* dici potest. Quod elucet etiam e textu *Decreti S. Cong. de Disciplina Sacr. 14. sept. 1946*: « Licet explorati iuris sit, confirmationem ad animarum salutem haud requiri... omni ope est *adnitendum,* ut christianorum nemo, data occasione tam excellens salutiferae Redemptionis mysterium negligat » (AAS 1946, 350). *Fidelium ergo obligatio* e voluntate Ecclesiae per se gravis dici nequit; sic opinantur etiam Moralistae recentiores, affirmantes saltem veniale committi (Noldin, Schmitt, Vermeersch, Prümmer, Merkelbach), tum propter Ecclesiae legem (« nemini licet... »), tum quia secluso sat gravi incommodo haec negligentia rationabili motivo careret, sic Merkelbach (III. n. 191), qui recte adiungit, *per accidens* negligentem peccare posse graviter, ratione scandali, aut contemptus aut necessitatis specialis. Sic ratione contemptus declarabat Benedictus XIV. Italograecos gravis peccati reatu teneri, si, cum possint ad confirmationem accedere illam renuant ac negligant, nam nolebant agnoscere invaliditatem, quia ministris eorum ablata est facultas confirmandi.

b. *Rationem* autem dat *S. Thomas*: « Omnia Sacramenta sunt aliqualiter necessaria ad salutem, sed quaedam sunt, sine quibus *non est* salus, quaedam vero sunt, quae *cooperantur* ad perfectionem salutis. Et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non praetermittatur ex contemptu Sacramenti » (III q. 72. a. 1 ad 3.). Eandem doctrinam iterum inculcat, *consequentias quoque practicas* deducendo: «Anima, ad quam pertinet salus, immortalis est. Et ideo etiam morituris hoc Sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant. Et ideo Hugo de S. Victore dicit: Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret; non quia damnaretur » — prosequitur Thomas — « nisi

forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes maiorem gloriam cosequuntur, sicut et hic maiorem obtinent gratiam » (III q. 72. a. 8. ad 4.).

2°. Quaedam dicenda sunt de gravitate obligationis non solum subiecti confirmationis, de qua hucusque actum est, sed de *gravitate obligationis aliorum.*

a. Sic ante omnia *obligatio ministri* edicitur can. 785: Episcopus et presbyter privilegio apostolico donatus « obligatione tenetur Sacramentum hoc subditis rite et rationabiliter petentibus conferendi, praesertim tempore visitationis dioecesis » (can. 785 §1. et 2.). Cum tempus visitationis quinquennium comprehendat (can. 343 § 1.), inde iam sequitur, quod expresse quoque praecipitur: « *saltem* intra *quodlibet quinquennium* providere, ut suis subditis hoc Sacramentum administretur » (can. 785 § 3).

b. « Si graviter neglexerit Sacramentum confirmationis suis subditis per se vel per alium ministrare », debet Metropolita Episcopum S. Sedi denuntiare (can. 785 § 4. et 274 n. 4). Obligatio haec Ordinarii, intra quodlibet quinquennium confirmationi providere, procul dubio post CIC *gravis* est, etsi olim tantum ad octo vel decem annos dilationem gravem aestimaverint (Vermeersch n. 245).

c. Obligatio quoque *parochorum,* curando « ut fideles ad illud opportuno tempore accedant » (can. 787), gravis est, similiter *parentum* et qui loco eorum veniunt, procurandi confirmationem liberis suis, ratione pietatis gravis est (Noldin-Schmitt-Heinzel III. n. 93).

Litteratura.

Praeter opera superius ad B) relata:
Hanauer A. István, (episc. quondam Vaciensis), A. bérmálás kegyelme (De gratia confirmationis), Budapest 1920. — *J. B. Umberg,* Confirmatione Baptismus perficitur, *in*: Ephem. Theol. Lovan. 1924, 505-517. — *Idem,* Die Weihe zum Laienapostolat, *in*: Stim. d. Zeit 1929, 81-88. — *M. Laros,* Pfingstgeist über uns. Die heilige Firmung als Sakrament der Persönlichkeit, des allgemeinen Priestertums und des apostolischen Geistes hier und heut, Regensburg 1935. — *E. Walter,* Das Siegel des lebendigen Gottes. Die Firmung als Sakrament der Geistesmitteilung und ihre Bedeutung für das Leben des Christen, Freiburg i.Br. 1938. — *J. R. Gilles,* The effects of the sacrament of Confirmation, Washington 1940. — *J. B. Umberg,* Zum Kampf geweiht. Vom Sinn der Firmung, Wien 1944. — *A. Meunier,* Les effets de la confirmation, *in*: Rev. ecclés. de Liège 1951, 370-374. — *R. Choquette,* Les effets du sacrament de confirmation, Paris 1955. — *J. Latreille,* L'effet de la confirmation chez S. Thomas d'Aquin, *in*: Rev. thomiste 1957, 5-28; 1958, 214-243.

D) De personis sacramentalibus confirmationis.

Personae sacramentales confirmationis sunt 1. ministri, 2. subiectum, 3. et patrini, de quibus iam egimus simul cum patrinis baptismi, ideoque nunc solummodo de ministris et subiecto tractandum nobis superest.

1. De ministris confirmationis.

a) **Minister ordinarius confirmationis est solus episcopus.**

Hoc sine dubio de fide est e *Tridentino sess. VII. can. 3.* « S.q.d., sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum sed quemvis simplicem sacerdotem: a. sit » (Denz. 873). Hic canon eo, quod de ministro

« *ordinario* » loquitur, clare indicat possibilitatem ministri huius Sacramenti extraordinarii etsi hoc expresse non commemoret. Eo quod edicitur « *solum* » episcopum esse ministrum ordinarium, enuntiatur, quod non-episcopus non potest esse ordinarius minister.

1°. **Adversarii** huius veritatis sunt primum *Photius*, qui praxim orientalem confirmandi baptizatos infantes statim per presbyterum baptizantem, adeo extollit quod diceret, omnes presbyteros habere potestatem confirmandi, sicut episcopi. Dein saec. XIII. sequaces haeresis dualisticae, *Arnaldistae* affirmarunt, confirmationem posse ministrari per omnem laicum iustum. *Wicleff*, eiusque sequax *Jo. Huss* damnati sunt, nam dixerunt quod « confirmatio iuvenum etc..... reservantur Papae et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris » (Denz. 608).

2°. **S. Scriptura et Traditio** clare ostendit, episcopum esse ministrum ordinarium. *Petrus et Joanne* mittebantur in Samariam, ubi Philippus iam baptizavit, *Paulis* Ephesi manus imposuit iis, qui iam baptizati sunt. *Aevo antiquitatis* christianae omnes fontes liturgici confirmationem episcopo reservant, qui simul cum baptismo, cuius ministrationi praeerat, ipse solus administravit confirmationem. In *Occidente* e praxi veteri huius aevi pristini remansit, quod episcopis reservata fuit administratio confirmationis, *in Oriente* autem permansit mos confirmationem statim post baptismum conferendi, quod tunc plerumque presbyteri facere debuerunt.

3°. **Ratio,** cur est episcopus minister ordinarius confirmationis, assignatur a *S. Thoma*: « Fideles Christi sunt quoddam *divinum opus* sec. illud: *Dei aedificatio* estis (1 Cor 3,9), sunt etiam quasi quaedam *epistola* Spiritu Dei scripta (2 Cor 3,3). Hoc autem confirmationis Sacramentum est quasi *ultima consummatio* Sacramenti baptismi, ita sc. quod per baptismum aedificatur homo in domum spiritualem, et conscribitur quasi quaedam spiritualis epistola, sed per Sacramentum confirmationis, quasi *domus aedificata dedicatur* in templum Spiritus Sancti, et quasi *epistola conscripta signatur* signo crucis. Et ideo collatio huius Sacramenti episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia » (III q. 72. a. 11). *Comparando* baptismum cum confirmatione, dicit, quod baptismus est efficacior, ut regeneratio quoad mutationem de non esse in esse, confirmatio autem efficacior est « ad proficiendum in bono, quia est quoddam spirituale augmentum, de esse imperfecto ad esse perfectum. Et ideo hoc Sacramentum digniori ministro committitur » (ibid. ad 2.).

4°. *Lex pastoralis* huius muneris est, quod Episcopus **a.** semper valide administrat hoc Sacramentum, nam ipse solus est ordinarius minister. *Illicite administraret*, si Episcopus in sua diocesi, sed *extraneis* administraret confirmationem, si « obstet expressa proprii Ordinarii prohibitio » (can. 783 § 1.). — **b.** Valide, sed *illicite* confirmat Episcopus *extra suum territorium*, « sine licentia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta, nisi agatur de propriis subditis, quibus confirmationem conferat privatim ac sine baculo et mitra » (ibid. § 2.). Iure notat Merkelbach, hanc obligationem esse *per se gravem*, ideoque graviter peccare Episcopum, qui auderet has praescriptiones transgredi in aliquo puncto (III. n. 186).

b) **Extraordinarius minister est presbyter.**

1°. *Ecclesia* hoc per suam *continuam praxim* docuit, nam et in Ecclesia Occidentali datae sunt licentiae presbyteris ad confirmationem impertiendam, sic *Gregorius Magnus* 594. ad Januarium Calaritanum (Calabria) scripsit: « Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizandi sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem ecclesiae nostrae fecimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus » (Ep. 26.). *Urbanus II.* anno 1092 concessit Abbati Cavensi in Italia exercitium pontificalium, e quibus solum sacrorum ordinum collationem, ecclesiae consecrationem et chrismatis confectionem excipit, confirmationem permittit (Lennerz p. 103. cf. ibi etiam alia exempla Summorum Pontificum). — Summi Pontifices insuper ratum habuerunt *usum Orientalium* confirmandi per presbyteros infantes, etsi aliquoties hanc facultatem abstulerunt. Sic e.gr. Clemens VIII. iniunxit Italograecis, « quod presbyteri Graeci baptizatos chrismate in fronte ne consignent » (Lennerz p. 112). Peremptorie vero hunc usum Ecclesiae sancivit *Decr. Congr. de Discipl. Sacramentorum 1946*, dicendo: « ....necessitate bonoque fidelium id flagitante, non semel Apostolica Sedes passim indulgere compulsa est, ut Episcopo qui in certis rerum adiunctis haberi non posset, simplex sacerdos in aliqua ecclesiastica dignitate constitutus sufficeretur, tamquam administer extraordinarius huius Sacramenti » (AAS 1946, 351 p.) - Praxim autem *ut legem edicit CIC*: « Extraordinarius minister est presbyter, cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa sit » (can. 782 § 2.).

2°. *Rationem et fundamentum huius concessionis* assignat Doctor Angelicus: « Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quaedam quae sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem » (III. q. 72. a. 11. ad 1.). *Quomodo vero presbyter habeat potestatem* confirmandi, quaerendum est. **a.** Unum certissimum est: *non* potest esse *potestas ordinaria*, quod Ecclesia clare enuntiavit in *Tridentino*: « S.q.d., episcopos... non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem... a. sit » (Sess. XXIII. can. 7. Denz. 967). Ergo potestas presbyteri confirmantis alia est, quam Episcopi. Hoc autem vario modo potest contingere. — **b.** *Non* sufficit dicere Ecclesiam, resp. Papam dare *potestatem iurisdictionis* presbytero, dum Episcopi per potestatem ordinis confirmant, nam sententia haec Card. d'Annibale supposita, difficile intelligitur, cur tantum presbyteris et non etiam diaconis dari possit licentia confirmandi, et cur non possit Episcopus nondum consecratus, sed iurisdictionem iam habens valide confirmare. — **c.** Nec hoc sufficit, quod *Dölger* putat per sententiam oppositam quod etiam presbyter potestatem habet ordinariam confirmandi, et si aufertur impedimentum, declaratio nempe invaliditatis talis collationis, tunc valide exercet suam potestatem. Sed Sedis Apostolicae documenta non videntur indicare tale quid negativum tantum (ablationem impedimenti), sed positive conferunt aliquid. Ideo melior videtur sententia *Suárez*, qui tenet quod presbyter vi suae ordinationis *non* habet potestatem *proximam et in actu primo* ad confirmationem, sed habet vi ordinationis talem *potestatem remotam*, dum Episcopi potestatem proximam habent, ideoque eorum confirma-

tiones semper validae sint. Presbyter autem, si eius potestati remotae adiungitur licentia Ecclesiae, Summi nempe Pontificis, potest Sacramentum hoc conferre (De Sacramentis disp. 36. sect. 2., cf. Lennerz p. 117-120).

c) **Normae pastorales de ministro extraordinario confirmationis.**

I. Presbyter cui iure communi

facultas confirmandi concessa est. Sunt tales, supposito quod presbyteri sint (can. 782 § 2.):

1°. *S.R.E. Candinales* « omnes a sua promotione in Consistorio facultate gaudent ministrandi Sacramentum confirmationis, firmo onere inscriptionis nominis confirmati ad normam iuris » (can. 239 § 1. nr. 23.). Cardinalibus haec facultas competit ubique terrarum (Merkelbach III. n. 187, Vermeersch III. n. 243).

2°. *Abbates vel Praelati nullius,* qui praesunt territorio proprio separato ad omni dioecesi, cum clero et populo et saltem tribus paroeciis constant (can. 319.), item:

3°. *Vicarii et Praefecti Apostolici,* qui praesunt territoriis, quae erecta non sunt in dioeceses:

4°. Hi presbyteri (nr. 2. et 3.) facultate a iure concessa *valide uti nequeunt*:
nisi *intra fines sui territorii,*
et *durante munere* tantum (can. 782 § 3.),
licite nequeunt:
confirmare in designato sibi territorio confirmare *extraneos,* si id ipsorum Ordinarii expresse vetuerint (can. 784).

II. Presbyter gaudens peculiari Sedis Apostolicae indulto.

Tale indultum possunt consequi e.gr. Administratores Apostolici, Superiores missionum. Praescripta pro iis quoque valent supradicta; *praeterea*: « Presbyter latini ritus, cui, *vi indulti* (non ergo iure communi!) haec facultas competit, confirmationem *valide* confert solis fidelibus *sui ritus* » (can. 782 § 4). Hoc vetitum tamen *Decreto 1. maii 1948.* partim relaxatum est: tales presbyteri ritus latini possunt valide et licite confirmare fideles ritus orientalis, quorum spiritualis cura ipsis commissa permaneat.

III. Parochi vi Decreti « Spiritus Sancti munera ».

14. sept. 1946. Decr. S. Congr. de Discipl. Sacramentorum (AAS 1946, 349-358), facultatem maximi momenti dedit parochis. *Ratio* cur hoc Decretum gratiosum editum sit, est, quod « immodicus christicolarum numerus sine susceptione huius Sacramenti de hac vita demigrat... ut igitur prospiciatur etiam spirituali conditioni tot infantium puerorumque atque adultorum fidelium, qui ob gravem morbum in vitae discrimen adducantur ».

1°. **Facultatem confirmandi** habent solummodo:

a. « *Parochi* proprio territorio gaudentes, exclusis igitur parochis personalibus vel familiaribus ».

b. « *Vicarii* de quibus in can. 471 », ergo regentes paroeciam pleno iure unitam domui religiosae, ecclesiae capitulari vel alii personae morali atque:

c. « *Vicarii ceconomi* » iuxta can. 742. vacante paroecia constituti, qui

compluribus locis etiam « administratores » vocantur, non ergo cooperatores, supplentes.

d. « *Sacerdotes* », quibus exclusive et stabiliter commissa est in certo quodam territorio et determinata ecclesia plena animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et officiis; quibusdam in regionibus etiam « expositi » nominantur.

2°. **Quibus possunt conferre** confirmationem. « Praefati ...*valide et licite* » conferre possunt sequentibus sub conditionibus:

a. « Per se ipsi personaliter »;

b. « *Fidelibus* tantummodo *in proprio territorio* degentibus », iuxta Decr. non excipiuntur *infantes*, ergo qui usum rationis nondum attigerint, Decr. enim allegans can. 788, dicit « profecto septennium antevertere licet » etiam « multo antequam aetatem ratione utentem attigerint », et loquendo de casu, « si rationis usum sint assecuti », supponit tales, qui hoc non sunt assecuti.

c. « *Personis non exceptis* in locis commorantibus a paroeciali iurisdictione *subductis*, non exclusis igitur seminariis hospitiis, valetudinariis, aliisque omne genus institutis etiam religiosis, quoquo modo exemptis (cfr. can. 792) » — nemo ergo alius, ac parochus habet hanc facultatem, non rector seminarii vel superior religiosus vel rector ecclesiae.

d. « Dummodo hi fideles *ex gravi morbo* in vero *mortis periculo* sint constituti ex quo decessuri praevideantur ». Hae quidem conditiones ad validum usum requiruntur, « si huiusmodi mandati limites iidem ministri praetergrediantur, probe sciant, se perperam agere et *Sacramentum nullum conficere* incolumi praeterea manente statuto canonis 2365: presbyter, qui facultatis sibi factae limites praetergredi praesumpserit, eadem facultate *eo ipso privatus* exsistat ».

3°. **Conditiones ad liceitatem:**

a. « Tum in ipsa episcopali urbe, tum extra ipsam.... dummodo *Episcopus* legitime impediatur, nec alius praesto sit Episcopus... licet titularis tantum, qui sine gravi incommodo ipsi suffici queat ».

b. « Ritu adhibito ex Rituali Romano excerpto ».

c. « Gratis vero quovis titulo est conferenda ».

d. « Si confirmandi rationis usum sunt assecuti, praeter statum gratiae aliqua dispositio atque *instructio* requiritur...., si dein convaluerint, opportunis institutionibus circa fidei mysteria, naturam atque effectum huius Sacramenti diligenter instruantur ».

e. Nomen confirmati etc. *in Libro confirmatorum* adnotandum est, cum nota: « Confirmatio collata est ex Apostolico indulto, urgente mortis periculo, ob gravem confirmati morbum ». « Si ex aliena sit paroecia, parochum confirmati certiorem debet reddere de collato Sacramento ».

f. « Singulis vicibus statim *ad Ordinarium* dioecesanum proprium » nuntiare debent collatam confirmationem, « additis adiunctis omnibus in casu concurrentibus ».

g. *Ordinarii* iuxta decr. *S. Congr. Sacram. 1. iul. 1957.* iam non tenentur relationem de his confirmationibus ad S. Sedem mittere (AAS 1957, 943 s.), at « quodsi abusus aliquis irrepat, ad eum illico convellendum, quatenus opus sit, hanc S. Congregationem adire ne omittant ».

IV. Presbyteri in missionibus omnes.

Iuxta decretum S. Congr. a Propaganda fide 18. dec. 1947. Ordinariis locorum a S. Congr. Propag. Fide dependentibus conceditur ius dandi: « omnibus sacerdotibus sibi subditis, curamque animarum gerentibus, facultatem s. confirmationem fidelibus *sive adultis, sive infantibus*, infra fines missionalis circumscriptionis exstantibus et *in mortis periculo* constitutis, valide ministrandi, necnon licite in ipso loco residentiae Episcopi, absente tamen quolibet Episcopo, vel legitime impedito, servataque formula a Rituali Romano statuta » (AAS 1948, 41).

V. Presbyteri rituum orientalium.

In Ecclesia Orientali presbyteri post baptismum confirmant, licite et valide, nisi haec facultas confirmandi expresse revocata fuerit. Quod *schismaticos* attinet, S. Officium declaravit (15. ian. 1766), presbyteris generatim *non* fuisse ablatam facultatem confirmandi. Potestas vero haec *certe adempta est* presbyteris tum unitis, tum schismaticis in Bulgaria, In Albania, in Italia et insulis adiacentibus, in Cypro, et penes Maronitas Libanenses iuxta declarationem S. Officii (3. iul. 1853), confirmati in talibus locis reconfirmandi sunt *absolute*. Si confirmati sint in Moldavia, Valachia, Asia vel in ceteris locis, ubi facultas haec non fuerit revocata (sic. e.gr. in Hungaria), « *acquiescat* », i.e. confirmatio valida est. Si dubium haberetur de loco, de modo vel propter aliam rationabilem circumstantiam, « *recurrat* in casibus particularibus ».

Presbyteri orientales *vetantur* confirmare fideles *ritus latini*: « Nefas est presbytero ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus latini ritus » (can. 782 § 5.); comparatio cum § 4. eiusdem canonis sat clare ostendit, hanc confirmationem validam, sed (graviter) illicitam esse.

2. De subiecto confirmationis.

a) **Subiectum validae confirmationis.**

1°. *Baptizatus nondum confirmatus. Baptizatus*, quia « aquis baptismi non ablutus valide confirmari nequit » (can. 786), baptismus enim ianua est omnium Sacramentorum. *Nondum confirmatus*: nam confirmatio propter characterem iterari non potest. Infantes semper valide possunt confirmari etsi rationis usum non sint adepti, liceitas infra statim declarabitur.

2°. *In adultis* insuper requiritur *intentio habitualis implicita*, i.e. intentio quae aliquando habita fuerit, et nunquam revocata; implicita est, si quis habeat voluntatem manendi verum Ecclesiae membrum (sic Lehmkuhl, Theol. Mor. II, 12. ed. n. 66., Vermeersch-Creusen: « in vitae christianae professione sufficiens voluntas istius Sacramenti habetur » n. 246). Intentio « interpretativa » aliquorum auctorum eadem habitualis implicita intelligitur.

b) **Subiectum licitae confirmationis**

est in Ecclesia Latina:

1°. *Usum habens rationis*, nam lex est: « ...confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differtur ad septimum circiter aetatis annum »

(can. 788), quae lex tamen propter verbum « convenienter » non potest censeri mere directiva, sed praeceptiva habenda est sec. Commiss. CIC Interpret. (16. Jun. 1931. AAS 1931, 353). *Exceptiones* sunt ex hac lege:

a. « Nihilominus etiam antea (ergo ante adeptum usum rationis) conferri potest, si infans in *mortis periculo* sit constitutus » (can. 788), ergo minister ordinarius (episcopali charactere insignitus) et extraordinarius iure communi in mortis periculo, non solum e gravi morbo proveniente, sed *omni* mortis periculo, licite talem infantem confirmant; parochus solum in periculo mortis e gravi *morbo.*

b. Si « ministro id expedire *ob iustas et graves causas* videatur », minister est ordinarius vel extraordinarius e iure communi; excipiuntur qui *indulto* confirmant, nam se tenere debent ad tenorem indulti, sicut e.gr. parochi, qui ut dictum est, in gravi morbo periculum mortis afferente possunt confirmare.

c. « Ex *legitima consuetudine* penes quasdam nationes » infantes statim post receptum baptismum confirmari possunt etiam in Ecclesia latina, ut patet per ministros ordinarios vel extraordinarios iure communi (Decr. Spiritus Sancti munera, AAS 1946, 350), quod in Hispania et America Latina contingit.

d. *Notandum,* quod Ordinarii *non possunt* decreto *differre* aetatem confirmationis ultra a iure communi statutam, sic habet declaratio *Comm. ad CIC Interpret. 26. mart. 1952*: « Am, attento can. 788., sustineatur mandatum Ordinarii loci vetantis, quominus Sacramentum confirmationis administretur pueris, qui aetatem decem annorum adepti non sint? Resp. Negative (AAS 1952, 496).

2°. Debet esse « *in statu gratiae constitutus* » (can. 786), qui status gratiae per se procurari potest per contritionem perfectam, permulta Statuta dioecesana vel decreta Ordinariorum ante confirmationem praescribunt confessionem et communionem.

3°. Adultus debet esse « *sufficienter instructus* », (ibidem), quod praesertim quoad pueros valde commendari debet.

a. *Ante confirmationem* parochi et catechetae iam per menses, tradendo doctrinam christianam, saepenumero commemorent confirmationem, de qua deinde separatim habendae sunt aliquae institutiones, in quibus de necessitate, effectibus huius Sacramenti agendum, de vita modo christiano instituenda, de fide profitenda, defendenda et de laicali apostolatu, item de Spiritu Sancto doctrina tradenda erit. (f. L. Bopp, Lit. u. Kerygma III (1952) 199-235).

b. *In confirmatione* omnia praeparanda, ut iuvenes confirmandi confiteantur, communionem recipiant si potest, mane diei confirmationis. Olim commendabatur, ut *ieiuni* accedant, nunc nulla praescriptio exsistit de hac re, immo pueri quantum possibile est, ante confirmationem ientaculum sumant. Studendum est, ut non nimia multitudo Sacramentum accipiat; si tamen permulti confirmandi sunt, possunt *in turmas distribui,* ut una turma absoluta, minister benedictionem finalem his impertiatur, qui dein abire possunt. Ad ordinem promovendum multum confert mos in pluribus regionibus vigens, *schedulam* confirmationis confirmandis dandi, quae contineat nomen et cognomen confirmandi, et — ubi moris est — nomen confirmationis quoque, paroeciam eius, diem nativitatis et annum, et nomen parentum et patrini. Haec schedula inservire potest, ut haec data cum nomine ministri diei et loci confirmationis inscribantur in *librum* peculiarem *confirmatorum* et praeterea in *librum haptizatorum* in adnotatione (can. 798 et 470. § 2.). *Inter administrationem* confirmationis

optimum est sub directione alicuius clerici cum populo orationes communes recitare et cantica in honorem Sancti Spiritus concinere.

c. *Post confirmationem* tum catecheta, tum parochus moneant confirmatos de accepto munere Spiritus Sancti, sicque fundare studeant conscientiam christianam et postulata vitae catholicae, ad labores apostolicos iam ad confirmationem provocando exhortentur iuvenes (O. Schöllig p. 52-55).

4°. « Confirmandi, si plures sint, *adsint primae manuum impositioni* seu extensioni, nec nisi *expleto ritu* discedant » (can. 789); ritus expletur liturgice per benedictionem finalem ministri. Minister autem post hanc benedictionem sedens adhortetur patrinos et matrinas, quod instruant filios suos bonis moribus, ut fugiant mala et faciant bona, et doceant eos Credo in Deum, et Pater noster et Ave Maria, quoniam ad hoc sunt obligati (Rit. Roman. tit. III. c. 3, 12).

Litteratura.

I. E. Danner, Das dem Franziskanervicarius der Vicaria Bosniae Fabianus a Bačka und dessen Nachfolgern und Substituten erteilte Privilegium oleum sanctum et chrisma conficiendi et benedicendi, *in*: Theol. prakt. Quartalschrift (Linz) 1904, 805-810. — *Idem,* Firmung durch schismatische Priester, *ibidem* 1912, 525-537. — *F. Gillmann,* Zur Lehre der Scholastik vom Spender der Firmung und des Weihesakramentes, Paderborn 1920. — *J. Brinktrine,* Der einfache Priester als Spender der hl. Firmung, *in*: Divus Thomas 1929, 301-314.— *K. Sudbrack,* Das Alter der Firmlinge, *in*: Theol. prakt. Quartalschrift 1940, 285-297. — *Quinn,* The extraordinary minister of confirmation according to the most recent decrees of the Sacred Congregation, Roma 1951. — *M. Cambiaghi,* L'età della cresima, Milano 1957. — *R. Levet,* L'âge de la confirmation, *in*: Maison-Dieu 54. (1958) 118-142.

E) De ritibus confirmationis.

Agere volumus 1. De evolutione ritus Romani confirmationis, 2. De descriptione ritus Romani confirmationis.

1. De evolutione ritus Romani confirmationis.

a) **Aetate antiqua**

ritus confirmationis 1°. iam accurate habetur in Paradosi Apost. S. *Hippolyti* versus 220: « Episcopus manum illis imponens invocet dicens: Domine Deus, qui dignos fecisti eos remissionem mereri peccatorum per lavacrum regenerationis Spiritus Sancti, in sancta ecclesia et nunc et in saecula saeculorum. Amen. Postea oleum sanctificatum infundens de manu et imponens in capite dicat: Ungueo te sancto oleo in Domino Patre omnipotente et Christo Jesu et Spiritu Sancto. Et consignans in frontem offerat osculum et dicat: Dominus tecum. Et qui signatus est, dicat: Et cum spiritu tuo. Et ita singulis faciat » (Quasten p. 31-32). Ritus non potest accuratius describi, cuius *singula elementa* initio saec. III-i sunt: impositio manus — invocatio Spiritus Sancti — unctio olei cum impositione manus — consignatio in fronte — osculum, de quo Cyprianus dicit, quod « nemo in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat osculum » (Ep. 64,4 CSEL III, 2,719).

2°. Eadem elementa inveniuntur penes *Tertullianum* (cf. supra de Bapt. A. 4. d. 2°. De resurr. carn. 8).

3°. In *Oriente* inungebantur in confirmatione post Baptismum statim administrata iuxta Cyrillum Hieros. frons, aures, nares et pectus chrismate (Catech. mystag. 3,4), quod chrisma vocatur « Christi gratia et per adventum Spiritus Sancti divinitatis eius operativus effectus » (n. 3). Haec unctio multiplex post Baptismum data est cum oleo laetitiae (elaiô agalliaseôs n. 2), nam iis, « qui ex aquarum piscina ascenderunt, datum est chrisma... hoc est Spiritus Sanctus » (n. 1., totum textum cf. Quasten 88-90.).

b) **In liturgia Romana**

prima accurata descriptio ritus confirmationis invenitur in Sacramentario *Gelasiano* (Wilson p. 86-87). Postquam unctio baptismalis per presbyterum facta est, quae ergo nullo modo est vestigium quoddam confirmationis, sed proprium sensum possidet, statim administratur ab episcopo ipsa confirmatio brevissimo quidem ritu: « Deinde ab episcopo datur eis septiformis Spiritus. Ad consignandum imponit eis manum in his verbis: Deus omnipotens, Pater DNJ Christi, qui regenerasti famulos tuos ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, tu Domine immitte in eos Spiritum Sanctum tuum Paraclitum, et da eis Spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiae et pietatis, adimple eos spiritu timoris Dei in nomine DNJ Christi, cum quo vivis et regnas Deus semper cum Spiritu Sancto per omnia saecula saeculorum. Amen. Postea signat eos in fronte dicens: Signum Christi in vitam aeternam. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo » (Wilson p. 86-87). Ritus hic simplex solum invocationem, seu orationem epicleticam vetustissimam habet, collationem Sacramenti et pacem. Oratio haec iam per allusiones et citationes noscitur apud *Ambrosium* et *Augustinum*, hodieque adhuc adhibetur. Num iuxta Gelasianum etiam osculum datum fuerit, nescimus.

c) **Ampliatio ritus.**

Ut videri potuit, ritus hic confirmationis *brevissimus fuit*, quia confirmatio etiam in Occidente per saecula post baptismum administrata fuit, qui iam in seipso sat prolixis ritibus constabat. Cum vero in Occidente iam a saec. V-VI. confirmatio divulsa est a baptismo, separatimque administrata, ritus confirmationis nimis ieiunus visus pedetentim ditatus amplificatusque est. Sic:

1°. Formulario nativo Romano, quod constabat ex oratione epicletica, actu sacramentali et pace a. per *Pontificale Romano-Germanicum* (Andrieu) saec. X-i adiunctus est ritus *gratiarum actionis* tali modo: « *Ant.* Ecce sic benedicetur omnis qui timet Dominum. — *Benedictio.* Benedicat vos Dominus ex Sion... — Gloria Patri... — Pax vobis. Et cum spiritu tuo ». — **b.** Idem Pontificale *dramaticam* reddit orationem *epicleticam* intercalatione quatuor « Amen » post enumerationem singulorum donorum Spiritus Sancti et adiunctione phraseos finalis in oratione epicletica (« et consigna eos signo Crucis Christi, in vitam propitiatus aeternam »).

2°. Decursu saec. XII-i in Pontificali *Curiae Romanae* qua introductio ritus additus est *versus initialis* « Spiritus Sanctus superveniat in vos et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis. Amen ». Item in hoc Pontificali occurrit primum inter multiplices formas usitatas *hodierna forma*: « N. Signo te signo... ».

3°. Ultimam manum ritui confirmationis Romano *Durandus* celeberrimus liturgista admovit (1291-1296).

a. *Introductorium ritum* adhuc amplians recitari iussit etiam *versus* «Adiutorium nostrum.... Domine exaudi orationem meam... » post versum initialem.

b. In *corpore ritus* adiunxit Durandus e consuetudine populari Germanica *alapam,* quam episcopus confirmato dat leviter eum in maxilla caedens. *Sensus* huius ritus est partim *rememorativus,* « ut tenacius memoriam teneat se hoc Sacramentum recepisse », ut Durandus dicit (Rat. div. offic. VI, c. 84, n. 6), penes populationes Germanicas enim in metatione (Absteckung) confinium agrorum pueros alapis caedebant, ut testes possint esse finium agrorum. Alius sensus talis alapae erat *declaratio maiorennitatis* in iure Germanico: sic etiam confirmatus adeptus aetatem plenitudinis Christi in futurum nunquam debet erubescere sed fortiter confiteri Christum.

c. Idem Durandus *ordinem gratiarum actionis* Pontificalis Romano-Germanici *invertit;* antiphonam « Ecce sic benedicetur omnis homo... » post orationem (« Deus qui apostolis tuis... ») transferens, novam ant. « Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem » addidit qua initialem gratiarum actionem, cum « Gloria Patri » et versiculis « Ostende nobis... » etc. Benedictio vero Pontificalis Romano-Germanici (« Benedicat vos Dominus ex Sion ») translata est in fine totius ritus, hisque efformatus est ritus hodiernus confirmationis, per Pontificale Romanum universalis factus.

4°. Nunc hic ritus universalis confirmationis Romanus eodem omnino ritu continetur *bis in Pontificali Romano, bis* vero in *Rituali Romano* (tit. III. c. 3. « Ritus servandus a sacerdote Sacramentum confirmationis fidelibus extra mortis periculum constitutis ex Sedis Apostolicae delegatione » et *ibid,* c. 2.: « Ritus servandus a sacerdote Sacramentum confirmationis aegroto in periculo mortis constituto administrante vi apostolici indulti »), et inde ab 1928 etiam in *Missali Romano* (« Ritus confirmationis et consecrationis patenae et calicis e Pontificali Romano descriptus » post Missas defunctorum et benedictiones diversas).

2. Descriptio ritus Romani confirmationis.

Ut iam dictum est, ritus hodiernus componitur a) ex introductorio ritu, dein b) ex oratione epicletica seu invocatione S. Spiritus, item ex ipso c) ritu sacramentali confirmationis, d) e gratiarum actione, demum e) benedictione finali.

a) Ritus introductorius

nitide incipit versu « Spiritus Sanctus superveniat in vos, virtus Altissimi custodiat vos a peccatis. Amen », qui dicitur a celebrante stante versa facie ad confirmandos, iunctis ante pectus manibus, discooperto capite, confirmandis vero genua flectentibus et manus ante pectus iunctas tenentibus (Rit. Rom. tit. III. c. 3. n. 3. et 4.), postea dicuntur versus « Adiutorium... » se signando et ceteri.

b) Oratio epicletica

seu invocatio S. Spiritus. Celebrans *extensis versus confirmandos manibus* dicit: « Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium

peccatorum: emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de caelis ». « Amen ». Ut continuatio huius orationis sequitur nunc *enumeratio septem donorum*: « Spiritum sapientiae et intellectus. Amen. — Spiritum consilii et fortitudinis. Amen. — Spiritum scientiae et pietatis. Amen ». — Invocatio doni septimi phrasi finali amplificatur: « Adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo Crucis Christi, in vitam propitiatus aeternam. Amen ».

c) Ritus sacramentalis confirmationis.

Sollemniter invocato Spiritu Sancto, nunc singillatim administratur Sacramentum Confirmationis.

1°. *Ritus ordinarius* pro Episcopo est confirmatio *ad faldistorium*, pontifex *sedet* ad faldistorium in medio suppedaneo altaris vel si multi sint confirmandi, in plano vel ad cancellos presbyterii, confirmandique omnes unus post alium, primum pueri et viri, dein puellae et mulieres ante pontificem se sistunt, genua flectentes.

2°. *Alius modus* est confirmandi *stando*, tunc pontifex ob magnam multitudinem confirmandorum totam ecclesiam perambulat confirmandique in oblonga linea genuflexi exspectant, patrinis vel matrinis post eos stantibus. Rubrica (initio administrationis Sacramenti et Rit. Rom. tit. III. c. 3, n. 2.) praescribit, quod *infantes* teneantur per patrinos in brachiis dexteris, *adulti* vero « ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui », qui mos iam a longo tempore obsoletus est, ideoque mos ponendi manum dexteram super humerum dexterum confirmandi a S. C. Rit. iamdudum legitimus declaratus est (d 2404, 6 20. sept. 1749 ad interrogationem Episc. Jaurinensis in Hungaria) et ubique diffusus nunc etiam in editionem typicam Rit. Rom. explicite assumptus est (l. cit.).

3°. Quando confirmandus iam ante Pontificem genuflexus est, primo sciscitari debet eius *nomen*: « Pontifex inquirit singillatim de nomine cuiuslibet confirmandi ». Nomen hoc per se est nomen baptismatis, sed confirmandus « potest tempore confirmationis *praeter* nomen suum baptismale nomen alius Sancti sibi imponi curare » (d 2404 supra citatum ad 7), ut multis in locis fit; nomen hoc potest esse nomen baptismale patrini, ut saepissime in Hungaria, vel etiam evenit, quod omnibus pueris idem nomen, puta Josephi vel Aloysii datur (sic Müller-Umberg p. 287). *Modus* quo nomen inquiri potest, est in permultis regnis schedula confirmationis, ubi nomen scriptum est, quamque confirmandus in manibus tenet; schedula haec aufertur a caeremonario vel nomenclatore et pontifici ante confirmationem in forma vocativa declinatur (e.gr. « Petre, Paule »).

4°. Pontifex *intingit pollicem* dexterae suae manus in vasculum chrismatis, quod capellanus tenet, et *confirmat genuflexum* confirmandum dicens: « N. signo te signo Cru†cis », quod dum dicit, imposita manu dextera super caput confirmandi, producit pollice signum Crucis in fronte illius, deinde prosequitur: « et confirmo te chrismate salutis. In nomine Pa†tris et Fi†lii et Spiritus†Sancti », ad verba « in nomine... » ergo manus iam amovetur a capite confirmandi, ut trina benedictio dari possit etiam tunc si presbyter confirmet. Clerici respondent: « Amen ».

5°. Dein leviter *in maxillam dextera manu caedit* confirmatum, dicens: « Pax tecum », ad quod nil respondetur.

6°. Pont. Rom. supponit *abstersionem frontis confirmati* post unctionem (Confirm. uni tantum conferenda: « Unctione peracta, patrinus vel matrina confirmati frontem, per ministrum iam extersam, ligat vitta linea munda »), Rit. Rom. vero habet: « Ligantur mox vittis lineis recenter confirmatorum frontes. Quod sicubi huiusmodi vittae non adhibeantur, sacerdos, postquam frontes confirmandorum linierit sacro chrismate, eas gossypio, postea comburendo, diligenter abstergat » (tit. III. c. 3, n. 7). Ut patet, ne administratio Sacramenti nimis protrahatur, hanc abstersionem potest capellanus peragere (Nabuco I, 50).

d) **Gratiarum actio.**

Post peractam confirmationem celebrans lavat manus et pollicem super pelvim, postquam extersae sunt cum mica panis. Aqua lotionis cum pane funditur in piscinam sacrarii, in qua reponi debent etiam supra dictorum gossypiorum cineres (Rit. Rom. n. 8). Lotio manuum fit in faldistorio, Pontifex sedet et accipit gremiale album.

1°. Dum manus lavantur, schola incipit ant. « *Confirma hoc Deus,* quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem. Gloria Patri...» et repetitur ant., quae etiam legi potest a ministris. Cantus hic desumitur e Ps. 67., qui est « carmen triumphale, quo Domini, praesentis in arca foederis, iter ab Aegypto usque ad montem Sion describitur ». (Liber Psalm. cum notis criticis et exegeticis, cura professor. Pont. Inst. Bibl., 2. ed. 1945, 122), optime ergo convenit confirmatis, ex Aegypto, miseriis sc. terrenae vitae in Sion aeternum, Jerusalem caeleste iter agentibus.

2°. Post *versiculos* « Ostende nobis... » etc. dicitur *oratio*: « Deus qui apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum », in quo precatur quod per gratiam huius Sacramenti mox accepti Deus confirmet seu « exseret potentiam suam » in confirmatis, gratia enim haec permanet et est quasi « accumulator », e quo semper novae gratiae actuales hauriri possunt, ut sic Spiritus Sanctus « in eis superveniens templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat ». Versiculi et oratio dicuntur a celebrante detecto capite et versus ad altare.

e) **Benedictio finalis,**

cui omnes debent adesse (can. 789), 1°. incipit *cum ant.* « *Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum* », cantata a celebrante versus altare verso, et desumpta e Ps 127, qui « celebrat felicitatem eius, qui timet (reveretur, colit) Dominum » (op. cit. p. 274), accommodatione ergo liturgica celebrantur largitiones gratiae in Sacramento acceptae.

2°. *Benedictio* finalis vero *futurum respicit,* est enim prognostica: « Benedicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitae vestrae et habeatis vitam aeternam ». « Bona Jerusalem » sunt bona gratiae in et per Ecclesiam e thesauro caelesti fidelibus impertita, quibus adiuti vitam possunt adipisci aeternam. Benedictio haec finalis fit se vertendo ad confirmatos, cum mitra et baculo iuxta Nabuco (I, 59. nota 38), quia Episcopus semper cooperto capite benedicit et quia benedictio haec omnino similis est illi, quae habetur in fine ordinationis presbyteri, pro qua usus mitrae et baculi praescribitur.

3°. Absoluta confirmatione, celebrans sedens patrinos et matrinas *monet,* quod instruant filios suos bonis moribus, ut fugiant mala et *doceat eos* Credo,

Pater noster et Ave Maria, quoniam ad hoc sunt obligati (Pont. Rom. et Rit. Rom. in fine). Alicubi, ut in Hungaria confirmati cum patrinis genuflexi has orationes, praeorante Episcopo, recitant.

f) Praeparanda ad Confirmationem.

1°. *Assistentia*: Parochus sine stola et saltem quatuor capellani: nomenclator, assistens Episcopo; unus cum lance gossypiorum, qui frontes abstergit; alter cum lance, in qua gossypia post usum colligit; dein mitrifer et baculista, qui possunt esse ministrantes.

2°. *In sacristia* seu sacrario: Crux processionalis, superpellicea pro assistentia.

3°. *In altari*: sex candelae ardentes, pluviale albi coloris, amictus, mitra simplex; *iuxta altare* in plano: faldistorium, et baculus ad parietem.

4°. *In credentia* seu abaco: Liber Pontificalis, vel ritus Confirmationis ex eo extractus; in lance argentea vasculum chrismatis; in lance sufficienter gossypia; tertia lanx vel vasculum ad recipienda gossypia post usum; quarta lanx cum medulla panis, in qua etiam citrum potest poni; urceus cum pelvi lavabo; manutergium oblongum.

Litteratura.

P. de Puniet, Confirmation, *in*: DAL III, 2 (1914) 2515-2543. — *F. J. Dölger*, Der Kuss im Tauf- und Firmritual nach Cyprian von Karthago und Hippolyt von Rom, Antike u. Christentum 1929, 186-189. — *B. Welte*, Die postbaptismale Salbung, Freiburg i.Br. 1939. — *L. Eisenhofer*, Handb. d. kath Liturgik 2.ed. 1941, 280-297. — *J. B. Müller - J. B. Umberg*, Zeremonienbüchlein 19.ed. 1941, 274-288. — *A. Crogaert*, Les cérémonies du baptême et de la confirmation, Paris-Bruges 1944. — *J. Nabuco*, Pontificalis Romani expositio iuridico-practica, Petropoli-Brasilia 1945, I, 39-59. — *L. Molien*, Liturgie des sacrements, Paris 1948, 166-207. — *De Amicis*, Caeremoniale parochorum ed.4. Romae 1948, p. 481-488 et 581-583. — *J. Lechner*, Liturgik des röm. Ritus, ed.6. 1953, 276-280. — *M. Righetti*, La confermazione, *in*: Storia liturgica IV. 1953, 88-104. — *D. van den Eynden*, Les rites liturgiques latins de la confirmation, *in*: Maison-Dieu cah. 54 (1958) 53-78. — *E. M. Llopart*, Les fórmules de la confirmació en el pontifical romá, *in*: Liturgica II (Montserrat), Barcelona 1958, 121-180. — *P. M. Gy*, Histoire liturgique du sacrement de confirmation, *in*: Maison-Dieu cah. 58 (1959) 135-145.

ADDENDA ET CORRIGENDA AD TOMUM PRIMUM.

Ad p. 68. c. 3°: Satisfit obligationi inde ab 1961, si Litaniae una cum fidelibus lingua patria persolutae fuerint (NCR 85).

Ad p. 313. b. 2°. *a.*: Iuxta *decr. 3. dec. 1960 S. C. Conc.* sequentibus diebus dicenda est *Missa pro populo*: omnibus Dominicis, 1. jan. Octava Nativitatis, 6. jan. Epiphania, 2. feb. Purificatio, 24. feb. Matthiae, 19. mart. S. Joseph, 24. mart. Annuntiatio, 25. apr. S. Marci, 1. maii S. Joseph Opificis, 11. maii S. Philippi et Jacobi, Ascensio Domini, Corpus Christi, Cor Jesu, 24. jun. Joannes Bapt., 29. jun. S. Petri et Pauli, 1. jul. Pret. Sanguis Christi, 25. jul. Jacobi ap., 15. aug. Assumptio, 24. aug. Bartholomaei ap., 8. sep. Nativit. BMV., 21. sep. Matthaei ap., 29. sep. Michaelis, 18. oct. Lucae ev., 1. nov. Omnium Sanctorum, 30. nov. Andreae ap., 8. dec. Concept. Immacul., 21. dec. Thomae ap., 25. dec. Nativ. Dom., 27. dec. Joannis ap., festa: patroni loci, dioecesis, nationis principalis, regionis, provinciae, anniversarium dedicationis eccl. cathedralis, eccl. propriae, titulus eccl. propriae.

Ad p. 360. 12. a. 2°. k.: loco « Pret. Sanguis Domini » recte: *Christus Rex.*

Ad p. 367. 16 c.: *Tabella praecedentiae nr.* 27. delendum est: *Def. IV. classis.*

Ad p. 375. 21. d.: addendum: exceptis Missis IV. cl. tempore natalicio et in Sabbatis BMV.

Ad p. 564. 2°.: catalogus hic inde a die 3. dec. 1960 iam nullius est momenti, cf. Corrigenda ad p. 313 superius.

Ad p. 577. 1°.: Libri *J. Jeremias,* Die Abendmahlsworte Jesu, publici iuris facta est ed. 3. valde augmentata anno 1960. Göttingen.

Ad p. 700. 1°.: si Sabbato Sancto non habeatur oleum recens, infusio omittatur, postea oleo recenti supplenda, si in Vigilia quis baptizandus esset, oleum superioris anni infundatur (CRit d 3879).

93 WIS. B APR '64

Date Due

Date Loaned

DE - 6 '64			
FE - 3 '65			
OC 15 '65			
AP 25 '66			

Demco 292-5

SALZMANN LIBRARY-ST FRANCIS SEMINARY
3 9641 00002 1614

BT 4141 R2 v.1 Rado, Polikarp
Enchiridion liturgicum complectens...

DATE DUE	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

BT 4141 R2 v.1 Rado, Polikarp
Enchiridion liturgicum complectens...

ST. FRANCIS SEMINARY
SALZMANN LIBRARY
Milwaukee, Wis. 53207

O8-AKW-311